CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII,

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT.

COMMENTARIORUM IN NOV. TEST. PARS II

IN

LIBROS DIDACTICOS

III

EPISTOLAE AD CORINTHIOS ALTERA ET AD GALATAS

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

COMMENTARIUS

IN

S. PAULI APOSTOLI

EPISTOLAS

AUCTORE

RUDOLPHO CORNELY S. I.

III

EPISTOLAE AD CORINTHIOS ALTERA ET AD GALATAS

Cum approbatione Superiorum



PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1892

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS

IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS

AD · SANCTORVM · PATRVM

ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM

IVNIORVMQVE · INTERPRETVM

NORMAM · EXACTOS

ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT

RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS

AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI

SVMMO · ATQUE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI

QVI · SINGVLARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS

ID · QVIDQVID · EST · OPERIS

NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT.

PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT

SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA

ADDICVNT · DEVOVENT

SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE

SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI

PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Quum opus, cui titulus est « *Commentarius in Epistolas S. Pauli,* auctore P. Rudolpho Cornely S. I., Vol. III. *Epistolae ad Corinthios altera et ad Galatas* », aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse judicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Fesulis die 10 Augusti 1891.

L. S. Ant. Mar. ANDERLEDY,
Præp. generalis S. I.

IMPRIMATUR.

Parisiis, die 22 Augusti 1891.

† FRANCISCUS, Cardinalis RICHARD
Archiepiscopus Parisiensis.

ALTERA EPISTOLA AD CORINTHIOS

PROLEGOMENA.

1. *Quae epistolae 2 ad Cor. scribendae Paulo fuerit occasio et quis finis*[1].

1. — In priore sua epistola B. Paulus neophytos corinthios ob multa graviaque, quae in eorum ecclesia vigebant, vitia tam vehementer et acerbe reprehenderat, ut mirum non sit, quod cum anxietate quadam, quomodo gravia sua monita essent recepta, scire desideraret. Timotheum enim, antequam illam epistolam scriberet, una cum Erasto in Macedoniam quidem et Achaiam iam miserat (cfr *Act.* 19, 22; 1 *Cor.* 4,17; 16,10); sed de rei exitu sollicitus eorum reditu non exspectato Titum cum alio fratre in Achaiam proficisci iussit, ut quem fructum literae suae tulissent accuratius inquireret. Interea ipse aliquot hebdomadis Ephesi, ubi priorem epistolam scripserat, remanere atque deinde illud iter, quod Corinthiis annuntiaverat (1 *Cor.* 16,5) ingredi ac per Macedoniam in Achaiam proficiscens Troade Titum Corintho revertentem exspectare voluit, ut iuxta nuntios allatos quid facto opus esse decerneret (cfr. 2,12 sq.; 12,18). Brevi postquam Titus profectus erat, Timotheus quidem ad magistrum suum videtur esse reversus, at tantum abest, ut nuntii per eum allati anxietatem sollicitudinemque Apostoli minuerint, ut eam non parum auxerint.

A modernis haud paucis Timotheum post priorem epistolam scriptam Corinthi fuisse Pauloque nuntios de ecclesiae corinthiae conditione attulisse negatur, quia Lucas de Timothei Erastique itinere loquens solam Macedoniam ab eis visitatam nominet (*Act.* 19,22), Paulus ipse nuntiorum sibi per Timotheum allatorum mentionem hac in epistola non faciat, quin

1. Cfr meam *Introduct. special.* in Novi Test. libr. sacr. p. 417 sqq. (*Compend. Introduct.* in U. T. libr. sacr. p. 551 sq.).

etiam eum inter illos, quos velut legatos Corinthum miserat, non recenseat (12,16 sqq.). Quibus rationibus res non definitur; immerito enim Lucae narratio de rebus gestis Pauli sociorumque eius tam completa esse supponitur, ut ex eius silentio validum argumentum desumi possit; eodem Lucae silentio freti antiquiores multi interpretes Paulum bis tantum in Achaiam venisse demonstrare voluerunt, quamquam eum tria itinera corinthia fecisse, Lucam autem secundum silentio praetermisisse, hodie omnes recte tenent. Tam clare quoque Paulus priore in epistola Corinthiis proximum Timothei adventum velut certum annuntiat (1 *Cor.* 4,17; 16,10), ut quo cum iure discipulum magistri mandatum non esse exsecutum aut magistrum mandatum suum revocasse dicatur non appareat. Profecto Apostolus, qui ob sui ipsius itineris consilium mutatum a levitatis calumnia sese purgare debuit (cfr ad 1,15 sqq.), novae calumniae ansam dedisset, si hoc itineris Timothei consilium mutatum aut exsecutioni non mandatum silentio praetermisisset. Porro quod Paulus in hac epistola ea, quae per Timotheum rescivit, diserte non commemoret, id difficultatem non creat, quia eum in epistolae inscriptione sibi associat (1,1), ac proin Corinthii dubitare nequiverunt, quin Apostolus ad eius quoque nuntios in sua epistola attendisset. Ob eandem quoque rationem eum inter alios suos legatos apte commemorare non potuit (cfr ad 12,18). Ad eorum igitur antiquorum et modernorum sententiam transire malumus, qui Timotheum iter corinthium ei a magistro iniunctum revera fecisse atque primum fuisse censent, qui Apostolo certos nuntios de ecclesiae corinthiae nova conditione retulisset. Ceterum utrum Timotheus Ephesum sit reversus, antequam Titus in Achaiam est missus, an postea, in dubio relinquimus, quia probabile argumentum, quo haec quaestio definiatur, non suppetit.

Seditione illa, quam Demetrius argentarius contra eum excitavit (*Act.* 19,23 sqq), Paulus citius, quam statuerat, Epheso discedere coactus est, ita ut Troadem adveniens Titum nondum inveniret; optima quidem ibi se ei obtulit occasio praedicandi Evangelii, at anxietas de rerum corinthiarum conditione eum ibi commorari non permisit (2,12 sq.); quam primum ergo potuit in Macedoniam transfretavit, ut quam citissime legatum suum obvium haberet. Ibi tandem, postquam gravissima passus erat, Titi adventu laetisque nuntiis Deus eum consolatus est (7,5 sqq.). Priore epistola enim contristati fuerant Corinthii, sed contristati ad poenitentiam (7,9) summa cum diligentia et cura Apostoli sui mandatis obsequi studuerant eiusque magno desiderio tenebantur (7,11 7.); incestuosum quoque ex ecclesia eiicientes eum ad poenitentiam agendam adduxerant, et quid nunc de eo esset agendum anxii per Titum exquisierant (cfr ad 2,5 sqq.). At minus laeta quoque Titus retulit; quamvis enim plerique neophyti sincera caritate Apostolo suo iterum essent addicti mandatisque eius obtem-

perarent, non deerant tamen, qui pseudapostolorum verbis seducti eadem cum fiducia qua antea ei non adhaererent. Etenim prior epistola, in qua tot neophytorum vitia acerbe vituperabantur, ab initio haud paucorum animos videtur offendisse; qua occasione iudaizantes doctores, qui interea corinthum advenerant atque solo Petri nomine iactato Pauli auctoritatem minuere erant conati, abusi erant, ut eum apertius impugnarent, eiusque apostolica dignitate negata doctrinam eius in suspicionem vocarent. Ipsa prior epistola eis arma praebuit; levitatis enim inconstantiaeque eum incusabant eo quod prius itineris consilium mutasset (cfr ad 1,15 sqq.), arrogantiae superbiaeque, eo quod sese ipse commendasset (cfr ad 3,1 sqq.); ignavum eum esse, qui absens literis quidem terrere, praesens autem exercere non auderet auctoritatem, calumniabantur (cfr ad 7,9 sqq.); quin etiam integritatem, qua a fidelibus nihil ad suam sustentationem accipiens Evangelium propagabat, quum eam negare non possent, variis modis ei in crimen vertere conabantur (11,6 sqq.; 12,13 sqq.). Uno verbo Pauli famam omni qua poterant ratione convellere nitebantur seseque ei opponebant tamquam genuinos Christi ministros eximiosque apostolos (10,7. 12; 11,5. 23.; 12,11 etc.). Eiusmodi sermonibus a nonnullis neophytis fidem esse adhibitam facile intelligitur, quia neque dissensiones, quibus ecclesia corinthia dilacerari pridem coeperat, statim disparuerant (12,20) neque vitia a Paulo vituperata ab omnibus subito vitabantur; libidini enim luxuriaeque, quam saepius iam Apostolus et in secundo suo adventu et in prima epistola (deperdita) atque in priore impugnare debuerat (1 *Cor.* 5,9 sqq.; 6,9 sqq. 12 sqq.), etiam eo tempore, quo Titus Corinthi adfuit, aliqui nondum renuntiaverant (cfr 12,21; 2,1).

2. — Quamvis igitur laetis legati sui nuntiis magna consolatione magnoque gaudio esset repletus, atque iure quoque fore speraret, ut adventu suo maiorem ecclesiae partem eadem consolatione eodemque gaudio afficeret, Paulus tamen, ne ex parte adversariorum haud leves sibi difficultates crearentur, quibus laborum suorum fructus impediretur, iure timuit. Quapropter antequam Corinthum adveniret, novis literis viam sibi praeparandam iudicavit, ut iter suum omnibus gaudio esset et utilitati; ne igitur durius severiusque praesens in nonnullos agere coactus etiam amicos suos contristaret utque maiore cum fructu inter eos laborare posset (cfr 2,1 sqq.; 12,20 sq.; 13, 10), apostolicam suam auctoritatem ab adversariorum calumniis vindicare, agendi rationem suam explicare, pseudapostolorum arrogantiam confundere sibi proposuit. Occasionem autem (vel si id dicere fas est, praetextum) iterum scribendi, antequam iter suum pergeret, collectae ei praebue-

runt, quas pro pauperibus fratribus ierosolymitanis faciendas iam diu indixerat. In priore enim epistola desiderium suum iam manifestaverat, ut ante suum adventum terminarentur (1 *Cor*. 16,2); continuis vero suis dissensionibus distracti Corinthii illud negotium videntur neglexisse; qua de re per Titum, uti coniicere licet, certior factus eundem rogavit, ut cum duobus aliis fratribus Corinthum revertens opus istud urgeret et ad felicem exitum perduceret (cfr ad 8,1 sqq.), eique hanc epistolam, qua eum eiusque socios ecclesiae corinthiae commendaret (8,16 sqq.), Corinthum deferendam tradidit.

Quin epistola haec in Macedonia sit scripta, nemini potest esse dubium; utrum vero Philippis, id quod multorum codicum subscriptiones asserunt (cfr *Tisch*.), an in altera Macedoniae ecclesia sit data, ignoramus; aliquamdiu tamen, antequam eam scriberet, Paulum iam in Macedonia fuisse, quum ex eo elucet, quod de vexationibus ibi a se toleratis innuit (7,5), tum ex eo quod in macedonicis ecclesiis omnibus collectas iam terminaverat (8,1 sqq.). Neque tamen multum temporis a priore epistola scripta effluxerat; illam enim circa festa paschalia a. 58. Epheso esse datam ostendimus (cfr ad 1 *Cor*. 5,8), haec vero circa m. Septembrem eiusdem anni scripta recte dicitur, ut quatuor vel quinque dumtaxat menses a priore ad alteram intercesserint. Namque haud diu quidem post priorem scriptam Paulus Ephesum relinquere coactus in Macedoniam et Achaiam profectus est, sed in Achaiam eum non ante m. Novembrem advenisse ex Actibus (20,2. 6) colligimus, quibus testibus tres menses in Achaia peregit, at in Macedoniam reversus Philippis pascha (a. 59.) celebravit; unde eum m. Februario Corinthum iterum reliquisse ac proin praecedente m. Novembri eo advenisse concludimus; duobus autem circiter mensibus ante suum adventum nostram epistolam scriptam esse arbitramur, quia tantum temporis requiri videtur, ut Titus eleemosynarum negotium terminaret. Porro arctissime quoque duae nostrae epistolae ad Cor. inter se cohaerent: quae in altera (1,8 sqq.) de magna tribulatione nuperrime a se in Asia superata scribit, ea quum illa in memoriam revocant, quae in priore (1 *Cor*. 16,8) de suis adversariis ephesiis innuit, tum illa quae Lucas de Demetrii seditione narrat (*Act*. 19,23 sqq.); itineris consilium, cuius rationem in hac explicat (2,1 sqq.), illud est, quod in priore (1 *Cor*. 16,5) annuntiavit; ut Corinthii, antequam ipse adveniat, vitam suam corrigerent, simili modo in priore (1 *Cor*. 4,18 sqq.) monuerat et in hac (1,17. 23; 10,1 sq. 10; 12,20; 13,10) monet; integer locus alterius epistolae de incestuoso (2,5 sqq.) explicari nequit nisi illis suppositis, quae in priore a Paulo de eo sunt statuta (1 *Cor*. 5,1 sqq.).

Itaque temporis, quod inter duas epistolas intercedit, brevitate arctoque nexu, quo inter se cohaerent, consideratis, modernos illos interpretes iacatb.) longe a vero aberrare sine ulla haesitatione asserimus, qui Paulum psum post priorem scriptam Corinthum venisse atque nostram secundam

supposito hoc itinere recentiorem dicunt (*Weizs.* etc.), aut eum novis Corinthiorum literis ad nostram secundam scribendam provocatum censent (*Bleek* etc.), aut eum nescio quam alteram epistolam severiorem post priorem aut per Titum aut per alium discipulum Corinthum misisse, ita ut nostra epistola non tertia sed quarta ad Cor. sit (*Olsh. Credn.* etc.). Quas coniecturas omnes aliasque similes non minus superflue quam temere esse confictas, explicatio epistolae docebit; praecipuum autem argumentum, cui innituntur, invalidum est; in priore enim epistola nihil legi censent, quo anxietas, quam Apostolus in hac prodit, sufficienter explicetur neque eam « ex angustia cordis per multas lacrymas » scriptam (2,4) dici potuisse. Namque ut multas illas, quae per totam priorem epistolam sparsae sunt, severas acerbasque sententias praetermittamus, sola cpp. 4. 5. 6. iam sufficiunt ad Pauli anxietatem explicandam; et quis mirabitur, quod Apostolus, qui tanto animarum zelo flagrabat, tristissima conditione ecclesiae, quae schismatis dilacerata in ethnica vitia erat relapsa, summo dolore affectus sit?

2. *Quae epistolae 2 ad Cor. sit indoles*[1].

1. — *Encomium Pauli* integram epistolam recte appellari, *Chrys.* (in 10,1) haud plane immerito dicit, quia et gratiae ei collatae et tribulationes ab eo fortiter superatae copiosissime describantur; sed si ad finem, quem sibi proposuit, attendimus, rectius eam *apologiam Pauli* dicimus. Licet enim haud pauca dogmata attingat atque gloriam ministrorum Novi Test. diligentius explicet (3,4 sqq.), Corinthiis quoque eleemosynarum negotium uberius commendet (8,1 sqq.), de se ipso tamen per integram fere epistolam loquitur, apostolicae suae vitae rationem exponit, totus in eo est, ut neophytos, quorum animi calumniis pseudapostolorum magis minusve ab eo erant alienati, sibi iterum conciliet iisque persuadeat, non tantum sese dignum esse, qui velut pater ab eis ametur ac diligatur, sed sese etiam ius habere ad eorum plenam obedientiam postulandam. In epistola ad Gal. quoque Paulus, ut apostolicam suam auctoritatem defendat, nonnulla de vita sua refert (*Gal.* 1,11-2,21), at externam eius rationem ibi magis exponit, in nostra vero internum, quo erat animatus, spiritum manifestat atque de se loquens « typum quendam et characterem eorum exprimit, qui Evangelio promulgando ut operam dent, a Deo vocantur » (*Chrys.*).

Tanta porro cum arte apologia haec est contexta et composita, ut eam praeclarissimae Demosthenis, oratorum principis, orationi (pro corona) aequiparare non dubitent nonnulli. *S. Aug.* (Doctr. christ. IV. 12 sqq.) longiore huius epistolae pericope (11,16-30) allegata iam exclamavit : « Quanta sapientia ista sint dicta, vigilantes vident;

1. Cfr *Introduct. special.* in Novi Test. libros sacr. p. 448 sqq.; 457 sq.

quanto vero etiam eloquentiae concurrerint flumine, et qui stertit advertit »; singulis deinde sententiis rhetoricae analysi subiectis « longum est, inquit, cetera persequi; quid si etiam figuras elocutionis, quae illa arte (rhetorica) traduntur, in iis saltem, quae de Apostoli eloquio commemoravi, ostendere voluissem? Nonne facilius graves homines me nimium, quam quisquam studiosorum sibi sufficientem putarent? Haec omnia, quando a magistris docentur, pro magnis habentur, magno emuntur pretio, magna iactatione venduntur; quam iactationem etiam ego redolere vereor, dum ista sic dissero; sed male doctis hominibus respondendum fuit, qui nostros auctores contemnendos putant, non quia non habent, sed quia non ostentant eloquentiam ». Atque *Erasm.*, vir artis rhetoricae peritissimus, sermonem quidem huius epistolae « per contraria, per membra, per comparia, per similiter desinentia, per ἀναδιπλώσεις aliaque id genus schemata sic variari, volvi ac rotari dicit, ut nihil possit esse nec venustius nec ardentius », argumentorum vero distributionem idearumque nexum hunc in modum celebrat: « sudatur ab eruditissimis viris in explicandis poetarum ac rhetorum consiliis, at in hoc rhetore plus sudoris est, ut deprehendas, quid agat, quo tendat, quid velit; adeo stropharum plenus est undique — absit invidia verbis; tanta vafrities est, ut non credas eundem hominem loqui. Nunc ut limpidus fons sensim ebullit, mox torrentis in morem ingenti fragore devolvitur multa obiter secum rapiens, nunc placide leniterque fluit, nunc late velut in lacum effusus exspatiatur, rursus alicubi se condit atque diverso loco subitus emicat, quum visum est; miris Maeandris nunc has nunc illas lambit ripas, aliquoties procul digressus reciprocato flexu in sese redit » (Paraphr. — Dedic.).

2. — Magna utique est in hac epistola idearum affectuumque varietas, facile ab uno affectu ad alterum transitur nec minus facile una idea relinqui videtur, ut altera exponatur; magna quoque styli sermonisque in variis partibus est diversitas, atque ultima praesertim quatuor capita vehementia sua a prioribus haud parum dissentiunt. Quapropter inter modernos interpretes (acath.) non defuerunt, qui ad hanc diversitatem explicandam aut diversis temporibus integram epistolam ita esse scriptam contenderent, ut initium (1-6), antequam Titus Corintho reversus Paulum de nova ecclesiae corinthiae conditione certiorem fecisset, reliqua vero sint exarata, postquam Paulus per Titum arrogantiam adversariorum suorum comperisset, aut illam ex variis Apostoli epistolis ad Corinthios diversis temporibus datis a librario quodam conglutinatam assererent, aut longiores quasdam pericopas genuinas esse negarent. Quae omnia fundamento carere,

facili negotio deprehendet, quicumque epistolam ea qua decet diligentia animoque a praeiudiciis vacuo perlegerit. Vera enim, sive argumenti tractati sive sermonis adhibiti, unitas non deest; omnia ad unum finem vergunt, ut neophytorum animos Apostolo reconcilient eiusque auctoritatem apostolicam, quam pseudapostolorum calumniae labefactarant, asserant stabiliantque; omnibus autem in partibus sermo ideis expressis respondet. Haud inepte a nonnullis Demosthenis oratio contra Aeschinem comparatur; etenim sicut ille in prima parte vitam suam politicam pacate defendit, ut in altera assurgat accusatoremque suum vehementissime aggrediatur, ita Paulus quoque ab initio apostolicae vitae suae rationem pacatius exponit et ab adversariorum calumniis vindicat, versus finem autem eosdem acerbius increpat et profligat.

Historicum quendam ordinem maxime in prioribus capitibus adesse recte quidem asseritur, siquidem Apostolus ab ultima vexatione, quam Ephesi sustinuit, exorsus (1,8 sqq.) iuxta temporis rationem ea recenset, quibus in itinere per Asiam et Macedoniam usque ad hanc epistolam scriptam caritatem suam erga Corinthios manifestaverit (*cfr* 2, 1. 12 sqq.; 7,5 sqq.; 8,6. 16 sqq.). At immerito « filum et nexum totius epistolae esse historicum atque reliqua omnia per modum digressionum esse intexta » (*Beng.*) aliqui tenent; namque quum paucissimae sint notae historicae, si hisce argumentum et ordo definirentur, integra paene epistola digressionibus, quae cum argumento vix cohaerent, constare dicenda esset. Rerum igitur admittendus est ordo, atque moderni plerique praeter exordium (1,1-14) et epilogum (13,11-13) tres partes recte statuunt, in quarum prima et tertia Paulus praecipuum finem suum prosequitur, in prima vitam suam apostolicam ab adversariorum criminationibus vindicans (1,15-7,16), in tertia profligatis pseudapostolis auctoritatem suam apostolicam asserens (10,1-13,10); eas autem separat secunda parte, in qua de collectarum negotio agit (8,1-9,14). Iamvero ea est artificiosa primae partis constructio, ut calumniarum refutationi chronologica quaedam itineris narratio sit intertexta; etenim iter illud Paulus Corinthiorum causa suscepit, toto autem itineris tempore de Corinthiis, quorum tristem conditionem per Timotheum compererat, ita erat sollicitus, ut optimam propagandi Evangelii occasionem negligeret (2,12. 13), persecutionem externam autem quasi non amplius sentiret ,quamprimum per Titum laetos de corinthiis rebus nuntios accepisset (7,5 sqq.); itaque notae illae, quibus continuam, qua Corinthios amplectitur, caritatem demonstrat, ad eorum animos sibi conciliandos ei inserviunt eosque ad apologiam suam recipiendam disponunt. Ob similem porro finem etiam calum-

niarum refutationem ab adversariorum impugnatione negotio eleemosynarum commendato separat; quantopere enim eis confidat quamque sollicitus sit de eorum profectu, toto illo de collectis tractatu ostendit. Quare si quis illas notas historicas commendationemque collectarum digressiones dicere velit, eas tamen cum argumento fineque primario epistolae arctissime cohaerere fateatur oportet.

Alibi iam uberrimam integrae epistolae dispositionem tradidimus [1], et in commentario sententiarum sectionumque singularum nexum pro viribus investigabimus et explicabimus; itaque summa dumtaxat capita, quae Apostolus tractat, brevi conspectu proposuisse sufficiet.

Exordium (1,1-14), ut neophytorum animos ad apologiam recipiendam praeparet, Apostoli intimam cum eis coniunctionem exponit sinceritatemque eius in eorum memoriam revocat.

Pars prima apologetica (1,15-7,16) calumnias pseudapostolorum refutat.

1. Levitatis calumniae (1,16-2,17) Paulus assertionem suae constantiae opponit destructoque accusationis fundamento se sincerum Evangelii ministrum approbatum a Deo esse ostendit.
2. Arrogantiae calumniae (3,1-4,6) ministerium sibi commissum opponit, quippe ex cuius celsitudine illam loquendi fiduciam hauriat, quae arrogantia putatur.
3. Rationem, qua munere suo fungitur, explicat (4,7-6,10) fine exposito, quem prosequitur, et causa descripta, qua impellitur et regitur.
4. Pro huius partis conclusione (6,11-7,16) neophytos rogat, ut caritati suae vitatis ethnicorum vitiis respondeant continuamque suam erga eos caritatem manifestat.

Pars altera paraenetica (8,1-9,15) eleemosynarum negotium commendat.

1. De modo, quo collectas Corinthi iam inchoatas terminare deceat (8,1-15).
2. De ministris, per quos sint terminandae (8,16-9,5).
3. De hilari liberalitate, quae in eis requiratur (9,6-15).

Pars tertia polemica (10,1-13,10) profligatis pseudapostolis Pauli auctoritatem asserit.

1. Apostolicam suam potestatem asserens (10,1-18) rogat adversarios, ne ipsum provocent, quia ipsi non defuturus sit, uti putant, animus contra eos fortiter agendi.

1. Introd. special. in Nov. Test. libr. sacr. p. 450-455; Analyses libr. Novi Test. p. 100-107.

2. Quantopere eis praestet, ostendit (11,1-12,10) glorians de integritate sua in Evangelii propagatione, de tribulationibus a se superatis, de donis divinitus acceptis.
3. Quam gloriationem excusaturus (12,11-13) finem scopumque polemicae huius partis exponit.

Epilogus (13,11-13) generalem quandam exhortationem, brevem salutationem, sollemnem benedictionem exhibet.

3. — Epistola haec ex illarum est numero, quarum authentia demonstratione non indiget, quia praeter paucissimos hypercriticos, quorum rationes ab ipsis audacissimis interpretibus non tam refutatione quam irrisione dignae habentur, nemo eam aggredi ausus est. Fatendum tamen est, in paucis, quae nobis supersunt, Patrum apostolicorum scriptis disertum testimonium authentiam nostrae epistolae non habere, attamen ante saec. 2. finem eam in omnibus Occidentis et Orientis ecclesiis unanimi consensu Paulo auctori esse attributam ac velut opus divinitus inspiratum in canone S. Scripturarum fuisse, extra controversiam est; ut enim allusiones magis minusve dubias, quae in *S. Clem. Rom.*, *S. Ign. M.*, *S. Polyc.* epistolis inveniuntur (cfr *Funk* Patres apost. I. Index loc. SS.) praetermittamus, testes citasse sufficit ex ecclesia romana *fragmentum Murat.*, ex gallicana *S. Iren.* (c. haer. III. 7), ex africana *Tertull.* (c. Marc. V. 12 sqq. etc.), ex alexandrina *Clem.* (Strom. IV. 1 etc.), ex achaica *S. Athenag.* (de resurr. 18), quibus latina et syriaca versiones ante finem saec. 2. exortae iure adduntur.

Etiam de integritate epistolae dicere vix opus est; saepius quidem, uti supra iam innuimus, unitas eius negata est, atque aliqui eam in duas tresve epistolas separatas discerpere conati sunt, neque tamen singulas partes Paulo abiudicarunt. Attamen istae quoque sententiae hodie iam sunt obsoletae, nec quisquam amplius cogitat de Semleri coniectura refutanda, qui tria diversa scripta in nostra epistola distinxit (cpp. 1-8 et 13,11-13; — c. 10,1-13,10; — c.9), aut de Weber, qui duo sola invenit (1-9 et 13,11-13; — 10-13,10); quin etiam *Hausrath*, qui ante haud multos annos quatuor ultima capita a nostra epistola avellere voluit, ut eam velut completam epistolam ante novem priora capita Corinthum mitteret (Der Vierkapitelbrief des Paulus an die Korinther. Heidelberg 1870), debitae oblivioni iam est datus. Una remanet hodie difficultas de brevi pericope, quae 6,14-7,1 legitur atque a nonnullis, quia contextum perturbet, aut genuina esse negatur aut ex alia epistola paulina perperam huc translata dicitur. At difficultatem hanc iure merito despiciet, qui omnes omnino codices graecos omnesque antiquas versiones versus illos tueri consideraverit; ac revera

contextum illis versibus nequaquam turbari, reliquis autem ratiunculis, quibus hypercritici illam pericopen impugnant, nihil inesse roboris, demonstratu non admodum est difficile (cfr *infra* ad 7,1).

3. *Quibus subsidiis criticis et exegeticis usi sumus.*

Quae de hoc argumento commentario nostro in priorem ep. ad Cor. praefati sumus (p. 9 sqq.), ea hic quoque pleraque valent nec quidquam maioris momenti habemus, quod iis addamus. Ut autem legentium utilitati et commoditati consulamus, praecipua paucissimis verbis repetenda duximus.

Textum graecum igitur iuxta codicem vaticanum (ed. *Val. Lach.* Ratisbonae 1862), latinum vero iuxta editionem taurinensem (H. Marietti 1851), quam decretum S. Congr. Indic. a S. P. Pio IX. approbatum reliquis praestare declaravit, iterum imprimendum curavimus; testimonia porro critica iterum dedimus iuxta *C. Tischendorf* Novum Test. graece. Ed. critica 8. maior (II Lipsiae 1872); consuluimus vero etiam editiones criticas *Car. Lachmann* (Berolini 1842-1850) et *Westcott Hort* (London 1881. 1882). Iisdem quoque siglis codices versionesque indicavimus, sc. ex codicibus *Vaticanum* saec. 4. (B), *Sinaiticum* saec. 4 (א), *Alexandrinum* saec. 5., in quo 2 *Cor.* 4,13-12,6 desunt (A), *Ephraem rescr.* saec. 5. (C), *Claromontanum* gr. lat. saec. 6. (D), *Sangermanensem* gr. lat. saec. 9. (E), *Augiensem* vel *Cantabrig.* gr. lat. saec. 9. (F), *Boernerianum* gr. lat. saec. 9. (G), *Mosquensem* saec. 9. (K), *Angelicum* saec. 9. (L), *Porfirianum* saec. 9. (P); ex versionibus vero antiquam latinam s. *Italam* saec. 2. (*It.*), quae saec. 4. emendata a S. Hier. est nostra *Vulgata* (*Vulg.*), *syriacam* vel Peschito saec. 2. (*Syr.*), *copticas* saec. 3. (*Copt.* s. *Memph.* et *Sah.*), *aethiopicam* saec. 4. vel 5. (*Aeth.*), *gothicae* saec. 4. fragmenta (*Goth.*), *armeniacam* saec. 5. (*Arm.*).

Interpretes quoque alterius epistolae ad Cor. iidem fere sunt, quos in priore commentanda consuluimus; sunt autem EX PATRIBUS GRAECIS : S. IOAN. CHRYSOSTOMI (*Chrys.*) homiliae triginta (*M.* 61). *S. Cyrilli Alex.* fragmenta ex catenis collecta (*M.* 74), THEODORETI (*Theod.*) interpretatio (*M.* 82), *Oecumenii* (*Oec.*) commentarius (*M.* 118), *Theophylacti* (*Theoph.*) explanatio (*M.* 124); porro EX PATRIBUS LATINIS : *Ambrosiastri* (*A*[ter]) commentarius (*M.* 17), *Pelagii* vel Pelagiani cuiusdam (*Pel.*) commentarius (*M.* 30), *Primasii Adrum.* (*Prim.*) commentaria (*M.* 68), *Sedulii Scoti* (*Sed.*) collectanea (M. 103); quibus accedunt *Walafr. Strabonis* Glossa ordinaria (*Gl.* vel *Gl ord.*) et *Anselmi Laudunensis* Glossa interlinearis (*Gl int.*).

EX MEDIAE AETATIS INTERPRETIBUS : *Haymonis Halberst.* (*Haym.*) expositio (*M.* 117), *Hugonis a S. Vict.* (*H. Vict.*) quaestiones et decisiones (*M.* 175), *Hervei Burd.* (*Herv.*) commentarius (*M.* 181), *Petri Lombardi* (*Lomb.*) collectanea (*M.* 192), S. THOMAE AQUIN. (*Thom.*) commentarius, *Nicolai Lyrani* (*Lyr.*) postilla, *Dionysii Carth.* (*Dion.*) commentaria.

Ex INTERPRETIBUS SAEC. 16. 17. 18. praeter omnium Scripturarum scholiastas *Em. Sa, Ioan. Marianam, Steph. Menochium, Iac. Tirinum* etc. praecipue nominentur oportet *Card. Caietani* (*Cai.*) literalis expositio, *Ioan. Gagnaei* (*Gagn.*) brevissima scholia, *Alph. Salmeronis* (*Salm.*) commentariorum vol. 14., BENED. IUSTINIANI (*Iust.*) explanationes, GUIL. ESTII (*Est.*) commentarius, *Cornelii a Lapide* (*Lap.*) commentarii, *Bern. a Piconio* (*Pic.*) triplex expositio, *Nat. Alexandri* (*Nat.*) commentarius litteralis.

Ex MODERNIS adhibita sunt *I. Mc Evilly* (*M Ev.*) An exposition of the epistles of St Paul. Ed. 3. (Dublin 1875), *Aug. Bisping* (*Bisp.*) Erkl. des Zweiten Br. an die Kor. u. des Br. an die Gal. Ed. 2. (Münster 1863), *Ad. Maier* (*Mai.*) Comment. über den 2. Br. Pauli an die Corinth. (Freiburg 1865), *P. Drach* (*Dr.*) Les épîtres de saint Paul (Paris 1871), *V. Loch* et *W. Reischl* (L R) Die hl. Schr. des N. T. (Ed. 3. Regensburg 1885), *P. Rambaud* (*Ramb.*) Les épîtres de saint Paul (Paris 1888).

Praeter *F. Godet*, qui hanc epistolam commentatus non est, etiam eosdem ACATHOLICOS interpretes consuluimus, et *ex antiquioribus* quidem *I. Chr. Wolfii* curas criticas et philologicas (*Wolf.*) et *A. Bengelii* (*Beng.*) Gnomonem N. Test.; *ex modernis* vero H. A. W. MEYER (*Mey.*) Krit. exeg. Handb. über den 2. Br. an die Korinther. 6. Aufl. bearbeitet von *G. Heinrici* (Göttingen 1883), quocum comparavimus G. HEINRICI (*Heinr.*) Das zweite Sendschreiben des Ap. Paulus an die Kor. (Berlin 1887), deinde *C. F. Kling* Korintherbriefe. Ed. 3. curavit *C. Braune* (*Kl* vel *Kl Br.* — Langes Bibelwerk. N. T. VII. Bielefeld 1876), *G. Schnedermann* (*Schn.*) Pauli Briefe an die Korinther (Strack u. Zoeckler Kurgefasster Kommentar. N. T. III. Nordlingen 1887), *Siegfr. Goebel* (*Goeb.*) Die Korintherbiefe (Gotha 1887).

COMMENTARIUS.

EXORDIUM EPISTOLAE (1,1-14).

Praeter consuetam inscriptionem (1,1. 2) et gratiarum actionem (1,3-11 in hoc exordio tertium membrum (1,12-14) apte distinguimus, quo Apostolus ad primae partis argumentum orationem quasi deflectit.

1. *Inscriptio* (1,1-2).

1,1. Paulus, Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater, ecclesiae Dei, quae est Corinthi cum omnibus sanctis, qui sunt in universa Achaia. 2. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo.

1,1. Παῦλος ἀπόστολος Χριστοῦ Ἰησοῦ διὰ θελήματος Θεοῦ, καὶ Τιμόθεος ὁ ἀδελφός, τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ οὔσῃ ἐν Κορίνθῳ σὺν τοῖς ἁγίοις πᾶσιν τοῖς οὖσιν ἐν ὅλῃ τῇ Ἀχαίᾳ. 2. χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ [1].

Inscriptio ab illa, quae priori ad Cor. epistolae est praemissa, haud multum differt, ut iis, quae ad 1 *Cor.* 1,1-3 diximus, pauca tantum sint addenda. Sicut in priore Sosthenem, ita in hac *Paulus, Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei*, a quo electus et vocatus est, ut ministerium reconciliationis exerceret (5,18 cfr *Gal.* 1,17), sibi velut alterum epistolae auctorem, qui quodam modo eam approbaverit et tamquam suam quoque Corinthiis transmitti voluerit, *Timotheum* as-

1. *VV. LL.* — 1. ἀπόστολος Χριστοῦ Ἰησοῦ (Apostolus Christi Iesu) B ℵ M P, paucissimi minusc. et aliqui codd. *Vulg.* et *Syr.*; reliqui testes omnes : ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ (*Apostolus Iesu Christi*). Eadem lectionis incertitudo in omnibus fere inscriptionibus (*Rom.* 1,1 ; 1 *Cor.* 1,1 ; *Eph.* 1,1 ; *Phil.* 1,1 etc.) invenitur ; moderni autem critici plerique (*Tisch.*, *W. H.* etc.) priorem verborum ordinem in inscriptionibus praeferunt.

sociat, quem eadem ratione in quinque aliarum epistolarum inscriptionibus nominat (*Phil.*, *Col.*, *Philem.*, 1,2 *Thess.*). Porro eodem, quo Sosthenem atque Titum (2,13), *fratris* titulo eum exornat, ut non tantum fidei et caritatis communione, qua omnes fideles inter se fratres constituuntur, sed etiam iisdem laboribus apostolicis eum secum coniunctum esse testetur; idem enim, quod eius magister, cuius erat adiutor et cooperator (συνεργός *Rom.* 16,21), opus Domini Timotheus operabatur (1 *Cor.* 16,10). Ob duplicem autem rationem, ut videtur, eum solum ex omnibus discipulis, quos isto tempore secum in Macedonia habebat, Apostolus in hac inscriptione sibi associavit. Praeprimis enim, quum in tota hac epistola de se ipso loqui suamque agendi rationem ab adversariorum calumniis defendere deberet, aptiorem testem veritatis eorum, quae dicturus erat, eligere non potuit Timotheo, individuo itinerum et laborum suorum apostolicorum socio, quem in praecedente iam epistola tamquam filium suum carissimum et fidelem in Domino, qui vias suas, quae essent in Christo Iesu, neophytos docere posset, Corinthiis commendaverat (1 *Cor.* 4,17). Deinde praeter Titum, qui quum eas literas Corinthum esset allaturus in earum inscriptione apte non potuit nominari (cfr *Theod.*), inter discipulos suos alium non habebat, qui apud Corinthios tanta, quanta Timotheus, valeret auctoritate. Cum Paulo enim et Silvano, qui tum temporis ecclesiarum Asiae negotiis invigilabat, in fundanda ecclesia corinthia operam suam posuerat (1,19; *Act.* 18,5); hanc quoque ob causam Apostolus primo nuntio de Corinthiorum schismatis accepto Timotheum in Macedoniam profecturum iter in Achaiam pergere iusserat, ut neophytos ad unitatem revocaret (1 *Cor.* 4,17), ex illaque missione reducem novi itineris in Macedoniam et Achaiam socium assumserat (cfr *Proleg.* 1.).

Brevius et clarius, quam priorem, hanc epistolam Paulus inscribit *ecclesiae Dei, quae est Corinthi, cum omnibus sanctis, qui sunt in universa Achaia.* Omittit enim ecclesiae definitionem in priore adiectam (sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis); eos quos ibi appellaverat « invocantes nomen Domini N. I. », hic consueto *sanctorum* nomine appellat; pro circumlocutione quoque satis obscura, qua in priore usus erat (in omni loco eorum et nostro) simplicem et claram appellationem *universae Achaiae* adhibet. Eadem igitur ratione, qua priorem, nostram epistolam non soli ecclesiae, quae in urbe Corinthi erat, sed etiam reliquis destinavit, quas in tota provincia Achaia, i. e. non tantum in Peloponnesi sed etiam in antiquae Helladis civitatibus fundaverat. Ex Pauli verbis (*omnibus sanctis qui sunt in universa Achaia*) nonnulli quidem concludunt, epistolam, quum non sit encyclica, aliis ecclesiis achaicis non esse destinatam, sed fidelibus per provinciam

dispersis, qui, ad ecclesiam corinthiam pertinuerint aut fortuito casu Corinthi adfuerint (*L R. — Mey. Heinr.*). At cur ab antiqua sententia, quae inde a *Chrys.* et *A^tri^* aetate inter Graecos et Latinos communis fuit, recedamus, nulla est ratio; idem enim dicendi modus in aliis inscriptionibus ita adhibetur, ut de fidelibus dispersis, qui ecclesiam nondum constituunt, intelligi plane nequeat (*Rom.* 1,7 omnibus qui sunt Romae dilectis Dei, vocatis sanctis; *Eph.* 1,1; *Phil.* 1,1; *Col.* 1,2). Porro Cenchreis prope Corinthum eo tempore ecclesiam iam exstitisse constat (*Rom.* 16,1); iam vero aliis quidem fidelibus per provinciam dispersis, at non cenchreis epistolam nostram esse scriptam, nemo asseruerit. Ac profecto facile intelligitur, eandem fere in omnibus Achaiae ecclesiis fuisse rerum conditionem, ut omnes iisdem monitis indiguerint. Hinc nihil quoque obstat, quominus duas epistolas ad Cor. eodem sensu, quo epistolam ad Gal., encyclicas fuisse dicamus. Neque obiiciatur, Paulum, si ita res esset, epistolam nostram ecclesiis Achaiae inscribere debuisse, sicut scripsit ecclesiis Galatiae (*Gal.* 1,2); singularem locum enim in Achaia tenebat ecclesia corinthia, ut aliarum quasi esset mater, siquidem ab illa ut ita dicam fidem acceperant et per Paulum Corinthi residentem erant fundatae; inter Galatiae vero civitates nulla ita eminebat, ut quasi metropolis quaedam esset solaque ante alias nominari deberet. Ceterum Paulus epistolam ad Galatas procul dubio inscribere potuit : omnibus sanctis qui sunt in Galatia; iure autem dicitur ab hac inscriptione, quamvis ei familiaris esset, consulto abstinuisse, ne Galatas, quos tam graviter increpare debuit, immediate antea laudare videretur (cfr ad *Gal.* 1,2).

Salutationis formula : **2.** *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo,* eadem est quae in reliquis epistolis; cfr 1 *Cor.* 1,3 [1].

2. *Gratiarum actio* (1,3-11).

1,3. *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis,* 4. *qui*

1,3. Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν καὶ Θεὸς πάσης παρακλήσεως, 4. ὁ

1. Argute ex hac formula *Cyr.* (i. h. l.) divinitatem Domini deducit in hunc modum : « Si divinam in Filio non agnovisset naturam, nonne potius B. Paulus dicere debuit : gratia vobis et pax a solo Deo Patre? Nunc autem quum associet atque una cum Patre Christum ponat datorem (συνδοτῆρα condatorem) eorum donorum, quae dispensat divina natura, clarum est eum non ignorasse, Christum vere (κατὰ φύσιν) esse Deum. Necessario igitur Deo Patri associabimus Filium, tamquam unum cum illo et consubstantialem, ut et Deus unus dispensator esse intelligatur spiritualium donorum. Christi Iesu autem nomine Apostolus Verbum Dei, quod in carne apparuit, significat; quodsi vero hic dispensator illorum munerum est, quae et ipse Pater dispensat, cur non vere Deus esse creditur Christus? »

consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur et ipsi a Deo. 5. *Quoniam, sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.* 6. *Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute, sive consolamur pro vestra consolatione, sive exhortamur pro vestra exhortatione et salute, quae operatur tolerantiam earundem passionum, quas et nos patimur,* 7. *ut spes nostra firma sit pro vobis; scientes, quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis.* 8. *Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quae facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut taederet nos etiam vivere.* 9. *Sed ipsi in nobismet ipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos;* 10. *qui de tantis periculis nos eripuit, et eruit; in quem speramus, quoniam et adhuc eripiet,* 11. *adiuvantibus et vobis in oratione pro nobis, ut ex multorum personis, eius quae in nobis est donationis, per multos gratiae agantur pro nobis.*

παρακαλῶν ἡμᾶς ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει ἡμῶν, εἰς τὸ δύνασθαι ἡμᾶς παρακαλεῖν τοὺς ἐν πάσῃ θλίψει διὰ τῆς παρακλήσεως ἧς παρακαλούμεθα αὐτοὶ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, 5. ὅτι καθὼς περισσεύει τὰ παθήματα τοῦ Χριστοῦ εἰς ἡμᾶς, οὕτως διὰ τοῦ Χριστοῦ περισσεύει καὶ ἡ παράκλησις ἡμῶν. 6. εἴτε δὲ θλιβόμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως τῆς ἐνεργουμένης ἐν ὑπομονῇ τῶν αὐτῶν παθημάτων ὧν καὶ ἡμεῖς πάσχομεν, καὶ ἡ ἐλπὶς ἡμῶν βεβαία ὑπὲρ ὑμῶν· εἴτε παρακαλούμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως καὶ σωτηρίας, 7. εἰδότες ὅτι ὡς κοινωνοί ἐστε τῶν παθημάτων, οὕτως καὶ τῆς παρακλήσεως. 8. οὐ γὰρ θέλομεν ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, ὑπὲρ τῆς θλίψεως ἡμῶν τῆς γενομένης ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ὅτι καθ' ὑπερβολὴν ὑπὲρ δύναμιν ἐβαρήθημεν, ὥστε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς καὶ τοῦ ζῆν. 9. ἀλλὰ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς τὸ ἀπόκριμα τοῦ θανάτου ἐσχήκαμεν, ἵνα μὴ πεποιθότες ὦμεν ἐφ' ἑαυτοῖς, ἀλλ' ἐπὶ τῷ Θεῷ τῷ ἐγείροντι τοὺς νεκρούς, 10. ὃς ἐκ τηλικούτου θανάτου ἐρύσατο ἡμᾶς καὶ ῥύσεται, εἰς ὃν ἠλπίκαμεν καὶ ἔτι ῥύσεται, 11. συνυπουργούντων καὶ ὑμῶν ὑπὲρ ἡμῶν τῇ δεήσει, ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ὑμῶν [1].

1. *VV. LL.* — 4. εἰς τὸ δύνασθαι ἡμᾶς (ut possimus) est communis lectio codd. gr. et verss., quam etiam habet *S. Hier.* in Is. 40,1; non satis recte *It.* et *Vulg.* inserunt καί : *ut possimus et ipsi.* — Item in sequente membro : ἧς παρακαλούμεθα αὐτοί (qua consolamur ipsi) D E F G cum *It.* et *Vulg.* (sed nec *S. Hier.* l. c. nec *A*ler) inserunt καί : *qua consolamur et ipsi.* — 6. Duplex est sententiae lectio; eam, quam ex cod. B transcripsimus, etiam tuentur D E F G K L, haud pauci minusc. et PP., *Goth.*, aliqui codd. *Syr.*, qui tamen omnes in primo membro duo vocabula a B praetermissas supplent in hunc modum : ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως καὶ σωτηρίας τῆς ἐνεργουμένης (pro vestra consolatione *et salute*, quae operatur). Altera lectio est haec : εἴτε δὲ θλιβόμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως καὶ σωτηρίας· εἴτε παρακαλούμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως τῆς ἐνεργουμένης ἐν ὑπομονῇ τῶν αὐτῶν παθημάτων ὧν καὶ ἡμεῖς πάσχομεν, καὶ ἡ ἐλπὶς ἡμῶν βεβαία ὑπὲρ ὑμῶν, εἰδότες κτλ (sive autem tribulamur, pro vestra consolatione et salute; sive consolamur [consolatione afficimur], pro vestra consolatione, quae operatur in tolerantia earundem passionum, quas et nos patimur, et spes nostra firma est pro vobis, scientes etc.); hanc tuentur ℵ A C M P, nonnulli minusc., *It.* (*A*ler etc.), *Vulg.* (*Fuld.*, *Am.*, *Harl.*, *Flor.*, *Tol.*), *Syr.* (codd.), *Copt.*, *Aeth.*; eam praeferunt moderni critici (*Tisch.*, *WH*), ad eamque etiam *Vulg. Clem.* proxime accedit, de cuius varietatibus cfr Comment. — 8. ὑπὲρ τῆς θλίψεως (*de tribulatione*) B K L M, plerique minusc.; eodem quidem sensu sed constructione magis usitata : περὶ τῆς θλίψεως (cfr 1 *Cor.* 12,1) ℵ A C D E F G P, nonnulli minusc. et multi

Ut neophytorum animos ad apologiam suam recipiendam quasi praeparet sibique conciliet, Apostolus in gratiarum actione intimam suam cum ecclesia corinthia coniunctionem ita exponit, ut communicationem quandam societatemque bonorum inter se et illam adesse ostendat. Deum enim benignissimum celebrat (1,3), quippe a quo tribulationibus et consolationibus ideo afficiatur, ut omnia haec in utilitatem neophytorum cedant (1,4-6); quia igitur neophytos suae ipsius consolationis participes fore scit, sicut tribulationum suarum socii sint (1,7), eis refert, quomodo nuper magnum periculum eorum precibus adiutus effugerit spemque exprimit fore, ut similiter aliis ex periculis eripiatur (1,8-11).

A celebrando igitur benignissimo Deo Apostolus gratiarum actionem exorditur sollemni quadam formula usus, quam in simili argumento etiam ad Eph. scribens adhibet (*Eph.* 1,3; et cfr 1 *Petr.*, 1,3) : 3. *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis.* Prima verba (*Benedictus Deus*) antiquae formulae in Vetere Test. usitatissimae בָּרוּךְ יְהוָה (εὐλογητὸς ὁ Κύριος *Gen.* 9,26; 14,20 etc.) respondent; eodem autem modo, quo hebr. בֵּרֵךְ graecum εὐλογεῖν et latinum *benedicere* alio sensu, si de Deo, alio si de homine praedicatur, explicandum esse, patet; Deus enim, si alicui creaturae benedicit, ei bona naturalia aut supranaturalia vere confert; homo vero, si alteri creaturae benedicit, ei optare et pre-

PP. — τῆς γινομένης (*quae facta est*) sine pronomine addito B ℵ A C D F G M P, nonnulli minusc., *It.*, *Vulg.*, *Arm.*; sed *textus rec.* superflue addit pronomen ἡμῖν (quae facta est *nobis*) cum E K L, plerisque minusc. et PP., *Syr.*, *Copt.*, *Aeth.*, *Goth.* — καθ' ὑπερβολὴν ὑπὲρ δύναμιν ἐβαρήθημεν (supra modum, supra virtutem gravati sumus); hunc vocabulorum ordinem tuentur B ℵ A C M P, aliqui minusc. et PP., *Arm.*, *Aeth.*, quibuscum consentit *S. Hier.* in Eph. 3,13; at *textus rec.* verbum ἐβαρήθημεν inter duas locutiones adverbiales interserit cum D E F G K L, plerisque minusc. et PP.; eundem ordinem tenent *It.* (*A^ter*), *Vulg.*, *Syr.*, *Goth.*; prior tamen praeferendus videtur (*cfr* Comment.). — 10. ἐκ τηλικούτου θανάτου (ex tali morte, vel : ex tanto mortis periculo) est consueta codd. graec. lectio; at pluralem ἐκ τηλικούτων θανάτων (ex talibus mortibus, vel : ex tantis talibusque mortis periculis) cum *Orig.* (in Lev. hom. 11,2) *Chrys.*, *Theod.* etc. legerunt etiam *It.* (*A^ter*, *Ruf.* in interpret. Orig. in Lev. hom. 11,2), *Vulg.* (etiam *S. Hier.* in Eph. 3,13), *Syr.*, *Goth.* — καὶ ῥύσεται (et eruet) B ℵ C P, aliqui minusc., nonnulli codd. *Vulg.* (*Am.*, *Tol.* etc.), *Copt.*, *Arm.*; praeferendum tamen videtur praesens ῥύεται (*eruit*), quod tuentur E F K L M, plerique minusc. et PP., *It.*, *Vulg.* (etiam *Fuld.* et *S. Hier.* l. c.), *Syr.*, *Goth.* — καὶ ἔτι ῥύσεται (et adhuc eripiet) nulla coniunctione praemissa B D M; reliqui tamen testes rectius praemittunt coniunctionem ὅτι (*quoniam*). — 11. εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ὑμῶν (gratiae agantur pro vobis) B E F K L P, haud pauci minusc., aliqui PP., et aliqui codd. latini; sed rectius pro ὑμῶν legunt ἡμῶν (*nobis*) ℵ A C D G M, multi minusc., *It.*, *Vulg.*, *Syr.*, *Copt.*, *Arm.*, *Goth.*

cari tantum bona potest, et si Deo benedicit, ei laudes dumtaxat gratiarumque actiones pro bonis acceptis refert. Hic tertius sensus etiam adiectivo verbali εὐλογητός (*benedictus*) competit, quod in Novo Test. cum solo Dei nomine coniungitur; idem igitur est quod *cum gratiarum actione laudandus* [1], vel uti aliis placet : *laudatus*. Utra ex his significationibus praeferatur, per se parum refert; priorem tamen praeferet, qui ad locos parallelos (11,31 ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας : *Rom.* 1,25 ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας : *Rom.* 9,5) et ad modum attenderit, quo Paulus alias suas gratiarum actiones exorditur (εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ vel εὐχαριστεῖν ὀφείλομεν, gratias ago, vel agere *debemus* Deo.)

Difficultas quaedam in sequentibus verbis : *Deus et Pater Domini N. I. Chr.* (cfr 11,31; *Rom.* 15,6; *Eph.* 1,3; *Col.* 1,3; 1 *Petr.* 1,3) invenitur, quia non satis apparet, num genetivus (Domini N. I. Chr.) a solo nomine immediate praecedente (Pater) an ab utroque (Deus et Pater) dependeat. Cum *Theod.* longe plerique, quibus de *Deo Christi* loqui inconveniens esse videbatur, nomen primum interpunctione quadam a reliquis separandum esse arbitrantur (« est enim Deus noster, Domini autem Pater » *Theod.*); quin etiam aliqui cum *Thom.* et *Dion.* nomen Dei de SS. Trinitate interpretantur, cui altero in membro persona Patris adiungatur. Altera quidem haec explicatio, uti recte iam monuit *Iust.*, graeco textu reprobatur : « unicus enim articulus ὁ Θεὸς καὶ Πατήρ facit, ut una eademque persona intelligatur »; prior autem (Deus, qui est Pater, ὁ Θεός, ὅς ἐστιν πατήρ) teneri potest et a plerisque tenetur (*Oec. Theoph. Gl ord. Haym. Lomb. Est. Iust. Mf Ev. Bisp. Dr. L R* etc. — *Mey. Kl Br. Weiss* etc.). Attamen nulla est ratio, cur ad constructionem hanc satis coactam confugiamus, nec quidquam obstat, quominus de Deo Verbi incarnati cum *Chrys.* et *Mopsv.* (in Eph. 1,3), cum *Tert.* (c. Marc. V. 11) et *S. Hier.* [2], immo cum Domino ipso loquamur, qui se ad Patrem suum et Patrem nostrum, ad *Deum suum* et ad Deum nostrum ascendere dixit (*Ioan.* 20,17). Ac profecto eadem ratione, qua in simili formula : τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ ἡμῶν (*Phil.* 4,20; *Gal.* 1,4) Paulus genetivum ἡμῶν ad utrumque nomen retulit, in nostro quoque genetivum ad utrumque

1. Cfr *Theod. Mopsu.* in Eph. 1,3 : Τὸ εὐλογητός ἀντὶ τοῦ ἐπαινεῖσθαι καὶ θαυμάζεσθαι ἄξιος.

2. *S. Hier.* in Eph. 1,3 utramque interpretationem eiusdem esse probabilitatis censet : « Dupliciter, inquit, legendum *Benedictus Deus et Pater Domini N. I. Chr.* : vel ita, ut sit benedictus Deus, qui universorum creator est, et hucusque distinctio, deinceps inferatur : qui est et Pater Domini N. Chr.; vel ita, ut Deus et Pater ad Dominum nostrum in commune referatur : Benedictus Deus eius, qui assumtus est, hominis, et Pater eius, qui in principio apud Deum fuit Deus Verbum. Non quo alius assumtus homo et alius sit sermo qui (Verbum quod) assumserit, sed quo unus atque idem pro varietate causarum nunc sublimis nunc humilis praedicetur ».

retulisse censendus est; quod enim *Est.* obiicit, « apostolici moris non esse *Deum Iesu Christi* dicere » (in Rom. 15,6), id aliis Apostoli verbis clarissimis erroneum esse demonstratur [1]. Itaque recte *Herv.* : « benedictus Deus, qui Christum secundum humanitatem creavit et secundum divinitatem genuit, atque ita est Deus et Pater eius ».

De sola persona Patris ergo Apostolus loquitur, cui misericordiam appropriat, quia Filium suum unigenitum dans in eo et per eum nos benedixit in omni benedictione spirituali in coelestibus (*Eph.* 1,3). Eum enim appellat *Patrem misericordiarum,* quia misericordia ei « maxime propria est ac peculiaris et naturalis » (τῇ φύσει συγκεκληρωμένη *Chrys.*) [2]. Genetivo qualitatis (οἰκτιρμῶν misericordiarum) multo expressius, quam si adiectivum (οἰκτίρμων misericors *Luc.* 6,31; *Iac.* 5,11) adhibuisset, Paulus misericordiam Patri appropriat. Ad pluralem attendentes nonnulli Deum Patrem misericordiarum appellari putant, quia « ab eo miserationes tamquam e fonte promanent » (*Theod.*), vel quia « tamquam benignus parens multiplicia misericordiae ac beneficentiae suae dona in homines effundat » (*Est.*); in hac igitur appellatione « nomen patris multo aliter esse sumendum, quam si Deus Pater Christi aut hominum appelletur; nam Christi patrem eum esse natura, hominum patrem adoptione, misericordiarum autem, uti aliarum omnium rerum, patrem creatione » (*Iust.* cfr *Cai.* etc.). At οἰκτιρμοί, quo plurali Alexandrini hebraicum plur. רַחֲמִים (viscera tamquam sedes misericordiae, misericordia) reddiderunt, de speciminibus vel documentis misericordiae non adhibetur, sed in Novo Test. ipsum misericordiae attributum significat, si de Deo sermo est; quamobrem nomen *patris* quoque in hac appellatione metaphorice de auctore vel largitore intelligere non licet.

Porro quia Pater Domini N. est Pater benignissimus, dives in misericordia (*Eph.* 2,4), ideo etiam nobis est *Deus totius* (vel rectius : *omnis*) *consolationis* (Θεὸς πάσης παρακλήσεως); quaecumque enim vera consolatio nobis advenit, ei auctori et largitori debetur; itaque sicut

1. *Eph.* 1,17. *Vulgata Clem.* sua interpunctione : *ut Deus, Domini nostri Iesu Christi pater gloriae, det* etc. eam quidem interpretationem innuit, quam cum *Est.* multi praefeferunt : « Deus, qui est gloriosus Pater Domini N. I. Chr. »; sed vix ac ne vix quidem haec graecis verbis consonat : ἵνα ὁ Θεὸς τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ πατὴρ τῆς δόξης, δῴη κτλ.

2. Cfr *S. Bern.* In nativ. Dom. serm. 5,3 : « Quod miseretur, proprium est Deo; ex se enim sumit materiam et velut quoddam seminarium miserendi. Nam quod iudicat et condemnat, nos eum quodammodo cogimus, ut longe aliter de corde ipsius miseratio quam animadversio procedere videatur. Recte igitur non Pater iudiciorum vel ultionum dicitur, sed *Pater misericordiarum*, non modo quod pater videatur misereri potius quam indignari et quemadmodum miseretur filiorum timentium se, sed eo magis, quod miserendi causam et originem sumat ex proprio, iudicandi vel ulciscendi magis ex nostro ».

Spiritus S., qui nomine paracleti (consolatoris) κατ' ἐξοχήν salutatur, et Filius, cui idem titulus competit (*Ioan.* 14,16), ita Pater quoque vere est consolator. Iam ut ad gratiarum actionis suae argumentum transeat, Apostolus tertium hunc titulum accuratius explanans finem ostendit, quem Pater in consolandis Apostolis habet : 4. *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur et ipsi a Deo.*

Cuius sententiae explicationi pauca praemittamus oportet de latina eius interpretatione. Levissimum est, quod interpres nomen θλίψεως eadem in sententia duobus latinis vocabulis *tribulationis* et *pressurae* reddidit, quum utroque res satis apte exprimatur. Neque grave est, quod ad significationis differentiam, quae exoritur, si πᾶς substantivis articulo notatis aut articulo non notatis praemittitur, non attendens in praecedente versu phrasin Θεὸς πάσης παρακλήσεως transtulerit : Deus *totius* consolationis, in hoc autem versu verba ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει reddiderit : in *omni* tribulatione[1], atque in sequente membro τοὺς ἐν πάσῃ θλίψει recte dixerit eos esse, qui in *omni* pressura sunt. Gravius est, quod in aliis vocabulis, quibus tota argumentatio innititur, transferendis nescio quam ob causam sibi non constiterit. In tota enim hac pericope (3-7) Paulus iisdem vocibus παρακαλεῖν et παρακλήσεως semper utitur, quae, quum proxime *alloqui* et *alloquium* designent, alloquium autem vel *docendi* vel *exhortandi* vel *consolandi* vel *rogandi* causa fiat, omnes has significationes pro contextu admittunt. Atqui in nostra pericope significationem *consolandi* et *consolationis* contextus postulat eamque interpres plerumque recte expressit; in ultimo tamen huius sententiae membro et in *v.* 6. sensum *exhortationis* parum apte inserens nexum idearum aliquantulum obscuravit. « In Apostolo exhortationem pro consolatione esse dictam » monuit iam *S. Ambr.* (in Ps. 118. ad v. 76); nonnulli vero antiqui Latini (cfr *S. Hier.* in Is. 40,1; *Aster; Prim.* etc.) ultimum nostrae sententiae membrum rectius legerunt : *per consolationem, qua ipsi consolamur a Deo.* Demum attendas velim, interpretem pro suae aetatis usu verbis deponentibus *consolari* et *exhortari* aliquoties activum, aliquoties passivum sensum attribuere.

Patrem igitur benignissimum Apostolus cum gratiarum actione tamquam consolatorem apostolicorum operariorum celebrat : *qui consolatur nos in tota tribulatione nostra.* Pronomine *nos* non omnes fideles, sed proxime Paulum et Timotheum, epistolae auctores, et latiore sensu alios evangelicos operarios designari, ex sequente membro elucet, quo explicatur, qua ratione eorum consolatio ad reliquos

1. Lectio ἐπὶ πάσῃ θλίψει in nullo, ut videtur, codice invenitur: *Chrys.* tamen sententiam nostram ita interpretatur, ac si illam lectionem prae oculis habuerit; ceterum fatendum est, hoc in loco parum interesse, utrum articulus inseratur annon.

fideles pertingat. Recte porro *Chrys.* ad participii praesentis (ὁ παρακαλῶν *qui consolatur*) usum nos attendere iubet : « neque enim semel aut iterum, sed continuo Deus solatium eis praestat, neque nunc consolatur, nunc rursus deserit, sed semper et perpetuo eos consolatur; ideo dixit : ὁ παρακαλῶν, minime vero : ὁ παρακαλέσας; ideo quoque addit : *in omni tribulatione*, non in hac vel illa tantum, sed in *omni* », vel potius *in tota*. Omnes enim singulas tribulationes, quibus ipse et reliqui operarii apostolici in suis muneribus exercendis affliguntur, complectitur et quasi unam continuam considerat, in qua continuum quoque solatium experiuntur.

Cuius continuae, quae Apostolis praestatur, consolationis finis est, *ut possint* (*et*) *ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per consolationem, qua consolantur* (*et*) *ipsi a Deo* (vel potius : *qua ipsi afficiuntur a Deo*. Duas particulas *et* abundare diximus in *VV. LL*). Paucis his verbis genuini viri apostolici nobis delineatur imago, qui omnia, quum tribulationes tum consolationes, sibi a Deo immitti scit, ut fidelium usui et profectui inserviant; neque immerito *Chrys.* et *Theod.* modestiam humilitatemque Pauli admirantur, qui consolationem acceptam suis meritis suaeve dignitati se non debere fatetur, sed se eam propter fideles accepisse proclamat. In donis divinis enim est ordo, atque Deus, si aliquibus specialia dona largitur, ea per illos in aliorum utilitatem effundi vult (cfr *Thom.*). Sicut sol lumen splendoremque accepit, ut non tam sibi quam universo orbi luceret, Apostoli gratias speciales multas accipiunt, ut ad munus suum exercendum magis idonei reddantur fidelesque melius docere, exhortari, regere atque in salutis via promovere possint. Itaque consolatio quoque, sive internum intelligitur donum, quo recreati et confirmati tribulationibus perdurantibus iisque non obstantibus munus suum exercebant, sive externum auxilium, quo ex periculis eripiuntur (cfr *v.* 10), illis eum in finem concedebatur, ut ea ad consolandos et confirmandos neophytos uterentur. Ac profecto non tantum Apostolorum exemplo, quos in summis tribulationibus eadem semper cum alacritate et hilaritate labores omnes subire aut interdum maximis ex periculis divino auxilio ereptos videbant, fideles iam confirmabantur, quum sibi quoque divinam gratiam in suis difficultatibus non defuturam discerent, sed etiam Apostoli ipsi divinam consolationem experti edocebantur, quomodo fideles consolari possent ac deberent; « qui enim non est consolatus, nescit consolari » (*Thom.*).

In hac vero tribulationum et consolationum schola Apostoli diligentissime sunt versati : 5. *quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra,* atque in illa

idonei sunt facti, qui alios consolarentur. *Passiones Christi* (τὰ παθήματα τοῦ Χριστοῦ) non satis recte a multis intelliguntur tribulationes, quae propter Christum perferuntur (*A*[ter] *Pel. Lomb*[2]. *Thom*[2]. *Cai. Est. Nat. Pic. M Ev. Dr.* etc. — Acath. multi), nam genetivus *Christi* ad hanc ideam exprimendam non est aptus; neque tribulationes intelligi possunt, quas Christus in suis membris patitur (*Chrys. Oec. Theoph. Iust. Bisp.* — *Grot. de W* etc.), nam nomine Christi hoc loco non designatur mysticum eius corpus; sed intelligi debent tribulationes, « quas Christus prior pertulit et nobis perferendas reliquit » (*Herv.*), « quas ad similitudinem Christi perferimus » (*Lomb*)., quae « inchoatae sunt in Christo propter peccata nostra » (*Thom*[1].) ac quodammodo in nos derivantur (cfr *Lap. Mai. LR.* etc.). Eas propter Christum et in Christo perferendas esse, ut vere sint passiones Christi, procul dubio verum est, sed haec non est appellationis ratio, aeque parum atque vestigia tribulationum, quas perpessus est, Apostolus ideo vocat *stigmata Domini Iesu* (*Gal.* 6,17), quia propter Christum et tamquam membrum eius ea acceperit, sed quia ex eis tamquam genuinus Christi Apostolus, qui similia ac Dominus eius pertulerit, cognoscatur. Harum igitur passionum magnam partem Paulus et apostolici operarii perferunt, at eadem quoque in mensura per Christum, cui passionibus suis assimilantur, accipiunt consolationem, quam in alios effundant. « In passionibus, inquit *Theod.*, et in consolatione adhibuit verbum *abundare* (περισσεύειν), ut et illarum et huius ostenderet magnitudinem ». Parum recte vero *Chrys.* verbum περισσεύειν ita urget, ut Paulum plura Christo pertulisse asserat[1].

Sententiam suam generalem, qua se aliosque Apostolos propter fideles consolationem a Deo accipere asseruit, Paulus, ut suam cum ecclesia corinthia intimam unionem testetur ad ipsos Corinthios iam traducit, suas tribulationes non minus quam suas consolationes consolationi et saluti eorum inservire docens : 6. *sive autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute; sive consolamur pro vestra consola-*

1. *Chrys.* : « Quibus verbis (sicut abundant, καθὼς περισσεύει) illud ostendit, quod non modo Christi cruciatus, sed his quoque plures perferant Apostoli. Non enim, inquit, ea tantummodo, quae ipse passus est, pertulimus, verum his etiam ampliora (περισσά). Sic enim considera : vexatus est, persecutionem passus est Christus, flagris caesus, mortuus est; at nos, inquit, his plura patimur; quod quidem vel solum ad consolationem sufficere potest. Nec quisquam hunc sermonem arrogantiae aut temeritatis damnet; nam etiam alio in loco dicit : nunc gaudeo in passionibus meis atque adimpleo ea quae desunt passionibus Christi in carne mea (*Col.* 1,24). At neutrum horum ullo modo temere aut arroganter asseritur. Sicut enim discipuli maiora, quam ipse, miracula fecerunt (*Ioan.* 14,12), totum autem ipsi adscribitur, qui in illis operabatur, sic etiam plura, quam ipse, perpessi sunt, at universum hoc quoque ipsi adscribi debet, qui eos consolabatur atque ita confortabat, ut ingruentia mala forti animo perferant ».

tione; sive exhortamur pro vestra exhortatione et salute, quae operatur tolerantiam earundem passionum, quas et nos patimur. Quae rectius iuxta meliorem lectionem graecam (cfr *VV. LL.*) reddimus : *sive autem tribulamur, pro vestra consolatione et salute; sive consolamur* (consolationem accipimus), *pro vestra consolatione, quae operatur in tolerantia earundem passionum, quas et nos patimur.*

Lectionem, quam praeferimus, cum antiqua *It.* etiam meliores *Vulg.* codd. (*Fuld. Am.* etc.) exhibent, in eo solo dissentientes, quod pro *consolatione* aut in priore aut in altero aut in utroque membro *exhortationem* non recte posuerint. Duo autem membra tantum agnoscunt etiam cum *Cai.* iuniores Latini interpretes, ex quorum numero recte *Est.* : « illud quispiam mirabitur, in textu Clementinae editionis adhuc exstare huius loci tria membra, quum graecus textus [et antiquus latinus] non admittat plura duobus. Verum non dubito, quin correctores romani bene viderint, unum membrum hic redundare ex diversa interpretatione; sed quia eis non constabat, utrum ex duobus membris posterioribus a nostro interprete scriptum esset, iudicarunt utrumque in textu relinquendum, ut lectori vel expositori remaneret electio eius, quod melius ac sincerius eis esse videretur ». Revera dubium non est, quin secundum et tertium membra Vulgatae Clem. sint duae eiusdem sententiae graecae versiones et tertium (sive exhortamur pro vestra exhortatione et salute) prorsus sit omittendum. — Altera differentia inter graecum textum et Vulgatam Clem. est in sententia relativa : *quae operatur* etc.; graecam enim phrasim (τῆς ἐνεργουμένης ἐν ὑπομονῇ τῶν αὐτῶν παθημάτων) vertere debemus : *quae operatur in tolerantia earumdem passionum*, atque ita meliores et antiquiores codd. latini (*Fuld. Am.* etc.) legunt; neque dissimilis est lectio Italae (*A*[ler] etc.) : quae operatur *per* tolerantiam etc. — Demum addamus, Vulgatam Clem. etiam contra fidem meliorum codd. latinorum (*Fuld. Am.* etc.) et graeci textus sequentem sententiam intime cum nostro versu coniungere, quum habeat : *ut* spes nostra firma *sit* pro vobis; legendum enim est : *et spes nostra firma pro vobis* (*S. Hier.* in Is. 40,1 *Fuld. Am.*), καὶ ἡ ἐλπὶς ἡμῶν βεβαία ὑπὲρ ὑμῶν.

Constructionem utriusque membri genuini esse ellipticam, commate post verba *tribulamur* et *consolamur* posito innuimus; ellipsis vero repetitis verbis facillime suppletur (sive tribulamur, tribulamur pro vestra consolatione; sive consolationem consequimur, eam consequimur pro vestra consolatione). Itaque sensus est manifestus : omnia, quae Paulo eiusque sociis a Deo immittuntur, Corinthiorum utilitati inserviunt eosque in via salutis promovent. Etenim si Apostoli tribulationes experiuntur, hae Corinthiis prosunt non tam, quia ad consolationem et salutem eis merendam aptae sunt, quam potius quia Apostolorum illas fortiter perferentium exemplo edocentur, hanc esse viam

salutis quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei (*Act.* 14,21), ac proin etiam incitantur et confirmantur, ut eadem ratione, qua Apostoli, suas res adversas perferentes ad salutem annitantur. Quodsi vero Apostoli interna aut externa consolatione in suis tribulationibus a Deo adiuvantur, haec quoque in Corinthios transit (cfr *v.* 4) efficitque, ut recreati et confirmati in crucis via alacriter progrediantur; operatur enim, i. e. efficacem se praestat vimque suam manifestat illa consolatio in forti similium passionum tolerantia. Dico : *similium* passionum; namque *eaedem passiones, quas et nos patimur* non satis apte a *Theod.* aliisque eaedem numero intelliguntur, ita ut Corinthii passiones Apostolorum velut suas considerent iisque *com*patiantur; sed eaedem sunt specie, i. e. similes (cfr *Chrys.* etc.).

Difficilior explicatu est lectio *Vulgata Clem.* : « sive exhortamur, pro vestra exhortatione et salute, quae operatur tolerantiam earumdem passionum, quas et nos patimur ». Quoniam enim relativa sententia (*quae operatur*) cum praecedente substantivo *salutis* est connectenda, non satis intelligitur, quomodo salus nostra patientiam operari possit. Quam difficultatem ut effugiant, aliqui pronomen relativum *quae*) ad prius dumtaxat substantivum (pro vestra exhortatione, quae) referunt *Herv. Dion.* etc.[1]); quae constructio aptum quidem gignit sensum, sed verbis adaptari nequit. Neque verbis consonat *Lomb.* et *Thom.* explicatio : « dico, quod haec ad vestram salutem cedant, quae salus vobis est in hoc, in quantum exemplo nostri estis fortes ad tolerantiam passionum »; haec enim salutis definitio cui probetur nescio. Aptius iuniores nonnulli explicant : « quae salus, quasi finis exoptatus » vel clarius : « quae salutis spes operatur tolerantiam » (*Lap. Pic.* etc.); at num *salus* in Scripturis idem est, quod *spes salutis?*

Similis quoque, licet minor, est difficultas in graeci *textus rec.* lectione : εἴτε δὲ θλιβόμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως καὶ σωτηρίας τῆς ἐνεργουμένης ἐν ὑπομονῇ τῶν αὐτῶν παθημάτων κτλ. (sive tribulamur, pro vestra consolatione et salute, quae operatur *in* tolerantia earumdem passionum etc.). Etenim si verbum ἐνεργεῖσθαι (operari) passivo sensu sumitur (*Oec. Theoph. Est. Nat. M Ev.* etc. — *Calv. Rück. Ew.* etc.), ut sensus exoriatur : « quae consolatio et salus efficitur (vel perficitur) *in* tolerantia (i. e. per tolerantiam) earundem passionum », haud satis intelligitur, cur praepositio ἐν (loco praep. διά vel ὑπό) sit adhibita, neque cur duo substantiva (παρακλήσεως et σωτηρίας) unico articulo tam arcte coniungi potuerint, ut ambo participio (ἐνεργουμένης) definiantur; *salus* (σωτηρία) enim per passionum tolerantiam effici apte quidem dicitur, at quomodo *consolatio* (παράκλησις) per eam efficitur vel perficitur? Si vero verbo ἐνεργεῖσθαι sensus medialis (efficacem se praestare) attribuitur (cfr *Bisp. Ramb.* etc. — *Mey. Kl. Br.* etc.), apte cum substantivo παράκλησις connectitur (consolatio efficacem se praestat in tolerantia passionum), sed minus recte cum subst. σωτηρία, nisi huic significatio *spes salutis* vel *salus sperata* tribuitur; id quod fieri nequit. Atque eadem difficultas manet, si per ἓν διὰ δυοῖν duo substantiva παράκλησις καὶ σωτηρία in unam quasi ideam coniunguntur; erit enim consolatio, quae ex sperata salute exoritur.

Itaque lectio, quam optimi codd. graeci (B ℵ A C) cum *It.* antiquioribusque codd.

1. Eandem interpretationem inter modernos praetulisse videntur *L R.*, quum vertant : « zu Gunsten euerer Tröstung und eueres Heiles, *welche* erw*irket* geduldiges Ertragen ».

Vulg. (*Fuld.*, *Am.* *Harl.* etc.) et *Copt.*, *Aeth.* tuentur, retinenda est, ita ut ante participium ἐνεργουμένης (vel ante relativum *quae operatur*) substantivum σωτηρίας (*salutis*) omittatur.

Propter intimam hanc, quam inter sese interque Corinthios iuxta Dei voluntatem (*v.* 4) adesse asseruit, consolationum communionem societatemque Apostolus nunc pergere potest : 7. *et spes nostra* (est) *firma pro vobis, scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis.* Cuius sententiae constructio quidem minus accurata est, quia participium *scientes* (εἰδότες) ita est positum, ac si scriptum sit : et firmiter *speramus* pro vobis *scientes* etc., sed sensus est clarus. Illa enim societas Apostolum de Corinthiis optime sperare iubet, siquidem suam consolationem, quam a Deo consequitur, ad eos transituram et in eorum tribulationibus tam efficacem sese manifestaturam esse scit, ut, sicut in eis iam nunc abundant passiones Christi, etiam per Christum abundatura sit consolatio eosque sibi ipsi hac quoque ratione assimilatura. Hinc adducitur, ut ultimae calamitatis, quam in Asia expertus est, gravitatem (8. 9) divinumque, quod in ea per fidelium preces obtinuit, auxilium cum iis communicet simul spem suam exprimens, Deum propter fidelium preces tale auxilium sibi semper esse praestiturum (10. 11).

8. *Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quae facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut taederet nos etiam vivere*, vel accuratius iuxta graecum : *ita ut de ipsa vita desperaremus* [1]. Gravissimum mortis periculum fuit, quod non nisi divinitus adiutus evadere potuit; *supra modum* enim, *supra virtutem* se gravatum esse ac de vita iam desperasse dicit. Iuxta *Chrys.*, quem plerique sequuntur (*Thom. Est. Mai.* etc. — *Heinr. Goeb.* etc.), duae locutiones adverbiales (supra modum, supra virtutem, καθ' ὑπερβολήν, ὑπὲρ δύναμιν) ita inter se sunt parallelae, ut prior obiectivam, altera subiectivam periculi gravitatem describat : « unam quidem eandemque rem his verbis intelligere videtur, non tamen una est, sed sunt duae. Etenim ne quis diceret : quid, si supra modum quidem periculum erat, tibi autem non magnum? subdidit : et magnum erat

1. *Tert.* de resur. carn. 48. in suo codice legit : « ut de vita haesitaremus »; *S. Hier.* in Eph. 3,13 et *Al.* : « ita ut desperaremus nos etiam vivere ». Codices tamen Vulg. omnes habent lectionem hodierni textus. Ad obiectionem, quomodo Apostolum taedere potuerit vivere, quum omne gaudium existimare iubeamur, si in varias tribulationes incidamus (*Iac.* 1,2), respondet *Thom.*, tribulationem dupliciter considerari, vel secundum se, et sic eam esse taediosam, vel in comparatione ad finem, et sic eam esse iucundam, quatenus propter Deum et spem vitae aeternae sustineatur. Quae verissima sunt; melius tamen retinetur antiqua versio latina, quae et verbis graecis (ὥστε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς καὶ τοῦ ζῆν) et contextui sola consonat (cfr 4,8).

et vires *meas* superabat ». At si id dicere voluisset, Paulus, opinor, pronomen personale (supra virtutem *meam*) non omisisset; quare cum aliis (*Cai. M. Ev.* etc. — *Mey.* etc.) expressiones illas subordinatas esse arbitramur : supra virtutem, i. e. magis, quam hominis virtus ferre potest, gravatus erat Apostolus, atque onus, quod sustinuit, non parum, sed plurimum (καθ' ὑπερβολήν) vires hominis superavit. Ne apostolus, qui dixerat : « Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis » (1 *Cor.* 10,13), sibi ipsi contradicere videatur, prioris sententiae fautores de viribus naturalibus sermonem esse (*Thom.*, *Dion.*, *Mai.* etc.) aut de afflictione, minime vero de tentatione agi (*Est.* etc.) monent : in nostra autem sententia nihil obstat, quominus virtutem intelligamus hominis in gratia constituti et ordinariis gratiae auxiliis adiuti ; Paulo enim extraordinarium auxilium, quo extraordinarium periculum superari potuit, non defuisse, docent ea quae sequuntur. Quamnam tribulationem sibi in Asia factam intelligat, in controversia est neque cum certitudine definiri potest ; Corinthii eam iam cognoverunt atque solam nunc eius gravitatem velut rem novam formula sua consueta (*nolumus vos ignorare* cfr 1 *Cor.* 10,1 ; 12,1 etc.) eis annuntiat. Plerique ad seditionem per Demetrium argentarium, brevi postquam prior epistola ad Cor. scripta erat, Ephesi contra Paulum excitatam (*Act.* 19,23-40) alludi censent (*Theod. Thom. Dion.* etc. *Est. Lap. Nat. Pic.* etc. *M Ev. Dr. L R.* etc.), atquê hanc opinionem probabiliorem esse arbitramur. Licet enim Lucas de periculo mortis, quod Paulus illa in occasione *subierit*, diserte non loquatur, satis tamen indicat, eum in proximo vitae discrimine fuisse, quum et discipulos et ethnicos amicos eum impedivisse referat, ne in publicum prodiret (*Act.* 19,30. 31).

Erronea est *Tert.* (de resur. carn. 48) sententia, cum de bestiarum pugna loqui, quam iam in priore epistola commemoravit; eam enim velut novam commemorare non potuit ac praeterea illo in loco de vero mortis periculo sermo non est (cfr *ad* 1 *Cor.* 15,32). Nimis vaga, quamvis recta, est *Chrys.* opinio, qui Apostolo multos adversarios Ephesi fuisse monens ad 1 *Cor.* 16,9 provocat (cfr etiam *Theoph.* etc. — *Heinr.* etc.), atque multo minus nobis probatur *Iust.*, qui nomine tribulationis « totam ephesiam commorationem totumque asianum triennium » intelligi vult, quia Apostolus « non semel ac iterum sed frequenter isto tempore discrimen vitae adierit »; de uno enim determinato periculo eoque recenti agi, et verba et contextus docent. Inter modernos interpretes haud pauci de calamitate quadam, quam Paulus Epheso profectus in itinere per Asiam, antequam Troadem advenerit, passus sit, nostrum locum intelligunt; atque alii de gravissimo aliquo morbo, quo correptus sit (*Bisp.* — *Rück* etc.), alii de naufragio, quod fecerit (cfr 11,25 nocte et die in profundo maris fui) cogitant (*Hofm. Goeb.* etc.), alii de insidiis, quas Iudaei ei in via instruxerint (*Mai.*) etc. Quae coniecturae omnes carent fundamento; quod enim *in Asia* sibi hanc tribulationem factam esse scribit, mirum profecto non est, quum in

Macedonia hanc epistolam exaraverit, nec ullo modo demonstrat, non Ephesi, in provinciae Asiae capite, sed in alia minore provinciae civitate eum in mortis periculo fuisse.

Tantum igitur periculum persecutio a Demetrio argentario provocata, qua Ephesum citius quam voluerat relinquere coactus est, Paulo creavit, *ut taederet eum etiam vivere* vel potius : *ut de vita ipsa desperaret* neque sese imminentem mortem evasurum esse putaret. Hanc enim explicationem postulat sententia sequens : 9. *sed ipsi in nobismet ipsis responsum mortis habuimus;* totum scilicet rerum statum considerans et omnia periculi momenta perpendens sibi ipsi fateri cogebatur, se mortem non posse effugere. Locutionis (responsum mortis τὸ ἀπόκριμα τοῦ θανάτου) sensum recte explicat *Thom.* « certitudinem mortis », verba ipsa autem accuratius *Chrys.* : « Quid est : responsum mortis habuimus? Sententiam, iudicium, exspectationem mortis; hanc enim vocem res ipsae emittebant atque eventus ipsi hoc responsum dabant, certissime nos esse morituros ». « At non permisit Deus, ut haec desperationis sententia effectum sortiretur, sed effecit, ut minae mortis intra nostram suspicionem sisterent » (*Theod.*). Is enim in tanta permittenda calamitate fuit Dei finis, *ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos,* vel rectius *in Deo mortuorum resuscitatore* (ἐπὶ τῷ Θεῷ τῷ ἐγείροντι τοὺς νεκρούς); sententia enim haec relativa (*qui suscitat mortuos*), quum participio graeco exprimatur, sequentibus (*qui nos eripuit, in quem speramus*) non est parallela, quippe quae etiam in graeco textu relativae sint (ὃς ἐρύσατο, εἰς ὃν ἠλπίκαμεν). Deus igitur, qui Apostolos tribulari permisit propter fidelium consolationem et salutem (*v.* 6), tam graves calamitates, uti recte adnotat *Chrys.*, propter eorum ipsorum utilitatem eis immisit, ut omnem sui fiduciam exuentes ad Omnipotentem confugerent ab eoque solo auxilium sperarent. Apposite autem Paulus, ut Dei omnipotentiam designet, eum *resuscitatorem mortuorum* appellat innuens, eum a fortiore nos ex ultimo vitae discrimine eripere posse (cfr *Theod.* etc.). Neque satis apte *Chrys.* cum aliis in hac resurrectionis commemoratione polemicam allusionem ad Corinthios illos deprehendit, qui mortuos resurrecturos esse negabant (1 *Cor.* 15.); in aliis enim epistolis in haud dissimili argumento Paulus omnipotentiam divinam etiam ex mortuorum resuscitatione definit (*Rom.* 4,17; *Hebr.* 11,19).

Porro hoc Omnipotentis auxilium iam expertus est et continuo experitur et se in futuris periculis experturum esse confidit : 10. *qui de tantis periculis nos eripuit et eruit* (melius : *eripit,* quia idem verbum graecum ῥύεσθαι retinetur in omnibus tribus membris), *in quem spera-*

mus [1], *quoniam et adhuc eripiet.* Pulchrior et significantior est graeca lectio : ὃς ἐκ τηλικούτου θανάτου (vel τηλικούτων θανάτων) ἐρύσατο ἡμᾶς, quam eodem modo antiqui Latini (*S. Hier.* in Eph. 1,13, *Ruf.* in interpret. Orig hom. in Lev. 11, 2, *A*ter etc.) reddiderunt : « qui ex tantis (vel : talibus) *mortibus* nos eripuit »; tantas enim fuisse calamitates innuit, ut Apostoli non tam morti proximi sed iam mortui esse viderentur, quia nulla mortis effugiendae apparebat possibilitas; eadem metonymia Paulus in priore epistola utitur, ubi se *quotidie mori,* i. e. in ultimo vitae discrimine versari asserit (1 *Cor.* 15,31). Ceterum singulari (ἐκ τηλικούτου θανάτου), quamvis omnium fere graecorum codicum auctoritate fulciatur, anteponendum arbitror pluralem (ἐκ τηλικούτων θανάτων) non tantum, quia antiquissimis testimoniis *Orig.* [2] *It.* et *Syr.* nititur, sed etiam contextui magis congruit. Etenim quum singularis de uno illo periculo, quod antea commemoravit (v. 8), intelligi debeat ac proin ad solum primum verbum ἐρύσατο (*eripuit*) quadret, ad duo alia verba (ῥύεται, ῥύσεται, *eripit, eripiet*), quia obiecto suo carerent, aliquid esset supplendum; sin pluralem legimus, nullum supplementum requiritur.

Itaque continuum in omnibus periculis quamvis gravibus auxilium Dei expertus illud sibi in posterum non defuturum Apostolus confidit, quia se fidelium omnium atque etiam Corinthiorum precibus adiutum iri sperat : 11. *adiuvantibus et vobis* (rectius : *coadiuvantibus et vobis* nimirum una mecum et cum aliis fidelibus, συνυπουργούντων καὶ ὑμῶν) *in oratione pro nobis, ut ex multorum personis, eius quae in nobis est donationis, per multos gratiae agantur pro nobis.* Ad quae verba *Thom.* : « quae quidem orationes necessariae sunt, quia Deus multa bona uni confert ad preces multorum. Cuius ratio est, quia Deus de bonis quae confert vult exhiberi sibi gratias et quod multi teneantur ex hoc ad gratiarum actiones : hoc autem fit, quando ex eo, quod dat uni ad preces multorum, obligat sibi omnes, ad quorum preces confert bonum aliquod, ut sic non solus ille, cui confert, sed etiam ipsi rogantes referant gratias Deo ». A qua explicatione parum dissentit *Chrys.*,

1. Perfectum ἠλπίκαμεν; *Vulg.* recte per praesens *speramus* reddidit, quia ἐλπίζειν saepe est idem, quod *spem suam ponere* in aliquo; cfr *Ioan.* 5,45; 1 *Cor.* 15,19; 1 *Tim.* 4,10: 5,5 etc., quibus in locis *Vulg.* semper praesens recte adhibet.

2. *Origenis* (in Lev. hom. 11,2) textus graecus quidem nobis non est conservatus, sed eius argumentatio tota, quamvis genuinum vocabuli sensum impugnet, pluralem scriptum fuisse ostendit : « Quas ergo hic mortes plures commemorat, nisi peccatorum. Si haec enim non diceret de mortibus peccati, videbatur Paulus secundum sententiam suam immortalis esse mansurus ab hac communi morte, qui dicit, quia de tantis mortibus eripuit nos et eripit, in quo speramus, quia et eripiet. Si enim eripuit et eripiet, numquam erit, quando morietur quem Dominus semper eripiet » etc.

quum beneficium ad fidelium omnium preces Apostolo collatum omnibus precantibus concedi atque ita omnes ad gratias agendas obligari dicat. Illud enim manifestum est, utilitatem non tantum communis orationis sed etiam precum ab aliis fusarum commendari atque simul necessitatem actionis gratiarum inculcari, quippe quae praevisa Deum ad beneficium petitum concedendum quasi permoveat.

Sententia finalis (ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ἡμῶν) pro diversa, quam admittit, constructione diversisque, quae nonnullis vocabulis attribuuntur, significationibus diversimode explicatur. Ab haud paucis verba ex πολλῶν προσώπων hyperbato quodam admisso velut adiectiva appositio sequenti subiecto (τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα) additur vel potius inseritur (τὸ ἐκ πολλῶν προσώπων εἰς ἡμᾶς χάρισμα) atque explicatur : *ut beneficium a multis personis* (vel : multarum personarum respectu) *nobis obtentum* (vel : collatum) *gratiis per multos actis celebretur pro nobis* (*Cai. Iust. Est. Nat. M Ev. Bisp.* etc. — *D W. Rück* etc). Cui explicationi antiqua versio latina consonat (*A^ter* : ut quod multorum faciebus donum in nos collatum est, per multos in gratiarum actione celebretur pro nobis), atque hodierna quoque Vulg., si idem admittitur hyperbaton, in eundem sensum trahi potest : ut eius, quae ex multorum personis (i. e. precibus multarum personarum, vel : respectu multarum personarum) in nobis est, donationis gratiae agantur per multos pro nobis. — Eundem quoque sensum obtinet altera constructio, quae priorem locutionem (ἐκ πολλῶν προσώπων) cum verbo (εὐχαριστηθῇ) connectit, alteram (διὰ πολλῶν) subiecto adiungit, ut haec exoriatur versio ; *ut ex multis faciebus* (vel : a multis personis) *beneficium nobis per multos* (vel : propter multos) *obtentum* (vel : collatum) *gratiis actis celebretur pro nobis* (cfr *Chrys. Theoph. Mai* etc. — *Olsh.* etc.). — Tertia constructio utramque expressionem (ἐκ πολλῶν προσώπων, διὰ πολλῶν) cum verbo εὐχαριστηθῇ coniungit, ut hic sit sententiae sensus : *ut ex multis faciebus* (vel : a multis personis) *beneficium nobis collatum gratiis actis per multos* (vel : multis verbis, aut : multis modis) *celebretur pro nobis* (cfr *Theod. Oec. Gagn. Lap. L R.* etc. — *Mey. Heinr. Kl Br. Goeb.* etc.).

Quae tres constructiones aptum quidem praebent sensum atque grammaticae quoque utcumque respondent; nihilominus secundam velut faciliorem et probabiliorem duabus aliis anteponendam ducimus. *Tertia* enim, si verba διὰ πολλῶν de personis intelliguntur (*per multos*), aliquid tautologici habet, siquidem eadem gratias agentium multitudo duabus locutionibus (ἐκ πολλῶν προσώπων, διὰ πολλῶν ex multis faciebus, per multos) ita designatur, ut secunda priori nihil novi addat; de prolixitate autem actionis gratiarum (multis verbis) aut de eius diversis generibus (multis modis) verba διὰ πολλῶν minus apte explicantur. — *Prima* vero constructio non tantum durum hyperbaton sine ratione sufficiente admittit, sed etiam priori expressioni (ἐκ πολλῶν προσώπων) significationem attribuit, quae ei vix ac ne vix quidem competit. Etenim etsi vocabulo προσώπου personam desi-

gnari concederemus [1], usus tamen praepositionis ἐκ difficultatem creat, quum ultimam quidem causam, *ex* qua aliquid, tamquam e fonte, procedit (2,2 etc.), at non causam intermediam, *per* quam aut cuius *respectu* aliquid datur aut obtinetur, indicet. — Omnes difficultates *secunda* constructio evitat, quae in eo solo a consueto loquendi modo recedit, quod ante locutionem διὰ πολλῶν, quam velut adiectivam appositionem subiecto immediate praecedenti (τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα) adiungit, articulum omittat (τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα [τὸ] διὰ πολλῶν), at haec articuli omissio apud Paulum non est infrequens (cfr ad 1 *Cor.* 2,7). Aptissime quoque expressio ἐκ πολλῶν προσώπων explicatur, si cum verbo εὐχαριστηθῇ connectitur; ex multorum enim facie (vel : ex multis faciebus) relucebit gratitudo, qua beneficium Paulo per multos obtentum celebratur.

3. *Transitio* (1,12-14).

1,12. *Nam gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei, conversati sumus in hoc mundo : abundantius autem ad vos.* 13. *Non enim alia scribimus vobis, quam quae legistis et cognovistis. Spero autem, quod usque in finem cognoscetis.* 14. *Sicut cognovistis nos ex parte, quod gloria vestra sumus, sicut et vos nostra, in die Domini nostri Iesu Christi.*

1,12. ἡ γὰρ καύχησις ἡμῶν αὕτη ἐστίν, τὸ μαρτύριον τῆς συνειδήσεως ἡμῶν, ὅτι ἐν ἁγιότητι καὶ εἰλικρινείᾳ τοῦ Θεοῦ, καὶ οὐκ ἐν σοφίᾳ σαρκικῇ ἀλλ' ἐν χάριτι Θεοῦ, ἀνεστράφημεν ἐν τῷ κόσμῳ, περισσοτέρως δὲ πρὸς ὑμᾶς. 13. οὐ γὰρ ἄλλα γράφομεν ὑμῖν ἢ ἃ ἀναγινώσκετε. ἐλπίζω δέ, ὅτι ἕως τέλους ἐπιγνώσεσθε, 14. καθὼς καὶ ἐπέγνωτε ἡμᾶς ἀπὸ μέρους, ὅτι καύχημα ὑμῶν ἐσμὲν καθάπερ καὶ ὑμεῖς ἡμῶν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ [2].

1. Πρόσωπον, quod uti μέτωπον apud antiquiores scriptores profanos *faciem, vultum* etc. significat atque ad externam hominis vel rei speciem designandam interdum usurpatur, a iunioribus pro *persona* adhibetur. Apud Alexandrinos vero, qui hebr. פָּנִים (facies, vultus etc.) et אַפַּיִם (nares, facies, etc.) vocabulo προσώπου transtulerunt, sensum *personae* non habet, neque ullus in Novo T. invenitur locus, in quo illum sensum vocabulo attribuere cogamur; nam in notissima quoque locutione λαμβάνειν πρόσωπόν τινος, quam Vulg. reddit *personam accipere* (*Luc.* 20,21 etc.) vocabulum προσώπου significationem externae speciei et conditionis retinet (ad externam alicuius conditionem in eo iudicando attendere); respondet enim hebr. נָשָׂא פָּנִים. Ad nostrum locum quod attinet, antiqua latina versio vocabulo sensum consuetum *faciei* tribuerat (*Ater* : multorum faciebus) atque Vulgata Hieronymiana quoque eandem translationem retinuerat (*Fuld.* : ex multorum facie, *Am.* ex multarum facierum etc.); sed alia quaedam versio sensum personae expressisse videtur; unde factum est, ut iuniores interpretes media aetate utramque lectionem coniungerent : *ex multarum personis facierum* (*Pel. Haym. Gl ord.* et *interl., Herv. Lomb. Thom. Lyr.* etc.); quae interpretatio Haymoni quidem ansam praebet, ut de confusa dictione Pauli, quippe qui imperitus fuerit sermone, conqueratur, ab aliis autem explicatur : « ex personis multarum aetatum et conditionum ».

2. *VV. LL.* — 12. ἐν ἁγιότητι (in sanctitate) B ℵ A C K M P, paucissimi minusc. et PP., *Copt., Arm.*; sed aptius *textus rec.* : ἐν ἁπλότητι (*in simplicitate*) cum D E F G L, longe plerisque minusc. et PP., *It., Vulg., Syr., Goth.* At nullus testis graecus, nec alia versio, nec antiquiores testes latini (*Ater Pel.* etc.; *Fuld. Am.* etc.), nec

Veram inter sese et inter Corinthios adesse bonorum communionem, in gratiarum actione Paulus asseruit; quae enim mala patitur et bona experitur, ea omnia in eorum utilitatem cedunt, ipse vero eorum precibus adiuvatur, ut tribulationes superare possit. Iam ad primam epistolae partem, qua ab adversariorum calumniis sese vindicat transiturus rationem explicat, propter quam se eorum precibus semper adiutum iri confidit. Eam autem in conscientiae suae testimonio invenit, quod semper apud eos summo animi candore conversatus sit (*v.* 12); quem candorem eos in hac epistola et semper in se inventuros esse sperat (*v.* 13), ita ut in die iudicii et Corinthii de ipso atque ipse vicissim de eis gloriari possint (*v.* 14).

Praeprimis igitur se haud immerito eorum precibus adiuvari monet : 12. *nam gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostrae, quod in simplicitate* (*cordis*) *et sinceritate Dei,* (*et*) *non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo* (ἐν τῷ κόσμῳ) : *abundantius autem ad vos.* Utrum cum *Vulg. Clem.* et plerisque iunioribus interpretibus priora verba (*gloria nostra haec est*) interpunctione a reliquis ita separemus, ut completam habeamus sententiam, cuius praedicatum (*haec est*) sequentibus tamquam appositione quadam explicetur (scilicet *testimonium conscientiae*), an potius cum antiquioribus (cfr *Chrys.* etc., *Herv. Thom.* etc.) interpunctione praetermissa unam continuam sententiam agnoscamus, cuius subiectum sit *gloria nostra haec* (ἡ καύχησις ἡμῶν αὕτη) et praedicatum *testimonium conscientiae est,* parum interest, quum sensus vix mutetur. Aptior tamen est secunda constructio (cfr 1 *Cor.* 8,9 ἡ ἐξουσία ὑμῶν αὕτη, licentia vestra haec), quia verbis : *gloriatio nostra haec* Apostolus ea complectere vult, quae firmam suam futuri Dei auxilii et bonae Corinthiorum erga se voluntatis spem ac fiduciam exprimens gloriatus erat (« in quem speramus, quoniam et adhuc eripiet coadiuvantibus et vobis in oratione pro nobis »). Neque enim καύχησις idem est, uti aliqui volunt (*Est. Mai.* etc.), quod καύχημα (id de quo aliquis gloriatur, materia gloriandi), sed

mediae aetatis interpretes, uti eorum commentarii docent (*Haym. Herv. Thom., Lyr. Dion.* etc.) genetivum *cordis* agnoscunt, quem *Vulg. Clem.* addit : *in simplicitate cordis.* — καὶ οὐκ ἐν σοφίᾳ (*et non in sapientia*) B M, paucissimi minusc., *Vulg.*; reliqui testes omnes (etiam *It.* cfr *A[ter]* etc.) particulam καὶ praetermittunt. — 13. ἢ ἃ non praemisso ἀλλ' legunt B F G et pauci minusc.; reliqui melius : ἀλλ' ἢ ἃ (*quam quae*). — ἀναγινώσκετε (legitis) sine addito B et pauci minusc.; reliqui Graeci : ἀναγινώσκετε καὶ ἐπιγινώσκετε vel ἢ καὶ ἐπιγινώσκετε (legitis aut etiam cognoscitis). De latina lectione cfr *Comment.* — 14. Ἰησοῦ sine addito B ℵ A C et multi minusc.; sed Ἰησοῦ Χριστοῦ legitur a D E F G M P, haud paucis minusc. et PP., et ab omnibus versionibus.

est ipse actus gloriandi seu gloriatio (7,4. 14 etc.; 1 *Cor.* 15,31 etc.). Iam haec eius gloriatio nihil aliud est nisi *testimonium conscientiae* verbis expressum, vel quod idem est : haec gloriatio innititur testimonio conscientiae, quo certus redditur, se semper summo in candore animi apud omnes et maxime apud Corinthios ita esse conversatum, ut et Dei auxilio et precibus Corinthiorum sit dignus.

Candorem animi Paulus duobus vocabulis exprimit : *in simplicitate et sinceritate* (ἐν ἁπλότητι [1] καὶ εἰλικρινείᾳ,) quorum prius omnem duplicitatem vel astutiam (πανουργίαν cfr 4,2), alterum fraudem fucumque omnem (δόλον cfr 4,2 vel καπήλευμα 2,17) excludit. Simplex (ἁπλοῦς) iuxta ea, quae cogitat, semper loquitur agitque sibique constans in doctrina non variat alia hodie, alia cras docens; sincerus (εἰλικρινής vel rectius εἱλικρινής quasi in solis luce probatus εἵλη, κρίνω) sese exhibens, sicuti est, nec ad commoda consequenda nec ad incommoda evitanda umquam a veritatis tramite recedit. Porro simplicitatem et sinceritatem intelligi genuinam, docet genetivus *Dei*, qui ad utrumque substantivum pertinens qualitates illas a Deo datas esse innuit (*Lomb. Mai. Bisp.* etc.), sicut iustitia, quae a Deo nobis infunditur, vocatur iustitia Dei (δικαιοσύνη Θεοῦ *Rom.* 1,17 etc.). Nimis arcte autem genetivum explicant, qui simplicitatem et sinceritatem intelligunt, quae Dei sinceritati sit similis (*Pel.*), aut quae secundum Deum sit (*Cai.*), aut quae coram Deo valeat (*Est. Nat. Pic.*). Nam haec omnia complectitur explicatio nostra, quae divinam qualitatum originem indicari tenet quamque rectam esse, ex altero membro apparet, quod priori illustrationis causa opponitur : *in sapientia carnali,* i. e. in sapientia illa, quae ex carne peccato infecta et corrupta (cfr *ad* 1 *Cor.* 2,14) originem trahens astuta est et mendax et pro carnis mo-

1. Optimi quidem codd. graeci omnes legunt : ἐν ἁγιότητι (*VV. LL.*) et moderni critici omnes hanc lectionem adoptant (*Lachm. Treg. Tisch. WH.*); nihilominus lectionem textus recepti (ἐν ἁπλότητι) retinendam ducimus, non tantum quia plerorumque codd. graec. atque maxime *It.* et *Cyr.* auctoritate munitur, sed quia in se quoque aptior est. Etenim vox ἁγιότητος bis tantum in Scripturis, semel in Vet. Testam. (2 *Mach.* 15,2) et semel in Novo (*Hebr.* 12,10) legitur atque utroque in loco Dei ipsius sanctitatem significat, qui sensus nostrae sententiae *non* congruit; si sanctitatem exprimere voluisset, Paulus procul dubio ἁγιωσύνην (7,1) aut ἁγνότητα (6,6) aut ἁγνείαν (1 *Tim.* 4,12) elegisset, quae vocabula ei sunt usitata. Ceterum ipse contextus quoque pro vocabulo, cuius sensus latissime patet (sanctitas), aliud postulat, quod arctioris sit significationis et cum εἰλικρινείᾳ magis consonet. Facile quoque concipitur, sciolos librarios, quum quid hic esset ἁπλότης Θεοῦ (simplicitas Dei) *non* intelligerent, vocabulum elegisse, quod de Deo aptius praedicari putabant. — *Clementina lectio* (sinceritas *cordis*), quam genuinam non esse diximus (cfr *VV. LL.*), retineri potest, si duo substantiva ad modum germanici *Herzenseinfalt* in unam quasi ideam coalescere statuuntur; caveas autem, ne quis *simplicitatem* genetivo *cordis* eadem ratione atque *sinceritatem* genetivo *Dei* definiri putet, siquidem genetivus *Dei* non minus ad simplicitatem quam ad sinceritatem pertinet.

bilitate variabilis (cfr *v.* 17). Multi quidem sapientiae carnalis nomine eam designari putant, quam in priore epistola velut sapientiam hominum, huius saeculi etc. (1 *Cor.* 2,5. 6 etc.) sapientiae suae altiori Paulus opposuit quamque definiunt « sapientiam humano studio atque ingenio comparatam, cuiusmodi fuit sapientia philosophorum » (*Est.* etc. — *Heinr.* etc.); at recte iam monuit *Theod.* « carnalem sapientiam hic non dici eloquentiam, sed astutiam et calliditatem (πανουργίαν) ». Neque enim de doctrinis earumque tradendarum methodo, sed de conversationis integraeque vitae suae ratione (i. e. de sapientia practica) hic agit eamque, sicut simplicitati et sinceritati Dei, etiam gratiae Dei opponit : *non in sapientia carnali, sed in gratia Dei.* Quibus ultimis verbis genetivum *Dei* quasi explicans disertius divinam simplicitatis suae originem insinuat fonte indicato, ex quo eam hausit. Quod vero cum *Chrys.* nonnulli censent, nomine *gratiae Dei* designari virtutem, qua Apostolus Corinthi signa et miracula edidit, id a contextu longe abesse videtur. Iuxta conscientiae suae testimonium igitur summo cum animi candore, quem divinae gratiae debent, Paulus et Timotheus semper *conversati sunt in hoc mundo* (vel potius : *in mundo* ἐν τῷ κόσμῳ, ex *hoc* mundo enim erant egressi cfr ad 1 *Cor.* 1,20), *abundantius autem ad* (i. e. *apud* vel *inter*) *Corinthios;* quae verba non ita intelligere licet, ut minore cum simplicitate et sinceritate in aliis ecclesiis conversati sint, sed ut Corinthi diutius commorati plures sui candoris manifestandi occasiones habuerint atque plura sincerae suae conversationis argumenta Corinthiis praebuerint. Antiquiores plerique in hoc membro allusionem ad Apostoli gratuitam praedicationem deprehendunt (cfr *Chrys. Theod.* etc., *A*[ter] *Pel. Herv. Thom.* etc.); Corinthi enim a neophytis sustentationem non acceperat aliasque ecclesias exspoliare, quam Corinthios gravare maluerat (11,7 sqq.; 1 *Cor.* 9,1 sqq.).

At hunc candorem, quem maxime Corinthi manifestasset, adversarii negabant; quapropter Paulus ad neophytorum experientiam appellat : 13. *non enim alia scribimus vobis, quam quae legistis et cognovistis.* Pro duobus ultimis perfectis graeci codices omnes praesens exprimunt : ἢ ἃ ἀναγινώσκετε ἢ καὶ ἐπιγινώσκετε (*quam quae legitis aut etiam cognoscitis,* vel, si paronomasiam imitari volumus : quam quae legitis aut etiam intelligitis); latini codices variant : « vulgares, inquit *Est.,* habent : *legistis et cognovistis,* praestantiores : *legistis et cognoscitis,* pauci sed praestantissimi : *legitis et cognoscitis* »; antiqui interpretes latini plerique cum *Fuld.* sequuntur primam lectionem, quam *Clem. Vulg.* adoptavit (*Pel. Haym. Herv. Lomb. Thom. Lyr. Dion.* etc.), pauci cum *Amiat.* secundam (*A*[ter] *Prim.*); tertiam a quo-

quam explicatam non inveni. Consueta lectio latina facillima est aptumque praebet sensum : Paulus pro simplicitate sua et sinceritate, sive praesens docet sive absens scribit, idem semper est sibique constat; neque enim alia nunc *scribit* in hac epistola, quam quae Corinthii in prioribus eius literis iam *legerunt* aut ex eius praedicationibus *cognoverunt* vel didicerunt; ex eo igitur, quod Apostolus sibi in sua doctrina semper constiterit et constet, Corinthii ad eius candorem concludere possunt ac debent. Iamvero graeca lectio eodem sensu, opinor, explicari potest; quum enim priores Pauli epistolas manibus suis tererent atque praedicationis eius memoriam retinerent, neophyti etiam eo tempore, quo Apostolus hanc epistolam scripsit, priores epistolas *legere* praedicationemque eius *intelligere* recte dicuntur; praesentia igitur textus graeci eundem sensum exprimunt, quem praeterita textus latini.

Hac ratione *Chrys.* et *Theod.* lectionem suam graecam videntur intellexisse; prior enim haec habet : « Quoniam magnifica de se locutus erat sibique ipsi testimonium dixerat (id quod inopportunum erat), eorum quae dicit ipsos Corinthios testes appellat. Ne quis enim, inquit, existimet ea, quae a me dicuntur, verborum dumtaxat pompam esse; haec enim vobis commemoramus, quae vobis ipsis explorata sunt; quodque nos minime mentiamur, prae ceteris vos ipsi testes esse potestis. Legentes enim agnoscitis, quod ea, quae nos re ipsa praestitisse compertum habetis, per epistolas quoque dicimus : nec testimonium vestrum literis nostris repugnat, sed earum ipsarum lectioni consonat haec cognitio, quam antea de nobis habebatis » (συνᾴδει τῇ ἀναγνώσει ἡ γνῶσις, ἣν προλαβόντες εἴχετε περὶ ἡμῶν). Brevius *Theod.* ad sequentia verba Pauli simul attendens : « Neque enim, sicut aliqui conantur nos calumniari, alia quidem sentimus, alia vero praedicamus; et hoc testatur rerum experientia; quae enim praesens vos docui, haec et absens scribo et in omne deinceps tempus me praedicaturum esse spero ». Ad eundem fere sensum pervenire conatur *Est.* verbo ἀναγινώσκειν significationem *recordandi* tribuens : « Non sunt vana, quae scribo de recta et sincera mea apud vos conversatione. Vos ipsi mihi testes estis. Neque enim alia scribo, quam quae vos ipsi *recognoscitis*, i. e. quorum facile meminisse potestis, et quae etiamnum cognoscitis ». At verbum ἀναγινώσκειν, etsi a profanis sensu *cognoscendi* interdum usurpatur et a *Syr.* in nostro loco hoc sensu sumitur, in Novo Test. semper idem est quod *legere*, nec a quoquam umquam, sive profano sive sacro scriptore, pro *recordari* adhibitum legitur.

Moderni interpretes plerique, qui graecam lectionem explicant, supponunt adversarios Paulo obiecisse, quod in epistolis suis verum suum animum non proderet sed occultaret, atque hanc calumniam refutari. Verba igitur γράφομεν et ἀναγινώσκετε de eadem hac epistola intelligentes hac fere ratione interpretantur : « Verum meum animum in epistolis non occulto; scribentes enim nihil aliud in mente habemus praeter ea, quae vos ad primam lectionem in epistola deprehenditis aut ad meum docendi modum attendentes ex ea cognoscitis » vel « aut aliunde de me cognoscitis » (*Mai. Bisp.* etc. — *Heinr. Goeb* etc.). Cui explicationi id unum obstat, quod quid sibi haec sententia in hoc contextu velit non satis apparet. Namque causalis particula γάρ (*enim*) ostendit, Apostolum praecedentem assertionem (abundantius se Corinthiis

suam sinceritatem manifestasse) velle probare; atqui novum assertum, quum nemo sibi ipsi sit idoneus testis, sufficiens non esset argumentum, eoque minus sufficeret, quia de nova esset re, quae commemorata nondum erat.

Iam vero eundem suum candorem, quem hucusque ex parte cognoverint, Apostolus sperat a Corinthiis semper cognitum iri atque eos de se tamquam sincero et fideli magistro in die iudicii esse gloriaturos, sicut ipse de iis velut genuinis suis discipulis sit gloriaturus. Hic est sensus ultimae sententiae exordii : 14. *spero autem, quod usque in finem cognoscetis, sicut et cognovistis nos ex parte, quod gloria vestra sumus, sicut et vos nostra, in die Domini nostri Iesu Christi.* Duae sunt huius sententiae constructiones, quibus tamen sensus vix mutatur. *Vulgata Clem.* interpunctione sua, quam nonnulli iuniores interpretes approbant (*Est. Nat. Pic. M Ev. Mai.* etc. — *Rück. de W.* etc.), prima verba a sequentibus plane separat intimiusque praecedenti sententiae adiungit (non enim alia scribimus vobis, quam quae legistis aut cognovistis; spero autem quod et usque in finem cognoscetis) ita ut a verbis *sicut et cognovistis nos ex parte* quasi nova sententia inchoetur. At duobus incommodis haec constructio laborat : verbum *cognoscetis* (ἐπιγνώσεσθε) enim suo obiecto privatur, et verbo *cognovistis* (ἐπέγνωτε), quod in pronomine ἡμᾶς (*nos*) suum iam obiectum habet, alterum additur. Ad prius incommodum tollendum, monent quidem huius constructionis fautores, ex praecedentibus obiectum esse supplendum, sed id non nisi arbitrarie fieri, docet supplementorum propositorum varietas (epistolarum cogitationumque mearum consensum, aut sinceritatem meam, aut perseverantiam meam, aut genuinam meam agendi rationem etc.). Alterum paucissimi cum *A^{tro}* tollere conantur statuentes ultimum sententiae membrum (ὅτι καύχημα ὑμῶν ἐσμέν, quod [vel : quia] gloria vestra sumus) esse causale atque rationem afferre, cur Paulus a Corinthiis ex parte cognitus sit; quam rationem esse parum aptam, nemo non videt. Rectius igitur cum Graecis (*Chrys. Theod. Dam.* etc.) Latinisque plerisque (*Lomb. Thom. Cai. Iust. Bisp. L R. Dr. Ramb.* etc. — *Heinr. Goeb.* etc.) unam continuam sententiam agnoscimus, cui verba *sicut et cognovistis nos ex parte* parenthetice ita sunt inserta, ut a verbo *cognoscetis* obiectum (*quod gloria vestra sumus,* etc.) separent. Qua constructione admissa sensus est planus : spero fore, ut usque ad finem (vel vitae vestrae vel huius saeculi, i. e. semper) cognoscatis, me vestram gloriam in die ultimi iudicii futurum esse, sicut ex parte id iam nunc cognovistis. *Gloriam* (καύχημα) sese appellat Corinthiorum, quia sperat eos in die iudicii, quando omnia aperta sunt, de se velut sincero et genuino

Evangelii magistro esse gloriaturos; quod ne arrogantius dixisse videatur, vicissim eos appellat gloriam suam, quippe de quibus tamquam veris discipulis gloriaturus sit (cfr 1 *Thess.* 2,19; *Phil.* 2,16). Quo autem sensu eos *ex parte* cognovisse dicat, non satis constat. Plerique cum *Chrys.* imperfectam, quam nunc habeant, Apostoli cognitionem perfectae, quam in die iudicii habituri sint, opponi (cfr 1 *Cor.* 13,12.) censent (*Pel. Prim. Herv. Thom. Cai. Iust. Est. Nat. Mai.* etc. — *Goeb. Schn.* etc.); cui sententiae *Theod.* minus recte addit, Apostolum Corinthios pungere, quod calumnias adversus ipsum sparsas non omnino repulerint; vituperio enim in fine huius exordii non est locus. Vix minus probabilis est aliorum sententia, qui illo *ex parte* numerum eorum, qui Apostolum ita cognoverint, ut de eo velut sincero magistro glorientur, restringi censent (*Phot. Oec. Pic. M Ev. Bisp. L R. Dr. Ramb.* etc. — *Heinr. Kl Br.* etc.) : sicut et cognovistis me, sed non omnes. Priorem tamen sensum praefero, quia cum sequente sententia aptius congruit.

PARS PRIMA APOLOGETICA

CALUMNIARUM PSEUDAPOSTOLORUM REFUTATIO (1,15-7,16).

Ut apostolica Pauli auctoritate destructa errores suos facilius propagarent, iudaizantes eius adversarii Corinthi quoque, uti multis aliis in ecclesiis, calumniis sparsis famam eius lacerare inceperant. Velut hominem levem inconstantemque, qui temere ac pro arbitrio consilia doctrinasque variaret, velut doctorem superbum et arrogantem, qui se ipsum commendare non cessans fidelibus imperitare studeret, eum traduxerant continuisque suis criminationibus, quibus veritatis speciem verbis actionibusque eius maligne detorsis dabant, in nonnullorum animis suspiciones iam excitaverant. Quod quum rescivisset, Apostolus non cunctatus falsas illas incusationes, antequam Corinthum reverteretur, refutandas duxit, ne praesens in illos, qui nimis creduli calumniatoribus aures praebuissent, durius agere cogeretur. Itaque in hac prima epistolae parte calumniarum fundamentis destructis sese quum levitatis mutabilitatisque (1,15-2,17), tum arrogantiae ac superbiae (3,1-4,6) immerito incusari ostendit; fine deinde, quem in ministerio suo prosequitur, exposito causaque, qua in illo exercendo impellitur ac regitur, explicata omnem calumniarum ansam adversariis eripit (5,11-6,10); tenerrima demum exhortatione finem imponit apologiae suae neophytos rogans, ut sibi eundem amorem, quo eos amplectitur, rependant, eisque continuum suum amorem, quo eos semper dilexerit et nunc diligat, demonstrans (6,11-7,16).

§ 1. *De levitatis inconstantiaeque calumnia* (1,15-2,17).

Paulus Ephesi commorans, antequam de Corinthiorum schismatis, perversa in incestuosum indulgentia aliisque vitiis quidquam audiverat, per Corinthum in Macedoniam proficisci et ex Macedonia Corinthum reverti statuerat, idque etiam, ut videtur, in epistola deperdita fidelibus nuntiaverat. De tristi autem ecclesiae corinthiae statu certior

factus consilium itineris ita mutaverat, ut per Macedoniam in Achaiam proficiscens diutius Corinthi commorari posset (cfr 1 *Cor*. 16,5 sqq.). Iamvero haec consilii mutatio adversariis Apostoli ansam praebuerat primae calumniae : qui enim in consiliis capiendis levis et mutabilis esset, eum in doctrinis quoque tradendis sibi non constare criminabantur. Contra quae Paulus exposito calumniae fundamento perfectam suam in docendo constantiam asserit ultimam eius rationem innuens (1,15-22); testem deinde invocans Deum explicat, cur pristinum itineris consilium mutaverit (1,23-2,11), continuamque suam erga Corinthios caritatem manifestans gratias agit Deo, a quo tamquam fidelis et sincerus minister approbatus sit (2,12-17).

1. — *Levitatis calumniae Paulus constantiae suae assertionem opponit* (1,15-22).

1,15. ***Et hac confidentia volui prius venire ad vos, ut secundam gratiam haberetis : 16. et per vos transire in Macedoniam, et iterum a Macedonia venire ad vos, et a vobis deduci in Iudaeam. 17. Quum ergo hoc voluissem, numquid levitate usus sum? Aut quae cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me*** EST ***et*** NON? 18. ***Fidelis autem Deus, quia sermo noster qui fuit apud vos, non est in illo*** EST ***et*** NON. 19. ***Dei enim Filius Iesus Christus, qui in vobis per nos praedicatus est, per me, et Silvanum, et Timotheum, non fuit*** EST ***et*** NON, ***sed*** EST ***in illo fuit***. 20. ***Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo*** EST : ***ideo et per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram***. 21. ***Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus : 22. qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris***.

1,15. Καὶ ταύτῃ τῇ πεποιθήσει ἐβουλόμην πρότερον πρὸς ὑμᾶς ἐλθεῖν, ἵνα δευτέραν χαρὰν σχῆτε, 16. καὶ δι' ὑμῶν διελθεῖν εἰς Μακεδονίαν καὶ πάλιν ἀπὸ Μακεδονίας ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς καὶ ὑφ' ὑμῶν προπεμφθῆναι εἰς τὴν Ἰουδαίαν. 17. τοῦτο οὖν βουλόμενος μή τι ἄρα τῇ ἐλαφρίᾳ ἐχρησάμην; ἢ ἃ βουλεύομαι, κατὰ σάρκα βουλεύομαι, ἵνα ᾖ παρ' ἐμοὶ τὸ ναὶ ναὶ καὶ τὸ οὒ οὔ; 18. πιστὸς δὲ ὁ Θεός, ὅτι ὁ λόγος ἡμῶν ὁ πρὸς ὑμᾶς οὐκ ἔστιν ναὶ καὶ οὔ. 19. ὁ τοῦ Θεοῦ γὰρ υἱὸς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἐν ὑμῖν δι' ἡμῶν κηρυχθείς, δι' ἐμοῦ καὶ Σιλουανοῦ καὶ Τιμοθέου, οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὔ, ἀλλὰ ναὶ ἐν αὐτῷ γέγονεν· 20. ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι Θεοῦ, ἐν αὐτῷ τὸ ναί. διὸ καὶ δι' αὐτοῦ τὸ ἀμὴν τῷ Θεῷ πρὸς δόξαν δι' ἡμῶν. 21. ὁ δὲ βεβαιῶν ἡμᾶς σὺν ὑμῖν εἰς Χριστὸν καὶ χρίσας ἡμᾶς Θεός, 22. ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς καὶ δοὺς τὸν ἀρραβῶνα τοῦ πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν [1].

1. ***VV. LL.*** — 15. ἐβουλόμην πρότερον πρὸς ὑμᾶς ἐλθεῖν (volui prius ad vos venire) **B A C M P, satis multi minusc.,** ***It.***, ***Syr.***, ***Arm.***; alii testes in ordine variant (πρότερον **ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς aut** πρὸς ὑμᾶς ἐλθεῖν πρότερον), sed sensus non mutatur, quum **adverbium πρότερον omnibus in lectionibus** cum verbo ἐλθεῖν connectendum sit. — χαράν **(gaudium)** B L P, **pauci minusc.** et PP.; reliqui omnes χάριν (*gratiam*); **adnotat** ***Chrys***. **nomine gratiae hic** gaudium designari. — 16. διελθεῖν (*transire*) B ℵ C E K L, **plerique minusc.,** ***It.***, ***Vulg.***, ***Syr.*** etc.; alii minus apte ἀπελθεῖν (proficisci). — 17. **βουλόμενος (volens vel** ***quum voluissem***) B ℵ A C F G P, satis multi minusc. et PP., ***Vulg.***, ***Copt.***; **sed** ***textus rec.*** : βουλευόμενος (cogitans) cum D E K, plerisque minusc., ***It. Syr. Arm.*** — **τὸ ναὶ ναὶ καὶ** τὸ οὒ οὔ (Est Est, Non Non) est communis lectio; **paucissimi tantum minusc.** cum ***Vulg***. omittunt alterum ναί et οὔ alterum. — **18. οὐκ**

Incipit Apostolus a pristino itineris consilio commemorando, ex cuius mutatione adversarii suam levitatis incusationem desumebant (15-17); contra quam calumniam fortiter asserit suam in docendo constantiam (*v.* 18), quae ipsius trini Dei veracitati innitatur (19-22).

In exordii fine Apostolus suam defensionem iam praeparavit, quum simplicitatis sinceritatisque divinitus sibi datae, qua omnis mutabilitas ex carnis affectibus exorta excluditur, testes Corinthios ipsos citaret, atque ad eam transiit spe fiduciaque expressa fore, ut bonam opinionem, quam de se tamquam sincero Evangelii praecone ex parte concepissent, usque in finem retinerent; etenim huic fiduciae prius, quod postea mutare coactus erat, itineris consilium innitebatur. 15. *Et hac confidentia* (nimirum quod de me semper sitis gloriaturi) *volui prius* (quam irem in Macedoniam) *venire ad vos, ut secundam gratiam* (me ex Macedonia ad vos revertente) *haberetis,* 16. *et per vos transire in Macedoniam et iterum a Macedonia venire ad vos, et a vobis deduci in Iudaeam.* Rerum statum, qui ad hunc locum intelligendum supponatur necesse est, ea ratione, quam supra indicavimus, accurate iam *Thom.* explicat, quocum iuniores plerique consentientes duo itineris consilia, quae inter se pugnaverint, a Paulo cum Corinthiis communicata esse admittunt : prius, de quo hic agitur, per epistolam deperditam aut per nuntium, alterum in praecedente epistola (1 *Cor.* 16,5 sq.) eis annuntiavit; iuxta prius Epheso per Corinthum in Macedoniam et ex Macedonia iterum per Corinthum in Iudaeam iter faciens neophytos bis in transitu videre voluit; iuxta alterum, quod revera exsecutus est (cfr *Act.* 19,21 ; 20,1 sqq.), Epheso per Macedoniam in Achaiam tendere sibi proposuit, ut Corinthi diutius commoratus ecclesiae res perturbatas in meliorem statum redigeret (cfr *Cai. Est. M Ev. Mai. Bisp.* etc.).

A qua sententia Graeci (*Chrys. Theod. Oec. Theoph.*) aliique nonnulli (*Salm. Iust. Nat. Pic.* etc.) recedunt, qui Paulum nostro in loco de proposito mere interno loqui censent, quod habuerit eodem tempore, quo verba 1 *Cor.* 16,5 sqq. scripsit : « neque enim dixit : *scripsi* per vos me transiturum in Macedoniam, sed : *volui;* etiamsi enim non sic scripsi, inquit, studebam tamen et volebam venire ad vos, prius-

ἔστιν (*non est*) B ℵ A C D F G P, pauci minusc., *It. Vulg. Copt. Goth. Arm.*; sed *textus rec.* οὐκ ἐγένετο (non fuit vel non factus est) cum K L, plerisque minusc., *Syr. Aeth.* — 20. διὸ καὶ δι' αὐτοῦ (*ideo et per ipsum*) B ℵ A C F G P, pauci minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Arm.*; minus apte *textus rec.* : καὶ ἐν αὐτῷ (et in ipso) particula διό omissa cum E K L, plerisque minusc. et PP., *Syr.* (codd.). — πρὸς δόξαν δι' ἡμῶν (ad gloriam per nos) est communis et certa lectio; sed πρὸς δόξαν ἡμῶν (*ad gloriam nostram*) C L O, paucissimi minusc. et *Vulg.*

quam Macedoniam inviserem » (*Chrys.*). At si de proposito mere interno agitur, quod hoc solo in loco Paulus patefacit, nec quomodo mutabilitatis ab adversariis incusari potuerit intelligitur, nec cur huius interni propositi mutationem tam studiose vindicare (*v.* 23 sqq.) voluerit. Priore igitur in explicatione standum est, de duabus itineris promissionibus inter se pugnantibus agi. Ac revera in praecedente epistola novum suum consilium Corinthiis annuntians Apostolus ad pristinum, quod mutaverit, satis aperte alludit : prioris enim epistolae verba : nolo vos modo *in transitu* videre (1 *Cor.* 16,7) a Corinthiis intellecta non essent, nisi Paulus eis antea promisisset, se eos *in transitu* esse visurum. Id autem fecerat, quando propositum, de quo hic agitur, cum eis communicaverat; iuxta illud enim bis quidem, sed in transitu tantum, in Macedoniam proficiscens et ex Macedonia revertens, eos vidisset.

Porro ut ad reliqua veniamus, bis in transitu eos videre voluerat, *ut secundam gratiam haberent;* sciebat enim se in abundantia benedictionis Evangelii ad eos esse venturum suoque adventu eis aliquid gratiae spiritualis allaturum esse (cfr *Rom.* 15, 29; 1,11); iure merito igitur tamquam finem itineris gratiam, quam habituri sint, indicat; neque recte *Chrys.* aliique χάριν hoc loco χαράν significare dixerunt; nusquam enim in Novo Test. vocabulum χάριτος sensu gaudii adhibetur. At cur de *secunda* gratia loquitur? Iuxta *Pel.,* quem haud pauci sequuntur (*Herv. Thom. Dion. Cai. Est. M Ev.* etc. — *Wolf. Beng. Ros.* etc.) sensus verborum est, « ut ex secundo meo adventu secundam gratiam acciperetis, qui dudum accepistis primam, quando primum istuc veniens ad fidem vos converti »; at iter, cuius consilium Paulus hic exponit, est tertium, quod Corinthum suscepit (12,14; 13,1); tertiam igitur, minime vero secundam, gratiam adventum suum nominare debuisset. *Chrys.* primam gratiam Corinthios per has literas accepisse putat, cui velut secunda accessura sit ipse Pauli adventus (cfr etiam *A*[ter] *Lomb. Lap.* etc. — *Fl. Bl.* etc.); at haec secunda gratia ita enuntiatur, ut itineri, de quo sermo est, omnino propria et peculiaris fuisse sit dicenda. Quamobrem sola *Theod.* sententia adoptari potest, quam cum *Iust.* plerique moderni approbant (*Pic. Bisp. Mai. Dr.* etc. — *Mey. Goeb.* etc.) quamque supra iam indicavimus. Si consilium itineris pristinum exsecutus esset, Paulus per Corinthum in Macedoniam iter faciens neophytis primam gratiam quandam attulisset, ex Macedonia autem per Corinthum in Iudaeam revertens alteram priori addidisset; itaque *v.* 16. est explicatio praecedentis sententiae atque particula καί (*et*), a qua inchoatur, est epexegetica (*et quidem,* vel *nimirum*), ita ut duo membra secundae sententiae prioribus ex ordine

respondeant (prius venire ad vos : per vos transire in Macedoniam; — secundam gratiam afferre : iterum a Macedonia venire ad vos).

Quod consilium Apostolus, quum illud de bona Corinthiorum erga se voluntate confisus ceperat, de eorum schismatis aliisque vitiis certior factus mutare debuerat, quia diuturniorem commorationem ad ecclesiae corinthiae statum ordinandum requiri vidit. Qua mutatione in praecedentibus literis annuntiata adversarii eius abutebantur, ut eum utpote virum levem, qui in agendi sua ratione carnalibus affectibus regeretur, etiam in docendi ratione fidem non mereri criminarentur. Quod immerito fieri duabus interrogationibus ostendit, quarum prior de unico facto agens (attende ad aoristum τῇ ἐλαφρίᾳ ἐχρησάμην) calumniae fundamentum, altera totam vitae rationem respiciens (attende ad praesens κατὰ σάρκα βουλεύομαι) calumniam ipsam negat : 17. *quum ergo hoc voluissem* (rectius : *vellem* βουλόμενος), sed postea consilio ob sufficientem rationem mutato executioni non mandarem, *numquid levitate usus sum? Aut quae cogito* (decerno βουλεύομαι) *secundum carnem cogito, ut sit apud me* Est et Non eodem tempore ac pro arbitrio? Qui secundum spiritum res considerat ac decernit, ad ea quae Deus vult sola attendit illaque, quae Deum velle certe cognovit, sibi proponit omnique cum studio exsequitur; sibi igitur semper constabit neque pro libitu rem affirmabit aut negabit nec in suis promissionibus aliud cogitat aliud dicit. Qui vero secundum carnem decernit, quia carnalibus affectibus, qui mobiles variabilesque sunt, obsequitur nihilque nisi sua commoda, quae etiam variabilia sunt, assequi conatur, mutabilis sit necesse est, atque eodem tempore rem affirmabit aut negabit, prout eam suae utilitati temporali servire aut non servire putat.

Graeci interpretes, quum in suis codicibus particulas ναί et οὔ duplicatas habeant (ἵνα ᾖ παρ' ἐμοὶ τὸ ναὶ ναὶ καὶ τὸ οὒ οὔ), sententiam ita construunt, ut prior sit subiectum, altera praedicatum (ἵνα παρ' ἐμοὶ τὸ ναὶ ᾖ ναὶ καὶ τὸ οὒ ᾖ οὔ ut apud me Est sit Est et Non sit Non), atque obstinationis vitium a Paulo his verbis negari censent. « Duo, inquit *Theod.*, contraria posuit, quorum prius hoc est : Non sum levis nec animus meus levi momento mutatur, ut nunc quidem hoc, nunc vero illud eligam. Secundum autem hoc est : sed neque animi passionibus ita servio, ut omni modo cupiditatem meam expleam. Hoc enim significant verba : aut quae cogito, secundum carnem cogito, ut apud me Est sit Est et Non sit Non? Nam qui carnis cupiditates sequitur, a propriis rationibus, etiamsi absurdissimae sint, abripitur; qui vero prudenter consultat, etiam bonum consilium, quod cepit, non exsequitur, si illud aliis non expedire videt » (cfr *Chrys. Oec. Theoph.* — aliqui acath. *Beng. Billr.* etc.). Quod si ad *Iac.* 5.12 (ἤτω δὲ ὑμῶν

τὸ ναὶ ναὶ καὶ τὸ οὔ οὔ vestrum autem *Est* sit *Est* et *Non* sit *Non*) respicimus, Graecorum constructionem per se aptam esse patet, neque negamus, hominem carnalibus suis affectibus non minus ad obstinationem quam ad levitatem adduci posse. Nihilominus toto contextu explicatio Graecorum excluditur : neque enim de obstinationis calumnia Apostolus in tota reliqua epistola usquam agit, atque hoc loco, quum in immediate praecedente interrogatione tum in immediate sequente assertione, de levitate sola loquitur. Itaque duplicationem particularum ναί et οὔ ob vehementiorem affectum adhibitam esse rectius dicemus (cfr *Matth.* 5,37); in sequente enim argumentatione eas non amplius iterat.

Duae interrogationes ita sunt propositae, ut negativum responsum postulent; recte autem eas negari Apostolus demonstrat, sed ordine inverso; fundamentum enim calumniae, mutatum itineris consilium, interim praetermittens, ut ad illud postea (*v.* 23 sqq.) revertatur, calumniam ipsam praeprimis aggreditur ab asserenda sua in docendo constantia exorsus : 18. *Fidelis autem Deus, quia sermo noster qui fuit apud vos* (rectius : *sermo noster ad vos* ὁ λόγος ἡμῶν ὁ πρὸς ὑμᾶς) *non est in illo* Est *et* Non. Duobus vocabulis (*in illo*), quae cum omnibus graecis codd. versiones omnes atque ipsa quoque *It.* omittunt, insertis Vulgata sensum quidem non mutavit, sed sententiam anacoluthicam reddidit; melius cum *A^tro* legimus : *Fidelis autem Deus, quia sermo noster apud* (ad) *vos non est* Est *et* Non. Porro duae sunt apud modernos huius asserti explicationes, quas ambas iam *Thom.* velut probabiles proponit. Secundum alios enim Apostolus iureiurando constantiam suam confirmat : « per Dei fidem (vel : fidelis Deus mihi testis est, quod) sermo noster ad vos non est *Est* et *Non*, ita ut idem asseramus aut negemus, prout carnales affectus nos impellunt » (*Mai. Bisp. Dr. Ramb.* etc. — *de W. Kl Br. Goeb.* etc.); similes enim iuramenti formulas alibi quoque ab eo adhiberi monent (11,10 ἔστιν ἀλήθεια Χριστοῦ ἐν ἐμοί, ὅτι κτλ. *Rom.* 14,11 ζῶ ἐγώ, ὅτι κτλ). Cui explicationi, quamvis per se apta sit, cum aliis tamen (cfr *M Ev. LR.* etc. — *Mey. Heinr.* etc.) alteram, quae inter antiquiores communis fuit, praeferimus, ita ut fidelitas Dei velut ultima ratio apostolicae constantiae afferatur; haud infrequens enim est apud Paulum formula πιστὸς ὁ Θεός (fidelis est Deus cfr 1 *Cor.* 1,19; 10,13; 1 *Thess.* 5,24 etc.) neque vero usquam ab eo in iuramentis adhibetur. Iam quomodo fidelitas Dei sit constantiae paulinae fundamentum, apte explicat *Thom.* : « fidelis Deus servat sua promissa; promiserat autem mittere ad vos praedicatores veritatis, et ideo quum ab eo ad vos sim missus, sermo noster ad vos non est *Est* et *Non*, i. e. non est in eo falsitas » vel potius mutabilitas; fidelis ergo esse apparet Deus in eo, quod sermo

noster ad vos non sit variabilis (πιστὸς ὁ Θεὸς εἰς ἐκεῖνο, ὅτι κτλ).

Nomine *sermonis* sola intelligenda est Pauli praedicatio, si hodiernam *Vulg.* (sermo qui *fuit* apud vos) aut *textum rec.* graecum sequimur (ὁ λόγος ἡμῶν ὁ πρὸς ὑμᾶς οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὔ); sin vero meliores codices latinos (*Fuld. Am.* etc. : sermo qui *fit* apud vos) aut graecos (ὁ λόγος ἡμῶν ὁ πρὸς ὑμᾶς οὐκ ἔστιν ναὶ καὶ οὔ) sequimur, sermo latiore sensu de tota Apostoli ratione loquendi intelligi *potest,* ut praeter praedicationem etiam eius promissiones, assertiones etc. complectatur. At arctiorem sensum esse praeferendum, docet sequens argumentatio, quae Apostolum in doctrina non variare duplici ex capite demonstrat; argumentum enim apostolicae praedicationis in se est verissimum et immutabile (19. 20), atque praedicatores ipsi multiplici auxilio divino sunt confirmati ab omnique mutatione conservantur immunes (21. 22).

Incipit igitur ab immutabili praedicationis argumento : 19. *Dei enim Filius, Iesus Christus, qui in vobis per nos praedicatus est, per me et Silvanum et Timotheum, non fuit* EST *et* NON, *sed* EST *in illo fuit.* Explicationi iuverit praenotasse, qua ratione Paulus in hac epistola pronomina variet interdum plurali (*nos*) interdum singulari (*ego*) usus. Quia duo sunt epistolae auctores, Paulus et Timotheus, pronomen plur. per se adhiberi debuit, atque revera in exordio (*v.* 3 sqq.). multisque aliis in locis ita adhibetur, ut ad utrumque referatur oporteat; quia tamen Paulus est auctor primarius, qui individuum suum discipulum quasi testem dumtaxat et fideiussorem defensionis suae sibi associavit, illis quoque in locis de magistro potius quam de discipulo pronomen (*nos*) intelligendum est; id quod facile apparet, si attendimus, eadem in sententia eum aliquoties a singulari ad pluralem transire (11,6. 12. 21 etc.). Singulari enim utitur saepissime, quum interdum suam solius persuasionem exprimere velit ac frequenter, ut adversariorum calumnias refutet, suam solius rationem agendi explicare et vindicare debeat (cfr 1,13. 15-17. 23; 2,1-10. 12. 13 etc.). Alii vero sunt loci, in quibus pronomine plur. (*nos*) praeter Timotheum simul alterum quendam ex discipulis, uti hic Silvanum, aut omnes Apostolos operariosque evangelicos, quin etiam omnes fideles secum complectitur. Neque vero sine ratione illud pronomen *nos* hic accuratius explicavit cooperariis suis enumeratis, quibuscum ecclesiam corinthiam fundaverat (*Act.* 18,5 [1]); argumentum enim praedicationis nec

1. Licet Graeci in suis Menologiis (die 30. Iulii) Silvanum et Silam pro duobus discipulis habeant, hodie tamen nemo dubitat, quin duplici hac eiusdem nominis forma idem Pauli socius designetur. Ab Apostolis, ut decretum concilii apostolici deferret, una cum Iuda Barsaba Antiochiam missus (*Act.* 15,22-32) a Paulo socius secundae expeditionis apostolicae

mutari nec variare insinuat, sive ab hoc sive ab illo annuntiatur. Clarius tamen illud mutationi non esse subiectum illius descriptio docet. *Dei Filius enim* (ὁ τοῦ Θεοῦ γὰρ Υἱός) *Iesus Christus* est solum integrumque apostolicae praedicationis argumentum (cfr ad 1 *Cor.* 2,2); atqui Christus, utpote Dei Filius (magna cum emphasi enim, maxime iuxta textum graecum, in quo particula γάρ non nisi quartum locum occupat, ab hoc titulo sententia inchoatur, quia in eo tota veritatis et immutabilitatis ratio fundata est) *non fuit* vel potius *non factus est* (οὐκ ἐγένετο) EST *et* NON, ut idem in eo affirmaretur et negaretur, *sed* merum EST, quod mutari aut variare plane nequit, *in illo fuit,* vel potius *factum est* (γέγονεν); verissimum ergo et plane immutabile est praedicationis argumentum, atque Deus pro sua fidelitate invigilare debet, ut hoc argumentum sine ulla falsitate et variatione annuntietur.

Qua vero ratione Iesus Christus factus sit merum EST, in quo nulla adsit negatio, Apostolus explicat : 20. *quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo* (*factae sunt,* γεγόνασιν, hoc enim verbum ex praecedente γέγονεν suppleatur oportet) EST, *ideo et per ipsum* AMEN *Deo ad gloriam nostram,* vel rectius : *Deo ad gloriam per nos* (cfr *VV. LL.*). Promissiones Dei (ἐπαγγελίαι Θεοῦ), uti plerumque apud Paulum (7,1; *Rom.* 9,4; *Gal.* 3,16. 21; *Hebr.* 6,12; 7,6; 11,13. 17 etc.), hic intelliguntur illae, quae de Messia eiusque regno patriarchis iam factae atque per prophetas filiis Israel semper clarius et accuratius sunt propositae. Iam vero illae omnes sine ulla exceptione (*quotquot promissiones Dei sunt*) in Christo factae sunt EST, « i. e. in illo exhibitae, in illo adimpletae sunt » (*S. Aug.* c. Faust. XIX. 7), vel si mavis : ipso eventu in illo comprobatae sunt; in tota enim hoc contextu graeca particula ναί, quae latino EST redditur, non tam est nude affirmantis, quam asseverantis et confirmantis; impletione autem promissiones quam maxime confirmantur et comprobantur. Quia autem in Christo verae esse apparuerunt, *ideo et per eum* fideles illarum habent certitudinem, ita ut illis AMEN acclamare possint *ad gloriam Deo* (qui illas in Christo adimplevit) idque *per nos,* quatenus per nostrum ministerium promissiones ipsae illarumque in Christo

est electus (*Act.* 15,40). Cum eo igitur macedonicas ecclesias fundavit atque Philippis pro nomine Domini vincula et flagella est perpessus (*Act.* 16,19 sqq.); in Macedonia, ut neophytos consolaretur, relictus paucis mensibus postea Corinthi iterum se Paulo adiunxit et ab eo auctor secundarius epistolarum ad Thessalonicenses est adhibitus (1, 2 *Thess.* 1,1). Postea nec in Actibus nec in Pauli epistolis (excepto hoc loco) nominatur; probabile est, eum epistolam ad Galatas detulisse et ecclesiis Asiae Min. eadem ratione a Paulo esse praepositum, qua Titus cretensibus, Timotheus ecclesiis provinciae Asiae posthac praefecti sunt. Revera S. Petrus in priore sua epistola, quae ecclesiis Asiae Min. destinata est, eum ita nominat, ut auctoritatem magnam inter asiaticos neophytos habuisse videatur.

adimpletio eis annuntiatae sunt et annuntiantur. Procul dubio Paulus liturgicum usum prae oculis habuit, iuxta quem plebs episcopo preces praeeunti *Amen* acclamat, ut eas approbet suasque faciat (cfr 1 *Cor.* 14, 16); atqui promissionibus in Christo adimpletis acclamat *Amen*, qui illas per Apostolorum ministerium sibi annuntiatas firma fide amplectitur et profitetur. Quodsi quis lectionem *Vulg.* retinere velit, explicare poterit : ideo et per Christum fideles dicunt *Amen* profitentes suam fidem in Deum, qui promissiones implevit (*ideo et per ipsum Amen Deo*) *ad nostram* i. e. Apostolorum *gloriam*, per quos ad fidem pervenerunt; « quia gloria nostra est conversio vestra, seu gloria nostra est ostendere et praedicare verbum Dei » (*Thom.*).

Haec duarum sententiarum (19. 20) explicatio, si varietates minoris momenti praetermittimus, communior inter modernos dici potest (cfr *M Ev. Bisp. L R. Ramb.* etc. — *Mey. Heinr. Goeb.* etc.), nititur autem interpretationi Latinorum mediae aetatis, qui in nonnullis tantum vocabulis explicandis minus accurati sunt (cfr *Haym. Herv. Lomb. Thom.* etc.). Ita enim *Haym.* : « Quia Iesus Christus Filius Dei est, non fuit in eo EST et NON, i. e. mutabilitas aliqua aut veritas cum mendacio, sed EST, i. e. veritas, in eo fuit, sicut ipse dixit : Ego sum veritas. Quotquot enim promissiones Dei Patris factae sunt per prophetas de nativitate Christi, passione, resurrectione et ascensione, de salute quoque gentium, in illo EST, i. e. in Christo impletae sunt veraciter, qui semper Esse habet, et in illo est veritas promissionum. Unde ipse dixit pendens in cruce : Consummatum est, i. e. completa sunt omnia, quae de me praedicta erant. Ideo et per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram. Quia in Christo veraciter impletae sunt illae promissiones, per Christum *Amen*, i. e. veritas, Deo tribuenda est ad gloriam nostram, quia sumus eius apostoli et ministri » etc.

In priore sententia (*v.* 19) explicanda reliqui quoque interpretes fere consentiunt; pauci tantum iuniores (*Iust. Nat.* etc.) cum *Chrys.* aliisque Graecis nomine *Iesu Christi Filii Dei* doctrinam vel praedicationem de Christo intelligendam esse censent : « pro praedicatione illum posuit, qui praedicatus est; dicit autem : sermo, quem praedicavimus de Dei Filio ego et Silvanus et Timotheus, nullam omnino habuit dissensionem » etc. (*Theod.*). Quam explicationem parum esse rectam nec tropice hoc loco sumi posse nomen Iesu Christi, evidenter docet sententia sequens, quum promissiones non in doctrina de Christo, sed in Christo adimpletae sint.

Maior in altera sententia (*v.* 20) est opinionum varietas. Alii enim promissiones Dei, quae in Christo factae sint EST, illas intelligunt, quae in evangelica praedicatione continentur : « mortuorum resurrectio, corporis incorruptio, vita aeterna, regnum coelorum » (*Theod.*). « Omnes Dei promissiones, inquit *Est.*, quascumque vobis annuntiamus, *per* Christum sunt ratae, validae et immutabiles, quia per eum complentur, sive quatenus est Filius Dei, per quem omnia facta sunt, sive quatenus homo, per cuius meritum Deus in nobis implet sua promissa » (cfr *Chrys. Theod. Theoph. Iust. Est. Nat.* etc.). Quae explicatio, licet contextui adaptari possit, minus tamen est probabilis; uti enim iam diximus, ad sententiam : ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι θεοῦ, ἐν αὐτῷ τὸ ναί, ex praecedente (ἀλλὰ ναὶ ἐν αὐτῷ γέγονεν) supplendus est aut pluralis γεγόνασιν (promissiones Dei in eo *factae sunt* EST ἐπαγγελίαι γεγόνασιν τὸ ναί) aut singularis γέγονεν (promissionum Dei in eo facta est confirmatio γέγονεν τὸ ναί); neque

satis recte suppletur verbum εἰσίν (promissiones in Christo *sunt* Est). — Neque recte lectionem *textus rec.* : ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι θεοῦ, ἐν αὐτῷ τὸ ναὶ καὶ ἐν αὐτῷ τὸ ἀμήν cum *Chrys.* aliisque Graecis multi iuniores (*Cai. Est. Pic. Mai.* etc.) ita sequuntur, ut duobus membris unum idemque significari censeant : « Ut ipsa repetitione rem magis confirmet, affirmationem per adverbium graecum ναί (Est) iam declaratam repetit velut obsignans affirmatione significata per hebraicum Amen, i. e. fiat firmumque sit » (*Est.*). Neque enim lectio ipsa probabilis est (cfr *VV. LL.*) neque eius sensus est aptus. — Neque recte in ultimo membro latino (*ideo et per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram*) aliqui moderni inserunt verbum : *dicimus* (per ipsum dicimus Deo Amen), atque multo minus recte ex hac lectione colligunt, apostolico iam tempore eadem, qua hodie, formula (per Dominum Iesum Christum etc.) preces liturgicas esse terminatas (*Dr. Ramb.* etc.). Illud enim verbum (dicimus), quod antiquitus in nonnullis codicibus latinis legebatur, non de textu, sed de glossa esse, recte iam monuit *Haym.*; neque ullo modo pro subiecto huius verbi fideles omnes intelligi possunt (nos fideles omnes dicimus Amen Deo per Christum), sed sive graecum textum (δι' ἡμῶν) sive latinum (ad gloriam nostram) retinemus, prima illa persona plurali soli Apostoli designantur, id quod verba immediate sequentia evidenter docent (qui autem confirmat *nos vobiscum* etc.).

Argumentum igitur apostolicae praedicationis verissimum est et immutabile; sed praedicatores ipsi quoque, utpote auxilio divino confirmati, in tradenda doctrina mutationi non sunt obnoxii; ita enim Paulus pergit per particulam δέ (*autem*) ad alteram argumentationis suae partem transiens : 21. *qui autem confirmat* (ὁ δὲ βεβαιῶν) *nos vobiscum in Christo* (lege : *in Christum* [1]) *et qui unxit nos* (est) *Deus,* 22. *qui et signavit nos et dedit pignus* (lege : *arrham* ἀῤῥαβῶνα) *Spiritus in cordibus nostris.* Ad constructionem sententiae quod attinet, subiectum est ὁ βεβαιῶν καὶ χρίσας (*qui confirmat et qui unxit*), praedicatum vero θεός (*Deus*) cum sua appositione (ὁ καὶ σφραγισάμενος καὶ δούς *qui et signavit et dedit*); verbum autem ἐστίν (*est*) inter subiectum et praedicatum suppleatur oportet (cfr 5,5). Totam enim firmitatem quum operariorum apostolicorum tum fidelium a Deo dependere ostendit, qui solus homines mutabiles *confirmare*, i. e. constantes stabilesque reddere (de hac verbi βεβαιοῦν significatione cfr 1 *Cor.* 1,8; *Col.* 2,7; *Hebr.* 13,19), potest ac revera auxilio suo continuo (attende ad partic. praes. ὁ βεβαιῶν) utrosque corroborat, ut semper *in Christum* tendentes fide et caritate ei constanter inhaereant, vel iuxta *Chrys.* : « utrosque ita confirmat, ut eos a fide in Christum dimoveri non sinat ».

At non eadem ratione Deus Apostolos et fideles confirmat; illos enim adiuvat, ut in doctrina tradenda nec vacillent nec varient, hos vero corroborat, ut acceptam doctrinam firmiter retineant. Namque Paulus, licet in primo membro sibi Corinthios, vel potius se Corinthiis

1. Ita cum graeco textu consentientes legunt meliores codices *Vulg.* (*Amiat.* etc.).

(*nos vobiscum*) adiungat, non tantum ut eos sibi in hac defensione benevolos reddat (*Est.*), sed maxime ut eos velut testes immutabilitatis habeat, in tribus tamen sequentibus membris, in quibus quasi fundamentum istius confirmationis describit, de solis apostolicis operariis loquitur (unxit *nos*, signavit *nos*, in cordibus *nostris*). Ad contextum autem non satis attenderunt, qui in his quoque membris ex primo illud σὺν ὑμῖν (*vobiscum*) suppleri posse (*Est.*) aut debere (*Mai.*) putarunt; sese enim suosque socios ab inconstantiae calumnia vindicare vult. Quam ob causam a vero quoque aberrasse censendi sunt aliqui antiquiores (*Pel. Prim. Haym.* etc.) et moderni (*Dr. Ramb.* etc.), qui in secundo membro (*qui unxit nos*) allusionem ad confirmationis sacramentum vident[1]. Neque interpretem, sed oratorem egit *Chrys.*, quum in fine homiliae ad exhortationem transiens omnes Christianos in baptismo reges sacerdotes prophetas ungi et creari dixit; immediate antea enim verba de solis apostolicis operariis recte erat interpretatus; quapropter accommodatio illa, qua ad exhortationem utitur, iunioribus interpretibus, qui verba Apostoli literali sensu de unctione Spiritus S. in baptismo intelligere volunt (*Theoph. Haym. Herv. Dion. Iust.* etc)., non patrocinatur. Iamvero verbum χρίειν (*ungere*) ab Alexandrinis quidem ad externam illam illitionem designandam adhibetur, qua in vetere oeconomia reges summique sacerdotes atque interdum prophetae quoque inaugurabantur simulque internis donis ad munera sua theocratica rite exercenda divinitus instruebantur (1 *Reg.* 9,16 etc.; *Exod.* 40,13 etc.; 3 *Reg.* 19,16), at in Novo Test. dumtaxat tropice ita usurpatur, ut Deus solus χρίειν (ungere) dicatur ac proin materialis illitio excludatur[2]. Atque paucos tantum Deus χρίσαι (*unxisse*) refertur; praeter Iesum enim (*Luc.* 4,18 *cfr Is.* 61,1; *Act.* 4,27; 10,38; *Hebr.* 1,9 cfr *Ps.* 44,8), qui est Unctus (*Christus*) κατ' ἐξοχήν, siquidem « exultationis oleo eum prae consortibus eius perfudit humanitatem divinitate ita ungens, ut utramque faceret unum » (*S. Greg. Naz.* Or. 10,4), Paulum sociosque eius dumtaxat a Deo unctos esse hoc in loco legimus. Atqui ex hoc tam

1. Quo fundamento nixus *Ramb.* asserat : « Le *sentiment commun* applique ces deux verbes (unxit... signavit) au sacrement de confirmation », ignoro.

2. Latinum verbum *ungere* in Novo Test. quatuor verbis graecis respondet : ἀλείφειν (*Matth.* 6,17; *Marc.* 6,13; 16,1. *Luc.* 7,38. 46; *Ioan.* 11,2; 12,3; *Iac.* 5,14), μυρίζειν (*Marc.* 14,8), ἐπιχρίειν (*Ioan.* 9,11), χρίειν (*Luc.* 4,18; *Act.* 4,27; 10,38; 2 *Cor.* 1,21; *Hebr.* 1,9). Nec latinum nec graeca ista verba in Novo Test. alibi leguntur; tria vero priora verba graeca *omnibus* in locis, quartum *nullo* in loco de illitione materiali usurpatur. Addamus tamen oportet, substantivum derivatum χρῖσμα, quod ter tantum in Novo Test. legitur, ita adhiberi, ut actionem externam praeteritam, qua internum donum sit collatum, connotare videatur (1 *Ioan.* 2,20. 27).

raro et tam singulari verbi χρίειν usu iure colligere nobis videmur, Paulum de dono, quod omnibus fidelibus concedatur, non loqui, sed de speciali gratia, qua ipse sociique eius velut alteri Christi (ad nomen Χριστοῦ enim suo χρίσας evidenter alludit) apti idoneique sint redditi ad opus ab ipso Christo inchoatum continuandum doctrinamque eius sine errore tradendam. Vocationem igitur et praeparationem ad munus apostolicum, vel potius muneris apostolici collationem eamque Spiritus S. communicationem, quae ad illud rite obeundum requiritur, intelligit; in hac enim unctione, quam acceperunt (attende ad usum participii aor. χρίσας), nititur continua eorum confirmatio in doctrinae traditione (cfr *Est. Nat. M Ev. Bisp. L R.* etc.), neque immerito *S. Thom.* (Summ. c. gent. IV. 21) ex nostro loco colligit, « unctionem ad habilitationem hominis ad perfectas actiones pertinere ».

In appositione deinde, quae nomini Dei additur: *qui et signavit nos et dedit arrham*[1] *Spiritus* (ita ut sit) *in cordibus nostris,* ratio indicatur, ex qua lectores iure deducant, Paulum sociosque eius unctionem illam a Deo revera accepisse; qui enim secundum hoc donum eis contulit, illud prius eis negare non potuit. Quam vera sit haec argumentatio, explicatio verborum docebit. Ad quae interpretanda rectissime quidem antiqui et moderni illa afferunt, quibus Apostolus Ephesios alloquitur : « in quo (Christo) et credentes *signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est arrha haereditatis nostrae* » (*Eph.*

1. Ἀῤῥαβών, quae vox aeque atque latinae *arrhabo* et *arrha* per mercatores ex hebraica lingua (עֵרָבוֹן) *Gen.* 38,17 sq.) ad Graecos Latinosque transierunt, in tribus quidem, in quibus solis reperitur, Novi Test. locis a Vulg. vertitur *pignus* (sed cfr *Gen.* 38,17), at parum accurate; ἀῤῥαβών enim, uti *arrhabo* et *arrha*, est prima pars pretii, quae in emtionibus eum in finem solvitur, ut integri pretii postea solvendi fidem faciat, aut etiam donum, quod inter sponsos ad contractum desponsationis confirmandum dari solebat. *S. Aug.*, cuius aetate lectio *pignus* iam vulgatior erat, quamvis aliqui *codd.* legerent *arrha*, saepius priorem vituperat : « Melius dicitur *arrha* quam *pignus;* haec enim duo similia videntur inter se, sed tamen habent aliquam differentiam non negligendam. Et pignus quando datur et arrha quando datur, ideo fit, ut quod promittitur impleatur; sed quando datur pignus, reddit homo quod accepit, re completa propter quam pignus accepit; arrha autem quando datur, non recipitur, sed superadditur ut adimpleatur » (Serm. 378; cfr Serm. 23,8; 126,15). Neque ad hanc differentiam attendit neque satis accurate locutus est *S. Thom.* (i. h. l.), quando lectionem *pignus* explicare conatus est. Etenim « in pignore, inquit, duo sunt consideranda : quod faciat spem habendae rei et *quod valeat tantum, quantum valet res, vel plus* ». Iam ut secundam conditionem adesse demonstret, haec addit : « si consideremus substantiam Spiritus S., tantum valet Spiritus S., quantum vita aeterna, quae est ipse Deus, quia scilicet valet quantum omnes tres personae ». Ut hac enim argumentatione aliquid efficeretur, Spiritum S. hac in terra eadem ratione, qua in altera vita, per visionem intuitivam caritatemque visioni respondentem possidere deberemus. Rectius *S. Aug.*, *S. Bas.*, *Theod.* etc. monent, arrham esse *parvam rei partem* atque ex magnitudine arrhae, quae nobis iam data est, ad multo maiorem excellentiam bonorum, quae nobis sunt promissa, rite concludunt.

1,13 sq. cfr 4,30); ad nostram enim sententiam intelligendam haud parum iuvant. A vero tamen aberrant plerique, qui utrumque textum eodem plane sensu interpretantur, quia non attendunt, nostro in loco de solis operariis apostolicis, in ep. ad Ephes. de omnibus Christianis (vel potius Ethnicochristianis) agi, ita ut de eadem obsignatione sermo non sit. Duo maxime, quae huic sententiae explicandae inserviunt, ex ep. ad Eph. discimus : obsignationem dato Spiritu S. fieri, atque Spiritum S. ipsum esse arrham ulterioris doni. Unde elucet, nostro in loco particulam καί, qua duo appositionis membra connectuntur, esse epexegeticam, ita ut secundo membro prius explicetur (signavit nos, *nimirum* dedit arrham Spiritus etc.); elucet quoque, genetivum πνεύματος (*Spiritus*) esse appositionem ad praecedens nomen *arrham*[1] (nimirum dedit arrham, i. e. Spiritum, ut sit in cordibus nostris, vel etiam : dedit Spiritum tamquam arrham). Porro duae sententiae in eo quoque consentiunt, quod verbum *signandi* (σφραγίζειν) idem in utraque valeat, quod « sigillo suo impresso aliquid suum esse testari » ; Spiritu S. dato Deus veluti sigillo impresso et Ephesios et Paulum sociosque eius ad se pertinere suosque esse testatus est; at pro diverso modo, quo Spiritus S. utrisque datus est, diversimode utrique ad Deum pertinent. Ephesii enim, sicuti omnes fideles, accepto Spiritu adoptionis (*Rom.* 8,15) obsignati sunt tamquam filii Dei, qui ius haberent ad aeternam haereditatem (cfr ad *Gal.* 4,6) : Paulus sociique eius praeterea illis instructi sunt Spiritus S. donis, quibus non tantum apti idoneique ad tradendam doctrinam reddebantur (de hac interna enim praeparatione iam in praecedente versu sermo erat : *qui unxit nos*), sed etiam tamquam veri et genuini Apostoli aliis innotescebant. De praedicationis suae efficacia igitur proxime loquitur, quae omnibus manifesta operarios apostolicos a Spiritu S. revera adiuvari doceat : eodem sensu in praecedente epistola regnum Dei non esse in sermone, sed in virtute dixerat (1 *Cor.* 4, 20) nostramque sententiam quasi explicans ecclesiam corinthiam *signaculum apostolatus sui* appellaverat (1 *Cor.* 9,3). Atqui efficacia praedicationis a singulari Spiritus S. dono dependet, quo vera esse divinitus demonstratur simulque auditorum animi ad eam recipiendam praeparantur et disponuntur. Obsignationem apostolicam ergo collatione charismatum Spiritus S. factam esse rectissime dicemus (cfr *Cai. Est.*

1. Satis frequens est genetivus appositionis : 2,14 ἡ ὀσμὴ τῆς γνώσεως (odor i. e. cognitio); 5,1 ἡ οἰκία τοῦ σκήνους; *Rom.* 4,11 σημεῖον περιτομῆς (signum, i. e. circumcisio, vel etiam : circumcisio tamquam signum); 8,23 ἡ ἀπαρχὴ τοῦ πνεύματος (primitiae, i. e. Spiritus, vel etiam : Spiritus tamquam primitiae) ; 1 *Cor.* 5,8 ζύμη κακίας, ἄζυμοι εἰλικρινείας etc.

Nat. Pic. M Ev.[1] *Bisp.* etc.); immerito autem acatholici plerique moderni, quamvis in hac appositione rationem, qua Paulus se unctum esse demonstret, indicari nobiscum teneant, nihil aliud nisi communem obsignationem, quae omnibus Christianis datur, deprehendunt (*Mey. Heinr. Schn. Goeb.* etc.); neque enim viderunt illegitimam esse conclusionem : « signati sumus Spiritu adoptionis, ergo unctio quoque, qua in doctrina tradenda stabiles reddimur, nobis non est negata ». Legitima autem est conclusio : « charismatum dono omnibus manifesto obsignati sumus tamquam genuini nuntii evangelicae doctrinae; ergo etiam internam unctionem accepimus, qua idonei reddimur ad doctrinam illam sine errore tradendam ».

Iam hanc charismatum largitionem Apostolus vocat *arrham*. Plerique interpretes, qui de charismatis hic agi nobiscum consentiunt, in ultimo hoc membro Apostolum de Spiritu S. velut arrha aeternae felicitatis, quae nobis promissa est, eadem ratione loqui putant, qua Ephesiis Spiritum S. dixit esse arrham haereditatis nostrae (cfr *Cai. Est.* etc.); minus apta tamen est haec explicatio, siquidem charismatum collatio per se ius ad aeternam beatitudinem non tribuit. Arbitror igitur, Apostolum hoc in loco charismata, quibus Spiritus S. praedicationem apostolicam efficacem reddit, velut arrham considerare maioris illius doni interni, de quo in praecedente versu locutus est, nimirum unctionis, qua Spiritus S. operarios apostolicos in tradenda doctrina ab errore immunes conservat stabilesque reddit. Hac enim ratione pulcherrimum et efficacissimum argumentum in his duobus *vv.* habemus, atque tres personas divinas Paulus velut testes suae constantiae citat : Pater enim operariis apostolicis dat Spiritum charismatum, ut eos tamquam genuinos suos legatos omnibus manifestet; ex hoc dono illis collato colligi potest ac debet, eos internis quoque donis Spiritus S. esse instructos, quibus ab errore in Evangelio praedicando custodiuntur; atque ita patet eos esse confirmatos in Christum.

1. Egregie *M Ev.* : « From this passage, some Divines undertake to prove the impression of a spiritual character by some of the sacraments. It is not easy to see how such a proof can be grounded on this words; for the character referred to, and which three of the sacraments, viz. Baptism, Confirmation and Orders, most assuredly impress (this is *de fide catholica* Conc. Trid. Sess. VII, De sacram. can. 9) is necessarly invisible; where as the seal to which the Apostle here refers, must be visible, to prove the truth of his doctrine. It is, therefore, more probable, that the seal, of which mention is made here, is the seal of external gifts of the holy Gost, viz. miracles, tongues etc. By such gifts, God affixes his true and authentic seal to the divine mission of such as are favoured with them ».

2. *Calumniae fundamentum explicata mutati consilii itineris ratione destruit* (1,23-2,11).

1,23. Ego autem testem Deum invoco in
animam meam, quod parcens vobis, non
veni ultra Corinthum : non quia domina-
mur fidei vestrae, sed adiutores sumus
gaudii vestri, nam fide statis. 2,1. Statui
autem hoc ipsum apud me, ne iterum in
tristitia venirem ad vos. 2. Si enim ego
contristo vos : et quis est, qui me laetifi-
cet, nisi qui contristatur ex me? 3. Et hoc
ipsum scripsi vobis, ut non quum venero,
tristitiam super tristitiam habeam, de
quibus oportuerat me gaudere : confidens
in omnibus vobis, quia meum gaudium,
omnium vestrum est. 4. Nam ex multa
tribulatione et angustia cordis scripsi
vobis per multas lacrymas : non ut contri-
stemini, sed ut sciatis quam caritatem ha-
beam abundantius in vobis.

5. Si quis autem contristavit, non me
contristavit; sed ex parte, ut non onerem
omnes vos. 6. Sufficit illi qui eiusmodi
est, obiurgatio haec quae fit a pluribus :
7. ita ut econtrario magis donetis, et con-
solemini, ne forte abundantiori tristitia
absorbeatur qui eiusmodi est. 8. Propter
quod obsecro vos, ut confirmetis in illum
caritatem. 9. Ideo enim et scripsi, ut co-
gnoscam experimentum vestrum, an in
omnibus obedientes sitis. 10. Cui autem
aliquid donastis, et ego : nam et ego quod
donavi, si quid donavi, propter vos in
persona Christi, 11. ut non circumvenia-
mur a satana : non enim ignoramus co-
gitationes eius.

1,23. Ἐγὼ δὲ μάρτυρα τὸν Θεὸν ἐπι-
καλοῦμαι ἐπὶ τὴν ἐμὴν ψυχήν, ὅτι φειδό-
μενος ὑμῶν οὐκέτι ἦλθον εἰς Κόρινθον. 24.
οὐχ ὅτι κυριεύομεν ὑμῶν τῆς πίστεως,
ἀλλὰ συνεργοί ἐσμεν τῆς χαρᾶς ὑμῶν· τῇ γὰρ
πίστει ἑστήκατε. 2,1. ἔκρινα δὲ ἐμαυτῷ
τοῦτο, τὸ μὴ πάλιν ἐν λύπῃ πρὸς ὑμᾶς
ἐλθεῖν. 2. εἰ γὰρ ἐγὼ λυπῶ ὑμᾶς,
καὶ τίς ὁ εὐφραίνων με εἰ μὴ ὁ λυπούμε-
νος ἐξ ἐμοῦ; 3. καὶ ἔγραψα τοῦτο αὐτό,
ἵνα μὴ ἐλθὼν λύπην σχῶ, ἀφ' ὧν ἔδει
με χαίρειν, πεποιθὼς ἐπὶ πάντας ὑμᾶς,
ὅτι ἡ ἐμὴ χαρὰ πάντων ὑμῶν ἐστίν. 4.
ἐκ γὰρ πολλῆς θλίψεως καὶ συνοχῆς
καρδίας ἔγραψα ὑμῖν διὰ πολλῶν δακρύων
οὐχ ἵνα λυπηθῆτε, ἀλλὰ τὴν ἀγάπην ἵνα
γνῶτε, ἣν ἔχω περισσοτέρως εἰς ὑμᾶς.

5. Εἰ δέ τις λελύπηκεν, οὐκ ἐμὲ λελύπη-
κεν, ἀλλὰ ἀπὸ μέρους, ἵνα μὴ ἐπιβαρῶ,
πάντας ὑμᾶς. 6. ἱκανὸν τῷ τοιούτῳ ἡ ἐπι-
τιμία αὕτη ἡ ὑπὸ τῶν πλειόνων, 7. ὥστε
τοὐναντίον ὑμᾶς χαρίσασθαι καὶ παρακα-
λέσαι, μή πως τῇ περισσοτέρᾳ λύπῃ κατα-
ποθῇ ὁ τοιοῦτος. 8. διὸ παρακαλῶ ὑμᾶς κυρῶ-
σαι εἰς αὐτὸν ἀγάπην. 9. εἰς τοῦτο γὰρ καὶ
ἔγραψα, ἵνα γνῶ τὴν δοκιμὴν ὑμῶν, ἢ εἰς
πάντα ὑπήκοοί ἐστε. 10. ᾧ δέ τι χαρίζεσθε,
κἀγώ· καὶ γὰρ ἐγὼ ὃ κεχάρισμαι, εἴ τι
κεχάρισμαι, δι' ὑμᾶς ἐν προσώπῳ Χρι-
στοῦ, 11. ἵνα μὴ πλεονεκτηθῶμεν ὑπὸ
τοῦ σατανᾶ· οὐ γὰρ αὐτοῦ τὰ νοήματα
ἀγνοοῦμεν [1].

1. *VV. LL.* — 23. οὐκέτι ἦλθον (*non veni ultra*; minus recte *It.* cfr *Ater*, *S. Aug.* ep. 211,2 etc. : *nondum* veni) est communis lectio; parum apte : οὐκ ἦλθον (non veni) F G, *Syr.* (codd.), *Copt.*, *Aeth.*, *Goth.* — 2,1. πάλιν ἐν λύπῃ ἐλθεῖν (*iterum in tristitia venire*) B ℵ A C D E F G K L O P, plerique minusc. et PP., *It.*, *Vulg.*, *Syr.*, *Arm.*, *Goth.*; sed *text. rec.* ordinem verborum non recte mutat : πάλιν ἐλθεῖν ἐν λύπῃ (iterum venire in tristitia) cum haud multis minusc. (cfr *Comment.*). — 3. ἔγραψα τοῦτο αὐτό (scripsi hoc ipsum) pronomine ὑμῖν non addito B ℵ A C O P, pauci minusc., *Vulg. Amiat.* et *Copt.*; rectius *text. rec.* : ἔγραψα ὑμῖν τοῦτο αὐτό (*hoc ipsum scripsi vobis*) cum D E F G K L, plerisque minusc. et PP. et reliquis *verss.*, etiam *Vulg.* (*Fuld.*, *Demid.* etc.). — λύπην (tristitiam) sine addito est communis lectio graeca, quam etiam tuentur

Apostolus, postquam suae doctrinae stabilitate constantiaque demonstrata calumniam adversariorum ipsam iam refutavit, ad fundamentum, cui levitatis criminatio innitebatur, reversus, cur pristinum itineris consilium mutaverit, explicat. Mutati autem consilii dilatique itineris vera ratio erat eius erga Corinthios caritas; etenim quum audisset, quo in statu esset ecclesia, noluit statim iuxta pristinum suum consilium ad eos proficisci, ne praesens severius contra aliquos agere esset coactus, sed tempus resipiscentiae concedens per epistolam prius eos corrigere statuit (1,23-2,4); quibus narratis eo adducitur, ut de incestuoso (1 *Cor*. 5,1 sqq.), quem resipuisse audivit, quid iam agendum sit, exponat (2,5-11). Quae duae particulae arcte inter se connectuntur, siquidem caritas, qua se eos amplecti in priore asserit, quanta sit, in secunda facto ostendit.

Ad ea igitur, quibus Deus apostolicam constantiam extra dubitationem posuit (1,18-22) respiciens atque, quia in tota hac sectione suam solius rationem agendi vindicat, primam personam singul. adhibens (cfr 18. πιστὸς δὲ ὁ Θεός... 23. ἐγὼ δέ..) a sollemni assertione verae causae dilati itineris exorditur : 23. *ego autem testem Deum* (τὸν Θεόν, eundem illum qui nos confirmavit, etc.) *invoco in* (ἐπί) *animam meam, quod parcens vobis non veni ultra* (« postquam a vobis recessi » *Haym*. etc.) *Corinthum*. Iuramenti haec formula[1], quae

Ater et pleraeque *verss*.; sed λύπην ἐπὶ λύπην (*tristitiam super tristitiam*) D E F G, pauci minusc., *It*., *Vulg*., *Syr*. (codd.); altera haec lectio forte exorta est ex *Phil*. 2,27. — 7. ὥστε τοὐναντίον (ita ut e contrario) sine addito B A, aliqui codd. *Syr*. et *S. Aug*. c. ep. Parm. III. 3; sed reliqui testes omnes : ὥστε τοὐναντίον μᾶλλον (*ita ut e contrario magis*). — 9. ἵνα γνῶ τὴν δοκιμὴν ὑμῶν, ᾗ εἰς πάντα ὑπήκοοί ἐστε (ut cognoscam probationem vestram, *qua* relate ad omnia obedientes estis) B A cum paucis minusc.; alii testes omnes pro ᾗ (qua) legunt εἰ (*si* vel *an*), quae lectio recipiatur oportet. — 10. ᾧ δέ τι χαρίζεσθε (cui autem aliquid *condonatis*) est communis omnium codd. graec. et verss. lectio, quam etiam meliores codd. latini exprimunt (cfr *Amiat*. etc. : *donatis*) atque antiquiores multi interpretes latini explicant (cfr *Ater Herv. Lomb. Thom*. etc., quorum explicatio non intelligitur nisi supposita lectione : *donatis*) . *Tert*. eodem fere sensu legit : *donaveritis*, atque ita explicant *Prim*. aliique. Lectio *Vulg*. (*donastis*), quamvis antiqua (*Fuld*. etc. eam iam exhibet), erronea videtur. — ὃ κεχάρισμαι εἴ τι κεχάρισμαι (*quod donavi, si quid donavi*) B ℵ A C E F G O P, paucissimi minusc., *It*., *Vulg*., *Syr*., *Copt*.; minus recte *text. rec*. : εἴ τι κεχάρισμαι, ᾧ κεχάρισμαι (si quid donavi, cui donavi) K L, plurimi minusc. et iuniores PP. graeci et aliqui codd. *Syr*.

1. *S. Aug*. (ep. 157, 5 n. 40) varias iurandi formulas a Paulo adhibitas enumerat : « Iurationem cave quantum potes; melius quippe nec verum iuratur, quam iurandi consuetudine et in periurium saepe caditur et semper periurio propinquatur. Sed illi, quantum aliquos eorum audivi, quid sit iurare prorsus ignorant : putant enim se non iurare, quando in ore habent : *Scit Deus* (2 *Cor*. 12,2) et *Testis est Deus* (*Rom*. 1,9; *Phil*. 1,8) et *Testem invoco Deum super animam meam*, quia non dicitur : *per Deum*, et quia talia reperiun-

Hebraeis non fuit consueta (id quod asserit *Ramb.* temere citans *Ruth* 1,17) sed alio in Scripturae loco non reperitur, pro duplici significatione, quam praepos. ἐπί hic admittit (*in* i. e. contra, vel *super*, uti legit *S. Aug.*), atque etiam pro duplici modo, quo anima (ψυχή) considerari potest (velut principium aut vitale aut rationale), duplici modo ab antiquis et modernis explicatur. Plerique enim hanc, uti alias iurandi formulas, ellipticam esse censentes (supplentesque : *si mentior* aut *si fallo*) Deum tamquam mendacii vindicem invocari volunt : « si mentior, Deum invoco *contra* animam meam » (*Haym.*), « ac si diceret : Perdat me Deus, nisi vera dixero » (*Est.* cfr *Gl ord. Lomb. Thom. Lyr. Dion. Cai. Lap. Pic. Nat. M Ev. Bisp.* etc. — *Grot. Os. Kloep. Heinr.* etc.). Alii non minus apte, quin etiam ni fallor aptius, Deum « inspectorem cogitationum » (*Theod.*) super animam, « cuius secreta solus cognoscit » (*Pel.*), tamquam veritatis testem quasi desuper advocari putant, ita tamen ut, licet hoc non diserte exprimatur, mendacem puniturus cogitetur : « Deum invoco in animam meam, ut ipse inspiciat, si verum dico, et testis mihi sit — si autem mentiar, puniat » (*Herv.* cfr *Theod. Pel. S. Aug.* etc., *Mai. LR.* — *Mey. Schn. Goeb.*, etc.). Deum vero testari vult, se ob eam solam rationem, quia neophytis parcere voluisset (*parcens vobis*), *non ultra*, sicut antea statuerat et promiserat, Corinthum venisse.

Quomodo iis dilato suo adventu pepercerit, statim explicabit (2,1 sqq.); antea praecavet, ne verba sua perverse intelligantur ; etenim, uti recte iam monet *Chrys.*, « hominis haud parvae auctoritatis esse videbantur; nam iis parcit aliquis, quos suo iure castigare potest ». Ut omnis igitur arrogantiae suspicionem repellat, addit : (haec dico) **24.** ***non quia***[1] ***dominamur fidei vestrae, sed adiutores sumus gaudii vestri; nam fide statis.*** Prius membrum diversimode explicatur : nonnulli (*Dion. Cai.* etc. — *Beng. Flatt.* etc.) abstractum nomen pro concreto (cfr ἡ περιτομή pro οἱ περιτετμημένοι, *circumcisio* pro *circumcisi*) adhibitum esse arbitrati verterunt : non dominamur vobis fidelibus (ὑμῶν τῆς πίστεως i. q. ὑμῶν τῶν πιστευόντων) ; at arbitraria est haec

tur in Apostolo Paulo. Sed etiam illa ibi contra eos inventa est quam non confitentur esse iurationem, ubi ait Apostolus : *Quotidie morior, per vestram gloriam, quam habeo in Christo Iesu* (1 *Cor.* 15,31); in graecis enim codicibus reperitur omnino esse hanc iurationem... Sed non ideo, quia in suis epistolis iuravit Apostolus, vir in veritate firmissimus, ludus nobis debet esse iuratio. Multo enim tutius, ut dixi, quantum ad nos attinet, numquam iuramus, ut sit in ore nostro : *Est Est*, *Non Non*, sicut Dominus monet. Non quia peccatum est verum iurare, sed quia gravissimum peccatum falsum iurare, quo citius cadit, qui consuevit iurare ».

1. Formula elliptica οὐχ ὅτι (*non quia* vel *non quod*) pro οὐ λέγω τοῦτο, ὅτι (*non dico hoc, quia*) haud rara est : *cfr* 3,5 ; *Phil.* 3,12; 4,17; *Ioan.* 6,46 etc.

explicatio (cfr ad 1 *Cor.* 1,26). Neque minus temere haud pauci (cfr *Theod. Phot. Pel. Prim. Gagn. Iust. Est. Nat. Pic. M Ev.* etc. — *Calv.* etc.) explicant, ac si scriptum esset : οὐ κυριεύομεν ὑμῶν τῆς πίστεως ἕνεκα (non dominamur vobis fidei *causa*) : « quod enim dixi *parcens vobis*, non ita dictum est, quasi ob fidem, quam a nobis accepistis, potestatem auctoritatemque mihi tribuere velim vos castigandi ac rursus vobis parcendi » (*Phot.*); quo enim cum iure praepositio ἕνεκα suppleatur, non apparet, atque duo genetivi : ὑμῶν τῆς πίστεως non minus arcte, quam duo alii : τῆς χαρᾶς ὑμῶν, cohaerent recteque a *Vulg.* translati sunt (*fidei vestrae, gaudii vestri*). Itaque Paulum dominium fidei tyrannicamque eam dominationem, quam pseudapostoli corinthii sibi arrogabant (cfr ad 11,20), a se reiicere, cum aliis melius dicemus (cfr *Chrys. Theoph. Oec. A*[ter] *Haym. Herv. Lomb. Thom. Gagn. Salm. Lap. Mai. Bisp. L R.* etc. — *Mey. Kl Br.* etc.); atque verborum sensus est : « non quod imperitare velim fidei vestrae, quae voluntaria esse debet » (*Gagn.*); « nam credere nolentem quis dominus coegerit? » (*Chrys.*). Ac profecto « dominium aut coactionem non patitur fides, quae voluntatis est, non necessitatis » (*Lomb.*), neque Apostoli sunt domini fidei, « ut quidvis pro arbitratu in religione statuant » (*Lap.*), sed ad fidem quod attinet, nihil sunt nisi *ministri* Christi et *dispensatores* mysteriorum Dei (1 *Cor.* 4,1). Porro eo minus Paulus sibi in Corinthios eiusmodi dominium attribuere potuit, quia eos secum in fide consentire sciebat; addit enim : *nam fide statis.* Quae verba quomodocumque explicantur, sive ea cum *Thom.* etc. interpretamur : *per* fidem statis sc. in gratia Christi, sive cum *Est.* etc. : *in* fide firmi statis, et quomodocumque connectuntur, sive cum *Chrys.* aliisque priori membro immediate, sive cum *Cai.* etc. proxime alteri membro ea adiungimus, clare demonstrant, ecclesiam corinthiam universam, quam Apostolus alloquitur (de singulis enim eius membris distributive non agitur cfr ad 1 *Cor.* 1,7), a vera fide non aberrasse nec hac in re reprehensionem correctionemque meruisse. Quare si se iis parcere voluisse dicit, haec de eorum fide intelligi noluit, sed de eorum moribus; recte *Theod.* : « de fide quidem vobiscum non expostulo, eius enim sanitatem amplexi estis; sed alia quaedam a vobis admittuntur, quae correctione indigent » (cfr *Chrys.* etc.). Cum blanditia quadam, ne eorum animos offendat, altero in membro Apostolus hoc addit verbis *parcens vobis* positive explicatis; id enim illis intelligi voluit, Apostolos pro munere suo esse *adiutores* (συνεργοί, *co*operatores) *gaudii* fidelium, siquidem cum fidelibus (vel, id quod aliis praeplacet, cum Deo et Christo) cooperari debeant ad augendum et promovendum gau-

dium spirituale, quod ex vita vere christiana exortum cum caritate et pace primum locum inter fructus Spiritus tenet (*Gal.* 5,22 cfr *Rom.* 14,17; *Phil.* 4,4 etc.). Atqui in ecclesia corinthia, quamdiu schismatis perturbata et haud levibus vitiis inquinata erat, verum illud gaudium in Spiritu sancto adesse non potuit; tantum igitur abfuit, ut Paulus, si iuxta pristinum suum consilium statim Corinthum profectus esset, tamquam adiutor gaudii neophytorum advenisset, ut potius severius agere coactus eos tristitia affecisset (*cfr* 2,1). Itaque dilato itinere emendationisque tempore concesso eis vere pepercit.

Quae accuratius explicaturus pergit : 2,1. *Statui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos*, vel melius iuxta graecum textum : *decrevi autem mihi ipsi hoc : non iterum in tristitia venire ad vos;* etenim ultimum membrum (τὸ μὴ πάλιν ἐν λύπῃ πρὸς ὑμᾶς ἐλθεῖν) velut explicatio pronomini *hoc* (τοῦτο) additum enuntiat consilium ipsum, quod Paulus de tristi ecclesiae conditione certior factus sibi ipsi sequendum proposuit [1]. Locutio *in tristitia venire* de Pauli ipsius tristitia, qua eum conditio ecclesiae affecerat, a nonnullis ita intelligitur, ut sit idem quod *tristem venire* (*Chrys. Oec. Theoph. Pel. Dion. Dr.* etc. — *Kl Br. Hofm.* etc.), ab aliis de tristitia, qua Corinthios severe eos corrigens afficere debuit, ut sit idem quod *contristantem venire* (*Theod. Thom. Cai. Nat. Pic. Bisp. M Ev.* etc. — *Grot. Mey.* etc.), ab aliis utraque explicatio velut probabilis admittitur (*Haym. Herv. Lomb.*), ab aliis demum recte coniungitur : « apertum est quia ideo noluit ire, ne forte corripiens paucos, multos constristaret, ipse etiam contristatus; compatiuntur enim omnia membra unius moerori » (*A^ter* cfr *Iust. Est. Mai. L R. Ramb.* etc. — *de W.Heinr.* etc.); hac enim ratione Paulus ipse in sequente sententia (*vv.* 2.3) locutionem explicat.

Quo adverbium πάλιν (*iterum*) pertineat, in controversia est. *Chrys.* illud ad solam locutionem ἐν λύπῃ trahit : « Quum ait πάλιν (iterum), se iam semel ab illis moerore affectum esse ostendit »; contra *Theod.* monet, « illud πάλιν cum *adventu* (παρουσίᾳ) non cum *tristitia* coniunctum esse », i. e. cum solo verbo ἐλθεῖν (venire) connecti debere. Attamen si ad verborum ordinem, quem cum plerisque melioribusque codd. graecis etiam versiones tuentur (cfr *VV. LL.*), animum attenderimus, neutram sententiam amplectemur, sed particulam ad integram locutionem ἐν λύπῃ ἐλθεῖν pertinere dicemus. Itaque quum Paulus nunc tertium iter corinthium suscipere velit (cfr 12,14; 13,1), concludere debemus, secundum eius adventum iam in tristitia fuisse; etenim ex Illyria Corinthum reversus (cfr *Proleg.* in 1 Cor. p. 3 sq.).

1. ἔκρινα ἐμαυτῷ. *Vulg.* vertit quasi scriptum sit : ἔκρινα παρ' ἐμαυτῷ vel ἐν ἐμαυτῷ (1 *Cor.* 11,13). Nonnulli moderni (*Bisp.* etc. — *Mey.* etc.) dativum ἐμαυτῷ esse dativum commodi minus apte statuunt : « propter meam ipsius utilitatem, ne sc. vos contristans ipse contrister » (*cfr v.* 2).

ecclesiam vix natam non amplius in primo suo fervore inveniens cum severitate vitia quaedam corrigere debuerat. Quod enim aliqui censent, eum de primo suo adventu loqui, quando Athenis quasi eiectus Corinthum venit, id omni probabilitate caret, nisi contra idearum nexum statuere velimus, eum de sola sua ipsius tristitia loqui, ad quam Corinthii nihil contulerint.

Iam rationem addit, cur non amplius tristis contristansque ad eos accedere voluerit: 2. *si enim ego contristo vos, et quis est, qui me laetificet, nisi qui contristatur ex me?* Pro munere suo Apostoli cooperatores sunt gaudii spiritualis neophytorum, at vicissim gaudio affici debent a neophytis; quomodo vero Paulus laetificari potuit ab ecclesia corinthia multis morbis laborante, quum florens dumtaxat ecclesiae conditio sit fundatoris gaudium et corona (*Phil.* 4,1)? Absonum enim videtur, aliquem contristare, ut deinde contristatus contristantem gaudio afficiat; « ab iis enim, qui moerore sunt confecti, solatium et gaudii causa frustra exspectatur » (*Nat.*); atqui id in ecclesia corinthia, si Paulus statim advenisset, fieri debuisset; castiganda enim ac proin contristanda erat, atque Paulus omni solatio ibi caruisset, antequam ad bonam frugem reducta castigatorem suum laetificare coepisset. Haec est *Thom.* explicatio, quam iuniores plerique (*Salm. Est. Nat. Pic. M Ev. Bisp. L R. Dr. Ramb.* — *Mey. Kl Br.* etc.) recte adoptarunt, siquidem hoc sensu intellecta sententia rationem retardati itineris clare indicat. Fatendum tamen est, antiquiores quum Graecos (*Chrys. Theod. Dam. Oec. Theoph.*) tum Latinos (*A*[ter] *Pel. Sed. Haym. Herv. Dion. Iust.* etc. — *Beng. Billr.*) fere contrarium sensum in hoc versu invenisse; participio λυπούμενος (*qui contristatur*) enim significationem quasi medialem attribuentes (qui ita se contristari sinit, ut convertatur) Paulum de solatio, quod ex neophytorum conversione capturus sit, loqui putant: « quod si etiam futurum esset, ut vos obiurgare ac moestos reddere coactus in dolore versarer, tamen ex hoc ipso voluptatem caperem » (*Chrys.*); « nihil enim me tantum exhilarat, quantum sensus eorum, qui arguuntur » (*Theod.*); « propterea vos contristo, ut possim gaudere de vobis » (*Pel.*) etc.; at hoc sensu intellecta accelerati quidem, sed non retardati, itineris rationem sententia exprimeret. Non minus, opinor, a vero aberrat *Cai.*, qui praeeunte *Lomb.* sententiam ellipticam esse censet eamque ita supplet: « si enim ego contristo vos, *quis vos consolabitur?* Et quis est, qui me laetificet, nisi qui contristatur ex me, i. e. nisi laeta dispositio illorum, qui tristitia afficiuntur ex mea correctione? » In errorem inductus videtur particula καί (et), quae interrogationi apodoseos praemittitur (*et quis est*, etc.); at particula haec in interrogationibus

admirabundis aut subito exortis non admodum rara est[1]. Nimis arcte demum sententiam nostram explicant, qui participio ὁ λυπούμενος ἐξ ἐμοῦ (qui a me contristatur) solum incestuosum designari volunt (*Lap. M Ev*[2]. etc. — *Beza* etc.), de quo statim (*v.* 5 sqq.) erit sermo; singulari enim, uti saepissime, integra classis designatur; sensu non mutato Apostolus pluralem adhibere potuit.

Quid vero egerit, ne iterum in tristitia ad eos venire cogeretur, exponit : 3. *et hoc ipsum scripsi vobis, ut non* (ἵνα μή *ne*), *quum venero, tristitiam* (*super tristitiam*) *habeam* (ex parte eorum), *de quibus oportuerat* (*melius : oportebat* ἔδει) *me gaudere* [2], *confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium omnium vestrum est.* In hac sententia explicanda, quum quid et quando Paulus sese scripsisse dicere velit, non satis constet, dissentiunt interpretes, licet in universo eius sensu definiendo conveniant. Clare enim Apostolus docet, se epistola quadam adventum suum praeparare voluisse, ut adveniens a neophytis, uti decebat, non tristitia sed laetitia afficeretur; de eorum igitur omnium erga se caritate confisus, qua ducti gaudium patris sui velut suum quoque gaudium haberent illudque proin pro viribus augere studerent, eos literis suis antea ad bonam frugem revocare voluit, ut ita deinde tamquam adiutor gaudii eorum adveniret. At quidnam hunc in finem scripserit, controvertitur, quia verbum ἔγραψα (*scripsi*) aeque bene de hac ipsa epistola, quam nunc scribit (cfr 1 *Cor.* 9,15; *Gal.* 6,11 etc.), atque de anteriore quadam (cfr 7,12; 1 *Cor.* 5,11 etc.) intelligi potest. Erronea procul dubio est nonnullorum modernorum acath. sententia, qui Paulum de epistola quadam per Titum allata loqui putant, quam tempore intermedio inter nostram 1 Cor. et 2 Cor. scripserit (*Bl. Ew. Kl.* etc.); mera enim fictio, quae omni fundamento caret, est epistola illa. Atque erronea quoque merito habetur sententia *Chrys.* et *Oec.*, qui Paulum ad ea, quae in fine huius epistolae (*infra* 11,20) legun-

1. Cfr *Marc.* 10,26; 12,37; *Luc.* 10,29; 20,44; *Ioan.* 9,36 etc. — Iuxta *Kühner* ad Xenoph. Memor. I. 3,10 (cfr Gramm. 727. 2) particula καί, si interrogationibus praemittitur, « cum vi auctiva ita ponitur, ut is qui interrogat, cum admiratione quadam alterius orationem excipere ex eaque conclusionem ducere significetur, qua alterius sententia confutetur » Quae observatio, etsi usui loquendi Novi Test. non plane conveniat (cfr ex. gr. *Marc.* 10,26, *Luc.* 10,29), in nostrum locum tamen eatenus quadrat, quatenus interrogatione sua Apostolus ostendere vult, se apostolico munere adiutoris gaudii functurum non fuisse, si in tristitia ad eos venisset.

2. In graeco textu levis habetur anacoluthus, quia Apostolus, ut duas sententias arctius coniungeret, verba λύπην ἔχειν et χαίρειν cum eadem praepos. ἀπό coniunxit, quae ad prius quidem verbum (λύπην ἔχειν ἀπό τινος), minus apte vero ad secundum (χαίρειν enim cum ἐπί τινι construitur) quadrat; ceterum quum χαίρειν hic sit idem, quod χαρὰν ἔχειν, anacoluthus vix animadvertitur.

tur, respexisse dicunt; ea enim, quae postea scripturus erat, non potuit dicere se iam scripsisse. Melius antiquiores Latini et moderni nonnulli haec ipsa, quae praecedentibus versibus scripta sunt, a Paulo significari putant : « et hoc ipsum, quod nemo me laetificat, nisi qui contristatur ex me, scripsi vobis nunc, ut hoc scientes defleatis modo peccata vestra, ne quum venero iterum contrister de vobis » (*Herv.* cfr *Lomb. Thom. Dion. Cai. Salm. Iust. Nat.* etc. — *Grot. Olsh.* etc.). Attamen huic explicationi id maxime obstat, quod infra (7,8 sqq.) Apostolus idem iam prioribus literis se obtinuisse asserat, quod hoc loco se scriptione sua obtinere voluisse dicit. Itaque cum *Theod.* et *A^tro*, quorum sententiam moderni longe plurimi amplectuntur (*Est. Pic. M Ev. Mai. Bisp. L R. Dr. Ramb.* etc. — *Heinr. Goeb.* etc.), Paulum de anteriore sua epistola (1 Cor.) loqui arbitramur : « ideo epistola mea meum adventum anticipavit, ut sanatio per illam effecta mihi conciliaret laetitiam; huius autem laetitiae vos quoque estis participes, quippe qui nostra vestra esse ducatis » (*Theod.*). Iuxta quam explicationem verbum *scripsi* praecedenti *statui* (*v.* 1) plane respondet atque ad idem cum illo tempus refertur : de Corinthiorum vitiis certior factus *statuerat* non iterum in tristitia ad eos venire, atque ne in tristitia ad eos reverti cogeretur, *scripserat* haec ipsa, quae in praecedente epistola contristare quidem neophytos, sed contristare ad poenitentiam (7,9) debebant. Ut illud *parcens vobis* (1,23) explicet, totam seriem eorum, quae tunc egit, explanat atque hac ratione iam paullatim ad ea, quae in praecedente epistola de incestuoso dixerat, et de eodem statim dicturus est (*v.* 5 sqq.), animos praeparat.

Neque tamen eum de solo incestuoso iam hic loqui, censendum est; illa enim, quae de animi habitu, quo priorem epistolam exaravit, addit, satis ostendunt, eum integram epistolae partem, qua vitia Corinthiorum reprehendit, prae oculis habere : 4. *nam ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas : non ut contristemini, sed ut sciatis, quam caritatem habeam abundantius in vobis.* Maiore cum emphasi ultimum membrum in graeco effertur : *sed caritatem ut cognoscatis, quam habeo imprimis erga vos* (ἀλλὰ τὴν ἀγάπην ἵνα γνῶτε, ἣν ἔχω περισσοτέρως εἰς ὑμᾶς); recte enim *Chrys.* : « Sermonis series postulabat, ut diceret : non ut contristemini, sed ut resipiscatis; etenim hac de causa scripserat; neque tamen hoc dicit, sed ut plus suavitatis orationi suae conciliet, atque in maiorem sui amorem eos pertrahat, illius loco ponit : *caritatem ut cognoscatis,* ostendens se omnia ex amore facere; nec caritatem tantum dixit, sed addit : *quam habeo maxime erga vos;* vult enim hac quoque ratione animos eorum allicere, quum se eos prae ceteris amare ergaque eos

velut erga eximios discipulos affectum esse ostendit ». Iam vero quin prior epistola, quamvis in secunda parte, in qua dubia a Corinthiis proposita solvuntur, quietior et pacatior sit, ex animo contristato (θλῖψις hoc in loco non tam de externa quam de interna tribulatione rectius sumitur) et angustiato profecta atque multas inter lacrymas scripta sit, nemo dubitabit, qui quantum in periculum ecclesia corinthia schismatis vitiisque suis sese proiecerit et quanto cum amore Apostolus eam semper prosecutus sit, attente perpenderit; atque revera in priore parte (maxime in *cpp.* 4. 5. 6.) haec animi concitatio anxietasque identidem sese clare manifestat. Unde mirum non est, quod epistola illa, quum eorum vitia tam vehementer corriperet, Corinthios contristaverit (7,8 sqq.); at Apostolus non hanc tristitiam, sed eorum poenitentiam intenderat, quae eos ad verum gaudium Spiritus esset perductura; quare se eos contristare voluisse iure negat, tristitiam utique saeculi intelligens, quae mortem operatur (cfr ad 7,10). Verum recte quoque monent antiquiores Latini : « Quisquis hoc affectu aliquem corripit, ut plus illo doleat peccatum illius, non utique ut illum contristet corripit, sed ut ostendat, quo amore illum diligat. Qui autem non hoc affectu corripit, contristat fratrem; insultat enim, qui non condolet fratri » (*Herv.* cfr *A*[ter] *Lomb.* etc.).

Restat, ut ad *v.* 3. duo adnotemus. Verba τοῦτο αὐτό (*hoc ipsum*) velut obiectum verbi ἔγραψα (*scripsi*) de iis interpretati sumus, quae in praecedente epistola Apostolus cum in finem exposuerat, ut neophytos ad vitia sua agnoscenda et emendanda adduceret, quaeque velut lectoribus sibique ipsi notissima et velut semper praesentia optime ita designare potuit. Alii tamen, quamquam in reliquis datae explicationi consentiunt, verba τοῦτο αὐτό praeeunte *Theod.* adverbialiter posita esse idemque quod locutio εἰς τοῦτο αὐτό (in hunc ipsum finem 5,5 *Rom.* 9,17; *Col.* 4,8 etc.; vel εἰς τοῦτο 2,9; *Rom.* 14,9 etc.) significare volunt : et *ideo* scripsi vobis, ne etc. (*Mai.* etc. — *Mey.* etc.). Quae explicatio apta quidem est, quum certum sit, locutionem hoc sensu aliquoties adhiberi (cfr 2 *Petr.* 1,5 iuxta meliorem lectionem; — *Xenoph.* Anab. 1,9. 21 etc.); at nobis non probatur, quia nullo exemplo demonstratur, Paulum hoc sensu verba illa adhibuisse; semper enim praepos. εἰς praemittit.

Deinde in explicatione secuti sumus graecum textum : ἵνα μὴ ἐλθὼν λύπην σχῶ, pro quo *Vulg.* exhibet : ne quum venero *tristitiam super tristitiam* habeam (cfr *VV. LL.*). Graecam lectionem moderni cum *Est.* haud immerito praeferunt; at latina quoque lectio, licet id neget *Est.*, aptum parit sensum : « ne priori moerori, quem vitiorum vestrorum nuntii allati in me provocaverunt, novus adderetur moeror, si adveniens vestram in iisdem vitiis perseverantiam videre cogerer ». Itaque ob solam codd. graecorum versionumque antiquarum auctoritatem lectio graeca praeferri meretur.

Porro magna S. Pauli in priore scribenda epistola angustia cordis et tristitia quum aliis Corinthiorum vitiis tum maxime crimine illo provocata erat, quod ne inter gentiles quidem erat auditum, ut aliquis

uxorem patris sui haberet (1 *Cor.* 5, 1); sua quasi igitur sponte debuit animo eius occurrere memoria incestuosi illius, quem in praecedente epistola e coetu fidelium removeri iusserat; quumque interea per Titum audivisset, peccatorem poena iniuncta ad poenitentiam esse adductum, statuere quoque debuit, quid nunc de illo esset agendum. Ita opportunitatem nactus est ostendendi, quantopere illis gaudium afferre exoptaret; etenim ut poenitentem reliqua poena condonata, ne in desperationem incidat, in coetum suum iterum admittant eos exhortatur (5-8), quia eorum obedientiam iam cognoverit et iam nunc veniam, quam decreturi sint, ratam habeat (9-11).

Omnes Patres de incestuoso in sequente pericope agi consentiunt [1], uno excepto *Tert.* (de pudic. 13), qui, quum moechis poenitentiam negaret, Paulum incestuoso dedisse veniam poenae negare debuit; cum Patribus iuniores quoque interpretes omnes consentiunt paucis exceptis modernis acath. (*Ew. Bl. Hilg.* etc.), qui non incestuosum sed incognitum quendam Apostoli calumniatorem hic designari putant, quoniam gravissimum incestus crimen gravioribus, quam hic adhibeantur, verbis reprobari debuerit. Sed qui haec obiiciunt, nec magnam prudentiam, qua Paulus cum Corinthiis agit, nec apostolicam caritatem, qua Dominum imitatus peccatores poenitentes amplectitur, perpendisse videntur. Ob hanc enim prudentiam et caritatem vere admirandam, ne cuius offenderet animum, nec hic nec postea (7,12 sqq.), ubi iterum de incestuoso loquitur, eum nominat, neque eius crimen clarioribus verbis designat, nec vehementius illud vituperat; quae omnia eum facere debuisse, iam *Tert.* eodem fere modo, quo moderni illi acath., censuit. At crimen nondum expiatum vehementibus verbis castigavit et peccatorem nondum poenitentem ad gravem poenam condemnavit; cur vero crimen omnibus Corinthiis, quibus scripsit, notissimum ab iisque severa poena vindicatum clarioribus verbis designaret aut peccatori, qui seriam egerat poenitentiam, eiusque parentibus novum pudorem incuteret, nulla prorsus erat ratio. « Hoc enim defensionis tempus fuisse », recte monet *Chrys.*; si quis vero apostolicam hanc indulgentiam non intelligit, mente animoque diversam rationem consideret, qua una ex parte pharisaeus, altera ex parte Dominus poenitentem peccatricem tractaverit (*Luc.* 7,39 sqq.).

Itaque hanc pericopam praecedenti arctissime adnectens Apostolus a sola tristitia, qua ecclesiam affecerit, incestuosum designat; quin

1. Praeter interpretes patristicos (*Chrys. Theod. Dam.* etc. *Ater Pel. Prim. Sed.* etc.) cfr inter alios *Orig.* in Ps. 37. hom. 1,1; *S. Greg. Naz.* Or. 2,54; 39,18 etc.; *S. Isid. Pelus.* Epist. IV. 111; *Ps. Athan.* Synops. S. S. 61; *S. Pacian.* ad Sympr. ep. 3,18; *S. Ambros.* de poenit. I. 17 etc.; *S. August.* c. ep. Parmen. III. 1,3; *S. Greg. M.* Moral. 33,8 etc.

etiam, ut clementiorem erga eum lenioremque sese exhibeat, non nisi hypothetice loquitur, quasi integrum eius crimen poenitentia non tam sit remissum quam ex rerum exsistentium numero plane deletum et amotum : Ego non scripsi, ut vos contristarem; 5. *si quis autem contristavit, non me contristavit, sed ex parte, ut non* (lege : *ne* ἵνα μή) *onerem, omnes vos.* Quemadmodum multis in locis, in quibus membro priori neganti alterum affirmans opponitur (cfr ad 1 *Cor.* 1,17), negatio in hac sententia non ita est absoluta, ut Apostolus turpissimo isto crimine se ipsum contristatum esse infitiari velit, sed relativa ad alterum membrum, quod fortius asseverare voluit, ut ad Corinthiorum tristitiam, de qua maxime agebatur, attentionem converteret : « non tam me, quam vos omnes, contristavit ». A qua explicatione antiquiores Latini plerique (*Haym. Herv. Lomb. Thom*[1]. etc.) et iuniores multi (*Est. Nat. Pic. M Ev. Mai.* etc.) haud multum recedunt interpretantes : non me solum, sed etiam vos contristavit. Verum Corinthii, qui incestuosum in suo coetu retinuerant neque nisi iussi eiecerant, eadem ratione eodemque gradu, quo Apostolus, non doluerant; quare Paulus, ne rem aggravans peccatorem aequo gravius oneraret, assertum suum addito *ex parte* (ἀπὸ μέρους aliquatenus *cfr* 1,14; *Rom.* 15, 24 etc.) limitavit. Haec fere est *Chrys.* explicatio, quae modernis plerisque probatur; vix minus probabilis tamen est *A*[tri] aliorumque sententia, qui vocabulis *ex parte* non verbum *contristavit* (quodammodo vos omnes contristavit) sed eius obiectum (*omnes vos*) accuratius definiri censent (partem vestrum omnium contristavit cfr 1,14; *Rom.* 11,25); neque enim omnes neophytos de crimine doluisse, docet sententia quae sequitur.

Ceterum in hoc versu construendo et explicando interpretes haud parum dissentiunt. Eam constructionem, quam *Chrys.* et *A*[ter] innuunt modernique longe plurimi approbant, secuti vocabula *omnes vos* cum verbo *contristavit* coniunximus et in sententia interiecta (*ne onerem*) velut obiectum supplevimus pronomen *eum* (sc. incestuosum)[1] : « non tam me, quam ex parte (ne onerem eum) omnes vos contristavit ». Attamen *Vulg. Clem.* interpunctione sua sententiam antiquiorum Latinorum sequitur, qui cuncti vocabula *omnes vos* cum verbo *onerem* coniunxerunt, licet non eodem modo versum explicarent. Etenim alii in priore membro pronomen *vos* supplentes hunc inveniunt sensum : « non me solum contristavit, sed et vos ipsos ex parte, i. e. quosdam ex vobis, bonos et correctos, qui de peccato fratris doluerunt. Ideo dico vos ex parte contristatos, ne onerem omnes vos, i. e. ne onus tristitiae om-

1. Sensus sententiae vix mutatur, si verbum ἐπιβαρεῖν (onerare) absolute adhibitum esse dicimus : *ne quid gravius et molestius dicam* (cfr *Bisp.* etc.). Sed dubius est hic verbi usus; in duobus aliis, in quibus reperitur, Novi Test. locis (1 *Thess.* 2,9; 2 *Thess.* 3,8) verbum transitive construitur significatque *alicui oneri esse*; neque alio modo scriptores profani verbum usurpasse videntur.

nibus vobis imponam» (*Herv*[1]. cfr *Haym. Lomb. Thom*[1]. etc.). Reprehensorie (*Lomb.*) vel derisorie (*Thom.*) haec dicta esse putant, atque hac in sententia approbantur a nonnullis modernis acath., qui ut eandem ironiam inveniant, vocabulum *omnes* cum verbo *onerem*, pronomen *vos* vero cum verbo *contristavit* coniungunt (*Mich. Olsh.* etc.). Verum *Thom.* iam vidit, nec reprehensionem nec derisionem aut ironiam huic loco esse adaptatam, in quo Paulus de sua maiorisque neophytorum partis tristitia tanto crimine provocata loquitur; quare alteram explicationem proponit, quam meliorem dicit quamque velut meliorem *Lyr. Dion.* etc. adoptarunt: « incestuosus non me contristavit totaliter, sed ex parte tantum; quia licet in ipso propter peccatum habuerim tristitiam, in vobis tamen propter multa bona, quae facitis, et in ipso propter poenitentiam, quam egit, habeo gaudium. Et dico *ex parte, ne onerem omnes vos*, i. e. ne vobis hoc onus imponam, quod me omnes contristaveritis ». At haec omnia in apostolica verba ingeri, minime vero ex eis colligi, clarum est. Neque melior est *Herv*[2]. explicatio: « Non me contristavit ex toto, sed ex parte, ne onerem vos magnitudine tristitiae meae, si ex toto contristatum me dico ». Neque prima *Estii* explicatio probari potest, quae ita se habet: « non me contristavit solum et proprie, sed me contristavit ex parte, i. e. tamquam partem et membrum Ecclesiae, quae principaliter laesa et contristata est. Idque dico, ne vos omnes onerem culpa illius fornicarii; nam si me solum contristasset, vos omnes essetis ab ea tristitia immunes ideoque videremini peccati illius per consensum participes, quia qui non dolet de malo, quod novit, consentire videtur ». Mirum profecto in modum Paulus se ipsum sibi tamquam Ecclesiae membro opposuisset; mirum quoque in modum hanc oppositionem locutione adverbiali *ex parte* expressisset; longissime demum quaesita est explicatio verborum: ne onerem omnes vos; quapropter iure merito *Est.* ipse quoque, cum *Iust. Nat. Pic.* etc. eam constructionem et explicationem praeferunt, quam supra tradidimus. Quodsi quis interpunctionem *Vulg.* retinere voluerit, poterit cum *Cat.* explicare: « non mihi tantum tristitiam attulit sed etiam multis vestrum; atque rationem reddens, cur dixerit *ex parte* addit: ne onerem omnes vos, i. e. ne eximam omnes vos a participatione tristitiae, quod fuisset eos accusare duritiei cordis ».

Postquam peccatoris emendati mentionem tanta cum caritate intulit, Paulus quid de poenitente agendum sit exponit. Quamquam eum ob turpissimum crimen dignum iudicavit, qui sollemni iudicio ex Ecclesia eiectus satanae traderetur, severam tamen hanc sententiam non tulerat, sed Corinthios eum e coetu suo excludere evitareque iusserat (cfr ad 1 *Cor.* 5,3 sqq.). Cui mandato obtemperans maior neophytorum numerus aditum sermonemque eius defugerat, atque haec poena una cum Pauli gravissima increpatione eum ad poenitentiam agendam adduxerat. Quapropter a longiore castigatione abstinendum esse Apostolus monet, ne infelix ad desperationem redigatur: 6. *sufficit illi qui eiusmodi est obiurgatio haec, quae fit a pluribus* (vel rectius: *quae facta est a plurimis* i. e. a maiore parte ἡ ἐπιτιμία αὕτη ἡ ὑπὸ τῶν πλειόνων). Haud immerito *Chrys.* nos observare iubet, eodem indirecto quidem modo, quo in praecedente epistola (1 *Cor.* 5, 4) incestuosum designari (ὁ τοιοῦτος is qui talis est), at non ob eandem

rationem; « ibi enim ad pudorem incutiendum ita locutus est (quasi dignus non esset, cuius nomen pronuntiaretur), hic autem ad indulgentiam manifestandam » eius nomen et crimen quasi occultat. Graeca vox ἐπιτιμία, quae a *Vulg.* redditur *obiurgatio* (*Tert.* de pud. 13 : increpatio; *S Aug.* c. ep. Parmen. III. 1,3 : correptio), simili sensu a profanis scriptoribus non usurpatur, respondet autem eorum vocabulo τὸ ἐπιτίμιον, quo *legitima poena* exprimitur; atque eundem hunc sensum etiam vox ἐπιτιμία habet in unico alio Scripturae loco, in quo solo reperitur (*Sap.* 3,10. *Vulg* : correptio). Ipsa igitur expressione iam refutatur modernorum paucorum acath. (*Rück. Baur.* etc.) coniectura, Corinthios poenam a Paulo statutam exsecutioni non mandasse, sed aliam minorem, qua Apostolus se contentum esse hic declaret. Ac profecto in ecclesia factionibus et pseudapostolorum machinationibus perturbata aliquos quidem Apostoli mandato non obtemperasse, facile intelligitur; at si integra ecclesia aut eius maior et sanior pars (οἱ πλείονες) ei non obedivisset, contentus esse non potuisset atque multo minus eorum obedientiam laudasset (cfr *v.* 9). Oppositio ergo inter maiorem poenam a Paulo decretam et inter minorem a Corinthiis peccatori irrogatam non exprimitur, sed inter poenam hucusque iam solutam et inter ulteriorem eius durationem.

Etenim poena, quum finem suum, i. e. conversionem peccatoris, iam attigerit, sufficere dicitur, 7, *ita ut e contrario magis donetis et consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est* (ὁ τοιοῦτος). Quo sensu poenam solutam sufficere (vel *satis esse*, uti legerunt *Tert.* l. c., *S. Ambr.* de poen. I. 17, *A*[ter] etc.) censeat, Apostolus his verbis explanat; per se enim enorme crimen diuturniorem poenam meruisse clare docet, quia neophytos exhortatur, ut reliquam poenam nunc condonent[1]; at conditione peccatoris spectata, qui non tantum ad poenitentiam sed paene ad desperationem erat adductus, poena soluta sufficiens existimabatur; vel uti *Thom.* explicat : « potest dici sufficiens non quantum ad Dei iudicium, sed quantum expediebat tempori et personae; melius enim est, sic servare lenitatis spiritum, ut per poenitentiam correctionis fructus sequatur, quam si durius corrigatur et desperet peccans et maioribus peccatis immergatur ».

1. Verbum χαρίζεσθαι, quod inter Novi Test. scriptores a Paulo et Luca solis adhibetur, a *Vulg.* semper vertitur *donare.* licet et benevole dandi (i. e. donandi) et benevole ignoscendi seu remittendi (i. e. condonandi) significationes habeat; hoc igitur in versu (uti *v.* 10;12,13; *Luc.* 7,42. 43; *Eph.* 4,32; *Col.* 2,13; 3,13) aptius verteretur *condonare.* Gratuitam autem significat condonationem, ad quam obtinendam is, cui condonatur, ius non habet sed, quam debet benignitati condonantis (*Col.* 2,13 etc.).

Unde ex hoc loco *Chrys.* iure colligit, « non ad scelerum dumtaxat naturam, sed ad peccantium quoque affectionem habitumque (πρὸς τὴν διάνοιαν καὶ τὴν ἕξιν τῶν ἁμαρτανόντων) in definienda poenitentia esse attendendum ». Eosdem igitur, quos peccatorem e suo medio auferre in priore epistola iusserat (1 *Cor.* 5,13), nunc eum in suum coetum iterum admittere iubet; totam vero ecclesiam in utroque loco alloquitur, non quia apud omnes fideles potestas expellendi aut recipiendi sit, sed quia omnes pro loco, quem in ecclesia tenent, suam quisque partem in peccatore excludendo aut iterum admittendo habent: superiores decretum ferentes et promulgantes, inferiores illud observantes exsecutionique mandantes; nihil enim exclusionis poena iuvaret, nisi fideles ab eiecti societate abstinerent, nec condonatio poenae ex parte superiorum ad quidquam inserviret, si fideles peccatori in ecclesiam iterum admisso aditum sermonemque negare perseverarent. Hanc quoque ob causam Apostolus Corinthios non tantum diuturnioris poenae moras incestuoso *condonare*, sed etiam eum blando alloquio pristinisque amoris signis *consolari* ac recreare iubet. Antequam enim hac ratione ab omnibus fratribus receptus infelix integrum suum crimen in ecclesia oblivioni esse datum viderat, semper timeri potuit, ne publica, qua notatus erat, ignominia permanente in immodicam tristitiam proiiceretur in eaque desperans periret[1]. Quam apostolicam misericordiam et sollicitudinem admirans merito exclamat *S. Aug.* (c. ep. Parm. III. 1,3) : « Quid moderatius, quid diligentius, quid sollicitudine pia et paterna ac materna caritate plenius fieri aut dici potuit? Sicut peccanti adhibet emendationem, sic correcto et conterenti atque humilianti in poenitentia cor suum vult reddi consolationem : ne maiore, inquit, tristitia absorbeatur ».

Quin etiam quomodo recipiendus sit, praescribit : 8. *propter quod obsecro* (vel *exhortor* παρακαλῶ) *vos, ut confirmetis in illum caritatem.* Sicuti a superioribus ecclesiae publico decreto, quod maior fidelium pars (οἱ πλείονες) approbaverant et observarant, incestuosus erat expulsus, ita publico decreto eum iterum admitti voluit. Id verbum

1. Utrum Apostolus in metaphorico usu verbi καταπίνειν (bibendo deglutire, absorbere) belluae, a qua aliquis devoratur (cfr 1 *Petr.* 5,8 ζητῶν τίνα καταπίῃ), tristitiam comparasse dicatur, an mari ventis agitato, quo aliquis deglutitur (cfr *Hebr.* 11,29), parum interest: quin etiam cum *Chrys.* tres explicationes aeque probabiles habere poteris : « velut a bellua quadam, velut a tempestate, velut ab undis » (ὡς ἐπὶ θηρίου, ὡς ἐπὶ χειμῶνος, ὡς ἐπὶ κλύδωνος); idem enim semper manet metaphorae sensus, immodicam tristitiam ex *diuturniore* poena exortam peccatorem ad interitum esse adducturam. Quare recte *Theod.* « absorberi vocavit desperare et a fide plane deficere », atque forte rectius *Chrys.* : « quodsi dolorem ferre non amplius valet, desperata salute aut in laqueum ruet aut in maiorem deinceps iniquitatem ».

κυρῶσαι (*Vulg.* haud satis accurate : *confirmare;* melius *Tert.* et *S. Pacian.* : constituere) insinuat; a κῦρος (plena auctoritas) enim derivatum non tantum apud profanos scriptores sed etiam apud Alexandrinos (*Gen.* 23,20) et apud ipsum Paulum (*Gal.* 3,15) idem est, quod publica cum auctoritate decernere. *Caritatem* autem erga eum decernere iubentur, quae verba amplificans *Theod.* « unite, inquit, membrum corpori, adiungite ovem gregi, magnum animi affectum ei exhibete ». Neque sine ratione Apostolus hanc expressionem elegit, ut plenam et perfectam restitutionem incestuosi significaret; velut genuinum enim fratrem ab omnibus eum iterum considerari et tractari voluit, ita ut « perfecte recognosceret, se veniam esse consecutum ». Iuxta *Chrys.* quidem, quem haud pauci sequuntur (cfr *Thom. Dion. Cai. Iust. Est. Nat.* etc. — *Heinr.* etc.), Paulus in hac sententia « obsecrat et, praecipere quum possit, intercessoris partes apud Corinthios suscipit »; at verbum παρακαλεῖν, quod *Vulg.* verbo *obsecrandi* reddidit et moderni plurimi sensu exhortandi sumunt, etiam significat *admonendo praecipere* (cfr 1 *Tim.* 6,2; *Tit.* 2,15), atque haec significatio in nostrum locum quadrat. Sicut in praecedente epistola quid de impoenitente faciendum esset, praeceperat, ita Apostolus, quid de poenitente nunc agendum sit, praecipit; cur vero expulsionem quidem praecepisse, restitutionem autem supplex petiisse aut suasisse dicatur, nulla est ratio.

Ac profecto, ut de vero praecepto verba explicata intelligamus, sententia sequens postulat, qua eundem esse finem asserit Paulus et eorum, quae in priore epistola scripsit, et eorum, quae nunc scribit : 9. *ideo enim et scripsi* (ἔγραψα), *ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis.* Aoristo ἔγραψα (*scripsi*) haec ipsa, quae nunc de decernenda caritate scripsit, designari, omnium fere Patrum et antiquorum interpretum sententia est, qui hunc esse sensum arbitrantur : « ut videam, si quomodo obaudistis in vindicando, ita obaudiatis in indulgendo » (*Pel.*), « oportet enim vos non solum secanti, sed etiam coniungenti cooperari » (*Theod.* cfr *Chrys.* etc., *Prim. Sed. Herv. Lomb. Thom.* etc., *Cai. Salm. Iust. Pic. M Er.* etc., — *Beng. Olsh.* etc.). Aptam hanc esse explicationem atque proximo contextui consonam, non negamus; nihilominus si ad *v.* 3. respicimus, in quo aoristum ἔγραψα de priore epistola rectius intelligi ostendimus, cum modernis interpretibus longe plurimis, praeeunte ut videtur A^tro^, alteram explicationem praeferendam censemus, quae hic quoque priorem epistolam designari docet (cfr *Est. Nat. Bisp. Mai. LR. Dr. Ramb.* — *Heinr. Schn.* etc.). Hic ergo sensus senten-

tiae eiusque cum praecedente nexus erit : « iure merito praecipio, ut nunc caritatem decernatis; nam etiam in priore epistola, quum vobis praeciperem, ut peccatorem eiiceretis, non id intendi, ut severissime ad omnem iuris rigorem agens infelicem ad desperationem adducerem, sed ut probatam obedientiae vestrae indolem cognoscerem »; obedientia scilicet Corinthiorum a peccatoris societate abstinentium eum ad poenitentiam adduci voluit. Quare a vero *Chrys.* aberrat, quum Paulum ad obedientiam neophytorum probandam scripsisse diserte negat; siquidem solam peccatoris salutem eum prae oculis habuisse, atque hac loquendi formula eum ideo tantum esse usum censet, ut eos ad obedientiam impelleret (cfr etiam *Theoph.*). Corinthiorum enim obedientia et conversio peccatoris intime inter se cohaerebant atque unum solum finem constituebant. Ceterum sive prior antiquorum, sive haec modernorum explicatio praefertur, illud semper elucet, Paulum ea, quae de indulgentia hic scripsit, eaque, quae de poena antea statuit, inter se comparare atque utrisque eundem finem assignare; unde recte concludimus, eum hic praecepisse, sicut in priore epistola praecepit. Atque idem clarius patebit consideranti, eum eandem obedientiam nunc exspectare, quam se in expulsionis praecepto iam invenisse innuit; obedientia autem praeceptum, minime vero petitionem aut suasionem aut etiam exhortationem solam supponit.

Particula καί (ideo *et* scripsi) duorum finium, eius quem in expulsionis praecepto eiusque quem in restitutione habuit, comparationem a Paulo indicari clarum est. Neque enim recte alii particulam ita explicant, ut Paulum praeter alios fines, quos scribendo intendit, etiam hunc habuisse dicant, ut obedientiae experimentum faceret (*Est. Bisp.* etc.); neque enim legitur : ἔγραψα γὰρ καὶ εἰς τοῦτο, sed εἰς τοῦτο γὰρ καὶ ἔγραψα. Neque rectius pauci moderni acath. (*Rück. Mey. Kl Br.* etc.) particulam ideo adhiberi dicunt, quia Paulus ea, quae aut praesens dixerit aut per legatum (Titum?) mandaverit, cum hac vel cum priore epistola comparare voluerit; eiusmodi enim mandata verbis data, quae literis scriptis opponantur, sine causa temere finguntur.

Latina expressio : *ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis*, nec clara est nec satis accurata; clarius et accuratius *Tert.* (l. c.) : « ut cognoscam probationem vestram, quod (lege : an) in omnibus obauditis mihi » et, si ad solum sensum attendimus, *Aler* : « ut probarem, an in omnibus obedientes sitis ». Vocabulum δοκιμή a Paulo solo adhibitum, quod a *Vulg.* plerumque redditur *experimentum* (2,9; 8,2; 13,3; *Phil.* 2,22), aliquoties *probatio* (9,13; *Rom.* 5,4 bis; saepius non legitur), priorem significationem revera ita interdum admittit, ut id indicet, quo aliquis num certam qualitatem habeat exploratur (8,2) aut quo se illam habere demonstrat (13,3). At in omnibus aliis locis, uti etiam hic, sensu passivo significat indolem iam probatam et spectatam; eos revera probatos esse cognoscere voluit Paulus, quum eis praeceptum satis difficile imponeret, ut videret, si in omnibus (non in excommunicando et in recipiendo, uti volunt antiquiores, sed in

omnibus, sive levia et iucunda, sive difficilia et molesta, uti erat eiectio incestuosi, iubentur) obedirent.

Ut eos ad novam obedientiam praestandam promptiores reddat, addit, se remissionis decretum, quod eos laturos esse confidit, iam nunc approbare ratumque habere : 10. *cui autem aliquid donastis* (lege : *donatis* cfr *VV. LL.*), *et ego* condono. Sententia haec, quamvis universalis esse videatur, ipso contextu arctioribus limitibus ita includitur, ut de solo incestuoso intelligatur oporteat. Ne vero nimiae severitati indulgentes praecepto obedire recusent, suum exemplum eis imitandum proponit; ipse enim in poena imponenda propter Corinthios sese mitem et misericordem exhibuit, ergo neophyti quoque propter Apostolum se nunc in remittenda diuturniore poena misericordes exhibere debent : *nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi* sc. donavi. Communiore sententia relicta in praecedente epistola explicanda (cfr ad 1 *Cor.* 5,5 p. 123) diximus, Paulum dignum quidem iudicasse incestuosum, qui sollemni decreto ex Ecclesia expulsus satanae traderetur in interitum carnis, ab hac tamen gravissima poena irroganda sese abstinuisse atque id solum Corinthiis praecepisse, ut eum e coetu suo excluderent eiusque deinceps societatem defugerent. Quod si Paulum hoc in loco ad maioris illius poenae remissionem respexisse dicamus, sententia per se clara est; difficillime vero explicatur, si incestuosum satanae ab Apostolo revera traditum esse cum communiore opinione admittitur; de qua enim condonatione iam facta (κεχάρισμαι) hac in hypothesi Paulus loquatur, nemo facile dixerit. Plane erronee enim unus alterve perfectum hoc in loco aequare futurum dixit (*Ramb.*); at erronee quoque usus praeteriti ita explicatur, ut Paulus condonationem, de qua hucusque egit quamque Corinthiis faciendam praecepit, apud se facere iam statuisse ideoque iam fecisse dicatur (*Est*[1]. *M Ev. Bisp.* etc.); siquidem remissionem poenae, quam in priore membro (cui *condonatis*, et ego *condono*) velut praesentem vel potius futuram descripsit, in altero membro immediate sequente iam factam esse, parum apte dixisset, et multo minus apte secundum membrum ab emphatica repetitione pronominis inchoasset (vobiscum *et ego* condonabo; nam *et ego* apud me iam condonavi; dicendum enim erat : nam et *condonavi* iam apud me ipsum). Ad quam difficultatem solvendam non sufficit aliquorum modernorum responsio, in priore membro de iniuria ecclesiae illata, quam Corinthii condonaturi sint, in altero de iniuria Apostolo illata, quam ipse iam condonaverit, esse sermonem (*Heinr. Goeb.* etc.); de iniuriis enim con-

donandis non agitur, sed de poena diuturniore remittenda. Neque melior est antiquiorum nonnullorum solutio, Paulum in secundo mèmbro de aliis peccatoribus corinthiis loqui, quibus antea praesens iam poenas remiserit (cfr *Haym. Dion. Cai. Est*[2]. etc.); anteriores enim illae condonationes, de quibus nihil traditum est, ad effugiendam tantum difficultatem finguntur. Recte tamen hi omnes tenent, Apostolum in hoc altero membro suam agendi rationem Corinthiis velut exemplum imitandum proposuisse, quo eos ad indulgendam veniam incitaret; atque multo longius a vero nonnulli moderni acath. aberrant, qui perfectum κεχάρισμαι sensu passivo explicantes Paulum conversionis gratiam, quam adeptus est, tamquam rationem afferre dicunt, cur ipse quoque ad condonandam poenam sit pronus (« cui aliquid condonatis, et ego condono; nam etiam illud, quod mihi condonatum est, si quid mihi est condonatum, propter vos mihi est condonatum, ut nimirum vos ad fidem adducerem » *Rück*. etc.); nam vix minus grammaticae, quae passivum hunc perfecti κεχάρισμαι usum ignorat, et contextui, qui de Apostoli ipsius conversione cogitari vetat, quam menti Pauli, qui tam leviter et dubitanter de conversionis suae gratia loqui non solet (cfr 1 *Cor.* 15,9; 1 *Tim.* 1,13), haec explicatio repugnat.

Apostolum igitur de gravioris poenae, qua incestuosum iudicaverat dignum, remissione loqui arbitramur; neque huic explicationi hypotheticus loquendi modus (*si quid condonavi*) obstat, quippe quo ob eandem causam, uti supra (*v*. 5), utatur, ne poenitenti peccatori novum pudorem incutiat. Corinthiorum porro causa (*propter vos*) se minorem pro maiore poenam elegisse asserit, quatenus neophytos, qui turpissimum illud crimen tamdiu impunitum reliquerant, gravioris poenae irrogatione perterrere et confundere noluerat; quo enim cum iure *Theod.* aliique ex his verbis deducant, Corinthios « per beatos viros Timotheum et Titum pro peccatore intercessisse », equidem non video. « Ne quis tamen existimaret, eum propter hominum gratiam curam iustitiae neglexisse, subiunxit *in facie Christi*, i. e. tamquam Christo intuente eaque quae fiunt rata habente » (cfr *Theod.*). Graecam locutionem ἐν προσώπῳ Χριστοῦ *Vulg.* hoc in loco vertit *in persona Christi;* quare latini quoque expositores longe plerique quum antiqui (*A*[ter] *Pel.* etc., *Thom. Lyr.* etc.) tum iuniores (*Cai. Est. Lap.* etc.) et moderni (*M Év. Bisp. L R.* etc.) explicant : « nomine, vice, auctoritate Christi, cuius personam gerebat Apostolus ». Quam explicationem ex Graecis quoque cum *Chrys.*, qui eam tertio in loco proponit (aut secundum Deum, aut ad gloriam Christi, aut Christo etiam hoc imperante), *Oec.* et *Theoph.* approbant. Attamen haud

immerito *Iust.* ambigit, num graecae locutionis ratio eam versionem et explicationem admittat. Namque eadem haec locutio infra (4,6) a *Vulg.* ipsa redditur *in facie Christi;* apud Alexandrinos vocabula ἐν προσώπῳ hebraico לִפְנֵי (in conspectu, coram *Prov.* 8,30) respondent; supra quoque (cfr ad 1,11) iam monuimus, nullo in Novi Test. loco vocabulum πρόσωπον ita adhiberi, ut ei significationem *personae* attribuere cogamur. Quapropter versionem *in facie* vel *in conspectu Christi* praeferimus; neque tamen hac locutione solam remissionis sinceritatem (coram Christo i. e. ex animo et vere condonavi) significari certum est, id quod ad formulae sollemnitatem non attendentes cum *Calv.* pauci moderni acath. (*Schn.* etc.) putant; cum *Theod.* enim explicanda est : *Christo intuente et approbante,* ita ut sensu haec versio ab altera vix discrepet (cfr *Iust. Nat*[2]. *Mai. Ramb.* etc. — *Heinr. Goeb. Grimm* etc.).

Demum velut finem diuturnioris poenae condonandae Paulus fraudem satanae vitandam indicat : 11 *ut non* (ἵνα μὴ *ne*) *circumveniamur a satana; non enim ignoramus cogitationes eius.* Verba haec cum priore membro praecedentis versus coniungimus (*cui aliquid condonatis, et ego condono*) atque alterum membrum (*nam et ego* etc.) pro parenthesi habemus; ita enim usus primae pers. pluralis facilius explicatur. Neque tamen quidquam obstat, quominus illa etiam alteri membro adnectamus, ita ut Apostoli misericordia, qua ad fraudem satanae evitandam incestuoso mitiorem poenam irrogavit, Corinthiis tamquam exemplum imitandum proponatur. Graecum verbum πλεονεκτεῖν *Vulg.* nostra semper reddit *circumvenire* (7,2; 12,17 sq.; 1 *Thess.* 4,6), idque recte, siquidem significat lucro aliquem praevenire vel iuxta *Chrys.* fraude alienam rem occupare; quare apta quoque est *Tert.* versio : ne *fraudemur* a satana, minus apta vero lectio altera latina : ne *possideamur* (*S. Pac. S. Aug. A*[ter]). Nam id vult Apostolus, satanam etiam per speciem pietatis interdum nobis exitium inferre; superiores enim ad nimiam severitatem incitans subditos ad desperationem et interitum perducere potest. Pulcherrime *S. Ambr.* (de poenit. I. 17) : « vult semper nocere, semper circumvenire, ut mortem inferat; sed debemus cavere, ne remedium nostrum fiat eius triumphus; circumvenimur enim ab eo, si per nimiam obstinationem (nostram) pereat, qui potest liberari per (nostram) indulgentiam »[1]. Ne quis tamen putet, fraudem hanc satanae non esse timen-

1. Recte quidem, sed minus ad rem *Chrys.* : « Neque enim hinc solum, quod aliquem ad stuprum inducat, sed a contrario quoque perniciem afferre potest, nimirum ab immodico moerore ex poenitentia contracto. Quum igitur una cum suis etiam nostris armis abutatur, quum et peccare iubens perdat et etiam, si nos poenitentiam iniungimus, rapiat, nonne

dam, subiungit : *non enim ignoramus cogitationes eius* [1]; quae in verba *Chrys.* : « non ignoramus, quam multiplex, quam vafer, quam veterator et versutus sit, quam denique sub pietatis obtentu infestum hostem se nobis praebeat ». Quodsi aliqui cum *Thom.* monent « veram esse hanc sententiam in generali; sed in speciali neminem posse scire eius cogitationes praeter solum Deum » (*Dion. Est.* etc.), Apostolum sensu generali loqui per se clarum est.

Ab haud paucis theologis inde a S. Thomae (cfr Summ. theol. Suppl. qu. 25. a. 1) aetate hic locus adhibetur, ut Ecclesiae potestatem vindicent concedendi indulgentias, i. e. remittendae poenae temporalis, quam etiam post culpae aeternaeque poenae reatum remissum peccator Deo adhuc solvere tenetur. Neque immerito; quamvis enim de indulgentiis stricto sensu non agat, sufficiens tamen praebet doctrinae catholicae fundamentum. Proxime et directe quidem sermo est de recipiendo incestuoso in Ecclesiam, vel iuxta hodiernum loquendi usum de solvendo excommunicationis vinculo, quod eo tempore, quo Paulus scripsit, nondum solutum fuisse tantum non omnes interpretes recte tenent; at haec receptio, quum fiat, antequam integra poena peccato debita sit soluta (cfr ad *vv.* 6, 7), est vera condonatio poenae temporalis ab Ecclesia impositae. Cum hac vero remissione diuturnioris poenae ecclesiasticae coniunctam simul fuisse remissionem poenae Deo adhuc debitae iure concludimus; S. Thomae enim argumentationem adoptantes dicere possumus : Nisi poena Deo debita simul esset remissa, Paulus poenam ecclesiasticam condonans peccatorem poenitentem magis damnificasset quam adiuvisset, quum eum ad graviores poenas in purgatorio solvendas obligasset; atqui hanc Pauli mentem non fuisse, clarum est. Ceterum in explicatione momenta praecipua, quae ad argumentum explicandum et confirmandum requiruntur, indicavimus.

3. *Gratias agit Deo, a quo tamquam sincerus minister sit approbatus* (2,12-17).

2,12. *Quum venissem autem Troadem propter evangelium Christi, et ostium mihi apertum esset in Domino,* 13. *non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum : sed valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam.* 14. *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, et odorem notitiae suae*

2,12. Ἐλθὼν δὲ εἰς τὴν Τρῳάδα εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, καὶ θύρας μοι ἀνεῳγμένης ἐν Κυρίῳ, 13. οὐκ ἔσχηκα ἄνεσιν τῷ πνεύματί μου, τῷ μὴ εὑρεῖν με Τίτον τὸν ἀδελφόν μου, ἀλλὰ ἀποταξάμενος αὐτοῖς ἐξῆλθον εἰς Μακεδονίαν. 14. τῷ δὲ Θεῷ χάρις τῷ πάντοτε θριαμβεύοντι ἡμᾶς ἐν τῷ Χριστῷ καὶ τὴν ὀσμὴν τῆς γνώσεως αὐτοῦ φανεροῦντι

istud πλεονεξία est? Non enim sufficit ei, per peccata nos deiicere, sed per poenitentiam, nisi attenti sumus, idem efficit. Atque ideo merito dicitur πλεονεκτεῖν, quia per ea quoque, quae nostra sunt, victoriam adipiscitur. Etenim per peccatum capere ipsi est proprium, at per poenitentiam, non item; nostrum enim, minime vero illius, est hoc armorum genus ».

1. In vertendo vocabulo νοήματα, quo Paulus utitur, *Vulg.* sibi non constat; hic vertit *cogitationes;* infra 3,14 et 11,3 *sensus*, 4,4 *mentes* et *Phil.* 4,7 *intelligentias* (saepius non legitur; singularem νόημα reddit *intellectum* 10,5). Proxime significat *cogitata* atque spe-

manifestat per nos in omni loco : 15. quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt : 16. aliis quidem odor mortis in mortem : aliis autem odor vitae in vitam. Et ad haec quis tam idoneus? 17. Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.

δι' ἡμῶν ἐν παντὶ τόπῳ, 15. ὅτι Χριστοῦ εὐωδία ἐσμὲν τῷ Θεῷ ἐν τοῖς σωζομένοις καὶ ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις, 16. οἷς μὲν ὀσμὴ ἐκ θανάτου εἰς θάνατον, οἷς δὲ ὀσμὴ ἐκ ζωῆς εἰς ζωήν. καὶ πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός; 17. οὐ γάρ ἐσμεν ὡς οἱ πολλοὶ καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ ὡς ἐξ εἰλικρινείας, ἀλλ' ὡς ἐκ Θεοῦ κατέναντι τοῦ Θεοῦ ἐν Χριστῷ λαλοῦμεν [1].

Quis huius pericopae cum praecedente sit nexus, facile apparet; argumentum enim in priore explicatum nova ratione confirmatur. Ob singularem scilicet, qua ecclesiam corinthiam amplectebatur, caritatem se pristinum itineris consilium mutasse Apostolus asseruerat (1,23) atque singularem suam caritatem demonstraverat iis enumeratis, quae egerat, ne in tristitia Corinthum reverti cogeretur; quin etiam impedimentum ultimum, quod ex priore sua epistola exortum laeto suo adventui obstare videbatur, e medio abstulerat diuturniorem poenam incestuoso condonans. Iamvero in hac particula caritatem suam demonstrat descripta anxietate, qua oppressus erat, antequam per Titum, quem post priores literas scriptas Corinthum ablegaverat cuiusque reditum Troade frustra exspectaverat, de fructibus, quos epistola tulisset, certior erat factus (2,12. 13); Titum autem in Macedonia obviam habuit, atque de bonis nuntiis per eum allatis Deo ita gratias agit, ut eum simul celebret propter auxilium sibi in toto ministerio praestitum, quo factum sit, ut tamquam sincerum Deo ministrum semper et ubique sese exhibuerit (2,14-17).

Si ad chronologicum nexum attendimus, *v.* 12 sq. immediate cum *v.* 1. vel potius cum *vv.* 3, 4. connectatur oportet, ita ut ea, quae de incestuoso sunt dicta, digressionem quandam constituant, non minus arcte autem, quam notae ipsae historicae, cum toto argumento cohaereant; eadem enim ratione, qua illae, continuam Apostoli de Corinthiis sollicitudinem demonstrant atque eorum animos ad eius apologiam recipiendam promptiores reddunt (cfr *Proleg.* 2).

ciatim *consilia* prava (2,11), aliis autem omnibus in locis de cogitandi facultate usurpatur, quatenus nimirum sese suis actibus manifestat (11,3). Hoc in loco *Atr* habet *astutias*, *Sed.* vero *versutias*, *Tert.* minus recte *iniectiones* atque minus recte *S. Aug.* quoque *mentes*. Quum Paulus ea consilia satanae intelligat, quibus sub specie boni ad malum incitat, versiones *Atri* et *Sed.* bona sunt vocabuli interpretamenta.

1. *VV. LL.* — 12. εἰς τὸ εὐαγγέλιον (in evangelium) est communis lectio, quam etiam *S. Aug.* (de praedest. SS. 20) sequitur; sed F G et pauci minusc. cum Latinis : διὰ τὸ εὐαγγέλιον (*propter evangelium*); cfr *Chrys.* εἰς τὸ εὐαγγέλιον, τουτ' ἔστιν διὰ τὸ εὐαγγέλιον. Male D E : διὰ τοῦ εὐαγγελίου (*per* evangelium). — Pro genet. absol. καὶ θύρας μοι ἀνεῳγμένης F G cum *It.*, *Vulg.* legunt : καὶ θύρα μοι ἦν ἀνεῳγμένη (*et ostium mihi*

« Modo illis vult probare, quanto amplius eos diligat : quorum causa tantum sollicitus est, ut quum essent illi omnia prosperata, nullam requiem habuerit, quia Titum, quem ad eos videndos miserat, non invenit, timens iam, ne minime eos correxisset, quia nondum ei quidquam renuntiaverat Titus; cito igitur inde egressus est, quamvis occasionem habuerit praedicandi » : hac ratione *Pel.* satis accurate priores huius particulae versus explicat. 12. *Quum venissem autem Troadem propter Evangelium Christi et ostium mihi apertum esset in Domino,* 13. *non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum* (cfr ad 1,1), *sed valefaciens eis profectus sum in Macedoniam.* Quemadmodum in Proleg. diximus, Paulus Epheso Corinthum miserat Titum, ut quam in partem neophyti increpationes monitaque prioris epistolae accepissent, diligenter observaret; quumque ipse brevi post per Asiam Min. in Macedoniam proficisci voluisset, discipulum, ut Troadem ipsi nuntios afferret, commendaverat. At Demetrii argentarii seditione Ephesum citius quam statuerat relinquere coactus Troadem adveniens Titum nondum invenit eumque per aliquot dies frustra exspectavit. Magna quidem ibi se ei obtulit opportunitas propagandi Evangelii (de metaphora *ostium mihi apertum est* cfr ad 1 *Cor.* 16,9), ita ut, quia animi bene erant dispositi, ecclesia iam antea Troade fundata (*Act.* 16, 8), in hoc secundo adventu, quem Lucas silentio praetermittit[1], laeta cepisset incrementa, nisi anxietas de Corinthiorum conditione eum iter in Macedoniam statim pergere coegisset, ut legatum suum citius inveniret. Pulchre dicit se *spiritui suo* (τῷ πνεύματί μου cfr *ad* 1 *Cor.* 2, 13) *requiem non habuisse*, innuens cuius generis et quanta fuerit anxietas : nam « non dixit : non habui requiem carni meae vel corpori, sed spiritui meo, i. e. volun-

apertum esset). — 16. ὀσμὴ ἐκ θανάτου... ὀσμὴ ἐκ ζωῆς (odor *ex* morte... odor *ex* vita) B ℵ A C, pauci minusc., sat multi PP. antiquiores, *Copt.*, *Aeth.*; sed *textus rec.* omissa praepositione : ὀσμὴ θανάτου... ὀσμὴ ζωῆς (*odor mortis... odor vitae*) cum D E F G K L, plerisque minusc., iunioribus PP., *It.*, *Vulg.*, *Arm.*: priorem lectionem praeferunt moderni critici *Lachm. Tisch. W H. Treg.* — 17. ὡς οἱ πολλοί (*sicut plurimi*) B ℵ A C K, plerique minusc., *It.*, *Vulg.*, *Copt.*, *Aeth.*; minus apte ὡς οἱ λοιποί (sicut ceteri) D E F G L, haud pauci minusc., aliqui PP., *Syr.*, *Arm.* — ὡς ἐξ εἰλικρινείας (sicut ex sinceritate) est communis lectio graeca; sed F G cum *It.*, *Vulg.*, *Copt.*, *Goth.* omittunt particulam comparativam. Item F G cum nonnullis Latinis (*A*ter etc.) et paucis codd. *Vulg.* (*Fuld. Demid.*) omittunt particulam ἀλλά in secundo membro (ἀλλ' ὡς ἐκ Θεοῦ, *sed sicut ex Deo*).

1. Erronee *S. Hier.* (ep. 120,11), quem antiquiores multi secuti sunt (cfr *Haym. Thom. Dion.* etc.), Paulum de primo suo adventu (*Act.* 16,8) loqui coniecit ad tempus, quo fundata est ecclesia corinthia (*Act.* 18,1 sqq.), non attendens. — Secundus adventus eius inserendus est *Act.* 20,1; in reditu deinde ex tertia expeditione apostolica Apostolus tertia vice venit Troadem *Act.* 20,7 sqq.).

tati meae spirituali, quae est, ut Christum firmem in cordibus hominum » (*Thom.*). Revera infra (7,5) quidem se etiam carni suae requiem non invenisse ait persecutiones externas simul, quas in Macedonia passus est, designans; sed Troade sollicitudine tantum sua apostolica paternoque suo erga neophytos affectu in tantam iniectus est anxietatem, ut ne munere quidem suo apostolico rite fungi posset oblatamque Evangelii propagandi opportunitatem negligere deberet.

Quoniam Corinthii per Titi relationem iam sciverunt, quo in loco magistrum suum convenire iussus esset, atque eum per legatum suum novos de ipsorum rebus nuntios exspectasse facile coniecerunt, mirum non est, quod abrupto quodam modo tota haec res adumbretur potius quam exponatur, causa vero, ob quam Paulus de Titi absentia tantopere afflictus fuerit, accuratius non exprimatur. Mirum autem videri potest, quod praeter *Pel.*, quem *Prim. Sed.* aliique paucissimi sequuntur, antiquiores interpretes hanc causam non deprehenderint atque ipse *Cai.* diserte fateatur, se non invenire, cur Apostolus tam inquietus fuerit. Graeci eius tristitiam ex eo potissimum derivant, quod Titi auxilio ad praedicationem indiguerit (cfr *Chrys. Theod.* etc.); quae in hunc modum explicare conatur *S. Hier.* (ad Hedib. ep. 120,11) : « Aliquoties diximus Apostolum Paulum virum fuisse doctissimum et eruditum ad pedes Gamalielis... quumque haberet scientiam Scripturarum et sermonis diversarumque linguarum gratiam possideret, unde ipse gloriatur in Domino (1 *Cor.* 14,18), divinorum sensuum maiestatem digno non poterat graeci eloquii explicare sermone; habebat ergo Titum interpretem, sicut et beatus Petrus Marcum, cuius evangelium Petro narrante et illo scribente compositum est... ergo et Paulus Apostolus contristatur, quod praedicationis suae in praesentiarum fistulam organumque, per quod Christo caneret, non invenerat... Ergo propterea valefaciens Troadensibus profectus est in Macedoniam, ut inveniret Titum et haberet interpretationis Evangeliique solatium ». Quae Hieronymi sententia in *Glord.* recepta non parum iuniorum ingenia cruciavit, quum non viderent, quomodo dono linguarum, quod ad praedicationem Apostolis datum esse tenebant, non obstante Paulus interprete indiguisset. Quamobrem iam media aetate aliqui (cfr *Haym. Thom. Lyr.* etc.) A^lri explicationem vix aptiorem praetulerunt, quam ita proponit *Thom.* : « Apostolo multa Troade imminebant facienda : ex una parte debebat praedicare his, qui parati erant recipere Christum per fidem, ex alia parte resistere debebat adversariis, a quibus impediebatur; et quia non potuit solus ista facere, angustiabatur de absentia Titi, qui institisset praedicationi et conversioni bonorum, et Apostolus restitisset adversariis ». Ut omittamus, Paulum alios discipulos, inter quos Timotheus fuit, secum habuisse, interrogare licet, num is, qui se omnia, quae utilia sunt, facere non posse videt, omnia relinquere et abire debeat? Iure merito igitur *Pel.* expositio supra proposita inde ab *Est.* tempore, qui eam probabiliorem dixit, velut certa traditur ab omnibus; in eo tamen plerique a *Pel.* recte recedunt, quod verbis *valefaciens eis* (Troadensibus ἀποταξάμενος αὐτοῖς) praeproperam profectionem significari negant; ea enim est verbi ἀποτάσσεσθαι vis, ut Apostolum, antequam proficisceretur, res ad ecclesiae illius profectum necessarias disposuisse insinuet (cfr *Act.* 18,18. 21; *Luc.* 9,61). Quomodo vero Apostolus ecclesiis ultimum vale dicere solitus fuerit, conii-cere licet ex *Act.* 20,7. 11.

In Macedoniam ergo profectus Paulus in una ex istius provinciae

ecclesiis obvium habuit Titum, quem laetos de corinthiis rebus nuntios (cfr 7,6 sqq.) attulisse gratiarum actio docet, in quam prorumpit: 14. *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu.* Propriam suam infirmitatem Paulus Troade iterum erat expertus, quum prae afflictione et abiectione animi opportunitate praedicandi sibi oblata uti non potuisset; hinc consueto verborum ordine (*cfr* 8,16; 9,15; *Rom.* 6,17; 7,25 etc.) mutato Dei nomen cum emphasi praemittens (cfr 1 *Cor.* 15,57) ei gratias agit, a quo tantis in angustiis consolatione recreari et refici dignatus est. Neque de sola hac ultima consolatione gratias agit, sed simul omnium recordatur gratiarum, quibus *semper*, i. e. in toto suo ministerio apostolico, ita est confortatus, ut omnes Evangelii adversarios devicerit de iisque triumphum continuum egerit. Graeca locutio θριαμβεύειν τινά, uti latina *triumphare aliquem*, apud profanos quidem scriptores idem significat quod θριαμβεύειν ἀπό τινος (triumphare de aliquo) seu « in triumpho circumducere devictum », atque hoc sensu etiam a Paulo in unico altero loco, in quo reperitur (*Col.* 2,15), usurpatur; quare plerique moderni acath. (cfr *Mey. Heinr. Goeb.* etc.) eandem significationem locutioni hic attribuunt; neque plane dissentit *S. Hier.*[1]. Parum apte autem Deus Apostolos velut a se devictos in mundo circumducere atque ita triumphum agere dicitur; rectius vero cum antiquis et iunioribus plerisque verbo θριαμβεύειν factitivam significationem attribuimus[2], ut sit idem, quod « efficere, ut aliquis triumphum agat ». Hanc Graeci iam insinuant, quamvis de sola gloriosa manifestatione loquantur (*Chrys.* « qui nos apud omnes reddit splendidos », *Theod.* « qui nos huc et illuc circumagit nos omnibus manifestos efficiens »; cfr *Oec. Theoph.*), maxime autem Latini accuratius de victoria relata et de triumpho per Apostolos acto loquentes (*A*[ter] *:* « hoc est Deum triumphare Apostolos in Christo, victores illos facere in Christo »; *Pel.* « qui triumphare nos

1. *S. Hier.* (ad Hedib. ep. 120,11) duas quidem explicationes proponit : « *Triumphat nos* pro eo quod est *triumphum de nobis*, sive *triumphum suum agit per nos* ». Utram vero praetulerit, difficile est dictu, quum ambas permiscere et confundere videatur. Ita enim habet : « Triumphus Dei est passio martyrum et pro Christi nomine sanguinis effusio et inter tormenta laetitia. Quum enim quis viderit tanta perseverantia stare martyres atque torqueri et in suis cruciatibus gloriari, odor notitiae Dei disseminatur in gentes, et subit tacita cogitatio, quod nisi verum esset Evangelium, numquam sanguine defenderetur. Neque enim delicata et divitiis studens ac secura confessio est; sed in carceribus, in plagis, in persecutionibus, in fame et nuditate et siti; hic *triumphus est Dei Apostolorumque victoria* ».

2. Verba, quae apud antiquiores Graecos neutra sunt, a iunioribus et maxime ab Alexandrinis velut transitiva ad modum hebraici Hiphil haud raro usurpantur : μαθητεύειν *discere*, sed μαθητεύειν τινά efficere, ut aliquis discat, i. e. *docere* (*Matth.* 28,19); βασιλεύειν *regnare* et βασιλεύειν τινά *regem facere aliquem* (1 *Reg.* 8,22); ἀνατέλλειν *oriri* sed ὁ Θεὸς ἀνατέλλει τὸν ἥλιον Deus *oriri facit* solem (*Matth.* 5,45) etc. Cfr *Beelen* Grammat. Graecit. Nov. Test. p. 17.

facit in Christo » cfr *Prim. Sed. Haym.* etc., *Thom.* etc., *Cai. Salm. Est.* etc., *MEv. Mai. Bisp. Dr.* etc., — *Rück. Klöpp. Kl Br. Grimm* etc.). Iamvero *in Christo Iesu* eos triumphare facit, i. e. *per* Christum (*Pel.*), cui nimirum velut membra et instrumenta apostolici operarii sunt inserti; minus apte alii explicant : « propter Christum et praedicationem » (*Chrys.*), vel « in fide Christi » (*A*[ler]), vel « in praedicatione Christi contra adversarios » (*Thom.*) etc.

Alia deinde imagine in altero sententiae membro explicatur, quomodo Deus Paulum sociosque eius in Christo triumphare faciat : *et odorem notitiae suae* (vel cognitionis suae τῆς γνώσεως αὐτοῦ) *manifestat per nos in omni loco*. Genetivus *notitiae suae* est genetivus appositionis (cfr ad 1,22), quo metaphora explicatur : odorem i. e. cognitionem suam, vel si mavis : cognitionem *Christi*, siquidem pronomen αὐτοῦ aeque apte ad praecedens Θεῷ et ad Χριστῷ referri potest; sensus autem vix mutatur, quia expressione hac integrum argumentum atque summa praedicationis evangelicae intelligitur. Utrum ad hanc metaphoram adhibendam Apostolus suffimentorum, quae in via triumphali incendebantur, usu (*Ovid.* Trist. II. 4), id quod modernis nonnullis placet (*Mey. Heinr.* etc.), an unguentis, quorum frequentissimus erat usus, uti volunt Graeci (cfr *Chrys. Theod.* etc.), an incensis in sacrificiorum ritu usitatis sit adductus, per se parum interest; praeferenda tamen videtur tertia sententia, quia et in versu sequente et in aliis locis, in quibus Paulus hac metaphora utitur (*Eph.* 5,2; *Phil.* 4,18), de sacrificiorum nidore (*Lev.* 1, 9. 13. 17) aut de thure in sacrificiis accenso (*Lev.* 2,2) sermo est. Aptissime vero *cognitio Dei* (vel Christi) per Apostolos ubique annuntiata suavi sacrificii odori comparatur, qui sua quasi sponte in omnes partes sese diffundit omniaque penetrat. Ad contextum autem non satis attendunt, qui imaginis rationem in eo deprehendentes, quod praesens nostra cognitio Dei sit imperfecta et obscura, huc ea trahunt, quae de fidei obscuritate Apostolus in praecedente epistola (1 *Cor.* 13,12) docuerat (*Chrys. Theod.* etc., *Iust. Nat.* etc.). Longissime quoque tertium comparationis repetunt, qui Apostolum de suis persecutionibus et tribulationibus cogitasse autumant, quia res odoriferae, si *conterantur*, vehementius oleant odoremque longius spargant (*Est. Pic.* etc.).

Iamvero de laborum suorum profectu bonoque successu Deo gratias agens fructus ministerii sui ad calumniam levitatis et inconstantiae refutandam adhibet; velut rationem enim, ob quam a Deo adiuvari meruerit, fidelitatem sinceritatemque indicat, qua munere suo semper functus est (15-17). Ideo enim, inquit, per nos Deus odorem (τὴν ὀσμήν) cognitionis suae ubique manifestat, 15. *quia Christi bonus odor*

(εὐωδία) *sumus Deo in iis qui salvi fiunt et in iis qui pereunt* (ἐν τοῖς σωζομένοις καὶ ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις cfr ad 1 *Cor.* 1,18). Imaginem aliquantulum mutari censent plerique, quia in superiore versu cognitio Dei annuntiata bonus odor vocetur, in hoc autem Apostoli praedicantes dicantur bonus odor; attamen εὐωδία, quo nomine Paulus nunc utitur, significat etiam rem fragrantem, quae bonum odorem (τὴν ὀσμήν) spargit (cfr ὀσμὴ εὐωδίας *Eph.* 5,2; *Lev.* 1,9 etc.), ita ut mutationem imaginis admittere non cogamur, quoniam etiam in praecedente sententia Apostoli iam velut « thuribula regia odorem spiritualis unguenti spirantia » (cfr *Chrys. Theoph.*) considerantur. Deo autem bonus odor Christi sunt Apostoli, quia Christus in eis vivit (*Gal.* 2,20) atque unicum argumentum praedicationis eorum est (cfr ad 1, 19); hinc semper quoque et ubique bonus odor Christi sunt, sive eorum praedicatio recipitur, sive respuitur. Optime *S. Hier.* (ad Hedib. ep. 120,11) : « Nominis Christi in omni loco bonus odor sumus Deo et praedicationis nostrae longe lateque spirat fragrantia. Sed quia homines suo arbitrio derelicti sunt (neque enim bonum necessitate faciunt, sed voluntate, ut credentes coronam accipiant, increduli suppliciis mancipentur), ideo odor noster, qui per se bonus est, virtute eorum, qui suscipiunt sive non suscipiunt, in vitam transit aut mortem, ut qui crediderint salvi fiant, qui vero non crediderint pereant ».

Pro diversa tamen hominum dispositione diversimode bonus odor Christi vim virtutemque suam manifestat; **16.** *aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitae in vitam* vel secundum aliorum codd. graecorum lectionem : *aliis quidem odor ex morte ad mortem, aliis autem odor ex vita ad vitam.* Iuxta priorem lectionem solus diversus effectus indicatur : pereuntibus Christus fit odor mortis, i. e. mortifer, qui eos ad mortem aeternam adducit, aliis fit odor vitae, i. e. vivificans, qui eos ad vitam beatam perducit. Iuxta alteram causa quoque praeter effectum indicatur : ex spirituali enim morte, quae in pereuntibus sese iam manifestat, consequitur, ut bonus Christi odor sit eis ad mortem aeternam, atque praedicatio iis, qui eam respuunt, maioris damnationis fiat causa; contra ex vita, qua illi, qui in via salutis sunt, iam vivunt, consequitur, ut eis bonus odor Christi sit ad vitam aeternam. Ad secundam explicationem *Thom.,* quamvis consuetam lectionem latinam exponat, prope accedit : « aliis quidem est odor mortis, i. e. invidiae et malitiae occasionaliter ducentis eos in mortem aeternam...; aliis autem odor vitae, i. e. dilectionis et bonae opinionis ducentis eos in vitam aeternam ». Qua in explicatione *Thom.* ex parte sententiam *S. Aug.* sequitur, qui verba haec (cfr in Ioan. tract. 50,7 sq.; Enarr. in Ps. 7. n. 15; in Ps. 44. n. 22; Serm. 273,5; De

praedest. Sanct. 20, etc.) de solo modo, quo auditores erga suos praedicatores affecti sint, utrum illos nimirum ament an illis invideant, semper intelligere videtur; at quin universali sensu sint intelligenda de tota auditorum dispositione, non est dubium. Sicut Dominus ipse positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, ita Apostoli quoque Christum praedicantes aliis in mortem, aliis in vitam sunt; atque sensum recte exprimit *Prim.* : « sicut solis aspectus sanis oculis claritatem, lippientibus caecitatem affert, ita doctrina Christi obedientibus vita, contradicentibus mors est », atque *S. Greg. Nyss.* (cfr *Oec.*) : « pro uniuscuiusque habitu bonus odor ei aut vivificans aut mortifer est »[1].

Magna haec est dignitas, quod aliquis tamquam bonus Christi odor istos effectus producat, neque omnibus conceditur, sed iis solis, qui ea digni sunt; hinc merito interrogat Apostolus : *Et ad haec quis* (*tam*) *idoneus?* Particulam *tam* praeter graecos codd. omnes versionesque etiam antiquiores Latini plerique (cfr *S. Aug.* ll. cc. *A[ter] Sed.*) omittunt, idque recte, siquidem sermonem, uti bene adnotat *Est.*, arrogantiorem reddit (quis tam idoneus, quam nos?). *S. Aug.*, quem paucissimi (*Herv.* etc.) sequuntur, verba haec de praecedentis sententiae obscuritate semper explicat (quis ad haec *intelligenda* est idoneus); reliqui omnes ad contextum accuratius attendentes interrogari tenent, quinam idonei sint ad id praestandum, ut tamquam bonus Christi odor aliis ad mortem, aliis ad vitam sint. Cui interrogationi directe non respondetur, sed responsum ex versu sequente facile suppletur : nos, ego et Silvanus et Timotheus (1,19) aliique genuini operarii ad haec idonei facti sumus. Etenim rationem Paulus affert et negativam et positivam, qua se sociosque suos huic muneri idoneos esse probat : **17** *non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed tamquam* (ὡς cfr *VV. LL.*) *ex sinceritate, sed sicut* (ὡς *tamquam*) *ex Deo coram Deo in Christo loquimur*. Verbum καπηλεύειν, quod *Vulg.* reddidit latino *adulterare*, proprie significat cauponem (κάπηλον) agere; quia vero caupones, ut maius lucrum habeant, vino interdum aquam admiscent, verbum etiam significat *lucri causa rem corrumpere* vel adulterare. Recte igitur antiqui Latini (cfr *Pel. Prim. Sed.* etc.) ac si pro *adulterantes* legissent *cauponantes*, verba *Is.* 1,22 iuxta Alex. (οἱ κάπηλοί σου μίσγουσιν τὸν οἶνον ὕδατι, caupones tui vino miscent aquam) huc trahentes pseudapostolos

1. Adnotant ad hunc locum *Chrys.* : « etiam sues unguento suffocari dicuntur », *Theod.* : « ferunt vultures fugere unguenti fragrantiam » (cfr *Aelian.* Var. hist. 3,7 : « aroma et unguentum vulturibus est causa mortis »), *Thom.* : « legitur, quod ad odorem vinearum florentium moriuntur serpentes » etc. At comparationis tantum gratia haec afferunt.

designatos viderunt « merae doctrinae mollia verba adulationis admiscentes, quibus homines non tam inebriati ferveant, quam delectati tabescant ». Quibuscum consentiunt Graeci (cfr *Chrys. Theod.* etc.) : « καπηλεύειν, inquit *Chrys.*, est vinum corrumpere et pecunia id vendere, quod gratis dari debebat. Hoc enim loco et de lucro pseudapostolos perstringere videtur et illud subindicare, quod divinis sua cogitata admiscent. Qua de re Isaias quoque : caupones tui vino aquam miscent; nam etsi de vino hoc dictum est, non aberraverit, qui de doctrina quoque haec intellexerit[1] ». Revera pseudapostolos corinthios verbum Dei non tantum corrupisse (*cfr* 4,2 δολοῦντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ) sed ex eo etiam lucrum quaesivisse, ex eorum descriptione in tertia epistolae parte elucet; ab eis vero Paulus sociique eius plane differunt, quum contrarium agant. Etenim loquuntur *tamquam* (particula ὡς non fictam sed veram convenientiam denotat) *ex sinceritate* (ἐξ εἰλικρινείας), i. e. tamquam sinceri, qui nec ad commoda sua quaerenda nec ad vitanda incommoda a veritatis tramite recedunt (cfr ad 1,12). Puram igitur doctrinam tradunt *tamquam ex Deo* sc. loquentes, i. e. tamquam a Deo ipso inspirati, idque *coram Deo*, quem praedicationis suae testem semper prae oculis habent, *in Christo*, cui velut membra et instrumenta sunt inserti. Itaque in fine huius primae sectionis thesin eam quasi repetit, quam toti huic parti praemiserat : « in simplicitate et sinceritate Dei se esse conversatum in mundo, maxime vero apud Corinthios » (1,12).

§ 2. *De arrogantiae superbiaeque calumnia* (3,1-4,6).

Ultima sententia, qua sinceritatem suam asseverans aliis (pseudo) doctoribus sese praetulit, Apostolus alteram sectionem praeparavit, qua calumniam arrogantiae et superbiae refutat. In priore epistola non deerant, quae adversarii velut superba et arrogantia criminari potuerant, siquidem cum magna fiducia de se suisque rebus erat lo-

1. Cfr *S. Hier.* in Is. 1,22 : « Lex Dei pura atque sincera et ut ita dicam mera veritate subnixa violata est traditionibus Pharisaeorum : quod Dominus in Evangelio plenius docet, omisisse eos Legem Dei et sequi mandata hominum. Omnisque doctor, qui auctoritatem Scripturarum, per quam potest audientes corripere, vertit ad gratiam et ita loquitur, ut non corrigat sed delectet audientes, vinum Scripturarum violat et corrumpit sensu suo. Haeretici quoque evangelicam veritatem corrumpunt prava intelligentia et sunt caupones pessimi facientes de vino aquam ». Haud improbabile est, Apostolum, quum pseudapostolos καπηλεύειν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ diceret, ad hunc prophetae locum alludere voluisse. Antiquiores Latini aliqui (*Herv. Lomb. Thom*[2]. etc.) etymologiam latini verbi *adulterare* urgentes parum recte huc adulterii notionem ingerunt, quatenus pseudapostoli « per sacrum eloquium non Deo filios gignere sed suam scientiam ostentare velint et, quum libidine gloriae ad loquendum trahantur, magis voluptati quam generationi operam impendant » etc.

cutus : sibi enim puniendi ius attribuerat (1 *Cor.* 4,18-21) illudque exercuerat (5,13), se ipse neophytis imitandum proposuerat (7,8; 11,1), altiorem sapientiam et maiora Spiritus dona se habere erat gloriatus (2,6. 16; 7,25. 40; 14,18 etc.), quin etiam aliis Apostolis certo modo se praetulerat (9,1 sqq.; 15,10). Quapropter, ut calumniam refelleret, ostendere simul debuit, quo ex fonte hanc loquendi fiduciam imperterritam libertatemque in dicendo hauriret. Itaque ea, quae de sua sinceritate dixerat, gloriationis causa dicta esse negans statim velut fiduciae suae fontem indicat ministerium, quo fungitur (3,1-6); tam excelsum enim est ministerium Novi Test., ut illos qui eo funguntur libertate in dicendo uti deceat (3,7-4,6).

1. *Criminationi arrogantiae Paulus ministerium sibi commissum opponit* (3,1-6).

3,1. ***Incipimus iterum nosmet ipsos commendare? aut numquid egemus (sicut quidam) commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis? 2. Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quae scitur et legitur ab omnibus hominibus : 3. manifestati quod epistola estis Christi, ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi : non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. 4. Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum : 5. non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est : 6. qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti : non litera, sed spiritu : litera enim occidit, spiritus autem vivificat.***

3,1. Ἀρχόμεθα πάλιν ἑαυτοὺς συνιστᾷν; ἢ μὴ χρῄζομεν ὥς τινες συστατικῶν ἐπιστολῶν πρὸς ὑμᾶς ἢ ἐξ ὑμῶν; 2. ἡ ἐπιστολὴ ἡμῶν ὑμεῖς ἐστέ, ἐγγεγραμμένη ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, γινωσκομένη καὶ ἀναγινωσκομένη ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων, 3. φανερούμενοι ὅτι ἐστὲ ἐπιστολὴ Χριστοῦ διακονηθεῖσα ὑφ᾽ ἡμῶν καὶ ἐγγεγραμμένη οὐ μέλανι ἀλλὰ πνεύματι Θεοῦ ζῶντος, οὐκ ἐν πλαξὶν λιθίναις ἀλλὰ ἐν πλαξὶν καρδίαις σαρκίναις. 4. πεποίθησιν δὲ τοιαύτην ἔχομεν διὰ τοῦ Χριστοῦ πρὸς τὸν Θεόν. 5. οὐχ ὅτι ἀφ᾽ ἑαυτῶν ἱκανοί ἐσμεν λογίσασθαί τι ὡς ἐξ αὐτῶν, ἀλλ᾽ ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ Θεοῦ, 6. ὃς καὶ ἱκάνωσεν ἡμᾶς διακόνους καινῆς διαθήκης, οὐ γράμματος ἀλλὰ πνεύματος· τὸ γὰρ γράμμα ἀποκτείνει, τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ[1].

1. *VV. LL.* — 1. Utrum legatur συνιστᾷν cum B D et paucis minusc., an συνιστάνειν cum reliquis Graecis, nihil interest. — ἢ μή (***aut numquid***) B ℵ C D E F G, pauci minusc., *It.*, *Vulg.*, *Copt.*, *Goth.*; apte quoque ***textus rec.*** εἰ μή (nisi) cum A K L P, plerisque minusc., *Arm.* — ἢ ἐξ ὑμῶν (*aut ex vobis*) sine additamento B ℵ A C, pauci minusc., *It.*, *Vulg.*, *Copt.*, *Arm.*, *Aeth.*; velut glossam ***textus rec.*** repetit praecedens συστατικῶν (commendatitiis) cum D E F G K L P, plerisque minusc., ***Syr.***, ***Goth.*** — 3. ἐν πλαξὶν καρδίαις σαρκίναις (in tabulis, cordibus carneis) B ℵ A C D E G L P, nonnulli minusc., *Syr.* (codd.); rectius ***textus rec.*** ἐν πλαξὶν καρδίας σαρκίναις (***in tabulis cordis carnalibus***) cum F K, plerisque minusc., ***It.***, ***Vulg.***, ***Syr.*** (codd.), ***Copt.***, ***Arm.***, ***Goth.*** — 5. Vocabula ἀφ᾽ ἑαυτῶν ab aliis (B ℵ C, *Copt. Arm.*) ante ἱκανοί ἐσμεν ponuntur, ab aliis (A D E F G P, *It. Vulg. Goth.*) post λογίσασθαί τι, ab aliis demum (***text. rec.*** cum K L et plurimis minusc.) post ἱκανοί ἐσμεν. Primus ordo praeferendus videtur; cfr ***Comm.*** — ἐξ αὐτῶν soli B F G, alii omnes recte : ἐξ ἑαυτῶν. — 6. οὐ γράμματος ἀλλὰ πνεύματος (non literae sed spiritus) est graecorum codd. et versionum commu-

Quoniam pseudapostoli ab ipso verbo Dei cauponando non abstinebant, mirum non est, quod Pauli quoque verba fallaciter sint interpretati iisque in deteriorem partem tractis apostolicam eius auctoritatem impugnaverint. Revera per Titum, ut videtur, Apostolus rescivit, ob priorem suam epistolam se Corinthi ab iis velut hominem traduci, qui se ipse semper iactans suis laudibus celebratis in neophytorum gratiam sese insinuare conaretur. Quum igitur sub praecedentis sectionis finem de se suaque agendi et docendi ratione iterum nonnulla asserere esset coactus, quae a malevolis sinistre accipi et ad arrogantiae calumniam confirmandam detorqueri poterant, occasionem hanc arripiendam censuit, ut criminationem illam funditus convelleret genuinamque suae ingenuitatis libertatisque loquendi rationem explanaret. Itaque tacitas adversariorum suspiciones praevertens se iis, quae dixit, neophytorum gratiam benevolentiamque aucupari voluisse negat, quia eiusmodi commendationibus non indigeat atque in ipsa ecclesia corinthia praeclaram epistolam commendatitiam possideat, quae omnibus sit manifesta et a Christo Domino conscripta (1-3). Quae ne rursus arrogantius dicta esse putentur, se tanta cum ingenuitate et fiducia loqui monet, quia a Deo minister Novi Test. sit constitutus (4-6).

Arcte pro more novam sectionem priori adnectit interrogans : 1. *incipimus iterum nosmet ipsos commendare?* Adverbio πάλιν (*iterum*) enim, quod cum verbo *commendare* coniungendum esse patet, ad calumniam, cuius ansam prior epistola dederat, alludit eamque quasi novo argumento ex iis, quae de apostolica sua simplicitate et sinceritate dixerat (2,14-17), ab adversariis confirmari posse innuit. Porro verbum συνιστᾷν (vel συνιστάνειν), quo frequentissime in hac epistola utitur (*cfr* 4,2; 5,12; 6,4; 7,11; 10,12.18; 12,11) a *Vulg.* recte redditur *commendare* atque significat : laudibus alicuius aut re aut verbo exhibitis alterius benevolentiam ei conciliare; hic vero de commendatione verbis facta agitur. Atqui Sapiens iam monet : « laudet te alienus, et non os tuum, extraneus, et non labia tua » (*Prov.* 27,2); nam « qui se ipsum (verbis) commendat, non est probatus, sed quem Deus commendat » (10,18); minime ergo suae gloriae studens suumve commodum quaerens Apostolus de sua sinceritate locutus est. Quodsi quis verba ista in hanc partem detorquere voluerit, supponere debet, eum aliqua commendatione apud Corinthios indiguisse aut a

nis lectio, quam cum *S. Aug.* (de lit. et spir. 17. 20. etc.) etiam boni *Vulg.* codd. exhibent (*Am.* etc.) et nonnulli latini expositores (*Sed.* etc.) sequuntur; unus alterve tantum minusc. graec. cum plerisque *Vulg* codd. : οὐ γράμματι ἀλλὰ πνεύματι (*non litera sed spiritu*). Tenenda est prior lectio (cfr *Comment.*).

Corinthiis alteri ecclesiae commendari voluisse; id quod absurde statui docet altera interrogatio [1] : *aut numquid egemus, sicut quidam, commendationis epistolis ad vos aut ex vobis?* Numquid pater filiis suis commendari debet, aut aliis commendari a filiis suis vult? Illi soli commendatione egent, qui in ecclesia aliqua, cui sunt ignoti, conversari atque docere volunt (cfr *Act.* 15,25-27; 18,27 etc.); ideoque illi *quidam* (τινές), qua vaga expressione (cfr *supra* 2,17 οἱ πολλοί) pseudodoctores corinthii indicantur, commendatitiis epistolis ad Corinthios indiguerant atque nunc eorum benevolentiam sibi conciliare student, ut novis commendationibus acceptis sese in alias ecclesias insinuare possint.

Cur ipse vero nec ad illos nec ab illis commendatione indigeat, ratio est manifesta : 2. *epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quae scitur et legitur ab omnibus hominibus.* Simili modo, quo in priore epistola Corinthios apostolatus sui signaculum appellaverat (cfr ad 1 *Cor.* 9,2 sq.), eos hic suam epistolam commendatitiam appellat, quae et ipsis Corinthiis et aliis omnibus ecclesiis sufficiens sit muneris sui apostolici testimonium. Sicut enim contra adversarios apostolicam suam dignitatem agnoscere nolentes ad fidem et vitam christianam Corinthiorum, quae sunt opus suum in Domino, appellare potest, ita fide et moribus Corinthiorum et ipsis Corinthiis et aliis omnibus tamquam genuinus Christi Apostolus commendatur. Porro epistola haec non est scripta in charta, ut eam iter faciens studiose conservare et adveniens neophytis exhibere debeat; sed eam *in corde suo scriptam* (vel potius *inscriptam* ἐγγεγραμμένην) habet, quum ipsos Corinthios per continuam eorum memoriam et caritatem semper in animo suo gerat (cfr 7,3; *Phil.* 1,7); quare eam amittere nequit. Neque eam ipsis Corinthiis aut aliis ecclesiis exhibere tenetur; quamvis enim interna sit, simul tamen omnibus est perspicua et ab omnibus *cognoscitur et legitur*, siquidem ecclesia, quae in famosissima Achaiae metropoli est exorta, inter omnes Christianos est cognita, nec quisquam ex illorum numero, sive Corinthi sive in alio terrae tractu degit, eam a Paulo sociisque eius fundatam ad eumque, quem occupat, perfectionis gradum adductam esse ignorat; omnibus igitur manifestissimum et evidentissimum documentum est apostolicae

1. Quum prior interrogatio negativum responsum postulet (μηδαμῶς *minime!*), sensus haud ita multum mutatur, si pro ἢ μή (*aut numquid*) cum *textu rec.* legitur εἰ μή (*nisi*), ita ut pro secunda interrogatione sententia hypothetica habeatur : « istis verbis nosmetipsos iterum commendare nequaquam incipimus. nisi quis nos eiusmodi commendatione indigere eamque nostra ipsorum laude supplere voluisse putaverit ». Acerbior tamen est ironia, quam quae huic loco congruat, quo Apostolus animos ad suam recipiendam alteram apologiam praeparare studet.

dignitatis Pauli. Ceterum apte addit *Chrys.*, quem plerique sequuntur, Apostolum pro amore, quo neophytos corinthios amplectebatur, eorum virtutes ubique celebrasse atque hac ratione epistolam, quam in corde gerebat, aliis ecclesiis quodammodo cognoscendam et legendam exhibuisse. Minus recte vero moderni acath. plurimi, uti suo iam tempore *Salm.*, epistolam cordi Pauli inscriptam dici arbitrantur, quatenus conscius sibi fuerit, se Corinthiorum conversione sufficienter commendari; haec enim eius conscientia aliis nec manifesta fuit nec innotescere potuit. Neque rectius *Cai.* epistolam cordi inscriptam dicit, quia Paulo tam cara fuerit, quam illud quod cordi impressum est; nec verbis enim nec contextui haec explicatio consonat.

Quo cum iure Corinthios epistolam suam commendatitiam appellaverit, nunc ita explanat, ut eam prorsus singularem ac praeclaram commendationem esse atque a reliquis commendationibus scriptis toto coelo differre appareat: 3. *manifestati, quod epistola estis Christi, ministrata a nobis, et scripta non atramento sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carnalibus.* Participio *manifestati*, quod latinus interpres ob participii *praes.* pass. defectum non satis accurate adhibuit (graece enim habetur part. praes. φανερούμενοι atque de re praesente agitur), quum ad praecedens pronomen *vos* referatur (epistola nostra *vos* estis), rationem dat appellationis adhibitae : « epistolam commendatitiam nostram vos appello, nam manifestum est (φανερὸν γὰρ ἐστιν ὅτι), quod revera scriptum aliquod sitis, quo commendemur ». Atque profecto eximium esse hoc scriptum apparet, si ad eius auctorem et scribam praeprimis attenditur : auctorem enim habet ipsum Christum, quo dictante eam literis exararunt Paulus eiusque socii : *epistola Christi, ministrata a nobis* : « ipsius servatoris estis epistola; ipsius enim sunt verba praedicationis, nos autem ministri literarum » (*Theod.*), siquidem Apostoli « dum docent, scribunt » (*A^ter*); recte igitur *Herv.* : « principaliter estis epistola Christi, secundario nostra, quia ipse principaliter vos scripsit, nos secundario, i. e. per ministerium nostrum scripsit in vobis fidem spem caritatem ac reliqua bona » (cfr *Lomb. Thom.* etc., *Salm. Iust. Est.* etc., *Mai. Bisp.* etc. — *Mey. Goeb. Schn.* etc.). Cum *Chrys.* quidem alii genetivo *Christi* non auctorem sed argumentum epistolae designari arbitrantur, quum Corinthii « legem Christi inscriptam habeant; nam quae Deus cum omnibus Christianis atque cum Corinthiis quoque communicavit, haec in cordibus eorum inscripta sunt » (*Chrys.* cfr *Oec. Theoph. Gagn. Nat. M Ev*[1]. etc. — *Heinr.* etc.); attamen haec explicatio, etsi verbis utcumque consonat (Christus enim metonymice legem Christi significare potest), contextui non congruit,

nisi verbo διακονεῖν (*ministrare*) primarii auctoris operam indicari parum recte statuatur. Uti auctore, ita materia quoque, quae ad eam scribendam adhibita est, aliis epistolis commendatitiis longe praestat haec Pauli commendatio. Neque enim scripta est *atramento* sed *Spiritu Dei vivi;* namque Pauli praedicatio corinthia non fuerat « in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione Spiritus et virtutis » (cfr ad 1 *Cor.* 2,4). Egregie *Cai.* : « Christus operando in animo hominis assensum spem atque dilectionem utitur spirituali efficacia Spiritus Sancti : et subministrantes praedicatores manifestationem ac suasionem singulorum, quae credenda, speranda ac diligenda sunt, non solum a Spiritu S. ad hoc moventur, sed Spiritui S. in intimis auditorum operanti materiam subministrant : ac per hoc et ipsi subministerialiter imprimunt in animos hominum non per atramentum, sed per Spiritum Dei viventis ».

Merito autem Paulus Spiritum vocat Spiritum *Dei vivi* propter vivificam eius, quam indicare vult, vim ad regenerationem animarum; viva enim epistola neophyti corinthii sunt. Attamen in hoc membro epistolam, de qua agit, non amplius solis epistolis commendatitiis atramento conscriptis opponit, sed prae oculis iam simul habere differentiam videtur, quae Vetus inter et Novum Foedus intercedit quamque statim uberius explanabit. Certum saltem est, eum in ultimo membro ad hanc differentiam respicere, quum ad prophetica quaedam dicta alludens epistolam suam *non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carnalibus* inscriptam dicit. Lapides enim literis commendatitiis scribendis non inserviebant; at tabulis lapideis Deus Legem mosaicam inscripserat (*Exod.* 31,18; 32,15 sq.) quasi praefigurans corda lapidea Iudaeorum, quae nec beneficiis nec minis poenisque ad obedientiam adduci poterant. Quapropter sese in Novo Foedere corda eorum lapidea ablaturum novaque corda carnea daturum esse promisit (*Ezech.* 36,26; 11,9), quibus legem suam inscribere posset (cfr *Ier.* 31,38). Iam eiusmodi corda carnea, « i. e. mollia ex affectu implendi atque intelligendi » (*Thom.*), Deus dederat neophytis, quos hac ratione praeparaverat, ut non tantum legem evangelicam amplecterentur, sed eius vim quoque vita et moribus testarentur atque ita fierent epistola, qua Apostolus, cuius ministerio scripta erat, tamquam genuinus Evangelii praeco apud omnes commendaretur.

Magnam sui fiduciam Apostolus exhibuerat, quum sese idoneum declararet, qui Christi bonus odor esset aliis in mortem aliis in vitam, neque minorem ostenderat, quum ad ecclesiam corinthiam suo ministerio fundatam, ut prius assertum ab arrogantiae criminatione vindicaret, tamquam ad epistolam commendatitiam a Christo sibi

conscriptam appellaret. At ut clarius appareat, quam longe haec sua asserta ab omni superbiae suspicione absint, ultimum fiduciae suae fontem patefacit; neque enim sibi quidquam, sed omnia Deo auctori adscribit : 4. *fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum.* Christum, utpote mediatorem, *per* quem omnia divina munera in nos promanant, etiam huius fiduciae causam designari clarum est; minus certum autem est, quo sensu fiducia πρὸς τὸν Θεόν (*ad Deum*) esse dicatur. Nonnulli ad *Rom.* 4,2 provocantes, quo in loco (uti alibi quoque) *Vulg.* verba illa reddidit *apud Deum*, veram fiduciam, « quae probetur et remuneretur in divino iudicio » significari volunt (*Dion. Est. Nat. M Ev. Dr.* etc. — *de W. Hoffm.*); rectius tamen alii fiduciam *ad Deum* tamquam ad ultimum fontem referri dicunt; « fiducia haec tendit in Deum, ex cuius viribus hoc dico, quia in me operatur » (*Thom. Herv. Cai. Iust. Mai. Bisp. LR.* etc. — *Mey. Heinr.* etc.). Hanc enim explicationem suggerit ipse Apostolus addens : 5. *non quod sufficientes* (ἱκανοί idonei[1]) *simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia* (ἱκανότης idoneitas) *nostra ex Deo est;* quibus verbis Deus velut auctor seu causa efficiens etiam fiduciae indicatur, quia omnia bona ei deberi docent.

Ex oppositione inter duo sententiae membra elucet, verba *a nobis tamquam ex nobis* cum infinitivo *cogitare aliquid* immediate non esse connectenda, sed ad praedicatum *idonei simus* proxime pertinere (a nobis non sumus idonei, sed ex Deo); clarius id apparet ex meliorum codd. graec. lectione (cfr *VV. LL.*) : « non quod a nobis idonei simus cogitare aliquid, quasi ex nobis ». Attamen quoniam in secundo membro nudum substantivum *sufficientia* ponitur, clarum quoque est, infinitivum *cogitare aliquid* cum praedicato *idonei sumus* in unam quasi ideam coalescere. De fonte igitur idoneitatis ad aliquid cogitandum agitur; atque Apostolus fiduciam se habere asserens *non* eo sensu intelligi vult, *quod* (de formula οὐχ ὅτι non quod cfr ad 1,24) *a se ipso tamquam ex se ipso* valeat aliquid cogitare. Ambae quidem praepositiones (ἀπό et ἐξ, *ab, ex*) originem rei indicant; in

1. Cfr *v.* 6. et 2,16, ubi graecum vocabulum ἱκανός etiam redditur *idoneus;* atque hanc lectionem nostro in loco semper sequitur *S. Aug.* (cfr c. duas epp. Pel. II. 8 sq.; de praedest. Sanct. 2; de dono persev. 13 etc.), uti etiam *Conc. Araus.* II. c. 7.; in secundo tamen membro substantivum ἱκανότης etiam a S. Aug. redditur *sufficientia.* Porro *S. Aug.* omnibus illis locis legit : *quasi ex nobismetipsis* omittens vocabula *a nobis,* quae tamen cum reliquis testibus latinis etiam *Conc. Araus.* agnoscit. A lectione consueta *S. Hier.* quoque dissentit pro *a nobis quasi ex nobis* legens : *ex nobis quasi ex nostro* (c. Pelag. II. 9), ad quam lectionem prope accedere videtur *Conc. Trident.* (Sess. XIV de poen. c. 8) : « qui *ex nobis tamquam ex nobis* nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus ».

eo tamen inter se differunt, quod priore (ἀπό) proximus, altera (ἐξ) remotus fons significetur. Gratia adiutus Paulus *a se* aliquid cogitari posse non negat, at idoneitatem hanc non *ex se* tamquam ex ultimo fonte, sed ex Deo haurit. Similiter iam explicat *Thom.* : « Ne videatur tollere libertatem arbitrii, dicit : a nobis quasi ex nobis, quasi dicat : Possum quidem aliquid facere, quod est liberi arbitrii, sed hoc quod facio (rectius : quod facere possum) non est ex me, sed a Deo, qui hoc ipsum posse confert; ut sic et libertatem hominis defendat, quum dicit *a nobis*, et divinam gratiam commendet, quum dicit : *quasi ex nobis* sc. procedat »; atque *Dion.* : « *a nobis* i. e. propria potestate, *quasi ex nobis* i. e. tamquam ex prima et principali virtute; licet enim nos quoque simus causa operis boni per liberum arbitrium (quia nec aliter mereremur), natura nostra tamen indiget gratia » etc.

Restat ut videamus, quid satis vaga expressione *cogitare aliquid* (λογίσασθαί τι, *S. Hier.* l. c. : reputare aliquid, *A^ter* : aestimare aliquid [1]) significetur. Ad nexum cum praecedentibus maxime attendentes haud pauci antiqui et moderni de praedicationis apostolicae argumento inveniendo et explanando aut de excogitandis viis et rationibus, quibus praedicatio efficax reddatur, verba interpretantur (*Theod.* : « non ex propriis cogitationibus contextas praedicationes afferimus »; *Pel.* « vult ostendere, se nihil sua prudentia vel virtute facere, quia pauci homines rustici numquam sine Dei gratia totum mundum salvare potuissent »; *Prim. Sed. Herv. Cai. Iust. Pic. Mai. Bisp. L'R* etc. — *Mey. Heinr. Goeb.* etc.). Antiquiores tamen plerique sensu latiore ea intelligunt de bono omni « quod ad salutem pertinet vitae aeternae » (*Conc. Araus.* II. 7) vel « ad pietatis viam et verum Dei cultum » (*S. Aug.* de dono persev. 13; de praed. sanct. 2; c. duas epp. Pel. 8 etc.; cfr *Haym. Lomb. Thom. Dion. Est. Nat. M Ev. Dr.* etc. — *Calov. Olsh.* etc.), atque theologi ex hoc loco cum *Conc. Araus.* II. et *S. Aug.* necessitatem gratiae ad omnem actum supranaturaliter bonum et ad initium fidei deducunt [2]. Quin doctrina haec, sive prior sive altera explicatio admit-

1. Quae versio aptior est, quum verbum λογίζεσθαι, quod a λόγος derivatum plerumque *computare* significat, nusquam de simplici mentis apprehensione sed de deliberato rationis iudicio usurpatur (iudicare, aestimare, considerare etc.).

2. Cfr Araus. II. 7. « Si quis per naturae vigorem donum aliquod, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari i. e. evangelicae praedicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus S., qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, haeretico fallitur spiritu non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis : Sine me nihil potestis facere, et illud Apostoli : Non quod idonei simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est ». S. Aug. de praedest. Sanct. 2,5 adductis verbis apostolicis : « attendant, inquit, et verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei coeptum et ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videat, prius esse cogitare quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum. Quamvis enim raptim, quamvis celerrime

titur, ex apostolicis verbis legitime desumatur, non est dubium. Clarius quidem est argumentum, si *Aug.* sententia praefertur; quae enim Paulus proxime de se suisque sociis apostolicis asserit, ea de omnibus omnino hominibus aut a pari aut a fortiore valere, manifestum est. At in priore quoque explicatione rite concludi potest : sicuti praedicatores nihil, quod ad praedicationis effectum conducit, ex se habent, ita nec fideles ulla ratione suis solis viribus naturalibus praedicationi auditae assensum praestare possunt. Hac igitur ex parte nihil obstat, quominus prior explicatio admittatur; nihilominus secundam praeferendam arbitramur ob ea, quae sequuntur : *qui et idoneos nos fecit* (ὃς καὶ ἱκάνωσεν ἡμᾶς) *ministros novi testamenti.* Particula καὶ enim (ὅς καί *qui etiam*, vel *qui idem*) Apostolus ab universali sententia, quam posuerat, ad specialem transit : relate ad omnia, quae ad salutem sive propriam sive alienam procurandam pertinent, idoneitas nostra ex Deo est, cui etiam hoc debemus, quod sumus idonei ministri N. T. Quodsi vero superior sententia (*non quod sufficientes simus* etc.) de solo ministerio apostolico explicatur, haberi videtur mera tautologia : « relate ad ministerium nostrum idoneitas nostra ex Deo est, qui idem (vel qui etiam) idoneos ministros nos fecit ». Aliud esset, si Paulus scripsisset : ὃς καὶ ἡμᾶς ἱκάνωσεν, qui (praeter alios) etiam nos fecit idoneos; at ordo verborum, quem omnes codices tuentur, postulat, ut explicemus : qui (praeter alia bona, quae ex ipso habemus) etiam hoc nobis contulit, ut simus idonei ministri. Immerito moderni illud *qui et* (ὅς καί) explicant, ac si scriptum sit : *quippe qui* (der eben, ὅστις).

Postquam Deo omnia, quae habet, auctori adscribens novam arrogantiae criminationem praecavit, Apostolus calumniatoribus suis tamquam radicem fiduciae libertatisque, qua de se suisque loqui soleat, excelsitatem ministerii sibi a Deo commissi opponit : sufficientia nostra ex Deo est, 6. *qui et idoneos nos fecit ministros* (graecum : ὃς καὶ ἱκάνωσεν ἡμᾶς διακόνους accuratius verte : qui et idoneos nos fecit, ut essemus ministri) *novi testamenti, non litera sed spiritu* (lege : *non literae sed Spiritus* cfr *VV. LL.* οὐ γράμματος ἀλλὰ πνεύματος); *litera enim occidit, Spiritus autem vivificat.* Ut ministerii sui praestantiam, ex qua fiducia loquendi exoritur (cfr *v.* 12), demonstret, illud mini-

credendi voluntatem quaedam cogitationes antevolent moxque illa ita sequatur, ut quasi coniunctissima comitetur : necesse est tamen ut omnia, quae creduntur, praeveniente cogitatione credantur. Quamquam et ipsum credere nihil aliud est quam cum assensione cogitare... Quod ergo pertinet ad religionem et pietatem, de qua loquebatur Apostolus, si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismet ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismet ipsis, sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus, ex Deo est ». De dono persev. 13.33 : « Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quidquid agimus : quod autem attinet ad pietatis viam et verum Dei cultum, non sumus idonei cogitare aliquid tamquam ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Non enim est in potestate nostra cor nostrum et nostrae cogitationes » etc.

sterio veteris testamenti comparat paucisque verbis ad *v.* 3. respiciens duorum foederum diversum characterem indicat, ut statim (*v.* 7. sqq.) virtutes, quibus novum veteri praestat, uberius enumeret. Idoneos igitur se suosque socios factos esse dicit, ut essent *ministri novi testamenti*[1], i. e. foederi illi omnes suas vires consecrarent, quod per Ieremiam (31,31 sqq.) praedictum et mediatore Iesu cum toto genere humano sancitum (*Hebr.* 9,15 etc.) veteri olim in monte Sina cum filiis Israel per Moysen stabilito successit. Quorum duorum foederum diversam indolem duo vocabula docent, quae appositionis constructione genetivo *novi testamenti* adduntur : *non literae sed Spiritus*, ita ut *litera* sit quasi definitio veteris foederis, *Spiritus* vero novi indolem describat[2]. Simili ratione alibi quoque Paulus vetustatem literae novitati Spiritus opponit (*Rom.* 7,6) cum Evangelista insinuans, *Legem* datam esse per Moysen, *gratiam et veritatem* factam esse per Iesum Christum (*Ioan.* 1,17); quam enim Ioannes vocat Legem, hanc Paulus vocat literam qua Lex erat tradita, et quam ille dicit gratiam et veritatem, hic dicit Spiritum, qui est earum auctor[3]. Ac profecto id proprium Vetus Lex habebat, ut esset scripta libroque consignata, ideo externa, et quasi mortua, quae praecepta sua proposuit quidem hominibus sed eis per se virtutem ad illa implenda non contulit; novae oeconomiae autem proprius est Spiritus S., qui nobis confertur et quo caritas Dei diffunditur in cordibus nostris; « et sic Spiritus S., dum facit in nobis caritatem, quae est plenitudo Legis, est testamentum novum » (*Thom.*). Optime *Chrys.* : « vetus Lex spiritualis quidem erat (cfr *Rom.* 7,14), sed Spiritum non dabat; neque enim Spiritum

1. Quum in graeco textu genetivus καινῆς διαθήκης articulo careat, multi moderni (cfr *Mai. LR.* etc. — *Mey. Goeb. etc.*) nomen indeterminatum poni putant (novum aliquod testamentum, ein neuer Bund, une nouvelle alliance); at nihil obstat, quominus cum antiquis omnibus et nonnullis modernis (cfr *M Ev. Bisp. Dr.— Heinr.*) nomen determinatum esse dicamus. Etenim καινὴ διαθήκη iis nominibus recte adnumeratur, quae nominibus propriis assimilata sine ulla significationis mutatione articulo carere possunt (cfr νόμος Lex mosaica *Rom.* 2,12. 13 etc., ἐκκλησία Ecclesia christiana 3 *Ioan.* 6, Κύριος, Πνεῦμα ἅγιον etc.); etiam *Hebr.* 9,15 genetivus καινῆς διαθήκης articulo caret, quamvis foedus, de quo agitur, omnibus iis, quae cpp. 7. 8. dicta sunt, omnino sit determinatum.

2. Ad eundem fere sensum antiquiores Latini lectionem suam (non *litera* sed spiritu) variis supplementis trahere conantur : « testamenti dico *exsistentis* non *in* litera, sed *in* Spiritu » (*Herv. Lomb.*); « nos fecit ministros non *in* litera... sed *in* Spiritu » (*Haym.*); « testamentum novum non litera, i. e. per literam, scribendum, sed Spiritu i. e. per Spiritum qui vivificat » (*Thom.*) etc.

3. Cfr *S. Aug.* c. Faust. XV. 8 : « eadem quippe Lex, quae per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est, quum accessit literae spiritus, ut inciperet impleri iustitia Legis, quae non impleta reos etiam praevaricatione facta est ». Constructio quidem dicti evangelici, quam *S. Aug.* alibi repetit (c. Faust. XVII. 6; c. advers. leg. II. 3 etc.), probari nequit, quum etiam Evangelista Legem antiquam gratiae novi foederis opponat, at recte S. Doctor eandem doctrinam hic ab Apostolo et ibi ab Evangelista proponi innuit.

Moyses, sed literas attulit; nostrae autem curae concreditum est, ut Spiritum demus ».

Cur vero Deus apostolicos operarios fecerit ministros novi testamenti, ut non iam veteris Legis literas sed novum donum Spiritus afferant (cfr *Theod.*), explicat sententia addita : *litera enim occidit, spiritus autem vivificat.* Vetus quoque Lex a Deo erat data, ut homo observatione eius vitam haberet (cfr *Lev.* 18,5), atque hanc ob causam ei multis suis praeceptis et prohibitionibus viam monstravit, qua ad vitam pervenire posset; sancta igitur erat Lex et mandatum sanctum et iustum (*Rom.* 7,12). Attamen homo peccato corruptus nec in se habuit vires, quibus Legem impleret, neque has vires a Lege accepit; contra vero Lex ipsis suis prohibitionibus auxit desiderium malum, quum illud ipsum, quod concupiscitur, iucundius fiat, si vetatur, atque hac ratione Lex facta est occasio maiorum peccatorum et mortis aeternae. « Legis litera, inquit *Aug.*, si Spiritus vivificans desit, occidit; sciri enim peccatum facit potius quam caveri, et ideo magis augeri quam minui, quia malae concupiscentiae etiam praevaricatio Legis accedit »; « cognitio igitur Legis facit superbum praevaricatorem » et ducit ad mortem; « verum quidem Lex : qui fecerit illa, vivet in illis; sed ut faciat illa et vivat in illis, non Lex quae hoc imperat, sed fides est necessaria, quae hoc impetrat »; etenim « regnum mortis in quolibet homine sola gratia destruit Salvatoris, quae operata etiam est in antiquis sanctis, quicumque, antequam Christus in carne veniret, ad eius tamen adiuvantem gratiam, non ad Legis literam, quae iubere tantum, non adiuvare poterat, pertinebant » (de spir. et lit. 4 sqq.; c. duas epp. Pel. III. 7; IV. 5; de pecc. mer. et remis. I. 11; cfr c. adv. Leg. II. 7; c. Faust. XV. 8 etc.). Per se igitur Lex ducit ad mortem aeternam; iam vero gratia et veritas, quae per Christum facta est, novo testamento est propria et essentialis; per gratiam autem et veritatem Spiritus, qui novi testamenti filiis datur, eos facit legis evangelicae observatores eisque ius tribuit ad vitam aeternam, siquidem regnum mortis in eis plane destruxit.

Explicatio literae quae occidit, prout eam verbis S. Augustini dedimus, tota innititur ipsius Pauli doctrinae (cfr *Rom.* 7,7-13; 4,15; 5,20; 1 *Cor.* 15,56 etc.) atque a iunioribus tantum non omnibus iure est recepta. Pauci tantum ei alteram addunt vel immiscent a Graecis (*Chrys. Theod.*) et *A^tro* traditam, iuxta quam litera, i. e. Lex, occidere dicitur, quia transgressoribus poenas atque ipsam mortem comminabatur (cfr *Lap. Ramb.* etc. — *Grot. Fritzsche* etc.). At Lex, si propter poenas, quas comminatur, occidere diceretur, propter bona et vitam, quae observatoribus promittit, vivificare dicenda esset; et quia Lex de solis poenis temporalibus ac de morte naturali proxime loquitur, etiam vita, quam Spiritus dat, intelligenda esset proxime naturalis ac temporalis. — Longius a vero videntur aberrare, qui literam et spiritum

hic de typis Veteris Test. et de Novi Test. antitypis (*S. Cyr. Alex.* i. h. l. *S. Basil.* de Spir. S. 21); aut de sensu *literali* et de sensu *spirituali* Scripturarum intelligunt (*Orig.* c. Cels. VII. 20; *Didym. A.* de Spir. S. 57 etc.), nisi forte eos verba Apostoli suo argumento dumtaxat accommodasse dicas; id quod *S. Aug.* (Doctr. christ. III. 5) revera voluisse dicendus est, quum tot aliis in locis sine ulla haesitatione eam solam explicationem verborum tradat, quam supra exposuimus.

2. *Ex ministerio sibi commisso Paulus suam loquendi fiduciam hausit* (3,7-4,6).

Calumniatoribus suis Apostolus ministerium novi testamenti opposuit paucis verbis illud adumbrans; quod argumentum uberius explicaturus ministris novis ob maiorem novi testamenti praestantiam gloriam maiorem competere (3,7-11) atque eorum fiduciam loquendi ex ipsa hac maiore gloria et indole novi testamenti exoriri ostendit (3,12-18); itaque excelsi sui ministerii memor fuit, quando aperta sua et manifesta praedicatione sese commendavit (4,1-6).

1.) *Quia novum testamentum veteri multum praestat, eius ministris maior competit gloria* (3,7-11).

3,7. ***Quod si ministratio mortis, literis deformata in lapidibus, fuit in gloria : ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus eius quae evacuatur : 8. quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? 9. Nam si ministratio damnationis gloria est : multo magis abundat ministerium iustitiae in gloria. 10. Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. 11. Si enim quod evacuatur, per gloriam est : multo magis quod manet, in gloria est.***

3,7. Εἰ δὲ ἡ διακονία τοῦ θανάτου ἐν γράμματι ἐντετυπωμένη λίθοις ἐγενήθη ἐν δόξῃ, ὥστε μὴ δύνασθαι ἀτενίσαι τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ εἰς τὸ πρόσωπον Μωυσέως διὰ τὴν δόξαν τοῦ προσώπου αὐτοῦ τὴν καταργουμένην, 8. πῶς οὐχὶ μᾶλλον ἡ διακονία τοῦ πνεύματος ἔσται ἐν δόξῃ; 9. εἰ γὰρ ἡ διακονία τῆς κατακρίσεως δόξα, πολλῷ μᾶλλον περισσεύει ἡ διακονία τῆς δικαιοσύνης δόξῃ. 10. καὶ γὰρ οὐ δεδόξασται τὸ δεδοξασμένον ἐν τούτῳ τῷ μέρει, εἵνεκεν τῆς ὑπερβαλλούσης δόξης. 11. εἰ γὰρ τὸ καταργούμενον διὰ δόξης, πολλῷ μᾶλλον τὸ μένον ἐν δόξῃ [1].

1. *VV. LL.* — 3,7. ἐν γράμματι (in litera) B D F G, *Syr.* (codd.). *Arm.*; at communis tenenda lectio : ἐν γράμμασιν (in literis) cum ℵ A C E K L P, omnibus minusc. et PP., *Syr.* (codd.) *Copt. Goth.* Pluralem etiam *It. Vulg.* tuentur, quae tamen praepositionem *in* omittunt, quam retinuit *S. Aug.* c. adv. leg. II. 7 et de lit. et spir. 14. — λίθοις (lapidibus) sine praepos. ἐν habent B ℵ A D F G P, pauci minusc.; praepositionem autem superflue addit *text. rec.* cum E K L et plerisque minusc.; *S. Aug.* eam priore in loco non legit quum vertat : *lapideis*, in altero autem eam habet; num *It. Vulg.* eam legerint, an suum *in* ex verbo ἐντετυπωμένη desumserint, non constat. — 9. ἡ διακονία τῆς κατακρίσεως (*ministratio damnationis*) B E K L P, plerique minusc., *It.* (*S. Aug.* l. c.) *Vulg.* (*Clem.* cum *Fuld. Demid.* etc.) *Copt. Goth.*; sed τῇ διακονίᾳ (ministrationi damnationis) ℵ A C D F G, *It.* (*Aler*) *Vulg.* (*Am.* : ministerio damnationis) *Syr. Aeth.* Altera lectio videtur correctio librarii esse *cfr Comm.* — 10. οὐ δεδόξασται (*non* glorificatum est) B ℵ A C D E F G K L P, plerique minusc. et PP.,

Triplici ratione Apostolus, ut novo ministerio velut praestantiori maiorem gloriam competere ostendat, duo testamenta inter se comparat; novo enim testamento vetus longe imperfectius esse apparet, sive ad eorum manifestationem et probationem (7.8), sive ad eorum effectus (9.10), sive ad eorum durationem (*v.* 11) attenditur. Quae tria membra *Theod.* iam recte distinxit : « comparat Moysen et praedicatores gratiae atque ostendit, illum scriptas quidem tabulas attulisse, hos autem gratiam Spiritus S. praebere, atque Legem quidem punire, Spiritum autem vivificare, et gloriam quam ille habuit brevi durasse tempore, horum autem gloriam manere in aeternum ».

Moyses quadraginta diebus et noctibus cum Domino in monte commoratus, quum descendens filiis Israel tabulas Legis secunda vice afferret, tam splendidam habebat faciem, ut Aaron et populus totus, quia splendorem vultus eius ferre non poterant, ad eum accedere non auderent; quare faciem suam, quoties cum populo agebat et colloquebatur, velo contegere coactus est, quod ad Dominum accedens cum eoque colloquens iterum auferebat[1]. Hanc Scripturae narrationem Paulus in hac expositione prae oculis habet; externus enim splendor, quo Moysis facies fulgebat, argumentum ei est internae gloriae, quae Moysi tamquam ministro et mediatori Legis competebat; ab hac vero maiorem gloriam Apostolis, novi testamenti ministris et annuntiatoribus, debitam conclusione a minore rite colligit.

A modo igitur, quo duorum testamentorum ministeria manifestata et probata sunt, exorditur : 7. *quodsi ministratio mortis, literis deformata in lapidibus, fuit* (rectius : *facta est,* uti legit *S. Aug.* c. adv. leg. II. 7. ἐγενήθη) *in gloria, ita ut non possent intendere* (ἀτενίσαι fixis oculis intueri) *filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius quae evacuatur* (vel : evacuabatur) : 8. *quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?*

It. (*S. Aug.* l. c.) *Copt. Arm. Aeth. Goth.*; sed *text. receptus* : οὐδὲ δεδόξασται (*nec glorificatum est*) cum paucis minusc., *It.* (*Al^er Pel.*) *Vulg.* etc. Prior lectio praeferenda est, sed sensu ab altera parum discrepat.

1. Cfr *Exod.* 34,29 sqq. In versione sua (*facies cornuta*) Aquilam, qui etiam metaphoras Graecis et Latinis non usitatas pro more suo retinuit, *S. Hier.* secutus verbum hebr. קָרַן (a subst. קֶרֶן *cornu*, metaph. *radius*) reddidit *cornutum fuit*, ubi reliqui recte *splenduit* aut *glorificatum est* (Alex. : ἦν δεδοξασμένη ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ *hebr.* « splenduit cutis faciei eius). Ad rem *Thom.* : « alia litera habet *faciem splendidam;* non enim intelligendum est, Moysen habuisse cornua, sicut quidam eum pingunt; sed dicitur cornuta facies propter radios, qui videbantur esse quasi quaedam cornua ». — In Scriptura diserte quidem non narratur, filios Israel non potuisse oculos in Moysis faciem propter splendorem intendere; superflue autem inquiritur, utrum Paulus hoc rei momentum, quod eadem ratione a *Philone* (Vita Moysis III. 2 ed. Richter IV. p. 201) traditur, ex Scripturae narratione (cfr *Exod.* 34,30. 38) concluserit, an ex certa traditione orali hauserit, ex qua etiam alia quaedam habet (2 *Tim.* 3,8).

Ad latinam versionem quod attinet, graeca vox ἡ διακονία Lucae et Paulo usitatissma a *Vulg.* fere semper (vicies septies) recte redditur *ministerium*, minus apte hoc solo in loco *ministratio* et 4; 1 *administratio* vertitur, quum de *munere* ministri sit sermo. Porro pro participio *deformata* (ἐντετυπωμένη insculpta) antiqui aut *formata* (*S. Aug.* c. adv. leg. II. 7; A^{ter}) aut *figurata* (*S. Aug.* de spir. et lit. 14) legerunt; consueta tamen lectio retineri potest, dummodo attendatur, verbum *deformare* non semper significare *male* formare, sed saepe idem esse quod *formare* (cfr *Num.* 17,23 flores in virga Aaron dicuntur « deformati in amygdalas »); minus recte vero *Thom.* explicat: *perfecte* formata, « quum Apostolus quidvis potius agat, quam ut doceat, Legem valde bene fuisse formatam » (*Iust.*). Ad sententiae constructionem vero quod attinet, secundum comparationis membrum (*ministerium spiritus*) non plene esse expressum patet, sed ex superioribus in hunc fere modum facile completur : *ministerium vitae spiritu Dei vivi inscriptum cordibus*. Namque nomine *ministerii mortis* designari ministerium veteris Legis (literae), quae quia occidit tropice *mors* vocatur, in aperto est; eadem ergo ratione novum testamentum, quia vivificat, *vita* vocetur oportet. Vetus deinde ministerium Paulus *in literis insculptum lapidibus* dicit ad *v.* 2. alludens, quo illud solis rebus materialibus commendari insinuaverat; expressio ergo *in literis insculptum* respondet superiori *scripta atramento* [1], sicuti nomen *lapidibus* priori *in tabulis lapideis*. Atqui iuxta eundem *v.* 2. ministerium novum rebus immaterialibus manifestatur et commendatur, siquidem nova lex praedicantibus Apostolis *Spiritu Dei vivi inscribitur tabulis cordis carnalibus.*

Moyses filiis Israel ministerium sibi divinitus collatum manifestavit et probavit tabulis lapideis a Deo acceptis, quibus vetus Lex insculpta erat literis : Apostoli toti mundo ministerium novum sibi divinitus collatum manifestant et probant cordibus fidelium, quibus Spiritus caritate diffusa novam legem inscripsit; ipsi enim fideles vita supranaturali donati authentica sunt ministerii Apostolorum documenta, sicut lapideae tabulae ministerio Moysis fidem faciebant. Quodsi igitur iudaizantes de manifesta hac Legis mosaicae commendatione gloriantur atque ad splendorem, quo facies Moysis ex consortio sermonis Domini relucebat, velut ad argumentum divinitatis Legis per Moysen allatae provocant, maiore cum iure (μᾶλλον *potius*) neophyti de Apostolorum suorum perfectioribus documentis gloriari et ex maiore eorum gloria

1. Levis quaedam imaginis inconcinnitas exorta est, quum Apostolus ab epistola commendatitia, quae *atramento* scribitur, ad tabulas transiret, quibus lex γράμμασιν (*insculptis literis*) inscripta erat.

efficacius argumentum desumere possunt ac debent; quanto enim spirituale materiali praestat, tanto novi ministerii gloria etiam internam Moysis gloriam splendore faciei indicatam superet necesse est. Hanc ob causam Apostolus, sicut minorem veteris ministerii dignitatem nomine *ministerii mortis* insinuavit, gloriae quoque gradum esse minorem insinuat eam τὴν καταργουμένην (*evanescentem*) dicens. Ac profecto splendor faciei Moysis non tantum morte eius evanuit, sed etiam, id quod ex narratione Exodi (34,35) rite colligitru, continua renovatione indiguit. Ob eandem quoque causam vetus ministerium *factum esse* (ἐγενήθη), novum *futurum esse* (ἔσται) in gloria dicitur; neque enim recte aliqui futuro ἔσται solam consequentiam denotari putant (ita res esse invenietur, si bene perpenditur); Paulus enim ad externam quoque gloriam manentem prospicit, quae novi testamenti ministris reservata est et suo tempore manifestabitur (cfr *v.* 12. habentes talem *spem*).

Haud sine arte in primo huius expositionis membro duas alias rationes, quibus argumentationem suam complere voluit (effectus nimirum et durationem duorum ministeriorum) iam indicaverat. Ad quas nunc transiens sese recte a minore ad maius conclusisse confirmat effectum veteris ministerii, quod *ministrationem mortis* appellaverat, novo opponens : 9. *nam si ministratio* (ministerium) *damnationis gloria est* (rectius : *fuit* [1]), *multo magis abundat ministerium iustitiae in gloria.* Quo cum iure Moysis ministerio velut effectus *damnatio*, novo autem *iustitia* adscribatur, ex antea dictis (cfr ad. *v.* 6) clarum est; quamvis autem damnationem effecerit, Lex tamen in se erat sancta, ideoque eius ministerium quoque in gloria, vel uti fortius dicitur, *gloria fuit;* verum evidens est, gloriam alterius ei tanto debere praestare, quanto alterius effectus praestat : una ex parte damnatio et mors, altera ex parte iustitia et vita, ergo prioris partis gloria disparere debet, si cum altera confertur. Haec diserte Apostolus docet pergens : 10. *nam nec* (vel cum *S. Aug.* rectius : *etenim non* καὶ γὰρ οὐ cfr *VV. L L.*) *glorificatum est, quod claruit* (lege : *glorificatum est, quod glorificatum est* δεδόξασται τὸ δεδοξασμένον) *in hac parte propter excellentem gloriam.* Quae egregie exponit

1. In textu graeco quum huius *v.* 9. (εἰ γὰρ ἡ διακονία τῆς κατακρίσεως δόξα) tum *v.* 11. (εἰ γὰρ τὸ καταργούμενον διὰ δόξης) verbum non exprimitur; cum *Vulg.* etiam haud pauci moderni (*Mai.* etc. — *Mey. Heinr. Kl Br. Schn. Goeb.* etc.) praesens ἐστίν supplendum censent, quia Paulus veteris ministerii gloriam velut praesentem cogitaverit. Attamen non tantum ex praecedente sententia (ἐγενήθη ἐν δόξῃ) sed etiam ex sequente οὐ (δεδόξασται non glorificatum est) elucet, gloriam illam velut praeteritam cogitari; quare *Cai. Iust. Est.* etc. recte supplent ἐγενήθη (facta est) aut ἦν (fuit).

Theod. : « tanta est enim gloria, quae istis (sc. novi testamenti ministris) est reservata, ut ne gloriam quidem fuisse merito dixeris eam, quae Moysi contigit, si ad istos respexeris. Noctu enim lumen lucernae videtur splendidissimum; meridie autem absconditur et ne lumen quidem esse putatur »; atque *Pel.* : « in comparatione gloriae evangelicae, obumbratur gloria Legis, sicut oborto sole lumen obtunditur lunae, quae tamen suo tempore magnum habet fulgorem ». Haec est communior et verior huius oximori explicatio, quum verba *in hac parte* (ἐν τούτῳ τῷ μέρει) ad praedicatum (οὐ δεδόξασται non glorificatum est), minime vero ad subiectum (τὸ δεδοξασμένον *quod claruit*) pertineant atque comparationis rationem *v.* 9. expressam respiciant: « gloria ministerii Moysis, quae splendore faciei eius manifestata est (τὸ δεδοξασμένον), non est gloria hoc respectu, sc. si cum novi ministerii gloria comparatur, propter alterius huius gloriae supereminentiam » (cfr *Chrys. Theod.* etc., *Pel. Herv. Lomb. Iust. Est. Nat. Pic.* et moderni plerique), vel uti aliqui moderni explicare malunt: « non est glorificatum hoc respectu, scilicet *quod attinet ad* (ἕνεκα) excellentiorem gloriam » (*Mey. Heinr.* etc.). Prior tamen antiquorum explicatio praeplacet, quia praepositioni ἕνεκα in Novo Test. satis frequenti a profanis quidem scriptoribus illa significatio interdum attribuitur, sed nusquam a sacris auctoribus.

Ad eundem fere sensum pervenitur, si verba ἐν τούτῳ τῷ μέρει ad subiectum ita trahuntur, ut modum, quo gloria Moysis manifestata est, significent: « nam quod glorificatum est in hac parte, sc. splendore in facie Moysis, non est glorificatum propter excellentiorem novi testamenti gloriam ». Haud apta tamen est haec explicatio, quia subiectum (τὸ δεδοξασμένον) toto contextu ita iam est definitum, ut verba ἐν τούτῳ τῷ μέρει pleonastice addita videantur, et quia verba illa istam significationem non admittunt. Neque enim cum antiquioribus illa de facie Moysis explicare licet: « gloria illa non claruit in toto Moyse, sed in parte, i. e. in facie particulariter » (*Thom*[1]. *Syr. Dion*[1]. etc.); nam ut alia praetermittamus, solum iam pronomen demonstr. (in *hac* parte) hanc explicationem prorsus excludit. Neque magis altera *Thom.* explicatio, quae nonnullis placuit, admitti potest: « nam in hac parte, i. e. in respectu huius naturae particularis, qui sumus servi, non est gloriosum illud, quod claruit in vetere testamento, propter excellentem novi gloriam »; quid enim in hoc contextu natura servorum sibi velit, non apparet. Singularis, neque ullo modo probabilis, est *Cai.* expositio: « id quod glorificatum est in hac parte, i. e. in facie Moysis, non est glorificatum simpliciter et absolute, quia impeditum est propter excellentiam gloriae nimio splendore opprimentis visum »; aliis verbis: non est glorificatum, quia tantopere est glorificatum, ut nemo gloriam ferre posset; num forte gloria divina, quia nulla creatura eam intueri valeat, gloria non est? Uti de sola gloria Moysis sententiam agere *Cai.* putavit, ita de sola Apostolorum gloria eam *Dion*[2]. interpretatur nec ad verba nec ad contextum satis attendens: « nam nec glorificatum est, i. e. hominibus perfecte revelari non potuit, quod claruit in hac parte, i. e. gloria ministris novae legis collata; tanta enim est dignitas

et gloria Apostolorum, ut viatores eam capere nequeant ». Alias eiusmodi interpretationes praetermittimus.

Comparatione maioris gloriae novi ministerii evanescere et quasi disparere antiqui testamenti gloriam, Apostolus tertio membro (*v.* 7. τὴν καταργουμένην) explanato confirmat : 11. *si enim quod evacuatur* (τὸ καταργούμενον evanescens) *per gloriam est* (lege : *fuit* cfr ad *v.* 9), *multo magis quod manet* (τὸ μένον manens) *in gloria est* (rectius : *erit*). « Illud, quod datur ut transeat, nihil est in respectu ad illud, quod datur ut semper maneat » (*Thom.*), transitorium enim coram aeterno disparet (cfr 4,17 sq.) : atqui ministerium Moysis adveniente Christo cessare debuit ac revera illo tempore, quo Evangelium in toto orbe praedicabatur, evanuit. Lex enim paedagogus noster erat ad Christum, at ubi venit fides, iam non sumus sub paedagogo (*Gal.* 3,24 sq.); cum Lege autem cessat ministerium eius qui illam attulit. Iam Legi, quae finem habere debuit, Evangelium tamquam τὸ μένον (*manens*) legitime opponitur. Neque enim, sicut vetus testamentum novo, a quo perficiebatur et complebatur, locum cedere debuit, nunc tertia quaedam exspectari potest revelatio, qua evangelica doctrina perficiatur et compleatur, quum perfecta et completa sit; promissiones quoque veteris foederis omnes, quum terrae Palaestinae possessionem et haereditatem directe respicerent, temporales ac transitoriae erant; promissiones vero novae oeconomiae omnes, quia haereditatem coelestem, cuius Palaestina dumtaxat typus fuerat, directe respiciunt, aeternae sunt semperque manebunt. Unde conclusio patet : quanto aeternum transitorio praestat, tanto gloria ministrorum Evangelii manentis superet necesse est gloriam ministri Legis transeuntis. Quomodo gloria haec nova nunc iam sese manifestet, Paulus statim dicet (*v.* 12 sqq.); Apostoli enim, licet externo faciei splendore, quo glorificatus est Moyses, carerent atque hac ratione Moyse inferiores esse viderentur, internam tamen gloriam, cuius splendor in facie Moysis non erat nisi symbolum, tota sua docendi ratione manifestabant. Attamen de sola gloria externa et interna, qua Apostoli iam his in terris insigniuntur, non agitur, sed futura quoque gloria, qua in secundo Christi adventu insignientur, simul intelligatur oportet (cfr ad *v.* 8); quare verbum in graeca phrasi omissum (πολλῷ μᾶλλον τὸ μένον ἐν δόξῃ) futuro (ἔσται *erit*) melius quam praesente (ἐστίν *est*) supplemus. Recte *Theod.* : « si ergo illud (quod transiit) gloriam consecutum est (τετύχηκε δόξης), evidens est, hoc (manens) multo maiorem esse assecuturum (δῆλον ὅτι... τεύξεται) ».

Haud pauci recentiores et moderni (*Est. Pic. Bisp. Mai.* etc. — *Heinr. Goeb.* etc.)

locutiones *per gloriam* (διὰ δόξης) et *in gloria* (ἐν δόξῃ), quamvis inter se vicinissimae eandem fere ideam exprimant, ita tamen differre arbitrantur, ut priore aliquid momentanei et transitorii, altera aliquid stabile ac permanens connotetur. Quin etiam *Theod. Mopsu.* priorem adhiberi dixit, ut Moysen *solum* et *ad breve tempus* gloria fruitum esse significaretur, altera vero significari, *cum Christo* Christianos quoque *semper* in eadem gloria fore. Erronea quidem est Mopsuesteni sententia, quia de Christi Christianorumque gloria non est sermo, nec apparet, quomodo praepositione διά aliae personae excludantur et praepositione ἐν aliae includantur. At verum est, praepositionem διὰ c. genet. de statu, in quo constitutus aliquis agit, ita usurpari ut per illum statum quasi transiens cogitetur (cfr 2,4 ἔγραψα διὰ πολλῶν δακρύων scripsi *per* multas lacrymas); quare haud improbabile est, Paulum, qui in praepositionum usu cautus et diligens est, ad hanc significationem praepositionis διά attendisse atque illius usu brevem durationem gloriae ministerii veteris indicare voluisse. Nihilominus, quia interdum etiam sine ulla apparente ratione praepositiones synonymas variat atque supra (*v.* 7) ministerium Moysis *in* gloria factum esse dicit, quamvis eam transitoriam fuisse diserte addat (τὴν καταργουμένην), alii merito dubitant, num hoc in loco illam praepositionis διά significationem urgere liceat.

2.) *Ob maiorem novi ministerii gloriam novique testamenti indolem Apostolos fiducia loquendi uti decet* (3,12-18).

3,12. *Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur : 13. et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem eius, quod evacuatur. 14. Sed obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum (quoniam in Christo evacuatur) : 15. sed usque in hodiernum diem, quum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. 16. Quum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. 17. Dominus autem Spiritus est : ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. 18. Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.*

3,12. Ἔχοντες οὖν τοιαύτην ἐλπίδα πολλῇ παῤῥησίᾳ χρώμεθα, 13. καὶ οὐ καθάπερ Μωυσῆς ἐτίθει κάλυμμα ἐπὶ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ εἰς τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου. 14. ἀλλὰ ἐπωρώθη τὰ νοήματα αὐτῶν. ἄχρι γὰρ τῆς σήμερον ἡμέρας τὸ αὐτὸ κάλυμμα ἐπὶ τῇ ἀναγνώσει τῆς παλαιᾶς διαθήκης μένει μὴ ἀνακαλυπτόμενον, ὅτι ἐν Χριστῷ καταργεῖται· 15. ἀλλ' ἕως σήμερον, ἡνίκα ἂν ἀναγινώσκηται Μωυσῆς, κάλυμμα ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτῶν κεῖται. 16. ἡνίκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ πρὸς Κύριον, περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα. 17. ὁ δὲ Κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν· οὗ δὲ τὸ πνεῦμα Κυρίου, ἐλευθερία. 18 ἡμεῖς δὲ πάντες ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ τὴν δόξαν Κυρίου κατοπτριζόμενοι, τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, καθώσπερ ἀπὸ Κυρίου πνεύματος[1].

1. *VV. LL.* — 13. εἰς τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου (in *finem* evanescentis) est communis lectio quum codd. et PP. graec. tum versionum, quibuscum antiqua quoque latina consensit, id quod ex *S. Aug.* (c. adv. leg. et proph. II. 7; de spir. et lit. 17) *Afri Pel. Prim. Sed.* interpretationibus elucet; erronee εἰς τὸ πρόσωπον τοῦ καταργουμένου (in *faciem* evanescentis) solus A. Ad *Vulg.* hodiernae lectionem (*in faciem eius quod evacuatur*) recte adnotat *Est.* : « interpres noster, si scripsisset *in faciem*, id quod in graeco sequitur τοῦ καταργουμένου non vertisset *eius quod*, sed *eius qui evacuatur* sc. Moysis ». cfr *Comment.* — 14. ἄχρι γὰρ τῆς σήμερον ἡμέρας (*usque in hodiernum*

Maioris gloriae, quae novi testamenti ministris competat, spes causa est fiduciae libertatisque, qua Apostoli loqui revelataque facie, i. e. aperte et clare, Evangelium annuntiant (12. 13); quam assertionem explicans simul et confirmans Paulus Iudaeis, qui vetus suum testamentum, quia Christum non agnoscunt, nondum intelligunt (14. 15), Christianos opponit, qui omnes aperta facie Christum intuentes in eius imaginem gloriosam transformantur (16-18). Procul dubio hanc expositionem, quae, quamvis cum argumentatione arcte cohaereat, digressionis cuiusdam speciem habet, conclusioni addidit, ut neophytos contra iudaizantium magistrorum, qui tum temporis Corinthi commorabantur, machinationes praemuniret.

Pro diversa duorum ministeriorum dignitate et gloria diversa quoque est agendi ratio ministrorum, siquidem maiorem suam gloriam apostolici operarii ingenuitate sinceritateque sua manifestant: 12. *habentes igitur* (uti demonstratum est, tamquam evangelicae oeconomiae ministri) *talem spem* (multo maioris semperque duraturae gloriae) *multa fiducia utimur*. Quid παῤῥησίας (Vulg. *fiduciae*) vocabulo Paulus hoc loco significet [1], bene describit *Chrys.* : « cum libertate ubique

enim diem) B ℵ A C D E F G P, pauci minusc. et PP., *It. Vulg. Syr. Copt. Arm. Goth.*; at genetivum ἡμέρας velut superfluum omittit *textus rec.* cum K L, plerisque minusc. et PP. — 15. Lectio ἡνίκα ἂν ἀναγινώσκηται, quam exhibent B ℵ A C (coniunctivum, sed omissa particula ἄν, tuentur etiam F G K L), a modernis quidem criticis praefertur atque fluentior quoque iucundiorque est; sed indicativum (ἡνίκα ἀναγινώσκεται) *textus rec.* cum reliquis omnibus codd. et PP. habet. — 16. περιαιρεῖται (aufertur) est communis omnium codd. et PP. graec. lectio, quam meliores quoque codd. *Vulg.* (*Fuld. Amiat.* etc.) tuentur; minus apta est lectio *It.* et plerorumque codd. *Vulg.* : *auferetur*. — 17. οὗ δὲ τὸ πνεῦμα Κυρίου, ἐλευθερία (ubi Spiritus Domini, libertas) B ℵ A C D, pauci minusc., *Syr. Copt.*; sed in apodosi ἐκεῖ ἐλευθερία (*ibi* libertas) legit *textus rec.* cum E F G K L P, plurimis minusc. et PP, *It. Vulg. Arm. Aeth. Goth.*

1. Παῤῥησία in Novo Test. tricies legitur sed variis significationibus usurpatur. Iuxta suam etymologiam (πᾶν et ῥῆσις) primum est *loquendi ratio*, qua *omnia* publice et perspicue *dicuntur*, ita ut ab omnibus audiantur et intelligantur. Haec significatio *in Evangeliis* communis est, in quibus dat. παῤῥησίᾳ velut adverb. interdum est *clare et perspicue* (Vulg. : *palam, manifeste*; opp. ἐν παροιμίαις) *Marc.* 8,32; *Ioan.* 10,24, 11,14; 16,25. 29), interdum *publice* (Vulg. : *palam*; opp. ἐν κρυπτῷ) *Ioan.* 7,13. 26; 18,24; atque dicendi notione obscurata : ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι (*in* palam esse *Ioan.* 7,4), παῤῥησίᾳ περιπατεῖν (in palam ambulare *Ioan.* 11,54). Deinde in *Actibus et apud Paulum* significat eam *animi dispositionem*, qua sine verecundia aut timore iuxta ea quae sentit aliquis libere et aperte aut loquitur (*Act.* 2, 29; 4,13. 29. 31; 2 *Cor.* 3,12; 7,4; *Eph.* 6,19) aut agit (*Phil.* 1,20; *Col.* 2,15; 1 *Tim.* 3,13; *Philem.* 8). Demum *bonae conscientiae fiduciam* significat, qua aliquis ad Deum accedit, sive ut aliquid ab eo petat (*Eph.* 3,12; *Hebr.* 3,6; 4,16; 10,19. 35; 1 *Ioan.* 3,21; 5,14), sive ut ei se sistat iudicandum (1 *Ioan.* 2,28; 4,17). — In Actibus et epistolis a Vulg. plerumque redditur *fiducia*, sed semel *constantia* (*Act.* 4,13), bis *confidentia* (*Hebr.* 10,35; ἐν παῤῥησίᾳ *confidenter Col.* 2,15, quo in loco ex altera versione iuxta aliam sententiae constructionem additur *palam*), semel *audacia* (μετὰ παῤῥησίας *audenter* Act. 2,29).

verba facimus, nihil celantes, nihil occultantes, nihil dissimulantes, sed perspicue loquentes; neque veremur, ne vestros oculos vulneremus, sicut Moyses Iudaeorum oculos perstrinxit ». Proxime quidem hanc loquendi fiduciam et libertatem de sua ipsius commendatione intelligi vult, quam contra adversarios suos, qui eam ex arrogantia superbiaque exoriri criminabantur, ipsius ministerii dignitati inniti asserit, quippe quae postulet, ut Apostoli ea manifestent, quibus tamquam genuini ministri novi testamenti a Deo sint commendati. Attamen quemadmodum in priore inconstantiae calumnia refutanda fundamentum accusationis (mutatum itineris consilium) leviter tantum tractavit, ut suam in docendo constantiam simplicitatemque maxime vindicaret, ita huius quoque criminationis fundamentum (sui commendationem) quasi seponit, ut fontem sinceritatis ingenuitatisque, qua totam evangelicam doctrinam sine verecundia et timore clare et aperte annuntiat, patefaciens calumniatores suos iudaizantes confundat.

Quamobrem Apostolorum ac Moysis rationes agendi inter se comparat : 13. *et non, sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem* (lege : *in finem* εἰς τὸ τέλος cfr VV. LL.) *eius quod evacuatur,* nos quoque faciem nostram velo contegimus occultamusque (hac ratione ellipticam sententiam complendam esse patet). Moyses quotiescumque filiis Israel praecepta divinitus accepta annuntiabat, iuxta Scripturae testimonium gloriam, quae ex consortio sermonis Domini in facie eius relucebat, velo abscondit; Apostoli Evangelium toti mundo annuntiantes sua παῤῥησίᾳ gloriam novi ministerii manifestant. Neque tamen hanc sententiam Paulus adiecit, ut ea, quae iam propriis verbis (*v.* 12) dixerat, per figuram quandam illustraret, sed ut profundiorem sensum, quem velum Moysis habuit, explicans Apostolos fiducia loquendi in Evangelii praedicatione uti posse ac debere clarius demonstraret. Etenim Moysis facies splendida velo erat obtecta, *ut non intenderent filii Israel in finem eius quod evacuatur.* Ex Scripturae quidem narratione omnino elucere videtur, Moysen velo faciem contexisse, ut cum populo, qui splendorem vultus eius non ferret, liberius ageret (cfr *v.* 7 et *Exod.* 34,30. 35); attamen Deus, quum splendorem illum non auferret, sed Moysen ad eum velo occultandum impelleret, alium scopum habuit, quem Paulus typico-symbolica sua interpretatione nobis revelat[1]. Ex

1. Iuxta modernorum tantum non omnium sententiam constructione πρὸς τὸ c. inf. qua Paulus utitur (πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι κτλ.) semper subiectivus agentis finis exprimitur; dicendum igitur esset, Moysen eo consilio faciem velasse, *ne* Israelitae finem eius quod evacuatur intuerentur (cfr *Mai. Bisp.* etc. — *Mey. Schn.* etc.). At erronea est ista sententia, nec quidquam impedit, quominus explicemus : Moyses velavit faciem, *ita ut non* viderent Israe-

Dei enim voluntate velum splendidae faciei Moysis impositum symbolice indicabat, filios Israel *finem eius quod evacuatur* nondum debere defixis oculis intueri (ἀτενίσαι) nec proin plene cognoscere; iuxta Dei igitur voluntatem Moyses, quando velata facie filiis Israel praecepta divinitus accepta promulgabat, eis aliquid occultabat; Apostoli contra nihil habent, quod occultent, sed omnia manifestant.

Porro *id quod evacuatur* iuxta aliquos modernos proxime significat splendorem Moysis evanescentem (cfr *v.* 7 τὴν δόξαν τὴν καταργουμένην); monent autem splendorem hunc velut symbolum cessantis ministerii et Legis veteris considerari (*Bisp. Mai.* etc. — *de W. Schn.* etc.). At proxime et directe τὸ καταργούμενον esse ipsum ministerium vetus, ex *v.* 11. evidenter elucere arbitror; neque enim duabus in sententiis immediate sese excipientibus eadem locutio diversas significationes habere potest. Sed quoniam ministerii evacuatio est necessaria sequela abrogationis Legis ipsius (cfr ad *v.* 11), nihil prorsus obstat, quominus *id quod evacuatur* etiam totam veterem oeconomiam esse cum plerisque PP. et antiquis interpretibus dicamus (cfr *Chrys. Theod.* etc., *Aug.* ll. cc. *A[ter]* etc., *Cai. Iust. Est.* etc.). Quid vero nomine *finis* (τὸ τέλος) significatur? Iuxta alios (*Chrys.* etc.) terminus, quo res aliqua esse desinit s. eius terminatio; iuxta alios (*Theod. Aug.* etc.) scopus quo res tendit; iuxta alios demum (*Est. Lap.* etc.) consummatio et perfectio rei. Tertiam quidem significationem, quamvis eam per se aptam esse non nego, graecum vocabulum (τέλος) non admittit (consummatio est τελείωσις); duae aliae autem coniungantur oportet, ut plenum huius sententiae sensum assequamur. Etenim Lex tetendit ad Christum, non tantum quia tamquam paedagogus ad eum nos adducere debuit (*Gal.* 3,24), sed etiam quia omnia, quae in vetere oeconomia con-

litae etc. Praeprimis enim *subiectivum* agentis finem non semper exprimi, ex *Matth.* 26,12 (πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με ἐποίησεν) elucet; nemo enim dixerit, Mariam, quum unguentum super caput Domini effunderet, de sepultura eius cogitasse; divinitus instigata fecit aliquid, quod ad sepulturam Domini relationem quandam habuit, illam nimirum praefiguravit, non ex Mariae sed ex Dei intentione. Porro nullo modo de *fine*, sed de *eventu* (non τελικῶς sed ἐκβατικῶς) constructio adhibetur *Marc.* 13,22 (ψευδοπροφῆται δώσουσιν σημεῖα καὶ τέρατα πρὸς τὸ ἀποπλανᾶν εἰ δυνατὸν τοὺς ἐκλεκτούς); id enim non tantum incisum (εἰ δυνατόν) insinuat sed locus parallelus extra dubium ponit (*Matth.* 24,24. δώσουσιν σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα ὥστε πλανῆσαι εἰ δυνατὸν καὶ τοὺς ἐκλεκτούς). Aptior quoque est consecutivus sensus *Matth.* 5,28, *Eph.* 6,11; quin etiam in reliquis (*Matth.* 6,1; 13,30; 23,5; 1 *Thess.* 2,9; 2 *Thess.* 3,8) admitti potest, quamvis finalis aptior esse videatur. (Saepius in Novo Test. constructio non reperitur). *Per se* πρὸς τὸ c. inf. relationem alicuius actionis ad eventum aliquem exprimit; quaenam sit relatio, ex contextu aut aliunde desumatur oportet; in nostro autem loco non tantum nihil cogit, ut finalem relationem admittamus, sed adsunt, quae finalem explicationem excludant. Iustos tamen limites *Heinr.* transgreditur, si πρὸς τὸ c. inf. ad finem designandum adhiberi absolute negat; verum est, constructionem *per se* numquam finem designare.

tinebantur, praecepta, instituta, sacrificia, cum eiusque opus praefigurarunt in eoque suam veritatem habuerunt (*Col.* 2,17); atqui adveniente Christo paedagogus munere suo defunctus est et figurarum umbra locum cessit veritati rerum; utroque igitur respectu Christus est finis Legis (*Rom.* 10,4), scopus ad quem tetendit, terminus quo esse desiit, atque si id addere vis, est etiam eius consummatio et perfectio. Iam splendor, qui in facie Moysis ex consortio sermonis Domini relucebat, typus symbolicus erat Christi, qui ipse in divina sua natura est splendor gloriae et figura substantiae Patris (*Hebr.* 1,3); Moyses proin ex divino instinctu splendorem faciei suae velo filiis Israel occultans significabat eos nondum posse intueri Christum, qui, scopus et terminus Legis, vetus ministerium testamentumque aliquando erat abrogaturus; Apostoli autem Christum annuntiantes velo non amplius indigent, sed aperta facie multa cum fiducia Evangelium promulgant per totum orbem.

Vix memoria digna est explicatio a *Luth.* in sua versione expressa, iuxta quam genetivus τοῦ καταργουμένου est mascul., ita ut de Moysis morte sit sermo (ut non intenderent filii Israel in finem Moysis morituri). — In latina quidem lectione explicanda (ut non intenderent filii Israel *in faciem* eius, quod evacuatur) multi cum *Thom.* genetivum *eius* de Moyse interpretantur, sed relativum *quod* ad praecedens nomen *velamen* trahunt (Moyses ponebat *velamen* super faciem suam, ut non..., *quod* evacuatur); at haec constructio in latino textu admodum dura cum graeco nulla ratione conciliatur. Minus porro apta est aliorum sententia, « qui hanc partem (quod evacuatur) ad gloriam faciei Moysis referunt voluntque significari : quae tamen faciei mosaicae gloria cito fuit exstincta » (*Pic. M Est.* etc.), quum nec latinae nec graecae grammaticae respondeat. Alii igitur, ut aptum sensum extundant, nomini *faciei* novam significationem affingunt : praeeuntibus antiquioribus nonnullis, qui *faciem* explicarunt « claram dictorum spiritualium intelligentiam », quae velamine carnalium figurarum esset abscondita (cfr *Haym. Herv. Lomb.* etc.), *Iust.* « faciem eius quod evacuatur » explicare voluit « vim potestatemque Legis periturae ». Quibus contortis explicationibus immorari non vacat; quia omnes latini Patres lectionem *finem* habebant, concedatur oportet, hodiernam Vulgatam librarii cuiusdam aut negligentia aut audacia esse vitiatam.

In deserto filii Israel, si Christum, finem Legis, non cognoverunt, excusare sese potuerunt, quod velamine Moysis faciei imposito impediti essent, at Iudaeis Apostolorum aetate degentibus eandem excusationem praetendere non amplius licuit; aperta enim facie Apostoli eis multa cum loquendi fiducia Christum, finem Legis, annuntiant, 14. *sed obtusi sunt sensus eorum.* Ad ellipsin praecedentis sententiae nonnulli non satis attendentes in explicanda particula ἀλλά (*sed*) difficultatem aliquam invenerunt eamque pro *quia* (*Est.* etc.) aut pro *itaque* (*Cramp.* — *Ros.* etc.) positam esse non minus arbitrarie, quam perperam cen-

suerunt; adversativus enim nexus clarus est, si ad membrum omissum (nos velamen non gerimus) attenditur. Parum recte quoque moderni haud pauci (*Mai. Bisp.* etc. — *Beng. Mey. Schn.* etc.) particulam hanc (ἀλλά) praecedenti infinitivo (πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι) opponunt; nec constructio enim permittit, ut soli infinitivo, nec sensus, ut toti sententiae comparativae nostra phrasis opponatur; quae enim est oppositio : « Moyses velamine filios Israel a videndo fine perituri ministerii retinuit; *sed* filii Israel propria sua caecitate finem illum non viderunt »? Grammaticae vero nostra constructio plane consentit et sensus est aptissimus. Re enim vera iuxta Dei voluntatem Iudaei in deserto Christum clare cognoscere nec potuerunt nec debuerunt, idque significabat velamen, quo splendorem faciei Moysis, i. e. symbolicum typum Christi, intueri prohibebantur; iuniores vero Iudaei, quibus Christus aperte praedicatur, eum cognoscere possunt et debent, sed ipsi quoque velamine quodam impediuntur. Quod Apostoli quidem super faciem suam non gerunt, sed Iudaei ipsi cordi suo imposuerunt (cfr *v.* 15); praedicatores clare loquuntur, sed auditorum animi sunt obtusi : ἐπωρώθη τὰ νοήματα αὐτῶν. Verbum πωροῦν (callum obducere, callo inducto indurare) in Novo Test. semper de culpabili mentis hebetatione, qua aliquis veritatem agnoscere prohibetur, tropice usurpatur ideoque a *Vulg.* plerumque redditur *excaecare* (*Rom.* 11,7; *Marc.* 6,52; 8,17; semel *indurare Ioan.* 12,40; hic eodem sensu *obtundere;* saepius non invenitur; de sensu vobabuli νοήματα cfr ad 2,11). Quando et a quo hebetatae sint mentes Iudaeorum, Apostolus non dicit; sed id iam pridem esse factum aoristo (ἐπωρώθη) indicat. Ac profecto Deus procedente revelatione velamen, quod super faciem Moysis positum erat, magis magisque removerat, ita ut clarioribus prophetarum vaticiniis Iudaei Messiam, finem Legis, cognoscere possent; sed quo magis velamen illud removebatur, eo magis Iudaei, instigante utique daemone (cfr 4,4), sese ipsi occaecabant velamenque super cor suum ponebant.

De qua voluntaria eorum hebetatione prophetae iam conquesti erant (cfr *Is.* 6,8 sqq. et *Act.* 28,25 sqq. etc.), atque eandem etiam suo tempore perdurare docet Paulus sententiam praecedentem explicans : *usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum* (*quoniam in Christo evacuatur*). Clarum est *idipsum velamen* tropice hic sumi, quatenus signum et signatum idem esse dicuntur; non idem igitur numero velum, quod Moyses super faciem posuerat, intelligitur, sed idem relate ad effectum, qui producitur : « sonabat enim vox Moysi per velum, et facies Moysi non apparebat; sic et modo Iudaeis sonat vox Christi per vocem Scrip-

turarum veterum : vocem earum audiunt, faciem sonantis non vident » (*S. Aug.* Serm. 74,5) : uti mosaicum velamen patres impedivit, ne splendorem divinum in facie legislatoris sui intuerentur, ita voluntaria caecitas impedit filios, ne Christum in lectione veteris testamenti cognoscant. Hoc enim velamen *manet non revelatum*, i. e. non retegitur aut amovetur, idque ideo, *quoniam in* solo *Christo* fide apprehenso et agnito *evacuatur;* quia Christus ab eis respuitur, revelatio, quae de Messia in veteris testamenti libris habetur, ab eis non intelligitur. Quae ut magis inculcet, iisdem fere verbis repetit accuratius tamen indicans, ubinam nunc iam illud velamen sit quaerendum : velamen non retegitur, 15. *sed usque in hodiernum diem, quum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Qua in sententia verba *quum legitur Moysis* (ἡνίκα ἂν ἀναγινώσκηται Μωϋσῆς) praecedenti dictioni *in lectione veteris testamenti* (ἐπὶ τῇ ἀναγνώσει τῆς παλαιᾶς διαθήκης) omnino respondent eiusque significationem temporalem extra dubitationem ponunt (cfr *Thom. Cai.* etc.). Parum recte igitur cum *Chrys.*, qui tum in lectione tum in corde velamen poni dicit, multi antiquiores de duobus diversis velaminibus Apostolum *vv.* 14. et 15. loqui arbitrantur, de velamine « in lectione veteris testamenti » posito, quatenus Lex obscura sit utpote figuris involuta, et de velamine « super cor » positum, quatenus cor sit occaecatum (cfr *Herv. Lomb.* etc. — *Fritzsche* etc.); ut enim praetermittamus, velamen lectioni non imponi (mirus profecto esset eiusmodi tropus), Paulus, si duo velamina distinguere voluisset, dixisset, opinor : « sed *etiam* velamen positum est super cor eorum ». Ceterum nomine *veteris testamenti* designari libros, quibus fundatio et historia veteris oeconomiae continebantur, tam clarum est, ut mireris aliquos modernos acath. (*Mey.* etc.) id negasse: sed nomine *Moysis* quoque (*v.* 15) metonymice omnia veteris testamenti volumina intelliguntur; de publica enim lectione agitur in synagogis fieri solita, in quibus praeter pericopas ex libris Legis desumtas aliae ex prophetis sabbatis singulis legebantur [1].

In *v.* 14. exponendo cum PP. fere omnibus (*Chrys. Theod. S. Aug.* serm. 300,3. Pel. etc.), omnibus antiquioribus (*Haym. Herv. Thom.* etc., *Cai. Iust. Est.* etc.) et multis modernis interpretibus (*M Ev. Ramb.* etc. — *Olsh. Klop. Heinr.* etc.) eam praetulimus constructionem, quam omnes quoque antiquae versiones exprimunt, quae participium μὴ ἀνακαλυπτόμενον ad praecedens substantivum κάλυμμα trahunt (τὸ αὐτὸ κάλυμμα μένει μὴ ἀνακαλυπτόμενον *velamen* manet *non revelatum*), atque idem substantivum pro subiecto sententiolae additae habent : quia (velamen) in Christo evacua-

1. Hodierni Iudaei, quoties in synagogis lectioni Legis aut prophetarum vel etiam precibus vacant, velamine quodam, quod טלית vocatur, caput tegere solent. Num hic ritus iam Apostolorum aetate fuerit receptus atque Paulus ad eum alluserit, non satis constat.

tur. Quamvis sua facilitate sese haec constructio commendet, *Aeth* tamen versione sua (« hoc ipsum velamen in lectione veteris testamenti manet, *dum* non revelatur, quia in Christo evacuatur » sc. vetus testamentum) alteram constructionem exprimit, quae haud paucis modernis praeplacet (*Bisp. Mai. L R. Dr.* — *Mey. Flatt. Goeb.* etc.). Participium (μὴ ἀνακαλυπτόμενον) enim pro accusativo absoluto habent, qui coniunctione temporali (*dum non* revelatur) aut causali (*quia* non revelatur) exponendus sit; hinc etiam sententiae additae coniunctionem (ὅτι) non esse causalem statuunt, sed obiectum verbi introducere, atque subiectum sententiolae non esse *velamen*, sed *vetus testamentum*. Itaque sensus esset : « idem velamen etiamnum manet in lectione veteris testamenti, quia (Iudaeis) non revelatur (ac proin ignotum est), illud (sc. vetus testamentum) in Christo evacuari ». Licet accusativus absolutus participii, qui etiam apud profanos scriptores ad certa verba, quae impersonaliter adhibentur (ἐξόν, εἰρημένον etc.), restringitur, aliis Novi Testam. exemplis non demonstretur in usu sacrorum scriptorum fuisse, neque etiam verbum ἀνακαλύπτειν usquam metaphorice sensu manifestandi adhibitum legatur, constructionem hanc tamen per se admitti posse non plane nego; sed cur admittatur et communi interpretationi, quae facillima est, praeferatur, nulla prorsus adest ratio. Leve enim est, quod monetur, verbum καταργεῖν *vv.* 11. 13. de vetere ministerio et testamento abrogando adhiberi neque proin de auferendo velo apte hic usurpari; cur enim velamen istud (voluntariam caecitatem) in Christo, i. e. per fidem, non tantum auferri sed plane destrui et evacuari dici non potuit?

A tristi Iudaeorum conditione, qui voluntariae occaecationis velo impediti Messiam suum non vident neque revelationes sibi factas intelligunt, Paulus ad felicem Christianorum conditionem transit, qui aperta facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformantur, atque praeprimis viam ostendit, qua ab uno statu ad alterum pervenitur : 16. *quum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur* (lege : *aufertur* cfr *VV. LL.*) *velamen*. Cuius sententiae textus graecus (ἡνίκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ πρὸς Κύριον, περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα), si cum alexandrino textu *Exod.* 34,34 confertur (ἡνίκα δ' ἂν εἰσεπορεύετο Μωυσῆς ἐναντὶ Κυρίου λαλεῖν αὐτῷ, περιῃρεῖτο τὸ κάλυμμα), dubitare quidem nos non sinit, quin Apostolus, uti in tota hac pericope, etiam hic ad mosaicam narrationem respexerit; sed certum quoque est, a vero aberrare, qui verba Exodi a Paulo diserte allegari censent (*Est. Ramb.* etc. — *Calv.* etc.). Iuxta eorum enim sententiam subiectum verbi *conversus fuerit* (ἐπιστρέψῃ) est Moyses, qui *v.* 15. nominetur, atque Moyses « conversus ad Dominum et retectam habens faciem velut typus describitur populi christiani ad Deum conversi et revelata cordis facie salutis mysteria contemplantis » (cfr *Est.*). Verumtamen si Moysen velut typum describere voluit, Paulus dicere debuit : conversus ad Dominum *abstulit sibi* (περιείλετο) velamen; praesens (περιαιρεῖται) vero adhibitum satis docet, non eadem ratione, qua supra *v.* 13, factum historicum referri et ex eo argumentum desumi. Solam igitur

allusionem ad *Exod.* 34,34 agnoscimus; pro subiecto autem sententiae, si graecum sequimur textum, cuius verbum (ἐπιστρέψῃ) genus non exprimit, ex praecedente sententia aptissime supplemus καρδία: cor caecitate obvelatum, quum ad Dominum conversum fuerit (vel: sese converterit), sibi aufert (περιαιρεῖται sensu med.) velamen. In latino textu antiquiores plerique (*Prim. Herv. Lomb. Thom.* etc.) indefinitum pronomen (aliquis) recte suppleverunt, eundemque sensum exprimit *S. Aug.*, qui in suo codice secundam personam legit (quum transieris ad Dominum Serm. 300,3; c. Faust. XII. 4 etc.); neque multum ab eo recedunt alii, qui pluralem legerunt (quum conversi fuerint *Dion. Erasm. Cai.* etc.); quin in eundem quoque trahi possunt, qui cum Graecis (*Chrys. Theoph.* etc.) supplere malunt *Israel* (cfr *Pel. Haym.* etc.); proxime enim de incredulorum Iudaeorum conversione agi, docet contextus.

Conversione igitur ad Dominum aufertur cordis velamen; quod assertum Paulus duabus brevissimis sententiis explicat, quarum prior exponit, quis Dominus sit, ad quem cor sese convertere debeat, altera quid relate ad veli ablationem agat: 17. *Dominus autem Spiritus est* (ὁ δὲ Κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν); *ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Dubitatum est, utrum prioris sententiolae subiectum sit *Dominus* an *Spiritus*. Graeci, quum ex his verbis divinitatem Spiritus S. demonstrare soleant (cfr *S. Athan.* ad Serap. I. 6; de Trin. et Spir. 7 etc.; *S. Basil.* de Spir. S. 21.; *S. Greg. Naz.* or. 31. theol. 5,29 etc.), Spiritum subiectum esse eumque Dominum i. e. Deum appellari censent (*Chrys. Mopsu. Theod. Theoph.* etc.); quam explicationem ut vindicent, *Chrys.* et *Mopsu.* nomini πνεύματος articulum praefixum esse (τὸ πνεῦμα) monent ad locos parallelos (*Ioan.* 1,1 Θεὸς ἦν ὁ λόγος, 4, 24 πνεῦμα ὁ Θεός) provocantes, in quibus articulo subiectum clare definiatur. Nonnullis iunioribus quoque (*Est. Lap. Nat. Calm. Pic.*) haec sententia eo magis placuit, quia eam ab aliquibus antiquioribus Latinis solam tradi (*Haym. Herv. Lomb. Dion.*), ab aliis (*Thom.* etc.) saltem velut probabilem admitti viderunt. Attamen Graecorum argumentum ex articulo desumtum hoc in loco infirmum est, quia ambo sententiolae nomina articulo sunt munita ac proin sententiae ex *Ioan.* 1,1 et 4,24 allatae ad rem demonstrandam non iuvant. Contra eos autem nexus huius sententiae cum praecedente militat, qui plane destruitur, si *Spiritus* pro subiecto sumitur (cfr *Iust.*); id iam *Theod.*, quamvis in exponenda sua sententia sibi non constet, clare insinuat, quum ad nexum *vv.* 16. et 17. manifestandum interroget: « quis autem est, ad quem respici debet », ut scilicet velum auferatur? Ac

profecto quis sit Dominus, ad quem conversio fiat, explicare vult Paulus, minime vero quis sit Spiritus, qui inde a *v.* 10. non amplius nominatur. Cum latinis igitur patristicae aetatis interpretibus (*A*[ter], *Pel. Prim. Sed.*) multisque iunioribus (*Thom*[2]. *Cai. Iust.* etc.) modernisque (*MEv. Bisp. Mai. LR. Ramb.* — Acath. multi) *Dominum* esse subiectum, *Spiritum* nomen praedicati tenemus.

Neque tamen recte Latini antiquiores, quum ad graecum textum non attenderent, nomen *Spiritus* esse essentiale atque Christum dici spiritualem opinati sunt (*A*[ter] etc., *Thom.* etc., *Cai.* etc.); id enim articulo (τὸ πνεῦμα) omnino prohiberi, iure observarunt Graeci : « neque enim quisquam, inquit *Mopsu.* (cfr *Chrys.* etc.), per totum Novum Test. locum invenerit, in quo Pater aut Filius nomine τοῦ πνεύματος designentur ». Recte ergo a modernis *Spiritus* (τὸ πνεῦμα) etiam hic pro nomine personali sumitur; at aliqui ex illis in eo errant, quod nihilominus nomine *Domini* Christum intelligant, ita ut Christus dicatur esse Spiritus S. (*Bisp. Mai.* — *Mey. Kl Br.* etc.). Utique monent, non completam identitatem asseri, sed eatenus Christum vocari Spiritum S., quatenus Spiritus S. sit Spiritus Christi (πνεῦμα Κυρίου aut πνεῦμα Χριστοῦ cfr *Rom.* 8,9-11) aut quatenus eadem sit Verbi et Spiritus S. divina natura et essentia; sed eos fugit, in SS. Trinitate nomina relativa, quum inter se realiter opponantur, de se invicem non posse praedicari; si dicere liceret : Christus est Spiritus S., cur cum Antitrinitariis : Pater est Filius, non diceremus? Nomine *Domini* ergo Paulus Christum hic intelligere nequit; quo sensu autem illud sumat, contextus nos docet. Etenim ad *Exod.* 34,34 evidenter alludens dixerat : si cor occaecatum ad Dominum (Κύριον sine articulo) sese converterit, aufertur velamen, et nunc pergit : Dominus autem, ad quem haec conversio fieri debet, (ὁ δὲ Κύριος) est ille Spiritus S., de quo antea locutus sum, a quo novum testamentum cordibus inscribitur, cuius ministerium in maiore gloria est, quam vetus ministerium fuit, qui vivificat (*vv.* 6 sqq.); a litera ergo occidente cor occaecatum sese convertat necesse est ad Spiritum vivificantem, qui in novo testamento datur; et tunc aufertur velamen, quia tunc cessat servitus, quam vetus testamentum induxit : *ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Sine ullo igitur scrupulo verba haec Pauli cum Graecis ad Spiritus S. divinitatem demonstrandam adhibere possumus, siquidem in verbis, quas Apostolus prae oculis habet, *Dominus* est יהוה, atque hoc solius veri Dei nomen non minus Spiritui S., quam Patri aut Filio, competere insinuat. Porro libertas, quam Spiritus, qui et ipse Dominus est et tamen Spiritus Domini aut Dei vocatur, quia a Patre et Filio pro-

cedit et per eos nobis datur, secum affert, non est dumtaxat « ab impedimento velaminis » (*Thom.*)., sed a tota Legis servitute, cuius symbolum quoddam est velamen (cfr ad 1 *Cor.* 11,3 sqq.). Spiritus S. enim est Spiritus adoptionis filiorum, qui spiritui servitutis plane est oppositus (*Rom.* 8,14 sq.); quare ii, qui ad Spiritum S. sese converterunt eumque receperunt, non iam ad vetus testamentum pertinent, quod in servitutem generat, sed ad novum, cuius filii secundum promissionem in libertatem sunt nati (cfr *Gal.* 4,24 sqq.). Antinomistas vero antiquos et modernos, qui libertatem a servitute Legis et libertatem a Lege foede confundentes turpem suum errorem verbis Pauli non tam defendere quam tegere conantur, idem Paulus monet, ne libertatem in occasionem dent carnis (*Gal.* 5,13).

Atqui in felici illa conditione, ad quam Iudaei conversione sua ad Spiritum novi testamenti transire debent, omnes Christiani iam versantur; quasi iubilans enim Apostolus exclamat: 18. *nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem tamquam a Domini Spiritu.* Iuniores interpretes haud pauci (*Cai. Iust. Est. MEv. Bisp.* — *Beng. Rosenm.* etc.), Apostolum post parenthesin quandam (14-17) hic sententiam *v.* 13. inchoatam continuare et complere censent, ita ut pronomine *nos* soli operarii evangelici significentur (non ponimus sicut Moyses velamen super faciem, sed revelata facie etc.); at cur cum emphasi Paulus posuerit *nos omnes*, non explicant. Cum antiquis igitur omnibus (*Chrys.* etc., *A*ter etc., *Herv. Thom.* etc.) modernisque plerisque (*Mai. LR.* etc. — *Mey. Heinr.* etc.) de omnibus Christianis agi tenemus, qui non Moysi velato, sed Israelitis velum super cor suum gerentibus opponuntur; omnes enim Christiani iam *revelata facie gloriam Domini speculantur.*

Apposite *S. Aug.* (de Trin. XV. 8) observat, latinum verbum *speculari*, quum ambiguum sit, iuxta graecum verbum, ex quo sit translatum, explicari debere: « *speculantes* dixit per speculum videntes, non in specula prospicientes; quod in graeca lingua non est ambiguum, unde in latinum translatae sunt apostolicae literae ». Iuxta graecos quidem interpretes κατοπτρίζεσθαι idem est quod « ad speculi instar lumen accipere et reddere » vel lumen acceptum repercutere: « sicut purum argentum ad solis radios situm ipsum quoque radios emittit, eodem modo cor mundum a Spiritus gloria radium suscipit ac vicissim remittit » (*Chrys.*), etenim « cor purum fit divinae gloriae imago quaedam expressa et effigies » (*Theod.*); explicanda igitur esset sententia: Moyses gloriam, quae ex divini sermonis consortio in eius facie relucebat, velo occultabat, nos vero Christiani gloriam

Domini aperta facie velut speculo quodam accipimus et reddimus. At oppositionem Moysen inter et Apostolos aut Christianos non adesse, iam diximus; quapropter cum plerisque verbi κατοπτρίζεσθαι significationem ab *Aug.* indicatam (per speculum vel in speculo videre) praeferimus[1]. Neque tamen cum eodem S. Doctore, licet eum multi antiquiores sequantur, « speculum rationis, in qua sit quaedam imago Dei » (*Thom.* cfr *Sed. Herv. Lomb.* etc.), intelligimus, sed speculum fidei (*A*[ter]) vel potius Evangelii, in quo gloria Domini relucet (4,4).

Quam significationem iure praeferri etiam sequentia docent; nam priore hoc inciso ratio redditur, cur *in eandem imaginem transformemur* (μεταμορφούμεθα); novam vero formam (μορφήν) accipimus, non quia imaginem Domini acceptam velut speculum repercutimus, sed quia imaginem hanc accipimus et retinemus. Namque « quum omnis cognitio sit per assimilationem cognoscentis ad cognitum, oportet quod qui vident Deum aliquo modo transformentur in Deum; et si quidem perfecte vident, perfecte transformantur, sicut beati in patria per fruitionis unionem; si vero imperfecte, imperfecte transformantur, sicut hic per fidem; videmus enim nunc per speculum in aenigmate » (*Thom.*). Nullo igitur impediti velamine super cor posito, sicut Israelitae, sed revelata et aperta facie in speculo Evangelii gloriam Domini intuentes iam hac in vita in eandem imaginem, quam videmus, transformamur, i. e. novam accipimus formam, qua Christo, imagini Dei (4,4), similes reddimur; atque id quidem *a claritate in claritatem* (vel potius : *a gloria in gloriam;* graece idem vocabulum δόξης retinetur), ita ut progressus quidam adsit atque amplior maiorque in dies fiat nostra similitudo cum Christo. Proxime utique hac in vita transformatio est moralis, quum iuxta Pauli monitum (*Rom.* 12,2) transformari (μεταμορφοῦσθαι, minus recte *Vulg.* ibi : *reformari*) debeamus novitate sensus nostri, ea nimirum, quae sunt Domini, cogitantes, diligentes, quaerentes; at physica quoque transformatio quaedam adest crescente in dies gratia et caritate, cui respondebit futura nostra transformatio in gloria. Quanta demum futura sit transformatio nostra, docet ultimum membrum : *tamquam* (καθώσπερ) *a Domini Spiritu*, quo effectum causae respondere atque

1. Sensus, quem Medio κατοπτρίζεσθαι, quod in hoc solo Scripturae loco legitur, *Chrys.* aliique graeci interpretes attribuunt, profanorum scriptorum exemplis demonstrari nequit; apud eos enim *Act.* κατοπτρίζειν significat : radios speculo repercutere, vel : in speculo monstrare, *Medium* κατοπτρίζεσθαι vero : sese ipsum in speculo intueri, aut : sibi aliquid in speculo intueri. Graeco loquendi usui igitur respondet *S. Aug.* explicatio, atque eadem ratione *Syr.* quoque vertit : « gloriam Domini tamquam in speculo videntes ». Mediatam cognitionem esse, non attendunt, qui cum *Pel.* latinum *speculari* hic idem esse volunt quod *contemplari.*

ex magnitudine causae ad magnitudinem effectus recte concludi insinuatur. « Ideo dixit : a Domini Spiritu, ut ostenderet talem gloriam dari, quae sublimitati congruat dantis. Moysis enim gloria nec tanta fuit nec perennis; pro modo enim Legis et gloriam accepit : ita et pro modo legis fidei, in qua Spiritus Dei est, dabitur gloria credentibus. Tantum enim concessit Deus fidelibus, ut Spiritum suum det eis, pignus illius gloriae quam promisit » (*Ater*).

Verba : *a claritate in claritatem* (vel *a gloria in gloriam*) diversimode explicantur; eam interpretationem dedimus, quae magis nobis videtur esse obvia ac simplex (cfr *Salm. Iust.* etc.). Iuxta Graecos : « a gloria, quae propria est Spiritus, transformamur in gloriam nostram, quam accipimus » (*Chrys. Theod.* etc., *Est.* etc.); *Ater* : « a gloria Moysis, quam reatus causa cernere nequibamus, transformamur ad gloriam, quam credimus dari nobis a Domini Spiritu »; *S. Aug.* (l. c.) : de gloria creationis in gloriam iustificationis, vel etiam : de gloria fidei in gloriam speciei, de gloria, qua filii Dei sumus, in gloriam, qua similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est; *Thom.* triplicem gradum cognitionis in discipulis Christi distinguit vocem *claritatis* non recte urgens : a claritate cognitionis naturalis in claritatem cognitionis fidei, a claritate cognitionis in vetere testamento ad claritatem cognitionis gratiae novi test., a claritate cognitionis naturalis et veteris et novi testamenti in claritatem visionis aeternae. Sed haec omnia a contextu longius abesse videntur.

Triplex est ultimi membri graeci (ἀπὸ Κυρίου πνεύματος) versio : a Domino Spiritu, a Domino Spiritus, a Domini Spiritu; quae omnes grammaticae congruunt. Primam praeferunt Graeci, qui hic (eadem ratione, qua *v.* 17) Spiritum vocari Dominum tenentes ex his verbis divinitatem Spiritus S. demonstrant (cfr *Chrys. Theod.* etc.). Tertiam non tantum latinus sed etiam syriacus interpres expressit tenentque Latini antiqui omnes et moderni plerique. Secunda, quae Christum vocat Dominum Spiritus, a multis quidem modernis acath. (inter cath. a solo *Mai.*) praefertur, sed aliquid haeretici habet, atque inepte monent aliqui (*Mey. Kl Br.* etc.), Spiritum iuxta Scripturas a Christo mitti ac proin Christum eius Dominum vocari posse; quid enim in divinis sit missio, non intelligunt, atque perperam cum Arianis notionem divinae missionis involvere putant maiorem mittentis quam missi perfectionem. Quodsi vero obiiciunt, iuxta grammaticam graecam ex duobus genetivis, qui praepositionem sequuntur, priorem semper a praepositione regi (*Kl Br. Heinr.* etc.), respondemus, hanc regulam ad errorem defendendum esse confictam; nihil enim obstat, quominus ille quoque genetivus, qui a praepositione non regitur, eam immediate sequatur, si cum emphasi quadam efferri debuit; hoc autem nostro in loco obtinet, in quo Apostolus ex sublimitate dantis (Spiritus, qui a Domino procedit atque ipse proin Dominus est) ad doni magnitudinem concludi vult. Utrum vero Graecorum (a Domino Spiritu) an Latinorum (a Domini Spiritu) interpretatio praeferatur, per se parum interest, licet secunda ob rationem indicatam nobis magis probetur; prior priori membro *v.* 17. (Dominus est Spiritus), altera secundo (Spiritus Domini) consonat.

3. *Excelsi igitur ministerii sui memor Paulus manifesta sua praedicatione sese commendavit* (4,1-6).

4,1. *Ideo habentes administrationem,*

4,1. Διὰ τοῦτο, ἔχοντες τὴν διακονίαν ταύ-

iuxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus, 2. sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. 3. Quod si etiam opertum est evangelium nostrum : in iis qui pereunt est opertum : 4. in quibus Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio evangelii gloriae Christi, qui est imago Dei. 5. Non enim nosmetipsos praedicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum : nos autem servos vestros per Iesum : 6. quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Iesu.

την, καθὼς ἠλεήθημεν, οὐκ ἐγκακοῦμεν, 2. ἀλλὰ ἀπειπάμεθα τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, μὴ περιπατοῦντες ἐν πανουργίᾳ, μηδὲ δολοῦντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τῇ φανερώσει τῆς ἀληθείας συνιστάνοντες ἑαυτοὺς πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. 3. εἰ δὲ καὶ ἔστιν κεκαλυμμένον τὸ εὐαγγέλιον ἡμῶν, ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις ἐστὶν κεκαλυμμένον, 4. ἐν οἷς ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου ἐτύφλωσεν τὰ νοήματα τῶν ἀπίστων εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι τὸν φωτισμὸν τοῦ εὐαγγελίου τῆς δόξης τοῦ Χριστοῦ, ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ· 5. οὐ γὰρ ἑαυτοὺς κηρύσσομεν ἀλλὰ Χριστὸν Ἰησοῦν κύριον, ἑαυτοὺς δὲ δούλους ὑμῶν διὰ Ἰησοῦν, 6. ὅτι ὁ Θεὸς ὁ εἰπών Ἐκ σκότους φῶς λάμψει, ὃς ἔλαμψεν ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν πρὸς φωτισμὸν τῆς γνώσεως τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ ἐν προσώπῳ Χριστοῦ [1].

Quae de novi ministerii sublimitate ac de loquendi fiducia, quae novos deceat ministros, Paulus disseruit, ea ad arrogantiae calumniam destruendam plane sufficiunt; quare hanc apologiae partem terminat denuo asserens, se ministerii sui memorem aperte et manifeste sine ulla timiditate Evangelium praedicare (4,1.2); quodsi ni-

1. *VV. LL.* — 1. τὴν διακονίαν ταύτην (ministerium hoc) est communis lectio codd. graec., soli F G male : αὐτήν. *Vulg. Clem.* quoque male pronomen demonstrativum praetermittit ex errore librarii alicuius, qui scripsit *administrationem* pro *hanc ministrationem*, uti cum *It.* (*Ater*, *Pel.*) etiam optimi codd. Vulg. (*Am. Fuld.* etc.) exhibent et mediae aetatis interpretes (*Herr. Lomb. Thom.* etc.) legunt. — Utrum ἐγκακοῦμεν legatur cum B ℵ A D F G et paucis minusc., an ἐκκακοῦμεν cum C E K L P et plerisque minusc. ac PP., nihil interest, quia verba ἐγκακεῖν et ἐκκακεῖν sensu non differunt. — 2. Item nihil ad sensum refert, utrum legas συνιστάνοντες cum B A P et paucis minusc. (*W H*), an συνιστάντες cum ℵ C D F G et paucis minusc. (*Tisch.*), an συνιστῶντες cum E K L et plerisque minusc. (*text. rec.*). — εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι (ne fulgeat) sine addito pronomine B ℵ A C D F G H, pauci minusc., *It.* (*S. Aug.* etc.), *Vulg.* (*Fuld. Am. Demid. Harl. Tol.*); sed εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι αὐτοῖς (*ut non fulgeat illis*) *textus rec.* cum E K L P, plerisque minusc., *Vulg.* (*Clem.*) *Syr. Aeth. Goth.* — εἰκὼν τοῦ Θεοῦ (*imago Dei*) sine addito est communior lectio; sed L P, nonnulli minusc., aliqui codd. *Vulg. Syr. Arm.* εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου (imago Dei *invisibilis*) ex *Col.* 1,15. — 5. Χριστὸν Ἰησοῦν Κύριον vel Ἰησοῦν Χριστὸν Κύριον (Iesum Christum Dominum) sine addito pronomine est communis lectio codd. graec. et verss., quam ex codd. *Vulg.* tuentur *Am. Tol.* aliique; minus apte alii addunt pronomen : *Iesum Christum Dominum nostrum.* — 6. λάμψει (splendescet) B ℵ A D, pauci minusc., *Syr. Aeth.*, sed λάμψαι (splendescere) *textus rec.* cum C E F G H K L P, plerisque minusc., *It. Vulg. Goth. Arm.* — ὃς ἔλαμψεν (*qui* illuxit) est communis lectio, quam *Vulg.* codd. *Fuld. Am. Tol.* tuentur; D F G cum *It.* (*Tert. Aug.* etc.) *Vulg.* (*Dem. Harl.*) omittunt pronomen ὅς, atque *Pel.* cum *Vulg.* (*Clem.*) habet αὐτός (*ipse*).

hilominus praedicatio nonnullis sit obscura, id ex eo provenire, quod a satana occaecentur, ne lucem evangelicam videant (3. 4), quam ipse tamquam servus, qui lumen divinitus sibi datum cum aliis communicare debeat, propagare studeat (5. 6).

A brevi igitur digressione, qua infelici Iudaeorum incredulorum conditioni felicitatem Christianorum opponens novum ministerium indirecte celebravit (3,14-18), Apostolus ad argumentum suum reversus illa accuratius exponit, quae 3,12 sq. iam indicavit : ob spem aeternae gloriae operarii evangelici multa fiducia utuntur neque Moysen imitantur, qui filiis Israel aliquid occultare debuit. **4,1.** *Ideo habentes administrationem* (lege : *hanc ministrationem* cfr *VV. LL.*, vel : *hoc ministerium* cfr ad 3,7), *iuxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus.* Particula *ideo* (διὰ τοῦτο) ad immediate praecedentem descriptionem felicis status Christianorum respicere videtur, quippe qua excellentia novi ministerii confirmetur : quia tanta est Christianorum felicitas, quae nostro ministerio producitur, ideo in huius tanti ministerii exercitio non deficimus. Tam excelsum vero illud esse, ut ipsius Moysis muneri praestet, iam demonstravit (3,6 sqq.); hinc etiam cum humilitate iterum (cfr 3,5 sq.) profitetur, se illud Dei misericordiae debere; incisum enim (καθὼς ἠλεήθημεν prout misericordiam sumus consecuti, vel : pro misericordia, quam consecuti sumus) cum participio (ἔχοντες *habentes*) aptius, quam cum verbo (οὐκ ἐγκακοῦμεν *non deficimus*) coniungimus, licet *Chrys.* aliique illud ad utrumque membrum trahere velint; namque fortitudo, qua ministerium exercetur, quamvis ipsa quoque, uti patet, a divina misericordia dependet, proxime tamen ex ipsius ministerii celsitudine exoritur : *non deficimus,* i. e. animos non despondemus nec timidi agimus, quia tanto ministerio fungimur [1].

Iamvero ignavi et timidi aperte agere et loqui non audent, sed res

1. Verbum ἐγκακεῖν (*W H.* ἐνκακεῖν) a profanis vix usquam (sed cfr *Polyb.* IV. 19,10), ab Alexandrinis nusquam, sed aliquoties in Novo Test. a *Luc.* (18,1) et a Paulo (hic 2,1. 16; *Gal.* 6,9; *Eph.* 3,13; 2 *Thess.* 3,13) adhibetur, ubique autem boni codd. pro var. lect. exhibent ἐκκακεῖν, quod verbum etiam profanis et Alexandrinis non est usitatum; ex Novo Test. ἐγκακεῖν transiit ad scriptores ecclesiasticos (cfr *S. Clem. Rom.* 2 Cor. 2 etc.), atque a *Symm.* et *Theodot.* quoque aliquoties in V. T. translatione usurpatur. Apud *Polyb.* verbum designat *ignavum esse* (τὸ πέμπειν τὰς βοηθείας ἐνεκάκησαν auxilia non miserunt prae ignavia cfr κακός ignavus); atque similis significatio (animum despondere, animo deficere) in omnes Novi Test. locos quadrat. Nusquam vero est idem quod *pravum esse*, uti nostro in loco aliqui acath. (*Rück. Schn.* etc.) explicant, neque etiam *segnem* vel *desidem esse*, quod aliis praeplacuit (*Mai.* etc.). Minus apta quoque est *Hesych.* explicatio (i. q. ἀδημονεῖν affligi, anxiari), nimis arcta definitio *Oecum.* (ἀπαγορεύειν πρὸς τὰς θλίψεις καὶ τοὺς πειρασμοὺς καὶ τοὺς κινδύνους deficere relate ad tribulationes, tentationes, pericula), quae nec in *Luc.* 18,1 nec in nostram sententiam quadrat, licet paucis aliis satis congruat. *Vulg.* quum semper illud nudo *deficere* reddat, plenam vim verbi ἐγκακεῖν non exprimit.

suas tecte gerunt atque per ambages astutis artibus, dolis, mendaciis finem suum assequi student; hanc autem non esse operariorum evangelicorum rationem agendi, Apostolus addit, ut verbum οὐκ ἐγκακοῦμεν explicet : 2. *sed abdicamus* (rectius : abdicavimus ἀπειπάμεθα) *occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei; sed* (*in*) *manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo.* Evidens est, eum verborum non esse sensum, ut Paulus ipse antea observaverit occulta dedecoris, sed id unum docent, haec cum munere quo nunc fungitur ita pugnare, ut de his sermo esse iam non possit, in adversariis vero, quorum calumniam refutat, ea reperiri (cfr 2,17; 11,3). Sed « quid sibi volunt *occulta dedecoris?* Non, inquit, magna profitemur ac pollicemur et alia rebus ipsis ostendimus, quemadmodum illi (pseudapostoli); verum tales omnino sumus, quales cernimur, non fictum animum gerentes nec ea dicentes agentesque, quae prae pudore ac rubore occultari debent » (*Chrys.*). Genetivum (*dedecoris* τῆς αἰσχύνης) esse pro adiectivo, quo substantivum (*occulta* τὰ κρυπτά) determinatur, non satis attendentes haud pauci interpretes rem invertentes expressionem de actionibus turpibus, quae in occulto committantur, perperam intelligunt (cfr *Theoph.* etc., *Pel. Prim.* etc., *Herv. Thom.* etc., *Est. Lap.* etc.); at non tam in turpitudine, quam in occultatione est vis argumentationis, uti ex opposito membro (τῇ φανερώσει τῆς ἀληθείας) elucet, neque ullo modo requiritur, ut αἰσχύνη hic de pudore ex turpi actione exorto intelligatur, ita ut Vulgatae versio (*dedecoris*) minus accurata esse videatur. Paulus, quem Evangelii non puduit (*Rom.* 1,16 οὐκ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον), pseudapostolos respicit, quos integrum et nudum Evangelium annuntiare puduit quique ideo malis artibus illud ex parte occultabant, ut auditorum gratiam sibi conciliarent. Hac enim ratione ipse expressionem (τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης) explicat, quum genuinos operarios describit *non ambulantes in astutia neque adulterantes* (δολοῦντες) *verbum Dei;* eos enim, quia ministerio lucis et veritatis funguntur, simplices esse ac sinceros praeprimis decet (cfr ad 1,12); simplicitati autem astutia (πανουργία) et sinceritati fraus ac dolus (δόλος) opponuntur.

Paulus igitur sociique eius neque astute simulantes aliud cogitant et aliud loquuntur, neque verbum Dei aut additis carnalis sapientiae sententiis aut praetermissis necessariis doctrinis corrumpunt, ut auditorum auribus blandiantur eosque ad suas partes attrahant (cfr 1,13; 2,17). Puram potius integramque veritatem aperte annuntiantes sese omnibus genuinos Apostolos probant, *in manifestatione veritatis com-*

mendantes semet ipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Praepositio *in* non legitur in graeco neque satis recte (uti alibi interdum : *Rom.* 12,2 *in* novitate sensus etc.) ablativo instrumentali est praefixa. Quemadmodum in huius partis principio ad adversarios suos alludens se commendatitiis literis indigere negavit, quia virtute et efficacia praedicationis suae omnibus hominibus sufficienter commendetur (3,1 sqq.), ita etiam in fine huius partis se malis adversariorum artibus ad suam commendationem uti negat, quia aperta et manifesta integrae veritatis praedicatione omnibus commendetur. Pulchre autem in oppositione ad pseudapostolos, qui sese pravis auditorum passionibus sua astutia veritatisque corruptione commendabant, sese commendari dicit *ad omnem conscientiam hominum* (i. e. ad omnium hominum conscientiam cfr *Rom.* 2,9 in omnem animam hominis) sive fidelium sive infidelium, quorum iudex internus, nisi peccato est occaecatus, apertam Apostoli rationem agendi approbare debet. Neque minus pulchre addit *coram Deo,* velut testem eorum, quae dixit, illum citans, qui nec fallere nec falli potest.

At interrogari potuit, undenam factum esset, ut Evangelium tam clarum et tam aperte praedicatum non ubique ab omnibus reciperetur. Cui interrogationi respondet : 3. *quod si etiam opertum est evangelium nostrum, in iis qui pereunt est opertum.* Forma hypothetica : εἰ δὲ καὶ ἔστιν κεκαλυμμένον, praesertim quum verbum ἔστιν cum emphasi sit praemissum, non est dubitantis, sed rem concedentis : verum est, Evangelium nostrum, quamvis manifeste sit annuntiatum, esse opertum; vocabulo *opertum* (κεκαλυμμένον) deinde allegoriam de velo mosaico, quo filii Israel gloriam legislatoris sui intueri prohibebantur (3,13), in memoriam revocat. Concedit igitur, Evangelii a se praedicati intelligentiam velamine quodam impediri ; at non omnes hoc velamen impedit, sed solos *eos qui pereunt,* i. e. eos qui in via interitus ambulant (cfr ad 1 *Cor.* 1,18), quia sibi ipsi illud velamen imposuerunt; neque enim ex parte Evangelii neque ex parte praedicationis, sed ex sola auditorum parte est causa huius occultationis. Quae ut clarius doceat, Apostolus addit : 4. *in quibus* (sc. pereuntibus) *deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium, ut non fulgeat* (εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι) *illis illuminatio evangelii gloriae Christi, qui est imago Dei.*

Contra Marcionitas et Manichaeos, qui ad duo sua principia, malum quod aspectabilem hunc mundum condiderit et vetus test. dederit, bonum quod futuri mundi sit gubernator et novi foederis auctor, stabilienda his Pauli verbis abutebantur, multi Patres per hyperbaton genetivum *huius saeculi* cum altero *infidelium* coniungere maluerunt, ne Paulus praeter verum

Deum agnoscere videretur alterum huius saeculi deum; quin etiam teste *S. Aug.* (c. Faust. XXI. 2) « plerique nostrum sententiam ita distinguunt, ut verum Deum dicant excaecasse mentes infidelium saeculi huius »; revera hanc explicationem tradunt *S. Iren.* (c. haer. III. 7), *Chrys. Theod. Theoph., Tert.* (c. Marc. V. 11) *A*[ter]*, Prim. Sed.* etc. Attamen S. Doctor, quamvis eandem praeferat, alteram tamen probari posse censet, iuxta quam diabolus nomine *dei saeculi huius* designatur (c. Faust. XXI. 9; c. adv. leg. et proph. II. 7), eamque aliqui Graeci omnino tenent (*Cyr. Alex.* i. h. l.; c. Iulian. I. *M.* 76,512 etc. *Dam. Oec.*). Tertiam a secunda haud multum diversam proposuit *S. Epiph.* (haer. 66,69), qui vitia, quibus homines pravi sese dedunt (avaritiam, gulam etc.), ad Phil. 3,19 (quorum deus venter est) provocans nomine dei huius saeculi significari putat. Duas priores explicationes ceu aeque probabiles *Pel.* tradit; media aetate alii solam primam (*Haym. Herv.*), alii duas priores (*Dion.* etc.) aut omnes tres (*Lomb. Thom.*) proponunt; sed in sua Summa theol. (I. qu. 63 a. 1.) *Thom.* solam secundam retinuit; unde factum est, ut praeter *Cai.*, qui solam tertiam exponit, iuniores quoque insigniores interpretes (*Salm. Iust. Est.* etc.) secundam praeferrent, quae etiam hodie ab omnibus est recepta. Ac profecto aliis Scripturarum testimoniis haec explicatio confirmatur; Christus enim ipse diabolum « principem huius mundi » vocavit (*Ioan.* 12,31; 14,30; 16,11), Paulus autem eum dixit « principem potestatis aeris huius » (*Eph.* 2,2) omnesque daemones « mundi rectores tenebrarum harum (*Eph.* 6,12 κοσμοκράτορες τοῦ σκότους τούτου) vel « principes huius saeculi » (1 *Cor.* 2,6.) Porro hoc nomine satanas insignitur, vel « quia deus ab illis existimatur, qui verum Deum ignorant » (*Cyr.*), vel potius « quia deus hominum impiorum non nisi in hoc saeculo florere volentium est » (*S. Aug.* l. c.), nam « fraude et rapina hanc sibi gloriam peperit et in errantibus adhuc imperat regnumque suum exercet propter nefarium eorum institutum, quo mentes suas errori affligentes vinculo captivitatis sese obstringunt, quamvis eis per fidem in Christum ad veri Dei agnitionem confugere liceat » (*Cyr.* in Ioan. 16,11; cfr in 14,20). Nihil quidem obstat, quominus verus quoque Deus infideles excaecasse dicatur, uti iam *SS. Iren. Aug. Chrys.* etc. ad similia dicta (*Rom.* 1,28 etc.) provocantes demonstrarunt; saepe enim in Scripturis Deus peccato supposito ea velle et facere dicitur, quae cum peccato nexu quodam necessario coniuncta sunt ex eoque velut poenae necessariae profluunt. Verumtamen durissimo hyperbato evitato rectius tenemus, de satana excaecante, de « principe potestatis aeris huius, (principe) spiritus (illius), qui nunc operatur in filiis incredulitatis » (*Eph.* 2,2), Paulum hic loqui. Quod enim Patres nonnulli (*Chrys. Aug.* etc.) iunioresque aliqui interpretes (*Nat.* etc.) ad hyperbaton evitandum observarunt, Deum verum *Deum huius saeculi* eadem ratione, qua alibi Deus Abrahae etc. vocatur, appellari potuisse, id nullam habere probabilitatem concedet, qui ad sensum locutionis *hoc saeculum* vel *hic mundus* attenderit (cfr ad 1 *Cor.* 1,20). Fatemur tamen, a *Vulg Clem.*, quum scribat : *D*eus huius saeculi, aut hanc aut primam explicationem insinuari.

In sententiae constructione difficultatem quandam genetivus *infidelium* (τῶν ἀπίστων) creat; qua enim ratione ad relativum pronomen *in quibus* (sc. pereuntibus, ἐν οἷς ἀπολλυμένοις) sese habeat, controvertitur. Moderni nonnulli adiectivum proleptice de effectu adhibitum putant : « in quibus pereuntibus satanas excaecavit mentes, ut fierent infideles » (cfr ad 1 Cor. 1,8); at haec constructio, quae per se aptum parit sensum, scriptum supponit τὰ νοήματα ἄπιστα (mentes infideles), siquidem in adiectivis vice substantivorum adhibitis locum non habet; finis quoque et effectus excaecationis altero sententiae membro (εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι κτλ. ut non fulgeat etc.) indicantur. Alii anacoluthicam constructionem ita admittunt, ut τοὺς ἀπολλυμένους et τοὺς ἀπίστους (pereuntes et infideles) easdem personas esse censeant atque genetivum τῶν ἀπίστων ceu appositionem dativo relativo addunt (ἐν οἷς, sc. τοῖς ἀπίστοις, in quibus infidelibus satanas excaecavit mentes). Haec quoque constructio aptum praebet sensum, si cum *Thom.* appositione hac infidelitas velut causa excaecationis insinuari dicitur : in quibus utpote infidelibus, i. e. credere renuentibus, satanas etc.[1]; nescio tamen, num hoc definito sensu vocabulum ἄπιστος a Paulo usquam adhibeatur[2], atque durior quoque est constructio. Itaque non eosdem esse arbitramur, qui pereuntes et qui infideles dicuntur; sed infideles fiunt pereuntes, si a satana sese excaecari sinunt, vel ut habet *S. Aug.* (c. Faust. XXI. 9), si « malis daemonis suasionibus consentientes iustitiae lumen amittunt Deo retribuente quod iustum est ». Omnium quidem infidelium, sive Ethnicorum sive Iudaeorum, quum omnes ad eius regnum pertineant, deus huius saeculi mentes excaecare studet, at finem suum in omnibus non attingit; alii enim Evangelii, quod eis praedicatur, lumen vident et salvantur, alii a daemone seducti lumen videre nolunt et pereunt. Sensum igitur cum *S. Aug.* recte indicat *Est.* : « obvelatum est Evangelium nostrum iis qui pereunt, i. e. *iis* infidelibus, quorum mentes diabolus excaecavit, dum pravis suggestionibus eos avertit a fide Evangelii ipsis

1. Eundem sensum clare exprimit *Syr.* : « quorum deus huius saeculi excaecavit mentes, quia non credunt ».

2. Nomine τῶν ἀπίστων Paulus omnes eos complectitur, qui Evangelium nondum receperunt non distinguens inter eos, quibus Evangelium nondum est praedicatum, et inter eos, qui praedicatum respuerunt (1 *Cor.* 7,12. 13. 14. 15; 10,27; 14.22. 23. 24). Aliquoties quidem improbitatis notionem cum hoc vocabulo coniungit, quia ii, qui a fide alieni sunt, etiam recte vivendi rationem non possident (1 *Cor.* 6,6; 2 *Cor.* 6,14. 15; 1 *Tim.* 5,8; *Tit.* 1,15); at nullus ex istis locis (saepius autem in paulinis non invenitur) ita est comparatus, ut de eo solo, qui oblatam fidem respuit, intelligi debeat. Ii, qui credere positive nolunt, sunt οἱ ἀπειθεῖς (*Tit.* 1,16 *Vulg.* incredibiles), i. e. qui ab Evangelio sibi persuaderi non patiuntur sed contumaces ei resistunt.

annuntiati ». In constructione autem erravit, siquidem genetivum τῶν ἀπίστων ad praecedens membrum ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις per anacoluthum trahere videtur. Genetivus enim omnino ad substantivum τὰ νοήματα pertinet atque rationem indicat, propter quam diabolus tantam potestatem in mentes illas exercere potuerit. Concinnius quidem Paulus scribere potuit : τὰ νοήματα τὰ ἄπιστα, at genetivum τῶν ἀπίστων elegit, ut ambitum regni, in quo deus huius saeculi potestatem suam exercere posset, accuratius definiret; τοὺς πιστεύοντας sc. (credentes seu fideles) excaecare nequit, quia ad eius regnum non pertinent.

Porro in mentibus infidelium excaecandis is satanae est finis, *ut non* (ne) *fulgeat* (*illis*) *illuminatio Evangelii gloriae Christi, qui est imago Dei* (εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι [αὐτοῖς] τὸν φωτισμὸν τοῦ εὐαγγελίου κτλ). Quoniam pronomen αὐτοῖς (*illis*) a gravibus testibus praetermittitur (cfr *VV. LL.*), moderni aliqui verbo αὐγάζειν hic sensum *videndi* (quem aliquoties apud poetas graecos habet) attribuendum censent (ne *videant* illuminationem etc.). At omnes antiquae versiones graecique commentatores sensum *splendendi* vel fulgendi expresserunt, qui melius retinetur, quia pronominis dativus αὐτοῖς, si forte genuinus non sit, haud difficilius quam accusativus αὐτούς, quem altera explicatio postulat, mente suppletur. Significatio quoque vocabuli φωτισμός in controversia versatur. Iuxta etymologiam suam, utpote nomen actionis verbi φωτίζω, significat *illuminationem* et hoc sensu statim *v.* 6. usurpatur, saepius vero in Novo Test. non reperitur; ab Alexandrinis tamen ad hebr. אוֹר (*lux*) reddendum adhibetur (*Ps.* 27,1; 43,4; 77,14 etc., ubi Vulg. : *illuminatio; Iob* 3,9 etc., ubi *Vulg. : lux*), quae significatio in nostrum locum melius videtur quadrare. At nihil obstat, quominus Paulum non tam ipsam Evangelii lucem, quam claritatem luce evangelicae praedicationis quoquoversus propagatam significare voluisse dicamus, aut etiam eum subostendisse, Evangelium suam habere lucem ab argumento. Re enim vera tantam lucem spargit, quia *gloriam Christi* annuntiat (Evangelium gloriae Christi i. q. de gloria Christi); quanta vero sit gloria Christi, ultimum membrum docet : *qui est imago Dei* (εἰκὼν τοῦ Θεοῦ cfr *Col.* 1,15). Quae in verba Patrum sententias[1] quasi complectens *Thom. :* « Nota secundum *Gl.*, quod Christus perfectissima imago Dei est; nam ad hoc, quod aliquid perfecta sit imago, tria requiruntur et haec tria perfecte sunt in Christo : similitudo, origo, perfecta aequalitas. Si enim inter imaginem et

1. Praecipuas collectas habes a *Petav.* (Theol. dogmatica de Trinit. II. 11; IV. 6; et maxime VI. 5). Praeterea cfr *S. Thom.* in 1 *Cor.* 11,7, *Col.* 1.15, et Summ. theol. I. qu. 35. et 93. eiusque commentatores in has quaestiones.

eum, cuius est imago, esset dissimilitudo et unum non oriretur ex alio, similiter etiam si non esset aequalitas perfecta, quae est secundum eandem naturam, non esset ibi perfecta ratio imaginis. Nam similitudo regis in denario non perfecte dicitur imago regis, quia deest ibi aequalitas secundum eandem naturam; sed similitudo regis in filio dicitur perfecta imago regis, quia ibi sunt illa tria, quae dicta sunt. Quum ergo ista tria sint in Christo Filio Dei, quia scilicet est similis Patri, oritur a Patre, aequalis est Patri, maxime et perfecte dicitur imago Dei ». Verbum aeternum, Patris imago, quia est Deus de Deo et lumen de lumine, suam in se ipso habet gloriam (δόξαν), quam manifestavit, quando caro factum tamquam lux in mundum venit, ne credentes in tenebris manerent (*Ioan.* 12,46). Quae gloria Christi, quum sit ipsius Dei gloria, non tantum in se splendidissima est, sed etiam tam efficax, ut omnes, qui eam revelata facie in Evangelii speculo contemplantur, in suam ipsius imaginem transformet (3,18). Apostoli praedicatione sua in omnem mundum eam spargere iussi sunt, at eis reluctatur deus huius saeculi; qui suum tenebrarum regnum retinere studens, quum gloriam Christi in apostolica praedicatione refulgentem exstinguere nequeat, infidelium quos sibi adhuc subiectos tenet mentes excaecare conatur finemque suum in nonnullis attingit. Ita fit, ut Evangelium, quamvis in se clarum sit et clare manifesteque annuntietur, iis, qui in via ad interitum sunt, opertum maneat.

Neque enim ex ipsa praedicatione evangelica obscuritas, quam adversarii obiiciunt, explicari potest : 5. *non enim nosmetipsos praedicamus, sed Iesum Christum Dominum (nostrum), nos autem servos vestros per Iesum* (lege : *propter* Iesum διὰ Ἰησοῦν). Haud pauci interpretes *vv.* 3. 4 parenthesin esse nostroque versu sententiam superiorem (*v.* 2), quomodo Paulus sociique eius manifestatione veritatis omnibus hominibus sese commendaverint, explicari censent (*Oec. Theoph.* etc., *Iust. Pic.* etc., *M Ev. Bisp.* etc.). Quae non plane recte statuuntur; procul quidem dubio *v.* 5. superiori sententiae (*v.* 2) est parallelus eamque quodammodo continuat; proxime tamen cum immediate praecedente connexus accusationem obscuritatis in praedicationis evangelicae argumento non habere fundamentum confirmat; id enim oppositio, quam inter *vv.* 4. et 6. adesse videbimus, satis clare ostendit, neque minus clare ex hoc ipso *v.* 5. elucet. Namque si Apostoli sese ipsos praedicarent, i. e. eum in finem, ut gloriam, honorem aliaque commoda sibi ipsi conquirerent, doctrinas a se aut inventas aut dolo corruptas (cfr *v.* 2) traderent, praedicatio eorum recte accusari posset velut occaecationis causa; sed integrum

quod annuntiant argumentum est *Iesus Christus* tamquam *Dominus*, ita ut totum eorum Evangelium sit Evangelium gloriae Christi, qui est imago Dei (*v.* 4). Probe enim animadvertatur oportet, pronomen *nostrum*, quod *Vulg. Clem.* cum iunioribus codd. latinis inserit (cfr *VV. LL.*), esse glossam parum aptam, siquidem Christus absolute ceu universorum Dominus ac verus Deus ab Apostolis annuntiatur; quapropter eorum praedicatio claritate argumenti sui fulgens caecitatis eorum, qui pereunt, causa esse nequit. Tantum porro abest, ut se ipsos praedicent sibique quidquam ab auditoribus suis quaerant, ut in toto suo munere sese dumtaxat *servos* exhibeant fidelium, quippe quorum utilitatem salutemque promovere studeant. Clarum est, in secundo sententiae membro ex priore verbum *praedicamus* non ita posse suppleri, ut Apostolorum ad fideles relatio velut secundum praedicationis argumentum a priore distinguatur; sed fideles ad fidem in Christum universorum Dominum adducentes ipso praedicationis facto sese in eorum utilitatem tamquam servos laborare manifestant. Fidelium autem, qui per eos crediderunt (1 *Cor.* 3,5) servi sunt, quia sunt ministri Christi (1 *Cor.* 4,1), quo iubente et dirigente funguntur munere suo : *servi vestri per* (*propter*) *Christum.* « Non ad gloriam nostram praedicamus Evangelium, sed ad claritatem Christi, cui obedimus, dum vobis in ministerio verbi servimus non propter vestrum meritum, sed propter Domini praeceptum » (*Herv.* cfr *A*[ter] etc.). Quum plena sua libertate gauderent, propter Iesum sese omnium servos fecerunt, ut plures Domino lucrifacerent (cfr 1 *Cor.* 9,19).

Ultima demum ratio, cur Apostoli tamquam fidelium servi Iesum Christum universorum Dominum praedicent, est ipsius Dei voluntas; idem enim Deus, qui in omnium rerum initio luce creata tenebras discussit materiales, annuntiatione gloriae Christi spirituales ignorantiae et errorum tenebras ex mentibus hominum expelli voluit, ideoque prius Apostolos illuminavit, ut eorum ministerio omnes homines illuminaret; deo huius saeculi igitur subditos suos, ne illis fulgeat gloria Christi, obtenebranti (*v.* 4) pulchre verus Deus opponitur omnes omnino tenebras ex mundo a se creato expellens : 6. *quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris* (vel iuxta meliores codd. graecos : quoniam Deus, qui dixit : Ex tenebris lux luceat, [ille est] qui illuxit in cordibus nostris) *ad illuminationem scientiae claritatis* (τῆς δόξης gloriae) *Dei in facie Christi.* Haud sine ratione Apostolus primum actum, a quo creator opus distinctionis inchoavit (*Gen.* 1,3), neophytis in memoriam revocat : etenim Deus, Pater luminum (*Iac.* 1,17), qui lucem

inaccessibilem inhabitans (1 *Tim.* 6,16) ipse lux sine ulla umbra est (1 *Ioan.* 1,5), quum statim in creationis initio tenebras materiales regnare nollet, permittere profecto non potuit, ut spirituales tenebrae totum mundum occuparent. Eadem igitur ratione, qua ipso dicente *Fiat lux* tenebrae, quae supra faciem abyssi erant, subito discussae et abactae sunt, eo iubente et gratiam suam largiente tenebris ignorantiae et errorum expulsis lux fidei subito in cordibus Apostolorum exorta est. Hoc Paulus ipse in itinere damasceno expertus est, quando Deus « eum per gratiam suam vocavit, ut revelaret Filium suum *in eo* » (cfr ad *Gal.* 1,15); at eodem tempore etiam didicit, Apostolos hanc lucem in cordibus ipsorum illucescentem non sibi solis accepisse, siquidem ideo in Pauli corde revelatus est Filius Dei, « ut evangelizaret eum in gentibus » (*Gal.* 1,16). Disertis enim verbis Iesus illa in apparitione ei dixerat : « *ad hoc* apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum, quae vidisti, et eorum, quibus apparebo tibi, eripiens te de populo et gentibus, in quas nunc *ego mitto te, aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem et de potestate satanae ad Deum*... per fidem quae est in me » (πίστει τῇ εἰς ἐμέ. *Act.* 26,16 sqq.). Itaque in cordibus Apostolorum Deus fide in Christum universorum Dominum infusa illuxit *ad illuminationem* (πρὸς φωτισμόν) *scientiae gloriae Dei,* i. e. cum in finem, ut lucem acceptam in alios transfunderent eosque vera cognitione gloriae Dei propagata illuminarent. Bene *Thom.*, licet non satis clare finem, propter quem lux prius data sit Apostolis, significet sed ad gradum lucis magis attendat : « Nos (Apostoli) aliquando, antequam conversi essemus ad Christum, eramus tenebrosi, sicut et vos; nunc vero, postquam Christus vocavit nos per gratiam suam ad se, tenebrae istae remotae sunt a nobis et iam fulget in nobis virtus gloriae claritatis (lege : scientiae gloriae) Dei, et in tantum refulget in nobis, quod non solum illuminamur, ut ipsi videre possimus, sed ut etiam alios illuminemus. Ex spirituali igitur gratia et abundanti refulgentia gloriae Dei in nos habet Evangelium nostrum virtutem illuminativam ». At gloria Dei in se ipsa ab hominibus in hac terra degentibus conspici nequit, sese autem revelavit et manifestavit in Christo, qui est imago Dei (*v.* 4), ut *in facie Christi* fulgeret. Quae ultima verba *Vulg. Clem.* haud apte interpunctione sua ab immediate praecedentibus seiunxit, quum appositio quaedam sint ad genetivum *gloriae Dei* (τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ [τῆς] ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ). Egregie *Chrys.* : « quemadmodum quum dixisset *Evangelii gloriae Christi,* Paulus subiecit : *qui est imago Dei*, his verbis indicans eos (sc. pereuntes) Patris quoque gloria orbatos esse : ita quum dixisset : *scientiae Dei*

(rectius : scientiae gloriae Dei) adiecit : *in facie Christi*, ut ostenderet nos per Christum ad Patris cognitionem (gloriam) pertingere »; atque *Theod.* : « illud *in facie Christi* hunc habet sensum : quoniam divina natura sub aspectum non cadit, per assumptam humanitatem divina luce resplendentem et fulgura emittentem conspicitur, uti est » (cfr *Oec. Theoph. A*ter, *Pel*1. *Gl. ord. Lomb. Thom.* etc., *Iust. Lap.* etc., *Mai. Bisp. L R. Ramb.* etc. — acath. plerique). Moyses gloriam, quae in eius facie ex consortio sermonis Domini relucebat, velo imposito occultabat (cfr 3,7 sqq.); at multo maior gloria, quae in facie Christi, imaginis Dei, fulgebat, ab Apostolis manifestata mundum illuminavit.

In explicandis verbis *ad illuminationem scientiae* (πρὸς φωτισμὸν τῆς γνώσεως) secuti sumus Latinos, qui omnes vocabulo *illuminationis* activum sensum ita attribuunt, ut genetivus *scientiae* sit obiectivus (πρὸς τὸ φωτίζειν τὴν γνῶσιν, ut splendescere faciamus scientiam i. e. cum aliis communicemus) neque immerito velut parallelum allegant illud eiusdem Apostoli : « Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec : in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi et *illuminare omnes*, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo » (*Eph.* 3,8 sq.). A qua explicatione dissentiunt Graeci, qui verbum φωτίζειν intransitive (cfr *Num.* 8,2 etc.) sumi arbitrantur, ita ut genetivus γνώσεως sit subiectivus (ut nobis luceat scientia) : « Qui olim, inquit *Theod.*, lucis naturam verbo produxit et dixit *Fiat lux*, is nunc non illa sed sua ipsius luce mentes nostras illustravit, ut ipsius gloriam per Christum conspiceremus » (cfr *Chrys. Cyr. Oec.* etc.). At totum contextum consideranti dubium non erit, quin haec Graecorum explicatio minus sit apta; neque ullo modo pronomen primae pers. plur., quod in *vv.* 5. et 7. solos Apostolos complectitur, in *v.* 6. omnes Christianos, uti Graeci volunt, designare potest.

Ultima verba *in facie Christi* (ἐν προσώπῳ Χριστοῦ) cum immediate praecedentibus (*gloriae Dei* τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ) coniunximus consentientibus praeter Graecos omnes etiam plerisque Latinis; pauci tamen Latini graeco πρόσωπον sensum *personae* attribuentes verba cum primo substantivo *ad illuminationem* connectunt, ut sensus sit : « ut in persona Christi (i. e. vice Christi) splendescere faciamus scientiam » etc. (*Salm. Est. Nat. M Ev. Dr.* etc.). Attamen vocabulo πρόσωπον significationem *personae* competere, demonstrari nequit (cfr ad 1,11 et 2,10); constructio quoque durissima est, nec satis apparet, quomodo grammatice defendi possit. Quamobrem etiam modernorum nonnullorum acath. (*Fritzsch. Mey. Heinr.*) sententia reiicienda est, qui eadem verba, licet antiquam interpretationem *in facie Christi* retineant, ad substantivum πρὸς φωτισμόν trahere volunt.

§ 3. *De ratione, qua Apostoli munere apostolico funguntur* (4,7-6,10).

In tota sua apologia hucusque Paulus, ut levitatis et superbiae calumnias refutaret, ministerii sibi commissi excellentiam sublimitatemque primo in loco collocavit (cfr 1,18 sqq.; 2,14 sqq.; 3,7 sqq.; 4,5 sqq.), de ratione vero, qua illo functus est, dumtaxat

pauca inseruit. Qui defensionis modus non minus erat efficax, quam prudens. Namque Corinthii, quum quanti Apostolus munus suum faceret viderent, eum cum summo animi candore plenaque sinceritate eo functum esse, concludere cogebantur; quin etiam apostolatus ipsius praestantiam et excelsitatem clarius perspicientes Deum singulari auxilio operarios evangelicos adiuvare intelligebant, ut lux illis ad fidelium utilitatem salutemque concessa ad hos pura et sincera perveniret. Attamen id quoque hac via Paulus obtinuit, ut neophytorum animos plane sibi conciliaret eosque ad illa recipienda disponeret, quae ad ampliorem calumniarum refutationem de apostolica sua agendi ratione disserere voluit. Ad quam novam apologiae partem, qua duae priores non parum confirmantur, iam transiens in munere suo exercendo sese id unum intendere et quaerere ostendit, ut Christo placeat, a quo laborum suorum praemium se accepturum esse confidit (4,7-5,10), atque causam, qua in munere suo exercendo impellatur et dirigatur, caritatem Christi esse docet pro omnibus morientis omnesque ut ipsi soli vivant excitantis (5,11-6,10).

1. *De fine, quem in munere suo exercendo prosequuntur* (4,7-5,10).

A contradictione, quae inter excelsum, quo fungitur, munus interque duram abiectamque, quam agit, vitam adesse videbatur, explicanda exorsus (4,7-12) Apostolus omnia se ferre asserit ob gloriosae resurrectionis spem (4,13-18), quam uberius confirmans se id unice prae oculis habere asserit, ut Christo supremo iudici placeat (5,1-10).

1.) *Cur excelso suo munere non obstante Apostoli tam duram abiectamque vitam agant* (4,7-12).

4,7. ***Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus : ut sublimitas sit virtutis Dei : et non ex nobis. 8. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur : aporiamur, sed non destituimur : 9. persecutionem patimur, sed non derelinquimur : deiicimur, sed non perimus : 10. semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. 11. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Iesum : ut et vita Iesu manifeste-***

4,7. Ἔχομεν δὲ τὸν θησαυρὸν τοῦτον ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν, ἵνα ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως ᾖ τοῦ Θεοῦ, καὶ μὴ ἐξ ἡμῶν, 8. ἐν παντὶ θλιβόμενοι ἀλλ᾽ οὐ στενοχωρούμενοι, ἀπορούμενοι ἀλλ᾽ οὐκ ἐξαπορούμενοι, 9. διωκόμενοι ἀλλ᾽ οὐκ ἐγκαταλειπόμενοι, καταβαλλόμενοι ἀλλ᾽ οὐκ ἀπολλύμενοι, 10. πάντοτε τὴν νέκρωσιν τοῦ Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι περιφέροντες, ἵνα καὶ ἡ ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι ἡμῶν φανερωθῇ. 11. ἀεὶ γὰρ ἡμεῖς οἱ ζῶντες εἰς θάνατον παραδιδόμεθα διὰ Ἰησοῦν, ἵνα καὶ ἡ ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ φανερωθῇ ἐν

tur in carne nostra mortali. 12. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis.	τῇ θνητῇ σαρκὶ ἡμῶν. 12. ὥστε ὁ θάνατος ἐν ἡμῖν ἐνεργεῖται, ἡ δὲ ζωὴ ἐν ὑμῖν [1].

Excelsissimum esse Novi Test. ministerium Paulus praeclare demonstravit; at quomodo huic muneris excellentiae misera et abiecta Apostolorum vita respondebat, quam in priore iam epistola ad superbos factionum duces confundendos tam graphice descripserat (1 *Cor.* 4,8-13)? Coniicere licet, eius adversarios descriptione ista exacerbatos continuis, quibus se ipse premi fatebatur, calamitatibus abusos esse, ut eum esse virum a Deo derelictum et reiectum simplicibus neophytis persuadere conarentur. Quibus ut occurreret, « quoniam magna erant, quae de Novi Test. praedicatoribus dixerat, hi autem gravissimas tribulationes perpeti conspiciebantur, istas quoque Dei virtutem commendare, docere debuit » (*Theod.*). Itaque antequam finem, quem in munere suo exercendo unice prosequitur, accuratius explanet, illis ipsis in tribulationibus omnimodis singularem Dei potentiam sese manifestare ostendit. Namque ideo Deus debilia sibi elegit instrumenta, ut divina, qua confortantur, virtus clarius appareret (*v.* 7); quod assertum ut demonstret, multis et gravibus calamitatibus Apostolos affici quidem, sed nec deiici nec vinci monet (8. 9), verum illos hac ratione Christo reddi simillimos, quum eum morientem et resurgentem simul repraesentantes (10.11) vitam eius in fideles transfundant (*v.* 12).

Praeprimis igitur se suosque socios sublimi, quam descripsit, gratiae impares esse, magna cum humilitate fatetur, sed hanc imparili-

1. *VV. LL.* — 10. τὴν νέκρωσιν τοῦ Ἰησοῦ... ἡ ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ (*mortificationem Iesu... vita Iesu*) est communior lectio quum meliorum codd. tum verss.; pauci tamen codd., uti aliqui antiquiores PP. latini et unus alterve cod. *Vulg.* aut in priore aut in utroque loco legunt Χριστοῦ vel Ἰησοῦ Χριστοῦ, et *textus rec.* cum plerisque minusc. habet in priore loco τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ (Domini Iesu). — ἐν τῷ σώματι... ἐν τῷ σώματι ἡμῶν (in corpore... in corpore nostro); cum codd. fere omnibus graecis etiam aliqui codd. *Vulg.* (*Amiat.* etc.) et *Syr.*; in priore loco pronomen ἡμῶν omittunt; illud tamen addunt D E F G, *It.* (*Tert.* de res. carn. 44; Scorp. 13; *A*[ter], etc.), *Vulg.* (*Clem.* cum *Fuld. Demid. Harl.* etc.) *Syr.* (codd.) *Copt. Arm.*; altero in loco singularem tuentur B A C D E F G K L P, plerique minusc., *It.* (*Tert.* c. Marc. V. II; *S. Ambr.* in Ps. 36; *A*[ter] etc.), *Syr.* (codd.) *Copt. Arm.* etc.; sed pluralem ἐν τοῖς σώμασιν ἡμῶν (*in corporibus nostris*) exhibent ℵ, paucissimi minusc., *Vulg.*, *Syr.* (codd.); singularem recte praetulerunt *W H*, pluralem *Tisch.* — 11. ἀεὶ γὰρ ἡμεῖς (*semper enim nos*) communis est et certa lectio, pro qua alii : *εἰ* γὰρ ἡμεῖς (*si* enim nos) F G, paucissimi minusc., *It.* (*Tert.* de res. carn. 44.; sed *A*[ter] *: si ergo* nos). — ἡ ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ (*vita Iesu*) est lectio retinenda, quamvis aliqui legant aut Χριστοῦ aut Ἰησοῦ Χριστοῦ etc. — 12. ὥστε ὁ θάνατος (*ergo mors*) sine addita particula B ℵ A C D E F G P, pauci minusc., *Vulg. Copt. Arm.*; sed *textus rec. :* ὥστε ὁ μὲν θάνατος (ergo mors *quidem*) cum K L, plerisque minusc., *It.* (*A*[ter]) *Syr.* etc.

tatem a Deo, ut gratiae illius divinam virtutem efficaciamque manifestaret, volitam esse asserit : 7. *habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis* (lege : *ut sublimitas virtutis sit,* ἵνα ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως ᾖ) *Dei et non ex nobis.* Si ad proxime praecedentem sententiam attendimus, *thesaurum hunc* (τὸν θησαυρὸν τοῦτον) lucem, quam ad alios illuminandos Apostoli divinitus acceperunt, intelligendam esse patet. A qua explicatione solo fere loquendi modo recedunt nonnulli, qui cum *Est.* ad *v.* 1. respicientes ministerium ipsum apostolicum vocari thesaurum volunt; siquidem Evangelii luce ad aliorum illuminationem divinitus accepta munus apostolicum constituitur. Longius quidem recedunt, qui de luce ad solam accipientium utilitatem data Apostolum egisse atque pronomine *nos* omnes fideles designari cum *Chrys.* tenent; at illos non recte sentire et de solis apostolicis operariis agi iam ostendimus. *In vasis fictilibus* (ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν, in *testaceis* vasis. *Tert.* de resur. carn. 7. 44) Paulus hunc thesaurum haberi dicens « corpus fragile et vile » (*Thom.*) insinuat, « significatque humanae naturae infirmitatem carnisque nostrae manifestam imbecillitatem; nihilo melius enim, quam testa, sese habet caro, quum adeo caduca sit ac morte, morbis, coeli intemperiis aliisque malis innumeris dissolvatur » (*Chrys.*). De communi corporis mortalis fragilitate hic esse sermonem, Graecorum Latinorumque communior est et vera sententia (cfr *v.* 10); quamvis enim lux illa in animo recipiatur, corpus tamen, in quo hominis imbecillitas maxime apparet, uti animi ipsius (cfr 5,1 sqq.), ita gratiae istius receptaculum recte dicitur. Quod vero pauci iuniores et moderni arbitrantur, ipsas Apostolorum personas utpote « viles hominum aestimatione, rudes scientiarum saecularium, ignobiles et inopes ideoque contemptibiles » designari (*Est. Pic* ?. *M Ev. Dr.* — *Rück. Billr. Heinr.*), id nec ipsis verbis consonat, quibus non tam vilitas et contemptibilitas, quam fragilitas et imbecillitas innuitur, nec contextui congruit, qui de tribulationibus periculisque, quibus corpora proxime affliguntur et thesaurus amitti perdique potest, integer agit. Etenim thesauri, ne perdantur aut diripiantur, in locis munitis arcisque aeratis conservari solent; verum eadem ratione pretiosissimus apostolici muneris (vel potius evangelicae lucis ad aliorum utilitatem acceptae) thesaurus non custoditur, nequidquam eminentis suae virtutis receptaculo suo ipsi debere videatur. Eo enim fine Deus illum in vasis fictilibus fragilibusque posuit, *ut sublimitas virtutis*, i. e. extraordinaria eius et eminens virtus et efficacia, *sit* i. e. esse cognoscatur *Dei et non ex nobis.* Bene *Theoph.* : « ut magnitudo et excellentia virtutis, quae in nobis apparet, Dei esse cre-

datur neve nos ex nobismet ipsis ita agere existimemur », quam eandem explicationem *S. Hier.* (c. Pelag. III. 9) sua versione insinuavit : « ut abundantia fortitudinis nostrae sit ex Deo et non ex nobis ».

Haec iuniorum quoque et modernorum cath. communior est interpretatio, qui fere omnes genetivum *virtutis* a nominativo *sublimitas* dependere, genetivum *Dei* autem cum verbo *est* connectendum esse recte tenent (cfr *Cai. Nat. Pic. Calm.* etc., *M Ev. Bisp. Mai. LR.* etc.), quamvis haec constructio collocationi verborum, quam *Vulg.* exhibet (*ut sublimitas sit virtutis Dei*) vix consonet; at simili modo, quo *S. Hier.*, etiam *A^ter* sententiam intellexit ac *S. Aug.* quoque (serm. 169,12) transposito verbo (*sit*) legit : « ut eminentia virtutis sit Dei et non ex nobis ». Iuxta *Vulg.* tamen exponamus oportet : « ut sublimitas attribuatur virtuti Dei neve ex nobis esse credatur » (cfr *Prim. Sed.* etc., *Herv. Thom. Dion.* etc., *Est. Lap. Pic.* etc., *Dr. Ramb.*). Sensu quidem generali haec explicatio a priore haud multum discrepat et textui graeco quoque satis congruit, siquidem *Chrys.* et *Theod.* eam iam exprimunt; nihilominus approbari nequit, quia subiectum (ἡ ὑπερβολή, sublimitas vel excellentia, eminentia) indeterminatum relinquit, ut de cuius rei sublimitate vel eminentia agatur non appareat; pro arbitrio enim ab aliis suppletur magnitudo donorum (*Chrys.*), ab aliis sublimitas lucis (*Thom.*), aut perfectio in vita, in signis, in documentis (*Dion.*), aut omne bonum, quod ex thesauro provenit (*Est.*), aut excellentia quae in Paulo fuit et fructus quos in conversione gentium fecit (*Lap.*), aut ministerium apostolicum (*Pic.*) etc. Quare prior sententia est retinenda.

Quomodo virtutis divinae eminentia in fragilibus vasis sese manifestet, Paulus calamitatum, quibus apostolici viri premuntur quidem sed a Deo adiuti non vincuntur, enumeratione brevi docet : 8. *in omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur*; 9. *persecutionem patimur, sed non derelinquimur; deiicimur, sed non perimus.* Pro verbis finitis primigenius textus participia praes. pass., quibus lingua latina caret, adhibens sententiam *v.* 7. inchoatam continuat : ἔχομεν δὲ τὸν θησαυρὸν τοῦτον... ἐν παντὶ θλιβόμενοι ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενοι κτλ.; quam constructionem participiis perf. pass. antiqua versio imitari conata est : « tribulati sed non angustiati, inopiam passi sed non destituti, persecutionem passi sed non derelicti, deiecti sed non pereuntes » (cfr *S. Hil.* in Ps. 118. *lit.* 6. n. 9., *A^ter* etc). Quibus antithesibus vicissitudines vitae apostolicae pulchre delineantur : summa eorum afflictio et infirmitas, qua interitui semper vicini esse videntur, una ex parte (vasa fictilia), et ex altera auxilium divinum semper praesens, quo eorum clades impeditur, ut mediis in calamitatibus incolumes serventur (sublimitas virtutis ex Deo). In hac descriptione moderni nonnulli (cfr *Mai. — Heinr.*) Paulo athletarum luctatorumque in agone concertantium militumque pugnantium imaginem, quam tantopere amat (cfr ad 1 *Cor.* 9,23 sqq.), obversatam esse recte, opinor, coniecerunt; verba enim, quibus utitur, a profanis

scriptoribus istum in sensum interdum trahuntur. Quidquid hac de opinione est, primum membrum universale esse tribusque sequentibus illustrari merito dicitur; omnes enim omnis generis afflictiones oppressionesque complectitur, quas omni tempore omnique in loco Apostoli perferunt numquam victi; siquidem ratio nulla adest, cur illud ἐν παντί (in omnibus) aut de solis calamitatum generibus cum *Chrys.* (« in hostibus, in amicis, in necessitatibus, in indigentiis, apud alienigenas, apud domesticos ») intelligamus aut ad solam temporum vel locorum rationem cum *Theoph.* restringamus. Revera sicuti subst. θλῖψις, ita verbum θλίβειν ad unum tribulationum genus non coarctatur, sed omnia complectitur[1]; στενοχωρεῖν, quod proxime est in angustias redigere (*intr.* in angusto versari), tantum istarum afflictionum gradum exprimit, ut felix ex eis exitus iam non inveniatur. Sunt quidem, qui alterum hoc verbum de animi anxietate explicent (« angustiis non concludimur Deo cordibus nostris latum consolationis campum patefaciente » *Theoph.* cfr *Thom. Lap. Pic.* etc.); at de animi constantia, qua calamitates perferuntur, hoc in loco non agitur, sed de felici exitu, quem Apostoli calamitatibus non oppressi Deo adiuvante invenerunt : « in tribulationibus versantes, sed non succumbentes ».

In secundo membro (ἀπορούμενοι ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι) *Vulg.* primum verbum graecum retinuit (*aporiamur* cfr *Is.* 59,16); ἀπορεῖσθαι (in inviis versari) autem is dicitur, qui quid dicat vel faciat nesciens anxius haesitat (cfr Ioan. 13,22; *Act.* 25,20; *Luc.* 24,4; *Gal.* 4,20). Quae significatio in verbo composito ἐξαπορεῖσθαι, quod a *Vulg.* redditur latino *destitui*, ita augetur, ut desperationem ex consilii inopia exortam designet : « haesitantes sed non desperantes ». Tantis in periculis Apostoli saepius versabantur, ut quod consilium esset capiendum, ne opprimerentur, non viderent; at animum non despondebant ac Deus eis qua ratione evaderent ostendebat : « in inviis vias salutis invenimus » Deo iuvante (ἐν ἀπόροις πράγμασιν πόρους εὑρίσκομεν σωτηρίας. *Theod.*). Supra quidem Apostolus de periculo quodam ephesio loquens se de vita ipsa desperasse (ἐξαπορηθῆναι καὶ τοῦ ζῆν 1,8) dixit; at clarum est, eum ibi verbum ἐξαπορεῖσθαι sensu latiore de magno dubio, quod habuit, num illud discrimen effugere posset, sumsisse,

1. θλίβειν et θλῖψις de molestiis hominis a magna turba circumdati (*Marc.* 3,9), de cruciatibus mulieris parturientis (*Ioan.* 16,21), de inopiae paupertatisque angustiis (infra 8,13; *Phil.* 4,14), de bellorum obsidionumque afflictionibus (*Matth.* 24,21. 29) etc. Interdum θλῖψις et στενοχωρία a Paulo ita coniunguntur, ut secundo nomine altior calamitatis gradus significetur (6,4; *Rom.* 2,9; 8,35). — Ceterum θλίβειν etiam de luctatoribus adversarium in terram proiicientibus adhiberi cfr *Pape* griech. Wœrterb. s. v. πάλη

sed hic eum verbo integram vim et potestatem relinquere. Quoniam ἀπορία, uti de consilii inopia, ita etiam de rerum ad vitam necessariarum indigentia usurpatur, cum *Theoph.* nonnulli quoque Latini versione antiqua, quam *Tert.* (Scorp. 13. « indigemus sed non perindigemus ») exhibet, seducti verba haec de Apostolorum egestate interpretati sunt (*A[ter]*, *Haym. Herv. Thom.* etc., *Cai. Lap.* etc.), alii consilii inopiam rerumque penuriam simul indicari arbitrati sunt (*Salm. Pic.* etc.); arctior tamen videtur explicatio nec contextui satis consonat. Omnino enim in tribus his ultimis membris Paulum Apostolos ceu athletas in agone concertantes aut ceu milites acie dimicantes describere censeo : omnibus ex partibus ab hostibus cinguntur et urgentur, ut quo se vertant non amplius videant, sed animum non despondentes Deo monstrante detegunt viam evadendi (ἀπορούμενοι ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι); fugam igitur arripiunt, verum ne in fuga quidem, nisi Deus eos adiuvaret, securi essent, siquidem *hostes eos persequuntur,* sed a Deo solis suis viribus *non relinquuntur* (διωκόμενοι ἀλλ' οὐ καταλειπόμενοι); hostes eos quidem consequuntur, ut novum iam certamen inire debeant, in quo iterum inferiores esse videntur, siquidem in terram *deiiciuntur,* sed a Deo iterum corroborati *non pereunt* (καταβαλλόμενοι ἀλλ' οὐκ ἀπολλύμενοι) : quidquid agunt adversarii, vasa fictilia non confringuntur, quia in illis Deus eminentem suam virtutem manifestare vult.

Multis igitur magnisque tribulationibus omnis generis viri apostolici ita affliguntur, ut morti semper vicini esse videantur; suo autem tempore semper adest Deus, qui ab interitu eos servat : quae omnia novo membro Paulus comprehendit, quo ostendit, quem in finem Deus hac ratione virtutem suam in infirmis Apostolis manifestet : 10. *semper mortificationem Iesu in corpore* (*nostro*) *circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris* (lege : *in corpore nostro* cfr *VV. LL.*). « Quid est mortificatio Iesu, quam circumferebant? Mortes quotidianae, quibus resurrectionis specimen edebatur. Nam si quis est, qui Christi mortem obiisse et resurrexisse non credit, in nos intueatur, qui singulis diebus morimur et in vitam revocamur, ac tunc resurrectioni fidem habebit » (*Chrys.*). Substantivum νέκρωσις bis tantum in Novo Test. adhibetur; *Rom.* 4,19 sine ullo dubio idem est quod τὸ νενεκρωμένον εἶναι (τὸ mortuum esse) et a *Vulg.* recte ita redditur (τὴν νέκρωσιν τῆς μήτρας Σάῤῥας *emortuam* vulvam Sarae); at dubium quoque non est, quin hoc in loco sit i. q. τὸ νεκροῦσθαι (τὸ occidi), atque hunc sensum *Vulg.* substantivo *mortificationis* exprimere voluit; continuis tribulationibus, quibus semper morti vicini sunt,

Apostoli Iesum, qui occiditur, repraesentant, atque signa, quae perpetuae eorum calamitates cum mortis periculo coniunctae in eorum corporibus reliquerunt (*Gal.* 6,17 *stigmata Christi*), conspicua circumferentes ipsam Iesu occisionem quasi circumferunt. Attamen Deus in tribulationibus illis permittendis eum habet finem, ut Apostoli non tantum Iesum morientem sed etiam Iesum resuscitatum et gloriose viventem in corpore suo repraesentent; etenim « afflictiones et tormenta evangelizantium tam potenter non solum tolerata sed superata sunt testimonia Iesu Christi viventis et servantis et vincentis » (*Cai.*). Profecto quicumque pericula, quibus Paulus a conversione sua usque ad tempus, quo epistolam hanc scripsit, i. e. viginti quatuor vel quinque annorum spatio, expositus fuit (11,23-28), perpenderit, vitam Iesu in eo manifestatam esse fateri cogetur (cfr *Chrys. Cyr. Oec.* etc., *Cai. Ist. Est.* etc., *Bisp. L R. Ramb.* etc. — *Kl Br. Mey. Heinr.* etc.); cum Paulo autem et reliqui Apostoli gloriari potuerunt : « ut morientes, et ecce vivimus; ut castigati et ad mortem non adducti » (6,9).

Attamen altera quoque horum verborum expositio a *Chrys.* affertur, iuxta quam non de superatis Apostolorum tribulationibus, quibus vita Iesu iam nunc in eis manifestetur, sermo est, sed de sperata resurrectione futura : « hac de causa, inquit *Theod.*, mortis periculo pro Domino libenter adimus, ut et vitae eius fiamus participes et caducam vitam dantes immortalitatem corporis adipiscamur »; et *Thom.* : « ideo pericula mortis et passiones patienter sustinemus, ut perveniamus ad gloriosam vitam ». Quae explicatio, quam solam cum *Theod.* antiquiores Latini tradunt (cfr *Tert.* de res. carn. 44; *A*[ter], *Pel. Prim.* etc., *Herv. Lomb. Thom. Lyr.* etc.) nonnullique iuniores et moderni tenent (*Calm. Nat. Pic.* etc., *M Ev. Mai.* etc. — *Olsh.* etc.), per se quidem apta est iisque quae infra exponuntur (*v.* 14 sqq.) congruit, approbari tamen nequit, si non tantum ad praecedentia membra, quae de hac sola vita agunt, sed etiam ad sequentem sententiam attenditur. Etenim recte *Chrys.* iam monet, eum morem esse Apostolo, ut si quid obscurius dixit id clarius exponat, eundemque morem ab eo hic teneri, quum sua ipsius verba ita repetat, ut ea non tam confirmet quam apertius declaret : 11. *semper enim nos qui vivimus in mortem tradimur propter Iesum, ut et vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali.* Quam accurate duo huius sententiae membra duobus immediate praecedentibus respondeant, in aperto est; at etiam se mutuo explicant et complent. Semper (πάντοτε) viri apostolici mortificationem Iesu in corpore suo circumferunt, quia semper (ἀεὶ) vivi in mortem traduntur propter Iesum, i. e. in suo apostolico ministerio

propter Iesum suscepto continuis mortis periculis ita sunt expositi, ut vita eorum sit mors quaedam continua. Haud sine emphasi illud ἡμεῖς οἱ ζῶντες (*nos qui vivimus*) inseritur, ut praecedens *in corpore nostro* quasi explicetur; neque enim haec expressio significat : dum vivimus, in mortem tradimur (siquidem scriptum non est : ἡμεῖς ζῶντες), neque ad vitam gratiae trahenda est (siquidem superiori *in corpore nostro* respondet), sed oppositionem, quae inter continuam vitam et continuam mortem Apostolorum adest, ob oculos ponit : media in vita et vivo corpore ita in mortem semper tradimur, ut simul semper et vivi et mortui esse videamur. Duo alia membra, quibus continuae mortis finis significatur, etiam verbis consonant in eo solo dissentientia, quod pro praecedente *in corporibus nostris* (vel iuxta meliorem lectionem : *in corpore nostro*), quae locutio etiam de glorificato corpore intelligi potest, hic ponatur *in carne nostra mortali*, quae expressio de glorificato corpore explicari nequit; nam corruptio incorruptionem non possidebit et corruptibile hoc induere debet incorruptionem et mortale hoc immortalitatem (1 *Cor*. 15,50. 53). In resuscitatis ergo vita Iesu non manifestabitur *in carne mortali*, ac proin Apostolus nondum de futura vita corporis glorificati loquitur, sed de ea vitae Iesu manifestatione, quae in conservatione vitae Apostolorum apparet. Apostoli propter Iesum continuo morientes et tamen semper viventes in sua carne mortali manifestant et repraesentant Dominum propter delicta nostra in mortem traditum et propter iustificationem nostram resuscitatum vitamque aeternam viventem (*Rom*. 4,25).

Hinc Paulus ex effectibus ad causam concludens colligit : 12. *ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis*. Mortem et vitam velut personas inducit, quae operantur efficaciamque suam manifestam reddunt. Iamvero mortem in Apostolis operari suamque vim exserere (cfr 1,8), continua pericula omnibus perspicua docent, in quae mors eos coniicit, ut eis vitam eripiat; at vitam quoque in eis operari, facile apparet, siquidem continuis tribulationibus et calamitatibus a morte excitatis nec vincuntur nec quominus ministerium suum apostolicum inter fideles exerceant impediuntur. Mors ultra Apostolos operationem suam proxime non extendit, ut soli varias et continuas afflictiones propter Evangelii praedicationem perferentes mortem Christi quasi gustent; ideo in priore membro de eis solis, quippe qui mortificationem Iesu in corpore suo circumferant et propter Iesum in mortem tradantur, sermo fit : *mors in nobis operatur*. Verum vita tam potens et efficax est, ut ad eos solos operationem suam non restringat; nam eos non tantum mediis in mortis periculis vivos conservat, sed aptos quoque idoneosque reddit, qui fidelibus propter Iesum servientes prae-

dicatione sua in illos vitam Domini transfundant; quia autem in altero hoc effectu operatio vitae clarius conspicitur, ad eum solum Paulus in altero membro attendit : *vita autem in vobis*. Apertius quoque ita apparet, quanta sit Apostolis cum Christo moriente et vivente similitudo et quanta sit virtus Dei in vasis fictilibus : in se solum Christus, ut genus humanum redimeret, passionem et mortem suscepit, et Apostoli soli, ut Evangelium propagent, in corporibus suis mortificationem Iesu circumferunt; vitam vero, quam Christus glorificatus nunc degit, in fidelibus suis manifestat, quibuscum passionis mortisque suae fructus communicat, et similiter Apostoli non tantum in suo corpore mortali vitam Iesu manifestant, sed praedicatione sua etiam efficiunt, ut in fidelibus vita Iesu sese manifestet, quatenus eos ad fidem adducunt: « imitati sunt Dominum suum doctores mundi; suas enim animas posuerunt, ut nos qui olim aberravimus vitam ex fide in Christum lucraremur » (*Cyr A.* cfr *Theod. Oec. Theoph.; A*[ter], *Sed. Haym. Thom*[2]. etc., *Salm. Iust.* etc., *M Ev. L R.* etc. — *Goeb. Heinr.*). Quamvis igitur fictilia sint vasa, thesaurus in illis conservatus non perit; immo vero quia per fragilia instrumenta non obstantibus difficultatibus quibuscumque Evangelium gloriae Christi, qui est imago Dei, propagatur mundusque tenebris ignorantiae et erroris hucusque obrutus luce evangelica illuminatur, sublimitas virtutis, quae ex solo Deo esse potest, maiore claritate fulget.

Haud multum a data ultimae sententiae explicatione recedunt nonnulli, qui verbum ἐνεργεῖσθαι (*operari*) hic passive adhibitum esse censent (« in nobis Apostolis mors agitur et exercetur, sicut vicissim in vobis agitur et exercetur, i. e. per nostra pericula gignitur et perficitur vita spiritualis » *Est.* cfr *Gl ord*[2]. *Lomb*[2].); minus apte tamen hoc dici videtur. Longius a vero aberrare illi videntur, qui in secundo membro vitam physicam intelligendam esse censent, quia in priore de morte physica agatur; neque enim animadvertunt, in utroque membro de manifestatione mortis et vitae Iesu agi, Apostolumque ad eos vitae et mortis effectus attendere, qui magis in aperto sunt, ad operariorum apostolicorum nimirum tribulationes et ad fidelium vitam spiritualem. Per se autem patet, oppositionem non ita esse urgendam, ut mors Christi in fidelibus aut vita Iesu in Apostolis manifestari negetur; id enim non minus sententiae immediate praecedentes prohibent, in quibus vita in carne mortali Apostolorum manifestari asseritur, quam alii loci non pauci, in quibus omnes fideles suam passionum Christi partem habere dicuntur (1,6. 7 etc.). Atque per se quoque haud aptae explicationes eorum esse videntur, qui in secundo membro de vita physica agi opinantur. Neque enim recte nonnulli cum *Chrys.* in hac sententia ironiam quandam detegunt : « nos in periculis versamur, vos autem in quiete vitam nostris periculis comparatam agitis : tribulationes nos sustinemus,

vos rebus secundis fruimini » (*Bisp. Mai. Dr.* — *Mey.* etc.); nam clarius Paulus loqui solet, si ironia vel sarcasmo utitur (cfr 1 *Cor.* 4,8 sqq. etc.). Multo minus autem antiquorum nonnullorum sententia nobis probatur, qui haec « increpative » dicta esse putarunt : « *mors*, qua quotidie pro Salvatore morimur, *operatur in nobis* vitam aeternae felicitatis; sed e contrario *vita,* qua delectamini in terrenis, *operatur in vobis* mortem aeternam » (*Herv.* cfr *Lomb*[1]. *Thom*[1]. etc.); vel iuxta *Prim.* : « mors in nobis operatur propter fidem; in vobis vero operatur vita, quia adulatione et desidia vestra odium non excitatis »; nam haec omnia verbis non minus quam contextu reprobantur.

2.) *Omnes calamitates Apostoli ob gloriosae resurrectionis spem perferunt* (4,13-18).

4,13. *Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est : Credidi propter quod locutus sum : et nos credimus, propter quod et loquimur :* 14. *scientes quoniam qui suscitavit Iesum, et nos cum Iesu suscitabit, et constituet vobiscum.* 15. *Omnia enim propter vos : ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei.* 16. *Propter quod non deficimus : sed licet is qui foris est, noster homo corrumpatur : tamen is qui intus est, renovatur de die in diem.* 17. *Id enim quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis,* 18. *non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur temporalia sunt : quae autem non videntur, aeterna sunt.*

13. ἔχοντες δὲ τὸ αὐτὸ πνεῦμα τῆς πίστεως, κατὰ τὸ γεγραμμένον Ἐπίστευσα, διὸ ἐλάλησα, καὶ ἡμεῖς πιστεύομεν, διὸ καὶ λαλοῦμεν, 14. εἰδότες ὅτι ὁ ἐγείρας τὸν Ἰησοῦν καὶ ἡμᾶς σὺν Ἰησοῦ ἐγερεῖ καὶ παραστήσει σὺν ὑμῖν. 15. τὰ γὰρ πάντα δι' ὑμᾶς, ἵνα ἡ χάρις πλεονάσασα διὰ τῶν πλειόνων τὴν εὐχαριστίαν περισσεύσῃ εἰς τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ. 16. Διὸ οὐκ ἐγκακοῦμεν, ἀλλ' εἰ καὶ ὁ ἔξω ἡμῶν ἄνθρωπος διαφθείρεται, ἀλλ' ὁ ἔσω ἡμῶν ἀνακαινοῦται ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ. 17. τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης κατεργάζεται ἡμῖν, 18. μὴ σκοπούντων ἡμῶν τὰ βλεπόμενα ἀλλὰ τὰ μὴ βλεπόμενα· τὰ γὰρ βλεπόμενα πρόσκαιρα, τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα αἰώνια[1].

1. *VV. LL.* — 13. διὸ ἐλάλησα (*propter quod locutus sum*) B C D E K L P, omnes minusc., *It. Vulg. Copt. Aeth.*; sed διὸ καὶ ἐλάλησα (propter quod *et* locutus sum) ℵ F G, aliqui PP. gr. et lat., *Syr. Arm. Goth.*; priorem lectionem *Lachm. W H.* etc. merito praeferunt, alteram immerito *Tisch.*; clarum enim est, aliquos librarios verba Psalmistae verbis Apostoli conformasse. — 14. τὸν Ἰησοῦν (*Iesum*) B, pauci minusc., *Tert.* de res. carn. 44., *Vulg. Arm.*; rectius *textus rec.* : τὸν Κύριον Ἰησοῦν (*Dominum* Iesum) cum ℵ C D E F G K L P, plerisque minusc., *It.* (*A*ler etc.) *Syr. Copt. Aeth.* — σὺν Ἰησοῦ (*cum Iesu*) B ℵ C D E F G P, pauci minusc., *It. Vulg. Copt. Arm. Aeth.*: minus apte *textus rec.* : διὰ Ἰησοῦ (*per* Iesum) cum K L, plerisque minusc., *Syr. Goth.* — 16. ἐγκακοῦμεν B ℵ O, pauci minusc., ἐκκακοῦμεν C E K L P, plerique minusc. (cfr ad *v.* 1). — 17. τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρόν (id enim quod in praesenti est leve) communis est lectio codd. graec., quam tuentur *Tert.* (Scorp. 13) *Syr.* (codd.) *Copt. Aeth.*; sed τὸ γὰρ παραυτίκα πρόσκαιρον καὶ ἐλαφρόν (*id enim quod in praesenti est*

Scopo, quem Deus in Apostolorum tribulationibus permittendis habet, exposito Paulus de eo fine agere incipit, quem Apostoli ipsi in duro arduoque suo ministerio exercendo persequuntur. Difficultatibus nimirum mortisque periculis non obstantibus, quum eodem, quo olim Psalmista, spiritu fidei sint animati, Evangelium annuntiare non cessant (*v.* 13); suam ipsorum enim fideliumque, propter quos ad maiorem Dei gloriam omnia sustinent, gloriosam resurrectionem certo futuram exspectant (14. 15). Quamvis igitur multa graviaque perpetiantur, animum non despondent (*v.* 16), quia transitoriis calamitatibus aeternam gloriam respondere sciunt (17. 18).

Intime novam hanc sectionem praecedenti adnectens Paulus, quomodo virtus Dei in Apostolis sese manifestet, accuratius explicat: mors quidem, inquit, in nobis operatur, 13. *habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est : Credidi propter quod locutus sum, et nos credimus, propter quod et loquimur.* Fides igitur, qua animati sunt, eos tacere non patitur, sed mediis in persecutionibus loquuntur Evangeliumque annuntiant, atque ita fit, ut eodem tempore, quo in illis mors operatur, in neophytis vita Christi sese manifestet. Utrum nomine *spiritus fidei* cum plerisque antiquioribus Spiritum S. intelligamus, qui nobis datus fidei nostrae est auctor et donator, an cum aliis antiquioribus metonymice fidem ipsam a Spiritu S. nobis datam significari dicamus (cfr 1 *Cor.* 4,21 *spiritus mansuetudinis* etc.), parum interest; utraque enim explicatio est apta, nec ulla est ratio, cur secundam cum paucis modernis (*Mai.* — *Mey. Heinr.* etc.) velut erroneam respuamus. *Fides* deinde, de qua agitur, si ad verba Psalmistae allegata attendimus, fidelitatem iustitiamque Dei promissiones suas implentis servosque suos continuo adiuvantis proxime respicit, ita ut certam spem fiduciamque quasi includat. *Eundem* porro spiritum fidei Paulus dicit Apostolos habere non inter se (*Cai.*) nec cum Corinthiis (*A^ter*, *Est.*), sed « eundem quem habuerunt et illi qui scripserunt : credidi propter quod locutus sum » (*S. Aug.* serm. 19,3; cfr *Chrys.*

momentaneum et leve) D E F G, paucissimi minusc., *It. A^ter*, *S. Aug.* etc.) *Vulg. Syr.* (codd.) *Arm. Goth.* — τῆς θλίψεως (tribulationis) sine pronomine solus, ut videtur, B cum *Syr.* (codd.); reliqui omnes recte : τῆς θλίψεως ἡμῶν (*tribulationis nostrae*). — καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν (*supra modum in sublimitate*) est communis lectio graeca et latina, atque etiam in codd. *Syr.* invenitur; sed alterum membrum (εἰς ὑπερβολήν) omittunt ℵ C K et (propter versionis difficultatem?) reliquae versiones *Copt. Arm. Aeth. Goth.* — ἡμῖν (nobis) sine praepositione est communis lectio codd. graec. et verss., quam etiam tuentur *It.* (*Tert.* Scorp. 13.; de res. carn. 40; *S. Aug.* in Ps. 93 n. 23 etc.) et boni codd. *Vulg.* (*Amiat.* etc.).

Animadvertatur oportet, in cod. Alexandrino (A) inde a 4,13 usque ad 12,6 magnam esse lacunam.

Theod. Lyr. etc., *Prim. Sed. Herv. Lomb. Thom.* etc., *Salm. Iust. Nat. Pic.* etc., moderni omnes); itaque « his verbis ostenditur, miram esse inter Novum et Vetus Test. concordiam eundemque Spiritum in utroque vim suam exserere » (*Chrys.*). Quia igitur eundem spiritum fidei, quo animatus erat Psalmista, habent, ideo iuxta illud quod scriptum est (κατὰ τὸ γεγραμμένον) : Credidi propter quod locutus sum, Apostoli quoque credunt et ideo loquuntur continuata Evangelii praedicatione Deo gratias agentes.

Verba *Ps.* 115 (116), 10, quum a Paulo pro more ex alexandrina versione allegentur, difficultatem quandam creant, siquidem a primigenia lectione differre videntur. Ut hebraica verba : הֶאֱמַנְתִּי כִּי אֲדַבֵּר eodem modo, quo graeca (ἐπίστευσα διὸ ἐλάλησα, credidi quapropter locutus sum) interpretari possent, olim aliqui (cfr *Est.* etc. — *Wolf.* etc.) particulae כִּי sensum graeci διό (quapropter) attribuerunt; at istum sensum particula non admittit. Inter modernos, qui omnes hebraicam sententiam esse obscuriorem fatentur, alii vertunt : credidi, *quando* loquor; alii : credidi, *si* loquor; alii : credidi, *quamquam* loquor; sed licet כִּי has significationes admittat atque una alterave ex istis interpretationibus etiam textui Psalmistae adaptari possit, nullam tamen ex eis velut genuinam agnoscere licet, nisi Paulum erroneam versionem tamquam Scripturam allegasse stulti dicere velimus. Sed nihil obstat, quominus particulae כִּי consuetum sensum causalem cum *S. Hier.* relinquentes vertamus : *credidi, quia loquor,* vel *nam* loquor, ita ut Psalmista fidem suam sua locutione demonstret ab effectu (*loquor*) ad causam (*credidi*) quasi concludens, quia fides actione gratiarum piaque ad Deum precatione se prodit. Iamvero in alexandrina quoque versione fidem esse causam locutionis asseritur (credidi, ideo locutus sum), et idem directe exprimitur, quod indirecte in textu hebr. habetur : itaque duae lectiones, quamquam verbis dissentiunt, sensu consonant, et liberior quidem, sed non erronea, est graeca versio.

Porro Massorethae, quum nostros *Ps.* 114. et 115. in unum (*Ps.* 116) contrahant, verba allegata medio in carmine suo habent; Alexandrinis vero, quos Paulus sequitur, sunt novi carminis prooemium [1]. Etenim summo in

1. *Ps.* 114. et 115. simile habent argumentum, quum in utroque poeta ex gravissimo mortis discrimine divinitus ereptus Deo de hoc beneficio gratias agat; quare mirum non est, quod Massorethae illos coniunxerint; nihilominus duo carmina diversa esse rectius tenemus. Sensus tamen verborum a Paulo allegatorum non mutatur, si Massoretharum distributio praefertur; in eorum enim *Ps.* 116. duae distinguantur oportet strophae maiores (*v.* 1-9; 10-19), ita ut *v.* 10. sit novae strophae prooemium. Cuinam auctori Ps. 114. 115. sint attribuendi, non plane liquet; Paulus quoque nomen poetae non ponit; eum tamen Apostolis eundem, quem *Davidi*, spiritum fidei attribuere voluisse putaverim, ac revera Davidem in verbis Pauli designari Patres et antiqui interpretes communiter tradunt. Moderni quidem plurimi Psalmos tempore exsilii finiti exortos esse dicunt; sed cur id concedamus, nulla est ratio; etenim in neutro ne verbulum quidem invenimus, quo illos Davide recentiores dicere cogamur. *Ps.* 115., qui *Ps.* 55. est vicinus, ad Saulis persecutionem egregie qua-

periculo constitutus ab hominibusque derelictus poeta sacer animum non desponderat, sed divinis promissionibus credens a Deo auxilium efflagitaverat servatusque erat. Qua de re gratias acturus exorditur : « Credidi, ideo locutus sum, i. e. quia propter fidem meam auxilium inveni, hanc gratiarum actionem dixi (vel : dico). Valde eram afflictus et quum inter homines nullum invenirem, qui me iuvaret, omnes dixi fallaces. At Deus me non dereliquit; quid igitur Domino pro omnibus, quae in me complevit, rependam? » etc. Iam simili modo Apostoli quoque, quamvis in continuis mortis periculis degant et apud homines auxilium non inveniant, minime desperant, sed Dei verbis promissionibusque credunt illoque confidunt; ideo etiam in eis vita Iesu, qua conservantur, sese manifestat et gratiarum suam actionem ob beneficium acceptum non carmine quidem, sicut sacer poeta, sed continuata Evangelii praedicatione exprimunt.

Tribulationibus igitur nec fracti nec absterriti, sed spiritu fidei omnia perferentes Apostoli ab Evangelii praedicatione non cessant, 14. *scientes, quoniam qui suscitavit* (Dominum) *Iesum, et nos cum Iesu suscitabit et constituet vobiscum.* Paulum velut praecipuum fidei obiectum hoc in loco prae oculis habere Deum iustissimum remuneratorem, qui iuxta promissiones suas fidelibus suis servis gloriosam vitam daturus sit, evidens est (cfr *Chrys. Theod.* etc.). Certitudinem autem futurae istius remunerationis ipsis verbis significat, quum Deum vocans resuscitatorem Iesu insinuet, de futurae nostrae resurrectionis possibilitate iam dubitare non licere, atque addens nos resuscitatum iri *cum Iesu* simul indicet, fieri non posse, ut gloriosa vita privemur; egregie *Thom :* « et nos cum Iesu suscitabit, ut sumamus eandem gloriam cum Iesu, quia quum simus membra eius debemus esse cum capite ». Quam expressionis vim, ut videtur, non intelligentes multi librarii, qui eam de resurrectionis tempore erronee interpretabantur, pro σὺν Ἰησοῦ scribere maluerunt διὰ Ἰησοῦ (*per Iesum* cfr *VV. LL.*). Ceteroquin contra eos, qui Paulum Domini ad iudicium adventum vicinum credidisse asserunt (cfr ad 1 *Cor.* 7,26 etc.), id quoque adnotasse iuvabit, Apostolum hic eadem ratione, qua alibi (1 *Cor.* 6,14; 10,11 etc.), ex numero eorum, quos Dominus adveniens vivos sit reperturus, se sociosque suos excludere.

At non suam tantum resurrectionem vitamque gloriosam Apostoli in ministerio suo exercendo prae oculis habent, sed in eadem se neophytos esse habituros socios exspectant, id quod magna cum humilitate Paulus ita exprimit, ut neophytis quasi primum locum attribuat : *et constituet nos vobiscum.* Quae verba *Iust.* aliique pauci inepte de

drat; *Ps.* 115. vero a Davide post Absalomis cladem Ierosolyma revertente (cfr. *vv.* 18. 19) videtur esse compositus.

spe intelligunt, quam Paulus habuerit, sese mox salvum Corinthum esse reversurum; de societate enim in vita gloriosa agi, totus contextus clamat, ita ut supplendum sit aut : constituet nos vobiscum *ante tribunal suum* (*Theod.*), aut cum plerisque rectius : constituet nos vobiscum *vivos* (cfr *Act.* 1,3 παρέστησεν ἑαυτὸν ζῶντα, 9,41 παρέστησεν αὐτὴν ζῶσαν). Clarius iam humilitatem suam manifestat sententia sequente, qua verba *vobiscum* explicans et confirmans ultimum finem, quem Apostoli sibi proponunt, exprimit : 15. *Omnia enim propter vos, ut gratia abundans per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei.* Omnia ergo, quaecumque agunt et perferunt, agunt et sustinent propter fideles; neque enim suum commodum quaerunt, sed bonum fidelium promovere student, quare aequum quoque est, ut fidelium in resurrectione et vita gloriosa socii fiant. Attamen ultimus finis, propter quem ministerium suum totum ad fidelium utilitatem promovendam dirigunt, est maior Dei gloria, quippe quae singularem in modum crescat, quando gratia in multos effusa et hoc modo aucta efficit, ut abundantiore gratiarum actione Deus celebretur (cfr ad 1, 11).

Latinus interpres, quum duo verba πλεονάζειν et περισσεύειν eodem verbo intrans. (*abundare*) verteret, sensum sententiae finalis aliquantulum obscuravit. Graeca phrasis : ἵνα ἡ χάρις πλεονάσασα διὰ τῶν πλειόνων τὴν εὐχαριστίαν περισσεύσῃ εἰς τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ, diversas admittit constructiones, quibus sensus tamen in universum haud multum mutatur. Velut faciliorem et concinniorem eam praeferimus, quae verbo πλεονάζειν sensum intransitivum, verbo περισσεύειν transitivum (cfr 9,8; *Eph.* 1,8 etc.) tribuit et additamentum διὰ τῶν πλειόνων cum priore connectit : « ut gratia per plurimos (quibuscum per evangelicam praedicationem communicatur) crescens abundantiorem reddat gratiarum actionem ad Dei gloriam »; quo plures enim gratiam accipiunt, eo plures gratias Deo agunt eique maiorem gloriam procurant (cfr *Est*[2]. *Nat. Pic. M Er. L R. Mai.* etc. — *Coeb. Heinr.* etc.). Vicina est aliorum constructio, qui verba eodem modo explicant, sed additamentum διὰ τῶν πλειόνων ad secundum trahunt : « ut gratia abundans actionem gratiarum per plurimos abundantiorem reddat ad Dei gloriam » (*Bisp. Dr.* etc. — *de W. Neand.* etc.); at cur gratia vocetur abundans, in hac constructione non clare apparet. Alii utrumque verbum intransitive sumunt et accusativum εὐχαριστίαν a praep. διά dependere volunt : « ut gratia abundans exuberet in gloriam Dei *propter* plurimorum gratiarum actionem » (*Al*[ter], Est[1]. *Ramb.* etc. — *Beng. Fl.* etc.); at minus apte dicitur, *propter* gratiarum actionem exuberare gratiam; dicendum potius erat : διὰ τῆς τῶν πλειόνων εὐχαριστίας « *per* gratiarum actionem plurimorum exuberare gratiam in Dei gloriam ».

Itaque propter fideles Apostoli omnia agunt et perferunt, ut sua praedicatione numerum neophytorum augentes augeant numerum eorum, qui Deum gratiarum actionibus celebrent; maior ergo Dei gloria ultimus, salus proximorum proximus est eorum finis. Ad quem

anhelantes suam ipsorum quoque salutem adipiscentur; interea autem certitudine futurae suae beatitudinis, quam hac via sint obtenturi, in tribulationibus calamitatibusque suis corroborantur. Etenim ad *v.* 14., quo certam gloriosae resurrectionis spem expressit, respiciens Paulus pergit : 16. *propter quod non deficimus* (ἐγκακοῦμεν vel ἐκκακοῦμεν, animum non despondemus cfr ad *v.* 1.); *sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.* Iuxta plerosque in his verbis caro mortalis, s. corpus cum sensibus suis, velut exterior homo ab anima rationali cum eius potentiis propriis velut homine interiore distinguitur [1]. « Ad intellectum huius verbi, inquit *Thom.*, sciendum est, quod secundum Philosophum et secundum usum loquendi unumquodque dicitur esse illud, quod est principalius in eo... Principalius autem in homine potest aliquid iudicari et secundum veritatem et secundum apparentiam. Secundum veritatem quidem principalius est in homine ipsa mens; unde secundum iudicium spiritualium mens dicitur homo (interior). Secundum apparentiam vero principalius in homine est corpus exterius cum sensibus suis; unde secundum eorum, qui tantum corporalia et sensibilia considerant et terrena sapiunt, corpus cum sensibus suis dicitur homo (exterior) ». Recte porro nonnulli monent, hominem exteriorem et interiorem a Paulo eadem ratione non distingui, qua alibi hominem veterem a novo distinguit, neque hoc in loco de hominis natura per peccatum corrupta agi, quatenus restauratae per Christum naturae opponatur (cfr *H Vict.* qu. 12.; *Tol.* in Rom. 7,12; *Salm. Est. Lap.* etc.); etenim « totus ille homo, inquit *S. Aug.* (c. Faust XXIV. 2), i. e. et interiore et exteriore sui parte, inveteravit propter peccatum et poenae mortalitatis addictus est : renovatur autem nunc secundum interiorem hominem, ubi secundum sui Creatoris imaginem reformatur exuens se iniustitiam, i. e. veterem hominem, et induens iustitiam, i. e. novum hominem; tunc autem, quum resurget corpus spi-

1. *Tert.* quidem, quum substantias mere spirituales exsistere posse negaret, animae quoque corpusculum velut eius substantiam attribuit, quod suis oculis, auribus aliisque membris, sicut corpus nostrum visibile, esset instructum (cfr quae contra eum disputat *S. Aug.* de Gen. ad lit. X. 25 sq.), atque hoc corpusculum nomine interioris hominis designari putavit (de anim. 9.). Sed alibi eundem errorem retinens « interiorem hominem non tam animam [sc. corpusculum istud] quam mentem et animum intelligi mavult, i. e. non substantiam ipsam, sed substantiae saporem » (de resur. carn. 40). Demum communem loquendi usum secutus tertio in loco sententiam nostram ita explanat : « Etsi exterior noster homo vitiatur, *caro* scilicet vi persecutionum, sed interior renovatur die et die, *anima* scilicet spe promissionum » (*Scorp.* 13). — Iuxta *Gl ord.* « quidquid est homini commune cum pecore, exterior homo est; is, qui intus est, homo est spiritus, secundum quem factus est homo ad imaginem Dei ». Iuxta *H Vict.* (Qu. 12. in 2 Cor.) « homo exterior dicitur, quidquid habemus commune cum brutis; homo interior, quod nobis commune est cum angelis ».

rituale, quod seminatur animale, etiam exterior homo percipiet coelestis habitudinis dignitatem : ut totum, quod creatum est, recreetur, et totum, quod factum est, reficiatur, illo recreante qui creavit et reficiente qui fecit ». Quae quasi explicans *Thom.* : « Natura humana fuit in integritate condita; in qua si permansisset, semper esset nova; sed per peccatum coepit corrumpi; quo fit, ut quidquid peccatum consecutum est, nempe ignorantia, difficultas ad bonum, pronitas ad malum, poenalitas et alia huiusmodi, totum pertineat ad vetustatem. Quum ergo natura humana huiusmodi peccatum sequentia deponit, tunc dicitur renovari. Quae quidem depositio hic incipit in sanctis, sed perfecte consummabitur in patria. Hic enim deponitur vetustas culpae, nam spiritus deponit vetustatem peccati et subiicitur novitati iustitiae, et intellectus deponit errores et assumit novitatem veritatis : et secundum hoc is, qui intus est homo, sc. anima, renovatur. Sed in patria tolletur etiam vetustas poenae; unde ibi erit consummata renovatio » etiam secundum exteriorem hominem. Interea autem exterior homo, i. e. corpus mortale, quamvis in eo quoque vita Iesu sese manifestet (*v.* 11), continuis tribulationibus atteritur et paullatim ad mortem adducitur; dum anima iisdem tribulationibus ad deponendam peccati vetustatem confortatur et de die in diem (ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ *Tert.* : die et die, יום יום i. q. καθ' ἡμέραν) renovatur novas quotidie acquirens vires, quum ad mercedem, quae tribulationibus obtineatur, prospiciat.

De hac enim proxime renovatione supranaturali, quae hic quidem inchoatur sed nonnisi in altera vita consummabitur, Apostolum loqui, docet sententia sequens, qua admirandum in modum merita describit, quae tribulationibus acquiruntur : 17. *id enim quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur* (*in*) *nobis.* Simili modo, quo *Rom.* 8,18 (« non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis »), Paulus tribulationibus praesentibus futuram mercedem comparat, sed singulorum membrorum oppositione, quantopere merces labores sit superatura, simul ostendit : « praesentia, inquit *Chrys.*, cum futuris componit; momentaneum cum aeterno, leve cum gravi, afflictionem cum gloria ». Iuxta communiorem quidem codd. graecorum lectionem (τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν, praesens levitas calamitatis nostrae) in primo membro solum hoc tempus (*quod in praesenti est*) futuro opponi videtur; at si ad oppositum membrum (αἰώνιον, *aeternum*) attenderis, cum plerisque asserere non dubitabis, adverbio παραυτίκα calamitatem

non tam velut praesentem, quam velut transitoriam significari (*Theod.* διὰ μὲν τοῦ παραυτίκα ἔδειξε τὸ βραχύ τε καὶ πρόσκαιρον), atque adiectivum πρόσκαιρον (temporarium, momentaneum), quod codd. graecolatini cum It. Vulg. Syr. inserunt (τὸ γὰρ παραυτίκα πρόσκαιρον καὶ ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν, id enim quod in praesenti est *momentaneum et* leve tribulationis nostrae), si genuinum non sit, bonam tamen esse glossam dices. Sive igitur duratio (*momentaneum, aeternum*), sive gravitas et magnitudo (*leve, pondus*) considerantur, calamitas a gloria superatur. Immo vero infinite superatur; ad quam infinitam distantiam exprimendam Paulus novam sibi formavit locutionem : καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, unam quasi hyperbolen alteri addens et superlativum superlativo augens; melius quam *Vulg.* (supra modum in sublimitate) et prima versio latina (*Tert.* Scorp. 13. : per supergressum in supergressum), *It.* eam imitata est : « iuxta incredibilem modum et in incredibilem modum » (*S. Aug.* in Ps. 93 n. 23). Qua infinita distantia non obstante tribulatio transitoria haec et levis iuxta Paulum *operatur* (κατεργάζεται efficit et producit) aeternam illam et infinitam gloriam, i. e. illam vere ex condigno meretur; quamvis enim in se considerata ad eam operandam plane impar sit nec ullo modo ei respondeat, ex Dei tamen promissione tantus eius est valor, ut ei respondeat, tantaque ei inest virtus, ut eam operari i. e. mereri possit. Egregie *Trid.*, postquam nos vere mereri posse ostendit, decreto suo haec addidit verba : « Neque vero illud omittendum est, quod licet bonis operibus in sacris literis usque adeo tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquae frigidae dederit, promittat Christus eum non esse sua mercede cariturum, et Apostolus testetur, id quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operari in nobis : absit tamen, ut christianus homo in se ipso vel confidat vel glorietur, et non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, *ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona* » (Sess. VI. De iustific. cp. 16).

Cur vero tantam mercedem Paulus sibi (pro *in nobis* cum graecis codd., Patribus latinis [*Tert.* Scorp. 13. de resur. carn. 40; *S. Aug.* in Ps. 93 n. 23 etc.] bonisque codd. Vulg. [*Am.* etc.] lege : *nobis*) sperare possit, indicare non omittit : 18. *non contemplantibus nobis, quae videntur, sed quae non videntur; quae enim videntur, temporalia sunt; quae autem non videntur, aeterna sunt.* Ablativum hunc absolutum (qui graeco genit. abs. μὴ σκοπούντων ἡμῶν respondet) alii temporalem esse putant (*dum* non spectamus etc. *Est.* etc.), alii

conditionalem (*si* non spectamus etc. *Chrys.* etc.), alii rectius causalem (*quia* non spectamus etc. *Lomb. Thom. Lyr.* etc., *Cai. Salm.* etc., *M Ev. Bisp. Mai.* etc. — *Mey. Heinr.* etc.). Porro verbum *contemplari* vim graeci σκοπεῖν non attingit; rectius *Tert.* (ll. cc.) latinum *intueri* adhibuit, siquidem « ad rem aliquam velut ad scopum et finem prospicere » significat. Quia igitur Paulus sociique res visibiles (honores, divitias aliaque id genus), utpote temporales et transitorias, sibi pro fine et scopo non ponunt neque ad eas attendunt easve curant, sed solam invisibilem, utpote aeternam, gloriam in omnibus suis tribulationibus prae oculis habent eamque solam prosequuntur, ideo in omnibus suis calamitatibus iuxta interiorem hominem de die in diem ita renovantur, ut aeternam mercedem, quae tribulationibus obtinetur, iure sibi sperent. Pauli igitur sociorumque eius exemplo, qui ad futuram suam mercedem prospicientes sese in tribulationibus suis confortabant, erroris convincuntur ii, « qui statuunt, in omnibus operibus iustos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando et sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam » (cfr *Trid.* sess. VI. de iustif. cp. 11.).

3.) *Gloriosae resurrectionis spem suam denuo asserens se id unum quaerere docet, ut per omnia placeat Christo iudici adventuro* (5,1-10).

5,1. *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis.* 2. *Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quae de coelo est, superindui cupientes:* 3. *si tamen vestiti, non nudi inveniamur.* 4. *Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri: ut absorbeatur quod mortale est, a vita.* 5. *Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus.*

6. *Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino* 7. (*per fidem enim ambulamus, et non per speciem*): 8. *audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.* 9. *Et ideo contendimus, sive absentes, sive praesentes, placere illi.* 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante*

5,1. Οἴδαμεν γάρ, ὅτι ἐὰν ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους καταλυθῇ, οἰκοδομὴν ἐκ Θεοῦ ἔχομεν, οἰκίαν ἀχειροποίητον αἰώνιον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. 2. καὶ γὰρ ἐν τούτῳ στενάζομεν, τὸ οἰκητήριον ἡμῶν τὸ ἐξ οὐρανοῦ ἐπενδύσασθαι ἐπιποθοῦντες, 3. εἴπερ καὶ ἐνδυσάμενοι οὐ γυμνοὶ εὑρεθησόμεθα. 4. καὶ γὰρ οἱ ὄντες ἐν τῷ σκήνει στενάζομεν βαρούμενοι, ἐφ' ᾧ οὐ θέλομεν ἐκδύσασθαι ἀλλ' ἐπενδύσασθαι, ἵνα καταποθῇ τὸ θνητὸν ὑπὸ τῆς ζωῆς. 5. ὁ δὲ κατεργασάμενος ἡμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο Θεός, ὁ δοὺς ἡμῖν τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος.

6. Θαῤῥοῦντες οὖν πάντοτε, καὶ εἰδότες ὅτι ἐνδημοῦντες ἐν τῷ σώματι ἐκδημοῦμεν ἀπὸ τοῦ Κυρίου, 7. (διὰ πίστεως γὰρ περιπατοῦμεν, οὐ διὰ εἴδους) 8. θαῤῥοῦμεν δὲ καὶ εὐδοκοῦμεν μᾶλλον ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν Κύριον· 9. διὸ καὶ φιλοτιμούμεθα, εἴτε ἐνδημοῦντες εἴτε ἐκδημοῦντες, εὐάρεστοι αὐτῷ εἶναι. 10. τοὺς γὰρ πάντας ἡμᾶς φανερωθῆναι δεῖ

tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.	ἔμπροσθεν τοῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ, ἵνα κομίσηται ἕκαστος τὰ διὰ τοῦ σώματος, πρὸς ἃ ἔπραξεν, εἴτε ἀγαθὸν εἴτε κακόν [1].

Fontem fiduciae fortitudinisque, qua omnes ministerii sui molestias et tribulationes perferant, certam eximiae mercedis spem operariis apostolicis esse, Paulus in superiore pericope docuit. Quae ne temere dicta esse videantur, certitudinem futurae resurrectionis gloriosae, quam iterum asserit (*v.* 1), certitudine gloriosae transmutationis eorum, quos Christus adveniens vivos sit inventurus, confirmat (2-5), atque iis quoque, qui ante Domini adventum morituri sint, felicitatem non defuturam docet, quum statim ad Christum sint perventuri (6-8). Hinc in suo munere exercendo Paulus sociique id unum sibi proponunt, ut placeant Christo supremo iudici, qui suum cuique praemium sit distributurus (9.10). Iuxta contextum Apostolus de solis quidem operariis apostolicis proxime loquitur, sed argumentationem eius

1. 5,1. οἰκοδομὴν (aedificationem) coniunctione ὅτι (quod) non praemissa est communis lectio graec. codd. et verss. fere omnium, quam etiam *Tert.* (de res. carn. 41) tuetur; sed graecolatini (D E F G) cum plerisque Latinis et *Vulg.* particulam ὅτι ante οἰκοδομήν parum apte repetunt : *quod aedificationem ex Deo habemus.* — 3. Utrum εἴπερ (si modo) cum B D E F G nonnullisque minusc., an εἴγε (si quidem) cum ℵ C K L P et plerisque minusc. legendum sit, difficile est dictu; differentia non est magna; cfr Comm. — ἐνδυσάμενοι (*restiti*) B ℵ C E K L P, fere omnes minusc., *It.* (*S. Aug.* in Ps. 30; *Ater*) *Vulg. Syr. Copt. Arm. Aeth. Goth.*; sed ἐκδυσάμενοι (exuti vel spoliati) D F G, aliqui PP. latini (*Tert.* c. Marc. V. 12; *Ater*, *S. Paulin.* ep. 5 etc.); cfr Commen. — 4. ἐν τῷ σκήνει (in tabernaculo) sine pronomine demonstr. B ℵ C K L P, plerique minusc. et PP., quibuscum consentit *Am.*; sed ἐν τῷ σκήνει τούτῳ (*in hoc tabernaculo*) D E F G, paucissimi minusc., et *omnes* verss. — 5. ὁ δὲ κατεργασάμενος (qui autem *effecit*) est communis lectio graec. codd. et verss., quibuscum etiam *It.* (*operatus est S. Aug.* de spir. et lit. 18; *perfecit. Sed.* etc.) et *Vulg.* codices aliqui (*Fuld.* etc.) consentiunt; soli graecolatini (D E F G) cum *It.* (*Ater*, *Pel. Prim.* etc.) et plerisque *Vulg.* codd. (*Am.* etc.) legunt part. praes. ὁ δὲ κατεργαζόμενος (*qui autem efficit*). — ὁ δοὺς (*qui dedit*) sine additam. B ℵ C D F G P, paucissimi minusc., *It.* (*S. Aug.* l. c. *Pel. Sed.* etc.), *Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Arm.*; sed *textus rec.* : ὁ καὶ δοὺς (qui *et* dedit cfr 1,22) cum E K L, plerisque minusc.. *It.* (*Ater*), *Syr.* (codd.) *Goth.* — 6. Θαρροῦντες οὖν πάντοτε καὶ εἰδότες (confidentes igitur semper *et* scientes) est communis lectio codd. graec. et verss., quam etiam cum *It.* (*Ater* etc.) boni codd. *Vulg.* (*Fuld. Am.* etc.; cfr etiam *Thom. Syr.* etc.) tenent; *Vulg. Clem.* particulam *et* haud recte omittit. — 8. Θαρροῦμεν δὲ καὶ εὐδοκοῦμεν (*audemus autem et bonam voluntatem habemus*) est communis lectio; sed participium (uti *v.* 6.) habent ex Graecis ℵ (Θαρροῦντες δὲ καὶ εὐδοκοῦμεν), ex Latinis *Tert.* (de res. carn. 43 : fidentes autem et bonum ducentes). — 10. τὰ διὰ τοῦ σώματος (ea quae per corpus [sc. gessit]) est communis lectio Graecorum, quam ex Latinis tuentur *Tert.* (c. Marc. V. 12; de res. carn. 43), *S. Aug.* (in Ioan. tr. 22,4 cfr serm. 162,1. *S. Hier.* (c. Iovin. II. 23) *Ater* (in explic.) etc.; sed τὰ ἴδια τοῦ σώματος (*propria corporis*) cum *Orig.* in Ps. 10 (M. 12,1197) legunt plerique PP. latini et *Vulg.*

esse universalem patet; quare ea, quae de gloriae certitudine tradit de omnibus iustis valent.

Itaque quamquam exteriorem hominem continuae tribulationes corrumpunt conteruntque, de incredibili tamen, quam iustis ad aeterna sola anhelantibus afferunt, mercede dubitare non licet; 1. *scimus enim quoniam, si terrestris domus nostrae (huius) habitationis dissolvatur, (quod) aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis.* Ad latinam versionem duo sunt adnotanda : Interpres cum graecolatinis codd. coniunctione (ὅτι, *quoniam, quod*) repetita constructionem fecit anacoluthicam (scimus, *quoniam*, si... dissolvatur, *quod*... habemus); particula secunda (*quod*) igitur deleatur oportet. Porro subiectum sententiae conditionalis (ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους, *terrestris domus nostra huius habitationis*) nec accurate nec clare reddidit : ut enim pronomen demonstr. (*huius*) contra omnium graecorum codd. et versionum fidem insertum taceamus, non animadvertit, Apostolum, uti cum *Chrys.* plerique observant, σκῆνος (tentorium), i. e. habitationem fragilem et transitoriam, et οἰκοδομήν (*aedificationem*), i. e. habitationem firmam stabilemque, inter se opponere ac genetivum σκήνους velut appositionem explicativam (cfr ad 1,22) substantivo οἰκία addere; vertamus igitur oportet : *terrestris nostra domus tentorii*, vel potius : *terrestris nostra domus i. e. tentorium* (omnibus notum τὸ σκῆνος).

Terrestrem domum nostram mundum, quem inhabitamus, significare, testibus *Tert.* (de res. carn. 41) et *Chrys.* olim nonnulli coniecerunt; sed cum communi sententia tenendum est, Apostolum metaphora sacris ac profanis scriptoribus usitata corpus nostrum mortale designare, in quo anima, praecipua nostra pars constitutiva quae per se sola absque corpore subsistere potest, velut in domo inhabitat (cfr *Iob* 4,19 etc.). *Terrestris* (ἐπίγειος) appellatur, non quia ex terra est facta et in terram dissolvetur[1], sed quia his in terris inservit animae; in altero enim membro ei domus opponitur, quam anima in

1. Ἐπίγειος (ἐπί et γῆ) vi suae etymologiae est id quod in terra exstat (opp. quod in coelis est ἐπουράνιος cfr *Ioan.* 3,12; 1 *Cor.* 15,40; *Phil.* 2,10) recteque a Vulg. plerumque redditur *terrestris*. Aliquoties quidem latinus interpres iis in locis, in quibus vox improprie ad mores transfertur, latino adiectivo *terrenus* utitur (*Phil.* 3,19; *Iac.* 315), sed nusquam est id quod *ex terra formatus* aut factus; ad hunc sensum exprimendum Paulus adiectivo χοϊκός (ἐκ γῆς χοϊκός 1 *Cor.* 15,47 sq.), auctor l. Sap. adiectivo γεώδης (τὸ γεῶδες σκῆνος *Vulg.* terrena inhabitatio *Sap.* 9,15) utuntur. Haud recte igitur corporis nostri originem ex terra cum *Atro*, *Pel.* etc. etiam aliqui iuniores et moderni hic indicatam vident (*Pic. M Ev.* « this body of earth ». *Dr.* « maison de terre » etc.). Transitorium autem esse corpus nostrum ex epitheto ἐπίγειος haud inepte colligitur, quatenus terra ipsa, in qua degentes corpus pro animae habitatione habemus, transitoria est.

coelis inhabitatura sit. Genetivo appositionis deinde (τοῦ σκήνους, *tentorii*) eius fragilitas et brevis duratio significatur (cfr 2 *Petr.* 1,13 sq.); nam « tentorii nomen aliquid temporarii plerumque designat...; quodsi Scriptura quietem sanctorum alicubi hoc nomine appellat (*Luc.* 19,9), non simpliciter tentorium dicit, sed cum addito; neque enim Dominus dicit : ut vos recipiant *in tabernacula*, sed *in aeterna tabernacula* » (*Chrys.*). Iamvero si tentorium, quod his in terris anima incolit, dissolvitur (καταλυθῇ destructum erit; καταλύειν dissolvere, de aedificiorum destructione *Marc.* 14, 58; *Matth.* 26, 61; *Act.* 6,14 etc.), i. e. si corpus mortale conteritur et moritur, animae iustae alia domus est praeparata, quae corrumpi ac destrui non iam potest, corpus sc. gloriosum, quo in resurrectione induetur. Tota fere novae huius domus descriptio eo tendit, ut aeternam illius durationem omni ex parte asserat : praesens nostrum corpus tentorio quidem simile est in terra manu hominum ad brevissimum tempus posito, sed corpus gloriosum erit firmum aedificium (οἰκοδομή) in coelis a Deo ipso (ἐκ Θεοῦ) sine ullo humano auxilio (ἀχειροποίητος) in aeternum (αἰώνιον) exstructum. Si quis verba etymologiasque premere voluerit, corpus mortale quoque « domum ex Deo non manufactam » appellare poterit (cfr 2 *Mach.* 7,22 sq.); verum si scripturisticum loquendi usum consideramus, dubium non est, quin Paulus omnem humanam cooperationem in corporis gloriosi formatione eo fine negaverit, ut illud aeternum esse assereret. Quidquid enim homines faciunt, transitorium est; ideo manufactum esse negatur illud, quod ad naturalem hunc ordinem non pertinet nec periturae huius creationis est (cfr *Marc.* 14,58; *Act.* 7,48; 17,24; *Eph.* 2,11 et *Col.* 2,11; *Hebr.* 9,15); corpus non manufactum ergo re idem est, quod corpus spiritale (σῶμα πνευματικόν 1 *Cor.* 15,44), respondetque templo non manufacto, quod Dominus ipse a mortuis resurgens sibi exstruxit (*Ioan.* 2,20).

Atqui aeternum hoc corpus Paulus sese sociosque suos *habere* fide edoctus *scit*, si corpus istud mortale continuis tribulationibus dissolutum erit. Licet enim illud non nisi in secundo adventu Christi sint obtenturi, fide tamen tam certi sunt de illius futura possessione, ut se illud iam nunc *habere* iure merito dicant. Hinc mirum quoque non est, quod animum non despondent, quamquam mors in eis iam operatur et exterior eorum homo innumeris laboribus tormentisque iam corrumpitur; interior enim eorum homo fide et spe alteram meliorem domum, quae corrumpi nequit, iam possidet (quatenus propter divinarum promissionum infallibilitatem ius acquisitum illius habet),

in quam terrestri tentorio dissoluto transmigraturus est : namque persuasissimum ei est, « quoniam qui suscitavit Iesum et ipsum suscitaturus sit cum Iesu » (4,16).

Communior haec est interpretatio Patrum quum graecorum (*Chrys. Cyr. Theod.* etc.) tum latinorum (*Tert.* de res. carn. 41, *Aug.*[1] *Ater, Pel. Prim. Sed. Gl ord.* etc.), quam iuniores quoque et moderni longe plerique recte sequuntur. At alii domo non manufacta non corpus gloriosum, sed ipsam gloriam coelestem, quam statim post mortem iusti consequentur, designari censent Dominique verba, in domo Patris multas mansiones esse, illustrationis gratia comparant (*Ioan.* 14,2). Ceu probabilem, licet eam non adoptent, hanc explicationem *Tert.* (l. c.) et *Orig.* (de princ. II. 3,7) iam proponunt; eam tenere videtur *Clem. A.* (Strom. IV. 26) et omnino tenent ex Graecis *Phot.* (apud Oec.), ex Latinis *Herv. Thom. Lyr. Dion.* Mediam viam ineuntes pauci utramque explicationem ita coniungunt, ut initium huius aedificii non manufacti sit beatae animae status post mortem, consummatio vero gloria ultima resurrectionis (*Salm.* — *Calv.*). Inter iuniores nonnulli secundam velut probabilem simul proponunt (*Lap. Nat. Dr.* etc.), quin etiam aliqui acath. eam pro certa habent (*Wolf. Ros. Hofm.* etc.). In ea tuenda prae ceteris eminet *Thom.* (i. h. l.; cfr Summ. theol. Suppl. qu. 69. a. 2; Summ. c. gent. IV. 91; c. Graec. 9), qui contra iuniores Graecos his verbis demonstrare vult, iustorum animas statim post mortem beatitudine esse fruituras; sed ad hanc doctrinam defendendam his verbis non indigemus (cfr ad *v.* 6 sqq.) et argumentatio, qua *Thom.* suam explicationem vindicare conatur, rem non evincit. Contextu quidem communem interpretationem reprobari arbitratur; nam « sciendum est, inquit, quod Apostolus vult hic ostendere, quod sancti rationabiliter sustinent tribulationes, quibus vita praesens corrumpitur, quia ex hoc *statim* perveniunt ad gloriam »; pace tamen S. Doctoris dixerim, ab Apostolo istud *statim* nec esse expressum nec indicatum. Quodsi Paulus enim sese domum non manu factam iam *habere* dicit (ἔχομεν *habemus*), illud praesens tempus, quo utitur, ita premere non licet, ut significet : « habemus *statim* non in spe sed *in re* » (*Thom.*), siquidem etiam beatitudinem coelestem Apostolus eo tempore, quo haec scripsit, *in spe* tantum habuit. Innumeris in locis sacri scriptores ea, quae futura nobis promissa sunt, praesente tempore exprimunt, quia fide absolutam eorum certitudinem habemus et propter divinam fidelita-

1. *S. Aug.* saepius hanc explicationem velut certam proponit; in Ps. 68 serm. 1,3 : « Naturam quippe nostram, i. e. consortium quoddam animae et corporis et quandam in his duobus familiaritatem conglutinationis atque compaginis exponens quodam loco Apostolus ait habere nos domum non manufactam aeternam in coelis, i. e. immortalitatem praeparatam nobis, *qua induendi sumus in fine, quum resurrexerimus e morte;* et ait : in quo nolumus spoliari sed supervestiri, ut absorbeatur mortale a vita. Si fieri posset, sic vellemus, ait, fieri immortales, ut iam veniret ipsa immortalitas, et modo, sicut sumus, mutaret nos, ut mortale hoc nostrum a vita absorberetur, non per mortem corpus poneretur, ut in fine iterum reciperetur »; cfr de pecc. mer. et rem. I. 2; Serm. 344,4; 351,3 etc.

tem illa iure acquisito iam possidemus (cfr *Ioan.* 3,18. 35; 5,24 etc.). Apostolus ergo de futuro tribulationum praemio (4,17) in genere loquitur ad tempus, quo illud consecuturus sit, non attendens; completum autem praemium prae oculis habet, sed completum non erit nisi in resurrectione; hinc etiam suam resurrectionis gloriosae spem iam expresserat (4,14) et de eadem nunc uberius agit. Porro beatitudinem coelestem domo non manufacta non designari, evidentissime ex *v.* sequente elucet, quum domus haec *ex* coelo (ἐξ οὐρανοῦ) esse dicatur, coelum ipsum ergo non sit.

Per transennam errorem moderni alicuius cath. interpretis (*Bisp.*) notasse sufficiet, qui cum nonnullis acath. (*Flatt, Auberl. Neand.*) praesens (ἔχομεν *habemus*) adhibitum esse putat, quia iusti « germen futuri corporis gloriosi » in baptismo iam acceperint illudque in coelis quoque retenturi sint, quum beati non omni ex parte corpore destituti esse videantur. Sunt quidem Patres, qui de semine immortalitatis per baptismum et eucharistiam in corpus inserto aliquoties loquuntur (cfr ad 1 *Cor.* 6,15), idque rectissime, siquidem de semine vel germine materiali non cogitarunt, sed acquisitum ius resurrectionis gloriosae intellexerunt; sine ullo autem dubio omnes cum *S. Aug.* (ad Evod. ep. 159,1) professi sunt : « nullo modo arbitror animam e corpore exire cum corpore ».

Corpus gloriosum corruptioni non subiectum iustis post mortem a Deo esse reservatum, Apostolus fide edoctus scit : seminatur enim corpus animale et surget corpus spiritale; incorrupti resurgent iusti mortui et in Christo vivificabuntur (1 *Cor.* 15,44. 52. 22). Iam hanc scientiam suam ardenti desiderio nunc comprobat, quo viri apostolici (vel si mavis, iusti omnes) ad gloriosam transmutationem aspirant : neque enim tam mori et post mortem in resurrectione universali gloriosi resurgere, quam « in illam incorruptionem, quae fidelibus et sanctis promittitur sine mortis periculo transire » desideramus (*S. Aug.* de pecc. mer. et rem. I. 2), ita ut « anima habitante in corpore fiat inclytum, quod ante inglorium fuit » (*S. Hier.* ad Marc. ep. 59,3). 2. *Nam et* (vel cum *S. Aug.* l. c.; serm. 344,3; 351,3 etc., *A*[ro], *Sed.* etc. rectius : *etenim* καὶ γάρ) *in hoc ingemiscimus habitationem nostram, quae de coelo est, superindui cupientes,* 3. *si tamen vestiti, non nudi inveniamur* (vel : inventi fuerimus, εὑρεθησόμεθα). Iure merito ad hanc Pauli argumentationem *Thom.* adnotat : « si desiderium naturae non est frustra, multo minus desiderium gratiae frustra est »; desiderium enim rei, quae nulla ratione attingi potest, Deus creaturis suis indere nequit. Simili igitur ratione, qua ex gemitu omnis creaturae liberationem a corruptione desiderantis certitudo futurae gloriae demonstratur (*Rom.* 8,19 sqq.), ex gemitu hominis mortem aversantis corpusque incorruptibile desiderantis proxime ad gloriosae istius transmutationis ac deinde etiam ad gloriosae resurrec-

tionis iustorum, qui iam mortui sunt, certitudinem rite concluditur; nisi enim illud esset expleturus, hoc quoque desiderium Deus nobis non indidisset. Iamvero clarum est, *habitationem nostram quae de coelis est* (τὸ οἰκητήριον ἡμῶν τὸ ἐξ οὐρανοῦ) eandem illam esse « aedificationem ex Deo, domum non manufactam, aeternam in coelis », de qua *v.* 1. erat sermo; quapropter, quum eadem hic, quae ibi, oppositio adesse videatur, etiam locutionem *in hoc* (ἐν τούτῳ) de corpore nostro mortali, s. de tentorio, quod anima nunc incolit, rectius interpretamur, atque haec explicatio confirmatur *v.* 4., in quo nostra sententia quasi repetitur et clarius exponitur (ἐν τούτῳ στενάζομεν — οἱ ὄντες ἐν τῷ σκήνει στενάζομεν). Sensus tamen haud multum mutatur, si cum aliis locutioni *in hoc* sensum causalem (i. q. propterea) attribuimus (cfr 1 *Cor.* 4,4; *Phil.* 1,18; *Act.* 24,16 etc.) eamque aut ad praecedentia (« propter hoc quod dictum est, nos habituros aedificium ex Deo » *Est.* etc.) aut melius ad sequentia referimus (« propter hoc, quia sc. habitationem de coelo indui cupimus, gemimus » *Erasm.* etc.) [1]. *In hoc* igitur tentorio, quod anima nunc incolit, *ingemiscimus*, dolore desiderii nondum expleti affligimur, *cupientes* (quia cupimus) *habitationem nostram quae de coelo est superindui.* In ultimo verbo ab imagine domus, in quam intratur, Paulus ad vicinam imaginem vestis, quae induitur, transit; eadem ratione statim (*v.* 4) utramque coniungit corpus domui, quam anima incolit, et vesti, qua induta est, comparans. Attamen iuxta Paulum corpus gloriosum non tantum velut vestem induere, sed velut superindumentum *superinduere* (ἐπενδύεσθαι) cupimus, id quod fieri nequit, nisi iam induti simus. Quare ut expressionem *superinduendi* explicet, id non omnibus contingere addit, sed iis solis, quos Dominus ad iudicium adveniens vivos sit reperturus : *si tamen vestiti* corpore nostro mortali, *non nudi*, i. e. praesente corpore per mortem nondum exuti, *inveniamur* (vel *inventi fuerimus*); « superindui enim, nisi vestito iam, convenire non poterit » (*Tert.* de res. 42).

Haec explicatio tam simplex est et perspicua ac cum iis, quae

1. Latino quidem textui explicatio, quam praeferimus, minus videtur congruere, quia genus pron. *in hoc* ad praecedentem dictionem (*domus huius habitationis*) non quadrat et dicendum erat : *in hac;* constructio igitur ad synesin supponenda est, scriptore ab imagine (*domus*) ad rem ipsam (*corpus*) transeunte. Quae difficultas in graeco disparet; nam pronomen ἐν τούτῳ ad genetivum appositionis (τοῦ σκήνους tentorii) recte refertur, quum in eo prioris illius dictionis (ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους) praecipua vis sita sit. Quare opus non est dicere, Paulum iam sequens substantivum τὸ οἰκητήριον in mente habuisse et τοῦτο τὸ οἰκητήριον (*hoc* habitaculum) τῷ οἰκητηρίῳ τῷ ἐξ οὐρανοῦ (*coelesti* habitaculo) opponere voluisse. Inter modernos aliqui, qui pronomen ad corpus referre nolunt, expressionem ἐν τούτῳ explicant *hac ratione* (*Rück.*) aut *hoc in rerum statu* (*Del.*), at exemplis allatis has significationes non demonstrant.

Paulus de iustorum resurrectione aut transmutatione alibi tradit (1 *Cor.* 15,50 sqq.; 1 *Thess.* 4,14 sqq.), tam accurate consonat, ut non intelligatur, cur multi interpretes cum magna operositate alias quaesierint. Sed antequam de illis dicamus, vidisse iuverit, quomodo Apostolus nostram ipse confirmet; suam enim sententiam aliis verbis repetens et explicans pergit : 4. *nam et* (καὶ γάρ *S. Aug.* ll. cc. rectius : *etenim; A*[ter] omissa particula coniunctiva : *nam*) *qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari* (ἐκδύσασθαι, *A*[ter] rectius : *exui*), *sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita.* Duplici, ni fallor, ratione prior sententia clarior redditur; etenim expressio ἐν τούτῳ (*in hoc*) ita exponitur, ut animam in sua cum corruptibili corpore copulatione iustam gemendi causam habere appareat : nam οἱ ὄντες ἐν τῷ σκήνει, i. e. « qua tales *qui in* (*hoc*) *tabernaculo sunt* » (vel uti legit *A*[ter] *: quum* in hoc tabernaculo sint), iusti ingemiscere gravati dicuntur, quia nimirum anima mortem, qua ex sua domo eiicietur suaque veste privabitur, aversatur quidem refugitque, at semper, quamdiu in corruptibili corporis tentorio habitat, sibi imminentem videt. Clarius idem reliquis sententiae verbis exprimitur; gravati enim ingemiscunt iusti *eo quod* [1] *nolunt exspoliari* (exui) veste, qua nunc induti sunt, corpore sc. suo mortali, *sed superindui,* vesti nimirum praesenti alteram incorruptibilem, corpus gloriosum, inducentes, ita ut anima manente in corpore fiat gloriosum et incorruptibile, quod antea inglorium et mortale erat (*S. Hier.*). Etenim eo fine superindui cupiunt, *ut* (ἵνα) *absorbeatur* (καταποθῇ) *quod mortale est* (praesens corpus) *a vita* corporis gloriosi. « Neque enim sic supervestiri volumus, ut corpus maneat mortale, sed ita ut gloria auferat ex toto corruptionem corporis absque corporali dissolutione » (*Thom.*), vel uti iam habet *Tert.* : « nolumus mortem experiri, sed vita praeveniri, ut devoretur mortale hoc a vita, dum eripietur morti per superindumentum demutationis » (c. Marc. V. 12). In ultimo membro Apostolus revera imaginibus domus et vestis prorsus neglectis ad propheticum locum (*Os.* 13,14) alludit, quo in priore epistola gloriosam demutationem iustorum, quos Christus vivos reperturus esset, necessariam esse confirmaverat : « quum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem et mortale hoc induerit im-

1. Graece habetur ἐφ᾽ ᾧ, quam particulam nonnulli antiquae versionis codices hic eadem ratione, qua *Rom.* 5,12 et *Phil.* 3,12, reddiderant *in quo* (cfr *S. Hil.* in Ps. 64 n. 17; *S. Aug.* de pecc. mer. et rem. I. 2 : « ingemiscimus gravati *in quo* nolumus exspoliari »); scilicet latinae praep. *in* cum abl. in vulgari sermone sensus causalis attribuebatur (cfr ad 1 *Cor.* 1,4). Clarius tamen alii codices *It.* cum *Vulg.* nostro in loco legerunt *eo quod* (cfr *A*[ter], *Pel. Prim.* etc.).

mortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: *Absorpta est* (κατεπόθη) *mors in victoria* » (1 *Cor.* 15,54).

Ut argumentationem suam omni ex parte firmam redderet, fundamentum, cui innititur, Apostolus communire debuit ostendens desiderium istud gloriosae transmutationis, quod supposuerat, non esse vanum figmentum sed a Deo ipso nobis insitum. Ideo pergit : 5. *qui autem efficit* (lege : *effecit* κατεργασάμενος cfr *VV. LL.*) *nos in hoc ipsum* (est) *Deus, qui dedit nobis pignus* (lege : *arrham* ἀῤῥαβῶνα cfr ad 1,22) *Spiritus*. Eandem hic, quam 1,21 sq., habemus constructionem, ut sententiae subiectum sit ὁ κατεργασάμενος (*qui effecit*), praedicatum Θεός (*Deus*) cum sua appositione (ὁ δούς *qui dedit*), et inter utrumque copula (ἐστίν *est*) suppleatur. Verbum κατεργάζεσθαι hoc in loco a Latinis diversimode quidem redditur (*S. Aug.* de spir. et lit. 18 : *operari, A*[ter]*, Sed.* etc. : *perficere, Vulg.* : *efficere*), sed nulla ex versionibus propositis satis accurata est; melius *Syr.* reddidit : *disponere*, nam κατεργάζεσθαί τινα εἴς τι significat « aliquem ad aliquid idoneum reddere s. praeparare ». Porro interroganti, ad quid igitur Deus iustos disposuisse vel praeparasse dicatur, haud pauci respondent : ad gloriosam resurrectionem (*Cai. Salm. Est. Iust. Pic. Nat. M Ev. Dr. Mai.* etc. — *Mey. Heinr. Goeb.* etc.), quin etiam Graeci, qui primi hanc explicationem tradunt, Deum nos ad eam praeparasse dicunt, « quum a principio nos ex terra formavit et Adamum condidit; neque enim eum creavit, ut moreretur sed semper viveret » (*Chrys.* cfr *Theod* etc.). At de prima creatione hic non esse sermonem clarum est; parum apte enim Deus posteros Adae (*nos*), quippe qui omnes mortis imperio simus subiecti et ob peccatum originis ab eo alienati, ad aeternam vitam prima creatione praeparasse dicitur; omnia enim bona supranaturalia soli secundo Adamo, redemtori nostro, debemus. Etiamsi autem Graecorum opinio praetermittatur, minus apta tamen explicatio illa semper manebit, quia contextui non plane consonat; neque enim de gloriosa resurrectione aut transmutatione ipsa, sed de solo transmutationis desiderio in praecedentibus versibus agitur; quare expressionem *ad hoc ipsum* (εἰς αὐτὸ τοῦτο) exponere debemus : praeparavit nos *ad hoc, ut nolimus exspoliari sed supervestiri*, atque hac ratione nostrum gloriosae transmutationis desiderium ipsi Deo auctori attribuitur (cfr *Herv. Thom. Lyr. Dion.* etc.) [1]. Minime ergo

1. Haud longe a nostra sententia recedunt nonnulli, qui priorem tenent sed eam ita explicant, ut desiderium nostrum expleri posse demonstretur : « Probaverat scientiam ex desiderio et poterat obiici, quod desiderium est ad id quod excedit mensuram desiderii humani. Propterea occurrit huic obiectioni dicens, quod non natura, sed Deus est, qui effecit nos ad hoc ipsum, sc. ad induendum s. superinduendum domicilium coeleste, *i. e.* ad ha-

vanum humani ingenii figmentum est istud desiderium, sed iustis ab ipso Deo insitum, quando illis *dedit arrham Spiritus*, s. Spiritum tamquam arrham (cfr ad 1,22). Namque Spiritu S. accepto ad desiderandam gloriosam transmutationem idonei sunt facti, quandoquidem per eum filii adoptivi sunt constituti, qui ius ad haereditatem aeternam possiderent, ut aliquando cum glorificato suo capite Christo essent regnaturi. Spiritum porro velut arrham obtinentes de futura sua glorificatione certi sunt redditi, quia Spiritus dona, quibus iam ditati sunt, argumento eis sunt et testimonio, se multo maiora, quae promissa sunt, atque inter illa etiam corpus gloriosum, esse adepturos. Iure merito igitur, si inter illos futuri sint, in quos mors ante secundum Domini adventum nondum saevièrit, gloriosam corporis transmutationem sperant et desiderant.

Iamvero si hoc desiderium, « ut ab infirmitate ad immortalitatem etiam ipsum corpus sine media morte transferatur » (*S. Aug.* ad Honor. ep. 140,6), iustis per Spiritum a Deo est insitum, dubitare non licet, quin Deus sit illud impleturum; atque immerito antiquiores Latini haud pauci (*Haym. Herv. Lomb. Thom.* etc.) locum hunc ita interpretati sunt, ac si de re impossibili ageretur. Porro si iustorum vivorum corpora in adventu Christi transmutabuntur, dubitare quoque non licet, quin Deus iustis iam vita defunctis eodem tempore domum non manufactam aeternam in coelis, i. e. immortale et gloriosum corpus, sit daturus. Nam « quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt », « oportet corruptibile hoc induere incorruptionem et mortale hoc induere immortalitatem » (1 *Cor.* 15,50,53.). Eadem ratione nimirum, qua in priore epistola, Paulus etiam in hac gloriosam vivorum transmutationem et mortuorum resurrectionem coniungit, quia sese mutuo illustrant; argumentatio igitur eius hic quoque est a pari, nisi eam a maiore dicere malueris, quatenus ex maiore transmutationis mysterio, quod in priore epistola prima vice Corinthiis revelavit (cfr ad 1 *Cor.* 15,51.), ad gloriosae resurrectionis, quam iam antea eis annuntiaverat, certitudinem concludit[1].

bendum corpus gloriosum. Ex hoc enim, quod Deus nos praeparavit ad hoc, constat quod non ad excessiva et incommensurata tendimus » (*Cai. Salm.* etc.). At huic quoque explicationi obstat, quod a *v.* 2-4 Paulus de solo *super*induendi desiderio loquatur.

1. Subtilius, opinor, quam verius *Cai.* argumentationem Pauli ita explicat : « Si miraris, inquit, cur scientiam habendi domicilium gloriosi corporis dissoluta terrestri domo probet ex gemitu *super*induendi idem domicilium, scito quod Paulus ex eo, quod formaliter et per se desideratur, doctrinam trahit. In corporis gloriosi appetitu nostro corpus materialiter concurrit, ipsa autem gloria impassibilitatis corporalis concurrit formaliter; quo fit, ut qui invenientur nudi, simul induantur et superinduantur, quia simul resument materiale et formale, corpus et gloriam corporis, quae est velut supremum indumentum; illi vero, qui invenientur vestiti corpore, tantummodo superinduentur gloriam. Quia igitur formale in

In his versibus (2-5) de gloriosa iustorum in Christi adventu superstitum transmutatione agi, communis fere est Graecorum ac Latinorum sententia, a qua pauci tantum illi antiquiores Latini recedunt, qui in *v.* 1. de gloria coelesti generatim sermonem esse cum *Thom.* haud recte statuentes horum quoque versuum expressiones non sine magna violentia de aeterna beatitudine in genere explicare conantur. Quibus praetermissis de aliorum diversis opinionibus pauca addemus. Eam, quam praetulimus, interpretationem ex Patribus pauci (*S. Cyr. Alex.* i. h. l.; *Tert.* de res. carn. 41., atque etiam, licet ibi aliam lectionem sequatur, c. Marc. V. 12; *S. Hier.* ad Marc. ep. 59,3), ex iunioribus complures tradunt (*Cai. Est. Lap. Pic. M Ev. Mai. Ramb. LR.* etc. — *Grot. Beng. Bill.* etc.). Id unum tamen nonnulli ex illis (cfr *Est. Lap. Pic. M Ev.*) dubitant, num ex hoc loco cum *Graecis, Tert.* et *Hier.* recte colligatur, iustos in adventu Domini superstites *sine morte* ad gloriam esse transituros; dici enim posse censent, eos corpora non exuere, quorum mors adeo brevis futura sit, ut nec somno mortis occupentur nec corporis dissolutionem patiantur. At profecto anima, si vel unico temporis momento a suo corpore est separata, iam non *super*induit corpus gloriosum, sed illud induit, et vita nihil amplius invenit mortale, quod absorbeat; revera si superstites eodem modo, quo mortui, gloriosum corpus essent accepturi, Paulus ex sorte iustorum superstitum argumentari non potuisset (cfr ad 1 *Cor.* 15,51. p. 509 sq.).

Magnus praeprimis est interpretum dissensus in *v.* 3., quem « crucem interpretum » haud pauci vocant. Contra explicationem nostram (« si tamen vestiti corpore mortali, non vero nudi, i. e. praesente corpore nondum privati, inveniamur ») id maxime a multis modernis urgetur, quod participium aor. (ἐνδυσάμενοι) actionem solam praeteritam, non item statum ista actione productum significet, Paulus ergo ad nostrum sensum exprimendum participio perf. (ἐνδεδυμένοι) uti debuerit (*Bisp.* — *Kl Br. Mey. Heinr.* etc.). Attamen haec participiorum aor. et perf. differentia, quamvis per se recte statuatur, interdum negligitur et participium aor. de statu permanente haud omnino raro usurpatur, si ad eius initium simul respicitur [1]. Id igitur unum concedatur necesse est, Apostolum illud temporis momentum connotare voluisse, in quo anima corpus suum informare coepit vel potius iuxta imaginem adhibitam corpus suum quasi vestem induit. Ne quis vero eum de sola induendi actione loqui ac suo participio ἐνδυσάμενοι cunctos complecti putaret, quicumque corpus semel induerunt, ideo illud accuratius definivit appositioneque (οὐ γυμνοί) addita significavit, se de iis tantum agere, qui corpus ita induerunt, ut illud etiamnunc retineant, ac proin mortuos, qui ipsi quoque vestem induerant sed illa iam privati sunt, suis ἐνδυσαμένοις non accensere. Nostra igitur explicatio participio aor. non excluditur, eamque retinere possumus, sive cum nonnullis bonis testibus legimus: εἴγε καὶ ἐνδυσάμενοι εὑρεθησόμεθα, sive cum aliis aeque bonis: εἴπερ καὶ κτλ (cfr *VV. LL.*) [2]; velut certum enim Paulus supponit, aliquos in adventu Christi mortali

desiderato corpore glorioso est ipsa gloria, quae est superindumentum, ideo Paulus ab appetitu superinduendi (ut tantum doctorem decet) subtiliter scientiam nostram habendi coeleste domicilium probavit ».

1. Ex. gr. οἱ πιστεύσαντες (*Act.* 4,32; 1 *Thess.* 1,10 etc.) sunt ii qui credere inceperunt et nunc credunt, sicut oi πεπιστευκότες (*Act.* 19,18; *Tit.* 3,18 etc.); οἱ πεσόντες qui ceciderunt et nunc iacent (Rom. 11,22); ὁ ἀποθανών qui mortem obiit et nunc mortuus est (*Rom.* 6,7; *Hebr.* 11,4) etc. Haud magna sensus fuisset differentia, si Apostolus (*Eph.* 6,14 sqq.) pro participiis aor. (περιζωσάμενοι. ἐνδυσάμενοι, ὑποδησάμενοι etc.) participia perf. adhibuisset; statum enim describit, in quo fideles stare debent.

2. Iuxta plerosque particulae εἴγε et εἴπερ ita differunt, ut prior adhibeatur « de re, quae

corpore vestitos inventum iri, ac primam pers. plur. adhibens (εὑρεθησόμεθα inventi fuerimus) « eorum personam in se atque illos, qui tunc vivebant, transfigurat » (*S. Aug.*), sicut supra (4,14) personam eorum, qui adveniente Christo resurgent, in se aequalesque suos transfiguravit; aeque parum autem hic docere voluit, se tempore adventus Christi superstitem fore, atque illic docere voluit, se tempore isto mortuum fore.

Praeter *S. Cyr. Alex.*, quem explicationem a nobis praelatam tenuisse diximus, reliqui Graeci de diversa sorte iustorum et peccatorum resurgentium sermonem esse volunt, quia resurrectio quidem, sed non gloria futura sit communis : « ne igitur omnes ob resurrectionem confidant, ait : *si tamen vestiti* i. e. incorruptibilitatem et immortale corpus consecuti, at *non nudi* gloria et securitate inveniamur » (*Chrys.* cfr *Theod. Dam. Theoph.*). Sed quomodo haec explicatio cum praecedentibus et sequentibus cohaereat, non dicunt, ac multo minus indicant, quod *super*indumentum desiderare possint ii, qui iam gloria vestiti inveniantur, aut a quo istam gloriam, quam ante adventum Christi iam habere supponuntur, acceperint. Ab eorum sententia haud longe discedit *Ater*, quem cum *Gl ord.* pauci sequuntur; explicat enim : « hoc ergo desiderantes insistunt precibus, ne resurgentes recepto utique corpore nudi, i. e. alieni a promissa gloria inveniantur »; longius tamen, quam Graeci, a vero aberrat, quia sententiam hypotheticam (*si* quidem inveniamur) in finalem (*ne* inveniamur) pervertit. *Pel.*, quem cum *Gl int.* complures sequuntur (*Haym. Herv.* etc., *Salm.* etc. — *Calv. Calov. Olsh. Goeb.* etc.), de spirituali veste gratiae vel bonorum operum, qua induti esse debeamus, verba intelligit; quam expositionem intentioni Apostoli non convenire, *Thom.* iam recte monuit, siquidem vestem gratiae omnes electi possidere debent, iuxta Paulum autem non omnes electi *super*induentur. Moderni quoque in diversissimas ac haud raro absurdissimas sententias abeunt. Iuxta aliquos Apostolus supponit mortuos quoque non omni corpore esse privatos atque vivos mortuosque adveniente Christo *super*indutum iri docet, quia et vivi et mortui aliquo corpore induti inveniantur (*Bisp.*); a qua absurda opinione *Dr.* quoque, nisi omnia nos fallunt, haud longe abest (« nous désirons notre vêtement ou corps glorieux, parce que nous sommes par notre nature des êtres non pas nus de toute substance corporelle, mais recouverts, quant à notre âme, d'un corps comme d'un vêtement »); ceterum clarum est, Apostolum hic de natura animae, quae ut cum corpore uniretur creata est, non agere sed de statu, in quo adveniente Christo *inventa* fuerit. Alii verba *superinduere* et *induere* sensu differre negantes atque etiam in *v.* 3. Paulum de glorioso corpore loqui supponentes explicant : « desideramus novum corpus induere, siquidem illo indutis timendum non est, ne umquam nudi inveniantur » (*Weizs. Heinr.* etc.), aut etiam : « novum corpus induere cupimus, siquidem etiam illo induti iam non amplius erimus nudi » (*Fr.*), ad quam alteram explicationem ii quoque prope accedunt, iuxta quos Paulus *v.* 3. suam persua-

iure sumta creditur », i. q. *si quidem*, « altera de re, quae esse sumitur, sed in incerto relinquitur, utrum iure an iniuria sumatur », i. q. *si modo* (*Herm.* ad Viger. p. 834). Alii tamen hanc differentiam agnoscere nolunt (cfr *Wetzel* in Stud. u. Krit. 1886. p. 319 sqq.) statuuntque « εἴγε et εἴπερ, aeque ac εἰ sine his encliticis, triplici usu supponendi, argumentandi, concedendi pollere » (*Reiche* Comm. crit. I. p. 353). Quidquid de hac philologorum controversia est, prioris quoque sententiae patroni concedant necesse est, particulam εἴπερ de re certissima interdum adhiberi; profecto Paulus (2 *Thess.* 1,6) in incerto relinquere noluit, utrum iustus Deus persecutores neophytorum puniturus neophytosque remuneraturus esset, necne; similiter *Rom.* 3,30 lectionem εἴπερ meliores omnes codd. tuentur etc.

sionem exprimit, corpus gloriosum revera corpus aliquod esse (*de W. Lechl.* etc.). Quibus omnibus, utpote absonis atque a Pauli mente longe aberrantibus, sententiis refellendis inhaerere opus non est.

Alteram lectionem (εἴγε vel εἴπερ καὶ ἐκδυσάμενοι οὐ γυμνοὶ εὑρεθησόμεθα, siquidem, vel si tamen, *exspoliati* non nudi inveniamur) pauci antiquiores Latini ita sunt secuti, ut prius membrum (exspoliati) de corpore mortali, alterum (nudi) de anima virtutibus carente explicarent : « si exspoliati corpore non nudi inveniamur ab opere » (*S. Paulin. Ater*[2], *Prim.*); unus alterve modernus (*Bisp.* etc.) eam teneri posse putavit, quatenus suum errorem de corpore, quo anima etiam post mortem ante resurrectionem induta esset, illa confirmari putaret : « siquidem hoc praesente quidem corpore privati sed non omni corpore destituti inveniamur ». Attamen lectio haec, quum sufficiente testium auctoritate non sit munita, iure merito ab omnibus criticis modernis respuitur (cfr *Lachm. Tisch. Treg. W H.*).

Persuasissimum igitur B. Paulus habebat, non tantum continuis tribulationibus sese ad mercedem eximiam esse perventurum (4,17 sq.), sed sibi etiam, sive corpus eius ante adventum Domini destrueretur sive vivus a Domino adveniente inveniretur, immortale corpus non defuturum, quo aut indueretur aut superindueretur (5,1 sqq.). Qua ex persuasione fiducia et fortitudo exoriebatur, qua ipse sociique eius omnes tribulationes perferebant; at illa corporis gloria non nisi in secundo Christi adventu obtinebitur, ita ut interim mors, quum anima exspoliari nolit, terrorem suum retinere videatur. Hanc ob causam Apostolus expositioni suae novum momentum addit, quo clarum redditur, cur operarii apostolici (et omnes Christiani) etiam ante Domini adventum mortem subire non vereantur, immo eam sibi exoptent : 6. *audentes* (θαῤῥοῦντες confidentes) *igitur semper* (et) *scientes*, *quoniam dum sumus* (ἐνδημοῦντες habitamus) *in corpore peregrinamur* (ἐκδημοῦμεν exsulamus) *a Domino* — 7. *per fidem enim ambulamus et non per speciem* — : 8. *audemus* (θαῤῥοῦμεν confidimus) *autem et bonam voluntatem habemus* (εὐδοκοῦμεν delectamur) *magis peregrinari* (ἐκδημῆσαι exsulare) *a corpore et praesentes esse* (ἐνδημῆσαι habitare) *ad Dominum.*

De latina versione et constructione harum sententiarum pauca praemoneamus oportet. A *Vulgatae* interprete nonnulla verba non satis accurate sunt reddita. Etenim θαῤῥεῖν (cuius verbi antiquior forma θαρσεῖν in Evang. et Act. adhibetur) non tam est *audere*, quam *bono animo esse* vel *fidere* aut *confidere*, uti plerumque in Vulg. (cfr 7,16; 10,1; *Matth.* 9,2. 22; *Marc.* 6,50 etc.) et ab antiqua versione etiam hoc in loco (*Tert.* de res. carn. 43; *Ater*) redditur. Raro est i. q. *audacem esse* (cfr 10,2), quam significationem *Thom.* hoc in loco verbo *audere* attribuere videtur (« audere proprie est immiscere se in pericula mortis »). — Porro εὐδοκεῖν proprie est *in aliqua re sibi complacere* vel *placere* (cfr *Matth.* 3,17. etc.; *Rom.* 15,27), eam *appro-*

bare (*Rom.* 15,26), *ea delectari* sibique eam optare (*cupide velle* 1 *Thess.* 2,8); atque haec significatio nostro loco convenit : τὸ γὰρ εὐδοκοῦμεν ἀντὶ τοῦ ἐπιποθοῦμεν (*Chrys.*); a *Tert.* haud male hic redditur *boni ducere*, ab *A^ter* minus apte : *consentire.* — Verba demum ἐνδημεῖν (in populo suo vel in patria sua versari, *domi esse*) et ἐκδημεῖν (extra populum vel patriam versari, *exsulare*) a Latinis unc vocabulo plene reddi vix queunt; at *Vulg.* (et *A^ter*), quum eodem in contextu idem verbum variis vocabulis exprimerent, locum obscurarunt potius quam illustrarunt. A *Tert.* verbum ἐνδημεῖν semper redditur *immorari* et ἐκδημεῖν ei est *peregrinari;* equidem, ut de patria sermonem esse significetur, secundum vertere malo *exsulare*, atque primum reddo *habitare*, quia accuratior versio *domi esse* constructioni difficile accommodatur.

Contra antiquiores plerosque et modernos nonnullos, qui participia θαῤῥοῦντες καὶ εἰδότες (confidentes et scientes) pro verbis finitis (confidimus et scimus) adhibita esse censent (*Herv.* etc., *Cai. Nat.* etc., *M Ev.* etc. — *Luth. Wolf.* etc., *Fl.* etc.), moderni plurimi praeeunte iam *Thom.*, qui sententiam *v.* 6 suspensivam esse dixit, i. e. non completam, constructionem trium versuum anacoluthicam esse recte monent (cfr *Est. Pic.* etc., *Mai. Bisp.* etc. — *Mey. Heinr.* etc.). Apostolus enim procul dubio scribere voluit: θαῤῥοῦντες οὖν πάντοτε καὶ εἰδότες, ὅτι ἐνδημοῦντες ἐν τῷ σώματι ἐκδημοῦμεν ἀπὸ Κυρίου, εὐδοκοῦμεν μᾶλλον ἐκδημῆσαι ἀπὸ τοῦ σώματος κτλ. (confidentes igitur semper et scientes, quod habitantes in corpore exsulamus a Domino, exoptamus magis exsulare a corpore et habitare ad Dominum); attamen quum explicare vellet, cur in corpore habitantes a Domino exsulemus, inserta explicatione (*v.* 7.) sententiam inchoatam non complevit, sed constructione mutata eam resumsit et terminavit (*v.* 8). Verbum θαῤῥοῦμεν (*confidimus v.* 8) ergo praecedenti participio θαῤῥοῦντες (*confidentes v.* 6) respondet et particula δέ (autem *v.* 8.) hic non est adversativa, sed, uti saepius, sententiam parenthesi interruptam resumit continuatque (cfr *Herm.* ad Viger. p. 844 sq.). Quibus praemissis ad explicationem revertimur.

Duabus fiduciae suae causis, quas exposuit (4,17 sq.; 5,1 sqq.) et ad quas respicit (confidentes *igitur*), Apostolus, ut diximus, nunc tertiam addit, quae morti, quam tribulationes forte ante Domini adventum afferunt, omnem amaritudinem adimit, quin etiam efficit, ut mori desideremus : *scientes quod habitantes in corpore* (mortali) *exsulamus a Domino.* Haud sine ratione imaginem iterum mutavit; sicut supra domui, quam anima incolit, et vesti, qua induta est, corpus assimilavit, ita nunc patriae, quam hac in terra inhabitat anima, illud comparat, ut ei alteram et veram patriam opponere possit, in qua Christus glorificatus inhabitat et anima iusta, quamprimum terrestrem patriam reliquerit, inhabitabit (cfr *Phil.* 3,20; *Hebr.* 11,13 sqq. etc.). Duas ergo patrias iuxta Apostolum habemus, terrestrem et coelestem, sed eas eodem tempore inhabitare nequimus : qui enim in corpore mortali inhabitat, a patria sua coelesti exsulat ideoque longe

abest a Domino. At nonne hac quoque in terra degentes iusti prope Dominum sunt? Hanc obiectionem praecavens (cfr *Chrys.* etc.) Apostolus explicat, qua ratione hac in terra nondum simus cum Domino : *per fidem enim ambulamus* (*et*) *non per speciem*. Simili modo, quo alibi visioni per speculum in aenigmate visionem facie ad faciem (1 *Cor*. 13, 12), hic ambulationi per fidem ambulationem per speciem[1], i. e. mediatae et obscurae rerum aeternarum cognitioni, quam fides praebet, immediatam visionem et fruitionem, quam earum praesentia praebet, inter se opponit. In hac sententiae explicatione omnes cath. et plerique acath. interpretes recte consentiunt, licet nonnulli in uno alterove vocabulo interpretando a vero aberrare videantur. Parum recte enim haud pauci vocabulum εἶδος (*species*) idem quod ὄψις (visio, aspectus) esse putant (*Herv. Thom.*[2] etc., *Iust.* etc., *Mai. Bisp.* etc. — *Luth. Wolf.* etc.), neque accuratius illud « propriam rei naturam vel essentiam » designare alii volunt (*Cai. Est. Lap.* etc.); nam hae significationes vocabulo non competunt, quod in Novo Test. semper de sola visibili rerum forma usurpatur (cfr *Ioan.* 5,37; *Luc.* 3, 22; 9,29; 1 *Thess.* 5,22); quare optime iam *S. Aug.* (serm. 27,5) : « haec erit species, quando faciet, quod dixit : Ostendam me ipsum illi ». Parum accurate quoque antiquiores plerique praepositioni διά (*per*) sensum instrumentalem (διὰ πίστεως per fidem i. e. fide duce tendimus ad patriam cfr *Thom. Est.* etc.) attribuunt, nam hic praepositionis usus ad genuinum sensum vocabuli εἶδος non quadrat; tropice autem, uti saepe, de conditione est adhibita, in qua positus aliquis agit et *per* quam quasi transit (cfr ad 3,11); melius igitur *S. Aug.* (l. c.) de « tempore speciei », quod « fidei tempus » sequatur, verba intelligit. Itaque anima, quamdiu in corpore mortali inhabitat, in tempore (vel regno) fidei commoratur, in quo res aeternae, quum non videantur (4,18), sola fide apprehenduntur et tenentur; ex corpore autem egrediens in tempus (vel regnum) speciei intrat, in quo media inter res aeternas conversabitur earumque formis visibilibus

1. Iuxta Est. sententia haec est imperfecta : « non enim *ambulatur* per speciem, nam vita futura non via est, per quam ambuletur, sed terminus in quo stetur; supplendum igitur est : non per speciem *stamus* vel cognoscimus aut videmus aut quid simile ». Quae haud recte dicuntur : quod si enim S. Ioannes beatos *ambulare in luce* dixit (*Apoc.* 21,24), Paulus eos *per speciem ambulare* dicere potuit. Porro Apostolus de comprehensoribus directe non loquitur, sed de nobis viatoribus; ac demum *Est.* ad metaphoricum verbi περιπατεῖν (ambulare) usum non attendit; haud raro enim περιπατεῖν (sicut hebr. הָלַךְ) idem est quod *vivere*, sc. aut certam vitae rationem sequi (*Rom.* 13,13 etc.) aut vitam transigere (10,3 etc.).

2. Sed cfr *S. Thom.* Summ. theol. II. 2. qu. 28. a. 1. ad 1., ubi rectius explicat : « per speciei visionem ».

quasi circumfusa aspectu earum fruetur; « neque enim, inquit *Aug.* (de Trin. XIV. 2), iam fides erit, qua credantur quae non videantur, sed species, qua videantur quae (antea) credebantur ».

De cuius rei specie Paulus loquatur, plerique non inquirunt, sed sententiam de intuitiva Dei ipsius visione ita interpretantur, ut eis « habitare ad Dominum » idem quod « Deum per essentiam videre » esse videatur (cfr *Chrys.* etc., *A^ter*, *Thom.* etc.). Quae interpretatio, etsi ex hoc loco intuitivam visionem Dei aliquo modo colligi posse concedimus, non satis est accurata. Proxime enim de Christo loquitur Paulus, cuius gloriam hoc in corpore mortali constituti credimus, ex corpore egressi videbimus; nam nomine *Domini*, a quo nunc exsulare dicimur, Christum intelligi contextus (cfr *v.* 10) et loci paralleti (cfr *Phil.* 1,23 etc.) docent. At qui a corpore liberati cum Christo glorificato patriam coelestem incolunt, ii pro rata sua parte bonis quoque illis fruentur, quibus eorum caput, Christus, fruetur; inter ea vero bona ita eminet visio Dei immediata, ut essentialem beatitudinem constituat (cfr *Est.* etc.).

Iamvero nova haec consideratio, quod egredientes ex corpore mortali non amplius exsulent a Domino, operariorum fiduciam auget efficitque, ut ipsam mortem, quamvis natura ab illa refugiat iustique quoque supervestiri potius quam exspoliari per se desiderent, non iam timeant, sed sibi exoptent. Id docet Apostolus sententiam (*v.* 6) parenthetica explicatione (*v.* 7) interruptam resumens et complens : *confidimus autem et exoptamus magis exsulare a corpore et habitare ad Dominum.* « Hoc autem, inquit *Chrys.*, vult significare : Vitam nostram is non exstinguit, qui nos oppugnat et occidit; noli timere sed confide, si morte afficeris; neque enim ille dumtaxat te a corruptione vindicat et a gravi sarcina liberat, sed etiam ad Dominum *confestim* (ταχέως) transmittit... Vide quo sermonem adduxerit, nempe ad mortis desiderium, id quod molestum est ostendens esse suave et id quod suave est docens esse molestum ». Iure merito autem contra iuniores Graecos aliosque haereticos ex his verbis colligimus, iustos statim post mortem ad aeternam beatitudinem intuitivamque Dei visionem pervenire : « confutatur, inquit *Thom.*, per haec verba error dicentium, animas sanctorum non statim post mortem deduci ad visionem Dei eiusque praesentiam; nam frustra sancti auderent ac desiderarent peregrinari a corpore, si separati a corpore non essent praesentes ad Dominum » (cfr *Phil.* 1,23; 1 *Thess.* 5,10 ;2 *Tim.* 4,6).

Quia vero neque illi, qui Domino adveniente superstites erunt, gloria supervestiri, neque illi, qui ante eius adventum mortui erunt, ad Dominum habitare gloriosumque corpus eo adveniente induere

queunt, nisi ei utpote supremo suo iudici accepti probatique sint, 9. *et ideo* (lege : *ideo et* διὸ καὶ) *contendimus* (ambimus vel summo studio annitimur φιλοτιμούμεθα) *sive absentes sive praesentes* (vel ordine inverso iuxta graecum : εἴτε ἐνδημοῦντες εἴτε ἐκδημοῦντες sive inhabitantes sive exsulantes) *placere illi* (εὐάρεστοι αὐτῷ εἶναι valde illi esse accepti). Utrum ad participia *inhabitantes* et *exsulantes* ex superioribus suppleamus *in corpore* et *a corpore*, an *ad Dominum* et *a Domino*, per se nihil interest; nam imagini suae inhaerens Paulus his appellationibus vivos et mortuos distinxit, eique *inhabitans in corpore* idem est qui *exsulans a Domino* (vivus) et *exsulans a corpore* idem qui *habitans ad Dominum* (mortuus). Moderni tamen plerique, quum graecum participiorum ordinem praeferant, supplere malunt *in corpore* et *a corpore*, idque haud inepte, quia vivi mortuis rectius praemittuntur et expressione *habitare ad Dominum* merces iam accepta connotari videtur (cfr *Iust. Est. Pic.* etc., *Bisp.* etc. — *Kl Br.* etc.). Maioris momenti est quaestio, utrum participia cum verbo finito (φιλοτιμούμεθα *contendimus*) an cum infinitivo (εὐάρεστοι εἶναι *placere*) sint coniungenda. Inter antiquiores et modernos nonnulli illa cum verbo finito coniungere malunt; sed quia mortui non amplius, ut Domino placeant, contendere possunt, participiis alteram significationem attribuere coacti sunt. Antiquiores igitur participium *praesentes* idem esse dixerunt quod *praesentati* sc. divino iudicio, « in quo ad ea, quae contra nos proferent diaboli, respondere cogemur » (*Gl int. Dion.* etc.); moderni autem participium ἐκδημοῦντες sensu emigrandi sumserunt (sive in corpore inhabitantes, i. e. vivi, sive e corpore emigrantes, i. e. *morientes*, contendimus, ut illi placeamus) sententiamque de morte propter Christum alacriter subeunda explicant (*Mai.* etc. — *Heinr.* etc.). Verum quamvis haec modernorum explicatio per se nobis haud displiceat, a communiore sententia, iuxta quam participia ad infinitivum trahuntur, non recedendum esse arbitramur, quia eodem in contextu iisdem vocabulis, praesertim si rarioris sunt usus et ab auctore studiose electa et retenta, varias significationes attribuere non licet. Porro inter eos, qui participia cum infinitivo connectunt, longe plerique sententiam explicant : « contendimus, ut et in hac vita et in altera Domino placeamus », monentque nos illi in altera vita haud dubie placituros, si hac in terra illi placuerimus (*Chrys. Theod.* etc., *A^ter Herv.* etc., *Est. Iust.* etc., *M Ev.* etc. — *Grot. Wolf.* etc.). Quod monitum verissimum quidem est, sed etiam, opinor, ostendit, Paulo nullam fuisse rationem, cur disiunctionem plane superfluam hic adderet. Itaque ad totum con-

textum attendentes et maxime ad *v.* 10. prospicientes Apostolum de illo tempore loqui censemus, quo Dominus ad iudicium agendum adveniens alios superstites alios vita functos reperturus vivorumque et mortuorum iudicium acturus est; atque sensus erit : « summo studio annitimur, ut Domino probati acceptique simus, sive in corpore inhabitantes (vivi) sive ab eo exsulantes (mortui) a iudice nostro inveniemur » (cfr *Bisp.* etc. — *Goeb.* etc.).

Hac ratione si verba explicaverimus, sequens sententia optime adnectitur : 10. *omnes enim nos* (sive vivi sive mortui inveniamur) *manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis* (lege : *ea quae per corpus* sc. peracta sunt, τὰ διὰ τοῦ σώματος,) *prout gessit sive bonum sive malum.* Magna cum emphasi scilicet duas classes, quas in praecedente versu distinxerat, Paulus suo *omnes nos* praemisso hic complectitur. Christus enim a Deo constitutus est iudex vivorum et mortuorum (*Act.* 10,42); ideo ante eius tribunal non tantum omnes comparere (*Rom.* 14,10) sed etiam manifestari oportet; occulta enim hominum Deus per Iesum Christum iudicabit (*Rom.* 2,16), qui adveniens illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium (1 *Cor.* 4,5). Cuius manifestationis finis est, *ut referat* (ἵνα κομίσηται) unusquisque *propria corporis*, vel potius *ea quae per corpus* gesta sunt, quatenus nimirum haec cum praemiis poenisve aequalibus compensantur. Neque tantum in genere benefactis praemium, malefactis poena rependitur, sed normam quoque mensuramque praemii et poenae constituent ipsae actiones; *prout gessit* enim (πρὸς ἃ ἔπραξεν iuxta ea quae fecit) suam quisque mercedem (*bonum*) aut suam poenam (*malum*) recipiet (cfr *Eph.* 6,8; *Col.* 3,25); « iustus enim quum sit, iudex pro iis quae in vita sunt gesta convenientem remunerationem (καταλλήλους τὰς ἀντιδόσεις) rependet » (*Theod.* — cfr ad 1 *Cor.* 3,8).

Quamvis Pauli verba clara sint, maioris tamen elucidationis gratia nonnulla videntur addenda.

1. Dubium non est, quin de universali iudicio sit sermo, quando Filius hominis in gloria Patris cum angelis suis venturus et unicuique secundum opera eius redditurus est (*Matth.* 26,27). Nihilominus illud *omnes* ab antiquioribus praeeunte *S. Aug.* (ad Vit. ep. 217,5; cfr ***Gl ord. Haym. Herv.*** etc., ***Est. Nat.*** etc.) haud recte ita urgetur, ut pueros quoque, qui usum rationis numquam habuerunt, comprehendere dicatur. Intimus enim huius sententiae cum praecedente nexus satis docet, de illis solis agi, qui contendere potuerunt ac debuerunt, ut Christo placerent; ipso contextu igitur *omnes*, qui ante tribunal Christi manifestari et iudicari dicuntur, sunt soli adulti. Neque sufficit *S. Aug.* responsio, pueros « non per se ipsos

sed per illos gessisse, quibus pro illis respondentibus renuntiare diabolo et credere dicantur »; nam nimis violentus est ille dicendi modus,ut ea gessisse aliquis dicatur, quae ipso inscio ab aliis circa ipsum geruntur. Neque minus violenta est *Estii*, cui Augustini solutio non probatur, responsio, appellatione eorum, quae aliquis gessit, etiam comprehendi « habitus bonos vel malos, aut si quid habitibus simile sit voluntati dominans, ita nimirum, ut secundum illud operatura sit voluntas, si rationis usus accedat et nihil impediat; tale esse peccatum originale qui sit habitus quidam pravus, et tales esse habitus fidei spei caritatis in baptismo infusos ». At nec peccatum originale est habitus, nec ullo modo nomine eorum, quae aliquis *gessit*, habitus illos comprehendere licet, ad quos acquirendos homo nihil omnino contulit. Dicamus igitur cum *S. Thom.* (Summ. theol. Suppl. qu. 89. a. 5. ad 3) pueros in iudicio comparituros, « non ut iudicentur, sed ut videant gloriam iudicis » et in eorum quoque sorte quum misericordia tum iustitia Dei patefiat.

2. Haud plane recte nonnulli moderni (cfr *Dr. Ramb.* — *Kl Br. Mey.* etc.) *propria corporis* vel iuxta meliorem lectionem graecam (cfr *VV. LL.*) *ea quae per corpus* sc. gesta sunt (τὰ διὰ τοῦ σώματος) cum *Tert.* (de resur. carn. 43) ita explicant, ut corpus intelligant instrumentum, quo homo hac in terra operatus sit. Quamvis enim verum sit, animam hac in terra nihil nisi corpore concurrente agere, omnes tamen nostrae actiones *per* corpus fieri vix recte dicuntur. Cum communiore igitur sententia recte iam *S. Aug.*: « Cur autem dictum est, *secundum ea quae per corpus gessit* hominem iudicandum, quum gerantur multa solo animo, non per corpus nec per ullum corporis membrum? Quid est ergo *secundum ea quae per corpus gessit*, nisi secundum ea, quae gessit eo tempore, quo in corpore fuit, ut *per corpus* intelligamus *per corporis tempus?* Post corpus autem nemo erit in corpore nisi resurrectione novissima, non ad ulla merita comparanda sed ad recipienda pro bonis meritis praemia, pro malis luenda supplicia » (De praed. sanct. 12; ad Vit. ep. 217,5 etc.). Quibuscum consentiens *Theod.* aliique Graeci τὰ διὰ τοῦ σώματος dicunt τὰ βεβιωμένα (ea quae in vita sunt gesta); revera praepositio διὰ hoc in loco iterum de statu, in quo aliquis positus agit, adhibita est (cfr ad *v.* 7.) atque τὰ διὰ τοῦ σώματος sunt ea quae in statu corporis, i. e. in mortali hac vita, sunt gesta.

3. Ex eo autem, quod unusquisque secundum ea, quae in vita ipse egerit, praemia poenasve relaturus dicatur, minime sequitur, aliorum suffragia nobis mortuis non profutura. S. Paulino Nol., qui quomodo verba nostra cum doctrina de precibus pro mortuis faciendis concilianda essent non intellexit, *S. Aug.* (de cura pro mort. ad Paulin. 1; Enchir. 110 etc.) iam respondit: « Non igitur ista, quae pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi apostolicae adversa sunt sententiae, qua dictum est: omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque ea quae per corpus gessit; quia etiam hoc meritum sibi quisque, dum in corpore viveret, comparavit, ut ei possint illa prodesse. Non enim omnibus prosunt,

et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitae, quam quisque gessit in corpore? »

2. *De causa, qua ad munus exercendum Paulus impellatur* (5,11-6,10).

Ad novam pericopen transiturus Apostolus se hanc apologiam non eo fine scribere praemonet, ut se ipsum commendet (cfr 3,1), sed ut fideles habeant, quid ipsius calumniatoribus opponant, quum omnia ad Deum eorumque utilitatem referat (5,11-13). Post quae caritate Christi pro omnibus morientis, ut omnes peccato mortui Domino vivant, apostolicos operarios ita impelli et dirigi ostendit, ut in nova sua vita per Christum accepta tamquam eius vicarii munus reconciliationis exerceant (5,14-21), atque qua ratione caritate hac Christi impulsi sese dignos Dei ministros reddere studeant, uberius exponit (6,1-10).

1.) *Quid in hac scribenda defensione intendat* (5,11-13).

5,11. Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem et in conscientiis vestris manifestos nos esse. 12. Non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus gloriandi pro nobis, ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, et non in corde. 13. Sive enim mente excedimus, Deo : sive sobrii simus, vobis.

5,11. Εἰδότες οὖν τὸν φόβον τοῦ Κυρίου ἀνθρώποις πείθομεν, Θεῷ δὲ πεφανερώμεθα· ἐλπίζω δὲ καὶ ἐν ταῖς συνειδήσεσιν ὑμῶν πεφανερῶσθαι. 12. οὐ πάλιν ἑαυτοὺς συνιστάνομεν ὑμῖν, ἀλλὰ ἀφορμὴν διδόντες ὑμῖν καυχήματος ὑπὲρ ὑμῶν, ἵνα ἔχητε πρὸς τοὺς ἐν προσώπῳ καυχωμένους καὶ μὴ ἐν καρδίᾳ. 13. εἴτε γὰρ ἐξέστημεν, Θεῷ· εἴτε σωφρονοῦμεν, ὑμῖν [1].

Id unum ergo Paulus in apostolici muneris exercitio sibi proponit, ut Christo supremo iudici placeat, a quo omnes homines omnium suarum actionum debitam mercedem aut poenam esse recepturos scit. Iamvero eiusdem quoque iudicii memor suam agendi rationem, quae Deo quidem manifesta sit quamque etiam neophytis cognitam esse confidat, ab adversariorum calumniis vindicare studet : **11.** *scientes ergo timorem Domini hominibus suademus; Deo autem manifesti sumus; spero autem et in conscientiis vestris manifestos nos*

1. ***VV. LL.*** — 12. οὐ πάλιν (*non iterum*) sine particula causali B ℵ C D F G, pauci minusc., *It.* (*A*[ter] etc.), *Vulg. Syr. Copt. Arm. Goth.*; minus recte *textus rec.* : οὐ γὰρ πάλιν (non *enim* iterum) cum E K L et plerisque minusc. — ὑπὲρ ὑμῶν (pro *vobis*) B ℵ cum *Aeth.*; videtur esse mendosa lectio pro ὑπὲρ ἡμῶν (*pro nobis*), quam reliqui testes tuentur. — ἐν καρδίᾳ (*in corde*) B ℵ D F G, pauci minusc., sed *omnes* versiones; sensu vix mutato praepositio ἐν omittitur a *textu rec.* cum C E K L P et plerisque minusc.

esse. Duae huius sententiae expressiones difficultatem quandam creant; neque enim quid nomine *timoris Domini* hic intelligatur, satis apparet, neque quam rem Apostolus se hominibus suadere asserat, interpretes consentiunt. *Timor Domini* in Scripturis illa virtus fere semper appellatur, qua homo ob iusta Dei iudicia a divina lege violanda retinetur ad eamque perfecte observandam movetur (7,1; *Rom*. 3,18 etc.); atque eodem sensu expressionem hoc in loco cum *Thom*. (« scientes quam pure et caste timendus sit Dominus ») nonnulli moderni explicant (*Mai*. — *Heinr*. *Goeb*. etc.). At si de hac virtute, quae initium et corona sapientiae appellatur (*Eccli*. 1,16.22), loqui voluisset, Paulus se eam *habere* rectius quam se eam *scire* dixisset. *Timor* (φόβος) autem in Scripturis illud quoque interdum significat, quod metum producit ipsumque timeatur oportet (cfr *Gen*. 31,42,53; *Ps*. 30,12; *Rom*. 13,3), ita ut *timor Domini* (ὁ φόβος τοῦ Κυρίου i. q. τὸ φοβερὸν τοῦ Κυρίου) terribile iudicium, quod Dominus aliquando exercebit, designare possit. Hanc explicationem velut contextui magis consonam cum antiquis Graecis (*Chrys*. *Theod*. etc.) Latinisque (*A^ter Pel*.) iuniores tantum non omnes (*Haym*. *Herv*. etc., *Iust*. *Est*. *Pic*. etc.) et moderni plerique (*Bisp*. *M Ev*. *L R*. etc.) iure merito praeferunt. Quum igitur severum iudicium, in quo omnium actionum ratio reddenda est, animo eius obversetur, Apostolus hominibus suadet; sed quid suadet? Latini antiqui omnes (*A^ter Pel*. *Prim*. etc., *Haym*. *Herv*. *Lomb*. *Thom*. etc.) consentientibus nonnullis iunioribus et modernis (*Iust*. *Nat*. etc., *All*.) respondent; « ut sibi caveant », vel « ut timeant et credant », vel « ut Evangelium recipiant ». Sed haec responsio a contextu videtur aberrare, neque cum iis, quae immediate sequuntur (Deo autem manifesti sumus etc.) apte connectuntur. Quapropter Graecorum explicationem cum plerisque iunioribus et modernis (cfr *Est*. *Iust*. *Pic*. etc., *M Ev*. *Bisp*. *Mai*. etc.) praeferimus, qui Paulum de studio loqui censent, quo ad scandalum omne evitandum sinceritatem integritatemque suam adversariis persuadere conatur [1]. « Haec igitur scientes, tremendum sc. illud iudicium, omnem operam adhibemus, ne ullam demus offendiculum aut falsam ullam adversus nos malae actionis suspicionem » (*Chrys*.), atque « eos qui

1. Ad eundem fere sensum pervenitur, si verbo πείθειν (*persuadere*) eadem significatio, quam *Gal*. 1,10 habet, attribuitur, ut sit idem, quod aliquem ad suas partes trahere eiusque favorem sibi conciliare velle. Attendatur autem oportet, pro diverso contextu hanc verbi πείθειν significationem aut in bonam aut in malam partem cedere : etenim *Gal*. 1,10 de illo favore hominum est sermo, qui divino cum favore conciliari nequit, ideoque Paulus se hominibus suadere ibi negat; at hoc in loco de favore hominum agitur, qui Deo probatur; ad suas enim partes Apostolus adversarios trahere studet, ut in suo iudicio cum iudicio Dei, cui manifestus est, consentiant.

de nobis falsas habent opiniones, corrigere conamur et quomodo se nostrae res habeant docere » (*Theod.*). Revera nexus huius sententiae cum praecedentibus (*vv.* 9.10), ex quibus velut conclusio deducitur (scientes *igitur*), postulat, ut obiectum verbi *persuademus* (πείθομεν) ex iis desumamus : « persuademus hominibus, nos contendere ut placeamus Christo iudici »; atque nexus cum sequentibus postulat, ut Apostolum de adversariis, quibus sinceritatem suam persuadere velit, cogitasse dicamus; Deo enim illam persuadere opus non est, quia ei manifesta est; neque neophytis eam probare vult, quia iure sperat, eam illis quoque manifestam esse. Cur vero ob iudicii timorem falsas adversariorum suspiciones removere velit, bene explicat *Chrys.* : « neque enim tum solum rei sumus, quando aliquid mali perpetravimus, sed etiam poenas subituri sumus, quum nullo peccato commisso in suspicionem veniamus eamque removere, quamvis liceat, negligamus », quatenus nimirum aliquis tali suspicione impeditur, ne munere sibi commisso rite ac fructuose fungatur.

Ne quis vero ad superbiae calumniam confirmandam his verbis abutatur (cfr ad 3,1), Paulus quo fine suam apologiam scribat exponit : 12. *non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis, ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur et non in corde.* Latinus interpres, ut leve graeci textus anacoluthum removeret, in secundo membro participium (ἀλλὰ ἀφορμὴν διδόντες) verbo finito (sed occasionem *damus*) satis accurate reddidit; ita enim graecum participium est adhibitum, ac si in priore membro scriptum sit : οὐ γράφομεν ταῦτα πάλιν ἑαυτοὺς συνιστάνοντες ὑμῖν, ἀλλὰ ἀφορμὴν διδόντες κτλ (non scribimus haec iterum nos commendantes vobis, sed occasionem dantes etc.). Recte quoque ab interprete graecum ἀφορμὴ καυχήματος vertitur « occasio *gloriandi* »; quidquid enim contradicunt nonnulli moderni (*Mey. Goeb.*), καύχημα, etsi plerumque id, de quo gloriatur aliquis, significet, aliquoties tamen eodem sensu, quo καύχησις, de actu gloriandi sumitur (9,3; 1 *Cor.* 5,6; *Phil.* 1,26). Sese ipse igitur commendare non vult, sed haec scribit, ut Corinthii de ipso velut de sincero operario apostolico gloriari ipsiusque rationem agendi pseudapostolis opponere possint : *ut habeatis* (quae respondeatis) *ad eos qui in facie gloriantur et non in corde*, i. e. qui speciem quidem virtutum apostolicarum prae se ferunt, at iis destituti sunt. Interroganti quid significet *in facie*, respondet *Chrys.* : « in iis, quae oculis cernuntur et ad ostentationem inserviunt; tales enim pseudapostoli erant, ut ad gloriam honoremque omnes suas actiones referrent intusque inanes essent, ac larvam pie-

tatis gerentes bonis actionibus carerent ». Velut hypocritas pseudapostolos describi *Theod.* quoque censet (« qui veste duplici induti alia sentiunt, alia loquuntur »); minus recte alii volunt, eos tamquam viros describi, qui de humana sua sapientia, genere suo abrahamitico, amicitia sua cum primis Apostolis etc. glorientur; nam haec omnia in textum ingeruntur.

Porro « de nobis potestis gloriari, quia quidquid agimus, vel honor Dei est, vel utilitas proximi » (*Herv.*) : 13. *sive enim mente excedimus* (rectius : *excessimus* ἐξέστημεν cfr *S. Aug.* in Ps. 30. serm. 1,2; in Ps. 103. serm. 3,7; in Ps. 119,2; c. Faust. XII. 26), *Deo; sive sobrii sumus* (σωφρονοῦμεν *S. Aug.* : temperantes sumus), *vobis*. Quo sensu verba ἐκστῆναι et σωφρονεῖν (mente excessisse, sobrium esse) sint sumenda, in controversia est. In Scriptura ἐκστῆναι interdum idem est quod μαίνεσθαι (insanire; cfr *Marc.* 3,21 ἐξέστη in furorem actus est i. e. insanit), eique opponitur σωφρονεῖν (sanae mentis esse; cfr *Act.* 26,5. οὐ μαίνομαι, ἀλλ' ἀληθείας καὶ σωφροσύνης ῥήματα ἀποφθέγγομαι, non insanio, sed veritatis et *sobrietatis* verba loquor). Hoc sensu verba a plerisque sumuntur (cfr *Chrys. Theod.* etc., *A^ter^ Prim.* etc., *Lomb*[1]. *Thom*[1]. *Lyr. Dion*[2]. etc., *Cai. Salm*[1]. *Iust. Est. Pic. Nat.* etc., *M Ev. Bisp. Mai. Dr. L R.* etc.), licet non consentiant. qua ratione Paulus sese insanire dicat. Equidem eorum ob concinniorem contextum praefero sententiam, qui illum de suo agendi modo loqui tenent, ut sensus sit : « sive zelo nostro quasi abrepti ita laboribus apostolicis vacamus Evangelium opportune et importune annuntiantes, ut nonnullis insanire videamur, labor noster in Dei gloriam cedit; sive temperantiore modo munere nostro fungimur, ad vestram utilitatem haec nostra moderatio cedit ». Pauci alii de praedicationis variis argumentis verba explicant : « sive alta et sublimia tradimus, quae quia non intelliguntur insana mundanis hominibus videntur, Deo insanimus, qui ut haec tradamus nos impellit; sive humilia ac facilia captu docemus, vobis inservimus, quorum captui nos accommodamus ». Demum longe plerique cum Graecis et *A^tro^* de modo agi censent, quo Apostolus se ipse commendet : « sive magna de nobis praedicantes atque celsitudinem ministerii nostri sublimitatemque praemii nobis promissi celebrantes malevolis hominibus videamur insanire (cfr 11,1.16), insanimus Deo, ad cuius honorem et gloriam omnia, quae gessimus et quae diximus, solemus referre; sive haec omnia dicentes vobis sanae mentis esse videamur, vobis sanae mentis sumus, quum ad vestram utilitatem inserviant : quidquid igitur iudicatur, habetis unde de nobis gloriari adversariorumque calum-

nias repellere possitis ». Egregie haec tertia explicatio cum praecedentibus connectitur eamque omnino adoptarem, si aeque apte cum sequentibus connecteretur, in quibus Paulus non de sua commendatione, sed de sua agendi ratione loquitur.

Ab his explicationibus longe recedunt, qui verbum ἐκστῆναι explicant « in exstasi versari » et σωφρονεῖν « in ordinario mentis statu esse ». Hoc sensu *S. Aug.* (ll. cc.) semper verba interpretatus est eumque secuti sunt haud pauci antiquiores Latini (*Gl ord. Herv. Lomb*[2]. *Thom*[2]. *Dion*[1]. *Salm*[2]. etc.), et ad eundem sensum pauci moderni acath. (*Kloep. Heinr.* etc.) reversi sunt. At verbo ἐκστῆναι ista significatio nec a profanis nec a sacris scriptoribus usquam attribuitur, nec si admitteretur, in nostrum locum quadraret. Neque enim probari potest modernorum aliquorum explicatio : « sive dignus habitus sum, qui in exstasi mysteria viderem et arcana verba audirem (12,1 sqq.), iudicium hac de re ad solum Deum pertinet neque vos de ea aut iudicare aut gloriari potestis; sive vobis Evangelium sobrie annuntiavi, gloriari de me potestis » (*Heinr.*); duo enim haec membra, quum inter se opponantur, nec particulis εἴτε-εἴτε coniungi potuerunt neque ullo modo cum praecedentibus aut sequentibus cohaerent. Aptior quidem est antiquiorum interpretatio (« sive enim mente omnia temporalia excedimus, ut contemplemur aeterna, Deo id facimus [ut ei uniamur], sive sobrii sumus, i. e. ab illa mentis ebrietate ad communem sensum redimus, hoc vobis fit, sc. in vestram utilitatem, ut vos nimirum docere possimus » *Herv.*), at aegre contextui accommodatur.

2.) *Caritate Christi Paulus sociique eius in apostolico munere exercendo impelluntur et diriguntur* (5,14-21).

5, 14. *Caritas enim Christi urget nos : aestimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt :* 15. *et pro omnibus mortuus est Christus : ut et qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.* 16. *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum : sed nunc non iam novimus.* 17. *Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt : ecce facta sunt omnia nova.* 18. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum : et dedit nobis ministerium reconciliationis.* 19. *Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis.*

5,14. Ἡ γὰρ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ συνέχει ἡμᾶς, 15. κρίναντας τοῦτο, ὅτι εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον· καὶ ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, ἵνα οἱ ζῶντες μηκέτι ἑαυτοῖς ζῶσιν, ἀλλὰ τῷ ὑπὲρ αὐτῶν ἀποθανόντι καὶ ἐγερθέντι. 16. ὥστε ἡμεῖς ἀπὸ τοῦ νῦν οὐδένα οἴδαμεν κατὰ σάρκα· εἰ καὶ ἐγνώκαμεν κατὰ σάρκα Χριστόν, ἀλλὰ νῦν οὐκέτι γινώσκομεν. 17. ὥστε εἴ τις ἐν Χριστῷ, καινὴ κτίσις. τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν, ἰδοὺ γέγονεν καινά. 18. τὰ δὲ πάντα ἐκ τοῦ Θεοῦ τοῦ καταλλάξαντος ἡμᾶς ἑαυτῷ διὰ Χριστοῦ καὶ δόντος ἡμῖν τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς, 19. ὡς ὅτι Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ, μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν, καὶ θέμενος ἐν ἡμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς. 20. ὑπὲρ Χριστοῦ οὖν

20. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. 21. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.

πρεσβεύομεν, ὡς τοῦ Θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν· δεόμεθα ὑπὲρ Χριστοῦ, καταλλάγητε τῷ Θεῷ. 21. τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν, ἵνα ἡμεῖς γενώμεθα δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν αὐτῷ [1].

Omnes actiones suas ad Dei gloriam fideliumque utilitatem referri asserens Paulus viam sibi aperuit ad illam indicandam et describendam causam, qua viri apostolici in tota sua vita moventur et reguntur. Quae causa est caritas Christi pro omnibus hominibus morientis exemploque suo omnes impellentis, ut novam vitam adepti ei iam soli, qui pro ipsis mortuus est, vivant (14. 15). Ideo Apostoli, ex quo tempore hanc novam vitam degunt, humanis considerationibus sepositis omnia ex fidei norma diiudicant, quia vetera transierunt (16. 17). A Deo Patre autem hanc gratiam acceperunt, qui ipsos non tantum sibi reconciliavit sed etiam ad reconciliationis munus erga alios exercendum vocavit (18. 19), ut pro Christo legatione fungentes cunctos ad eum adducerent (20. 21). Unde intelligitur, quanto cum iure Paulus asseruerit, se nihil sui commodi gratia, sed omnia propter Deum et propter fideles agere, quum ipsius Christi munus quasi continuans homines cum Deo reconciliare studeat.

Praeprimis igitur causam, qua tota eius vita regitur, indicat et describit : 14. *Caritas enim Christi urget nos, aestimantes* (κρίναντας quum apud nos pro certo statuerimus) *hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt;* 15. *et pro omnibus mortuus est* (*Christus*), *ut* (*et*) *qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.* Quamquam iuxta grammaticam *caritas*

1. *VV. LL.* — 15. ὅτι εἷς (quoniam unus) particula hypoth. (εἰ) praetermissa B ℵ D E F G K L P, haud pauci minusc., *Syr. Aeth. Goth.*; sed *textus rec.* ὅτι εἰ εἷς (*quoniam si unus*) cum C, plerisque minusc., *It. Vulg. Copt. Arm.* — Post secundum ἀπέθανεν (mortuus est) subiectum Χριστός (*Christus*) suppletur a F G, paucis minusc., *It. Vulg.* (*Clem.*) *Arm.*; sed reliqui codd. graeci cum plerisque verss. et melioribus *Vulg.* codd. (*Fuld. Am. Tol. Harl.*) illud rectius praetermittunt. — 16. εἰ καὶ ἐγνώκαμεν (*licet* cognoverimus) B ℵ D, paucissimi minusc., *Arm.*; minus apte : καὶ εἰ ἐγνώκαμεν (*et si cognovimus*) F G, *It. Vulg. Syr.* (codd.); aut iuxta *textum rec.* : εἰ δὲ καὶ ἐγνώκαμεν (*si autem et* cognovimus) cum E L P, plerisque minusc., *Syr.* (codd.) *Copt. Goth.* — 17. γέγονεν καινά (facta sunt nova) sine additam. B ℵ C D F G, pauci minusc., *It.* (*Hil. Ambr. Aug.*) *Vulg.* (meliores codd. *Fuld. Am. Demid. Tol.*) *Copt.* et aliarum versionum codices nonnulli; sed *textus rec.* : γέγονεν καινὰ τὰ πάντα (*facta sunt nova omnia*) cum E K L P, plerisque minusc., *It.* (*Tert.*) *Vulg.* (*Clem.* cum iunioribus codd.) *Syr.* (codd.) etc. — 21. τὸν μὴ γνόντα (*eum qui non noverat*) sine particula causali B ℵ C D F G, pauci minusc., *It. Vulg. Copt.*; sed τὸν γὰρ μὴ γνόντα (eum *enim*, qui non noverat) E K L P, plerique minusc. *Syr. Arm. Aeth. Goth.*

Christi nostrum erga Christum amorem significare potest atque hoc sensu a nonnullis antiquis et modernis hic intelligitur (*Theod. Oec. Haym. Dion. Calm. Mai.* — *Grot. Hofm. Goeb.* etc.), aptior tamen paulinoque loquendi usui conformior est altera interpretatio, quae amorem, quo Christus totum genus humanum prosecutus est et prosequitur, designatum videt, ideoque a longe plerisque recte praefertur (*Chrys. Dam.* etc., *A^ter^ Pel.* etc., *Herv. Lomb. Thom.* etc., *Cai. Salm. Est. Pic.* etc., *M Ev. Bisp. Dr. L R.* etc.); caritas enim, quam Christus pro nobis moriens exhibuit, exemplum est, quod apostolici operarii (et omnes fideles), sese ipsos totos pro aliis impendentes, imitari tenentur. Porro haec caritas *urget* (συνέχει) *nos* « non sinens nos desidia torpere atque obdormiscere, sed ad suscipiendos salutis vestrae causa labores exsuscitat impellitque » (*Chrys.*). Attendas autem velim, hanc verbi συνέχειν explicationem, quamvis erronea non sit, arctiorem tamen videri; atque arctior quoque est altera, quam cum *Oec.* nonnulli iuniores (*Iustin.* etc. — *Mey. Heinr.* etc.) praeferunt : caritas Christi nos intra iustos limites *cohibet,* ne quidquam agamus, quod non ad Dei gloriam utilitatemque fidelium referatur; συνέχειν enim significat « totum occupare » et a *Theod.* explicatur πυρπολεῖν (inflammare), ita ut caritas velut principium et fons omnium actionum designetur : caritate Christi Apostolus in sua vita apostolica totus regitur; ab ea impellitur, cohibetur, dirigitur eaque inflammatus omnia agit.

Qua iam ratione eo pervenerit, ut in omnibus actionibus a caritate Christi totus regatur ac gubernetur, reliqua sententia exponit : κρίναντας τοῦτο κτλ.; quod participium aor. latinus interpres praesente (*aestimantes* vel iuxta *S. Aug.* c. Faust. XI. 8 etc. : *iudicantes*) haud satis feliciter reddidit; inde enim a conversione sua Apostolus iudicavit ac pro certo apud se statuit, novam vitam, qua donatus erat, ad illius a quo eam acceperat exemplum et iuxta illius voluntatem esse impendendam. Ad quod iudicium duae illae, quas refert, considerationes eum adduxerunt, de mortis Christi vi et efficacia (*si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*) et de eiusdem mortis fine (*et pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt, iam non sibi vivant* etc.); prior consideratio magnum beneficium morte Christi nobis collatum in memoriam revocans ostendit, quantopere nobis sit contendendum, ut dignas ei gratias rependamus; altera viam nobis monstrat, quam ingredi iuxta eius voluntatem debemus, ut gratos nos ei exhibeamus. Utrum in priore sententia particulam hypotheticam cum textu recepto et Vulg. retineamus, an eam cum codd. graecis praetermittamus (cfr

VV. LL.), per se parum interest, quum sensus non mutetur; namque Apostoli iudicium non in morte Christi pro omnibus asserta, sed in conclusione, quam ex hac assertione colligit, i. e. in effectu mortis Christi, fundari patet. Quare particula hypothetica, si non scribitur, mente suppleatur necesse est; rectius tamen, quum testium eam tuentium sufficiens sit auctoritas, scribitur : eam enim argumentationis formam B. Paulus amat, ut assertionem, ex qua conclusionem derivare vult, hypothetice exprimat (cfr *Rom.* 5,10. 15, 17 etc.), et facile fieri potuit, ut ante εἷς particula εἰ a graecis librariis praetermitteretur. In priore igitur sententia ex eo, quod *unus,* i. e. Christus in cruce, *pro omnibus* (ὑπὲρ πάντων), ad omnium scilicet peccata delenda et salutem comparandam, *mortuus sit,* colligit *omnes mortuos esse.* Quae quo sensu sint intelligenda, dissentiunt quidem interpretes, quum nec de qua omnium morte Apostolus loqui velit nec quos suo *omnes* complectatur satis appareat : iure merito autem moderni plerique (cfr *Mai. Bisp. L R. Dr* [2]. etc.) eam praeferunt explicationem, quam *Herv.* iam primo in loco proposuit : « ergo omnes participatione mortis Christi mortui sunt in hoc quod prius erant, i. e. secundum hoc, quod veteris hominis membra fuerunt ». Propter Adami enim peccatum, quod in omnes eius posteros transiit, omnes et singuli homines poenam mortis subire debebant; atqui Christus, secundus Adam et novum generis humani caput, vicaria sua morte hanc poenam ita luit, ut eius mors, si illius sufficientia consideratur, omnium et singulorum mortem aequiparet eoque moriente omnes mortui sint. Verumtamen ut haec Christi mors iuxta suam quoque efficientiam fiat mors singulorum, singuli Christo morienti inseri debent, id quod fit in baptismate (cfr *Rom.* 6,2 sqq.); quicumque enim in mortem Christi baptizantur, ii mortuo Christo similes redduntur « complantati similitudini morti eius », quum vetus homo in baptismo vere moriatur et destruatur corpus peccati. Uti igitur alibi fideles omnes dicit mortuos esse novamque vitam in Christo degere (*Col.* 3,3 cfr ad *Gal.* 2,19 sq. etc.). Paulus etiam hoc in loco hanc mysticam *fidelium* mortem intelligit.

Haud dissimilem explicationem *Thom.* quoque ad *Col.* 3,3 provocans cum nonnullis aliis (*Lyr. Dion* [1]. *Salm* [2]. *Est.* etc.) velut « magis literalem » praefert : « ita se debet quilibet reputare ac si mortuus sit sibi ipsi » (neque enim quisquam sese mortuum reputare potest aut debet, nisi vere mortuus sit); at verbis Pauli non satis inhaerentes conclusionem (ergo mortui sunt) in exhortationem convertunt ad similem Pauli exhortationem forte respicientes (*Rom.* 6,11 « ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato [i. e. respectu peccati], viventes autem Deo in Christo Iesu D. N. »). Fatendum tamen est, plerisque antiquioribus alias interpretatio-

nes praeplacuisse, communioremque eam fuisse, quae Paulum ex morte, quam Christus pro omnibus subiit, ad universalitatem peccati originalis concludere tenet : « neque enim Christum pro omnibus mori necesse fuisset, nisi omnes peccato essent mortui » (cfr *Chys. Theoph. Thom*[1]. etc.). Prae ceteris hanc explicationem frequenter *S. Aug.* urget, ut parvulos quoque, quippe pro quibus aeque ac pro adultis Christus mortuus sit, peccato infectos esse contra Pelagianos demonstret (c. Iulian VI. 4; de pecc. mer. et rem. I. 27.; de civ. Dei XX. 6 etc.), atque ab Augustino eam multi mutuati sunt (*Prim. Herv*[2]. *Lomb*[2]. *Dion*[2]. *Cai. Salm*[1]. *Iust. Lap. Nat. Pic. M Ev. Dr*[1]. etc.). Auctoritate igitur sese commendat, et doctrina quam exprimit verissima est; neque tamen de peccato originali *directe* agi recte asseritur, siquidem nec verbis nec contextui haec explicatio congruit. Namque Paulus in utroque membro idem tempus (ἀπέθανεν-ἀπέθανον, *mortuus est... mortui sunt*) non adhibuisset, si in secundo membro mortem, quae Christi morti tempore antecessit, intelligi voluisset; cur porro hoc in loco, in quo Christi caritatem celebrare voluit, ex eius morte universalitatem peccati originalis demonstraret, nulla profecto ei potuit esse ratio. Longius à vero aberrant alii, qui cum *Theod.* et *A*ʳᵒ in secundo membro (*ergo omnes mortui sunt*) mortem physicam intelligunt, cui omnes propter Adae peccatum obnoxii sint.

In morte Christi igitur magna eius caritas sese manifestat, quoniam hac morte in omnibus, qui per baptismum morienti inseruntur, vita peccati est destructa; at qui hac ratione secundum veterem hominem sunt mortui, iidem in baptismo novam vitam acceperunt, quae etiam morti Christi debetur ideoque secundum voluntatem eius, cui debetur, est impendenda : *et pro omnibus mortuus est* (*Christus*), *ut* (*et*[1]) *qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.* Lectione Vulg. Clem., quae contra meliorum testium graecorum et latinorum auctoritatem nomen *Christus* velut subiectum superflue inserit (cfr *VV. LL.*), in errorem inducti nonnulli hanc sententiam pro antecedentis hypotheticae resumtione sumunt particulaeque *et* vim argumentativam (i. q. *atqui*) attribuunt, ut completum habeant syllogismum : « *si* unus pro omnibus mortuus est, omnes mortui sunt; *atqui* Christus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt » etc. (cfr *Est. Ramb.*). At Apostolus omnium mortem demonstrare non vult, sed docet, qua ratione fideles vitam suam instituere teneantur, ut caritati Christi in eius morte manifestatae respondeant. Ideo in priore membro omnes fideles cum Christo mortuos esse commemoravit, ut sibi vitam veterem continuare non amplius licere intelligerent, « scientes hoc, quia vetus homo noster simul crucifixus est (συνεσταυ-

1. Particulam *et* cum graecis codd. et aliis vers. etiam *S. Aug.* (de civ. XX. 6 etc.) praetermittit.

ρώθη concrucifixus est), ut destruatur corpus peccati et ultra non serviamus peccato » (*Rom.* 6,6). In hoc deinde membro, quod coniunctiva particula *et* ceu parallelum priori adnectitur eademque ratione, qua illud, a participio *aestimantes* (κρίναντας) dependet, Paulus positivam novae vitae normam proponit. Namque in baptismo fideles non tantum similitudini mortis Christi, sed etiam similitudini resurrectionis eius coaluerunt (σύμφυτοι γεγόνασιν) ad vitam supranaturalem resuscitati (*Rom.* 6,5; *Gal.* 2,19; *Col.* 2,12; *Eph.* 2,6 etc.). Iamvero finis mortis Christi erat, ut illi, qui per eam vetere homine occiso ad novam vitam essent resurrecturi (οἱ ζῶντες *ii qui vivunt*), illam non ad propria commoda quaerenda propriaque desideria sectanda impenderent (*iam non sibi vivant*), sed omnes suas cogitationes actionesque ad eius honorem et gloriam referrent, qui morti traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter iustificationem nostram (*Rom.* 4,25), cuiusque mors et resurrectio exemplar ac typus est nostrae mortis et resurrectionis spiritualis (*sed ei vivant qui pro ipsis mortuus est et resurrexit*). Haud pauci interpretes subiectum οἱ ζῶντες (*ii qui vivunt*) eadem ratione, qua, 4,11 (et *Gal.* 2,20), de vita naturali explicant : « ut ii qui adhuc in hac terra degunt, non sibi vivant » (*Gl ord. Lomb* [2]. *Thom.* etc., *Cai. Est. Nat.* etc., *M Ev. Mai.* etc. — *Hofm. Goeb. Schn.* etc.); at quia subiectum, si de naturali vita esset intelligendum, non tantum superflue sed etiam parum apte esset insertum (siquidem de vitae ratione, qua beati in coelo degere debeant, nemo hic cogitare potuit), plerique antiquiores et moderni illud de supranaturali nova vita recte interpretantur; illud enim adiecit Paulus, ut eosdem, quos in Christi morte spiritualiter mortuos esse dixerat eiusdem mortis vi spiritualiter vivere significaret (cfr *Prim. Sed. Haym. Herv. Lomb* [1]. *Dion.* etc., *Iust. Lap. Pic.* etc., *Bisp. L R.* etc., — *Mey. Heinr.* etc.).

A principio generali quod statuit, omnes fideles Christo, cuius morti novam vitam debeant, vivere debere, B. Paulus ad se ipsum sociosque suos ita revertitur, ut suam ipsius agendi rationem maxime respiciat. Etenim cum emphasi quadam pronomen primae personae (ἡμεῖς *nos*) praemittens sese inde a conversione sua novam illam vitam agere ac proin caritati Christi respondere ab eaque regi ac gubernari ostendit :

16. *itaque nos ex hoc* (ἀπὸ τοῦ νῦν ex hoc inde tempore) *neminem novimus secundum carnem; et si* (vel : *licet*, εἰ καί cfr 4,16) *cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non* (νῦν οὐκέτι, nunc non amplius) *novimus*. Quam plurimae sunt huius sententiae satis difficilis expositiones; neque id est mirum, siquidem (uti *Thom.* iam adnotat) expressio *secundum carnem* (κατὰ σάρκα) pro contextus varietate varias

apud Paulum significationes habet, interpretesque dissentiunt, utrum hoc in loco cum verbis (οἴδαμεν — ἐγνώκαμεν, *novimus* — *cognovimus*) ita sit connectenda, ut ad cognoscentem modumque cognitionis referatur, an cum obiectis (οὐδένα — Χριστόν, *neminem* — *Christum*) proxime cohaereat qualitatesque in iis consideratas definiat; dissentiunt quoque in temporis momento definiendo, quod Apostolus suo *ex hoc* (ἀπὸ τοῦ νῦν) designet; neque enim illud tempus, quo haec scribit, indicare potest. Iamvero qui ad huius sententiae cum praecedente et cum sequente nexum attenderit, is nobiscum vix dubitabit, quin Apostolus, ut sese novam vitam in Christo agere ostendat, duas illas normas inter se opponat, iuxta quas ante suam conversionem et post illam omnia consideravit, de novo igitur suo cognoscendi vel potius aestimandi diiudicandique modo loquatur [1]. Etenim in anteriore sua vita, quum sibi ipsi viveret, iuxta carnem, i. e. iuxta rationes mere naturales, omnia aestimans ea praetulerat, quae naturae veterique eius homini placebant, ideoque cum incredulis carnalibusque Iudaeis de iis erat gloriatus, quae illi in se aliisque magni faciebant, de sanguine abrahamitico, de circumcisione manufacta, de secta pharisaica aliisque eiusdem generis (cfr 11, 18. 22; *Gal.* 1,13 sq.; *Phil.* 3,4 sqq.). Ex quo tempore autem in Christo moriens et resurgens nova creatura factus est (*v.* 17), iuxta novam normam, quam cum nova vita accepit, omnia perpendit; a suis ergo adversariis iudaizantibus, qui etiamnunc, licet Christi esse velint, secundum carnem iudicant gloriantur-que, prorsus dissentiens secundum veterem hominem naturalem, quippe qui mortuus sit, non amplius diiudicat quemquam, sed Christo vivens ex supranaturalibus rationibus de omnibus existimat, ea sola quae Domino placent in se aliisque approbans magnique faciens. Quam duplicem normam illustrat anteriori suae notioni Christi novam opponens. Sese enim olim secundum carnem de Christo iudicasse concedit; ex suis nimirum praeiudiciis iudaicis et pharisaicis in Iesu paupere despectoque, quem seniores populi reiecerant crucique affixerant, pseudomessiam viderat atque ignorans in incredulitate sua factus erat blasphemus et persecutor et contumeliosus (1 *Tim.* 1,13). Verum carnalis ista notio Christi evanuit novaeque locum cessit, quando in itinere damasceno luce divina illustratus iuxta novam normam iudicare incipiens in Iesu, quem persecutus erat, verum Messiam agnovit, qui pro omnibus erat mortuus et resurrexit, ut omnes per eum et in eo viverent.

1. Neque enim de nuda apprehensione aut cognitione mere theoretica hic agitur, sed de ea cognitione, quae, quia cum approbatione coniuncta est, praevium iudicium supponit et connotat; quare verba εἰδέναι et γινώσκειν hoc in loco ad sensum perpendendi, aestimandi, diiudicandi prope accedunt (cfr 1 *Cor.* 4,19; 3,16; 5,6 etc.; 1 *Ioan.* 4,6 etc.).

Haec explicatio inter alias a *Lomb.* et *Thom.* ex *Gl. ord.* ceu probabilis proponitur, ad eandemque haud pauci moderni magis minusve clare sunt reversi (cfr *Bisp. Mai. LR. Dr.* etc. — *Mey. Kl Br.* etc.), sed plerique ex iis verba *secundum carnem* cum obiectis cognitis (*neminem* — *Christum*) quam cum verbis (*novimus* — *cognovimus*) connectere haud recte malunt; licet enim apte id in priore membro fiat, in secundo ille nexus difficultatem haud levem creat. — Alii interpretes in diversissimas abeunt sententias, quarum nonnullas, quae auctorum nominibus commendari videntur, paucis indicabo. Inter Graecos *Chrys.* (cfr etiam *Dam. Oec. Theoph.*) expressionem *secundum carnem* alio modo in priore, alio in secundo membro explicandam censet : « quum de nobis sermo est, *secundum carnem* idem est quod in peccatis et *non secundum carnem* idem quod non in peccatis esse; at quum de Christo sermo est, *secundum carnem* nihil aliud significat nisi ea pati, quae carni mortali conveniunt i. e. esurire, sitire, fatigari » etc. Sed duplex haec significatio nec eadem in sententia admitti potest, nec si admitteretur aptum gigneret sententiae sensum, qui contextui congrueret. Alii igitur Patres graeci (*Cyr. Alex. Theod.*) secundam Chrysostomi significationem etiam in priore membro expressioni isti attribuunt : « Postquam Dominum mortem destruxisse didicimus, nullum amplius scimus hominem esse mortalem : etsi enim ipse quoque Christus habuit corpus passibile, illud tamen post passionem fecit incorruptibile et immortale ». A qua explicatione haud longe discedunt *S. Aug.* (c. Faust. XI. 8 [1]) et *S. Leo M.* (serm. 71; de resur. 1,4), quorum sententia a multis iunioribus recepta (cfr *Haym. Herv. Lomb* [2]. etc., *Salm* [1]. *Nat.* etc.) hac ratione ab Herv. comprehenditur : « Quia resurrectio Christi nos resurgere fecit, ideo ex hoc tempore resurrectionis neminem eorum, pro quibus mortuus est et resurrexit Christus, novimus secundum carnem, i. e. secundum carnis corruptionem, propter spem futurae immortalitatis, in cuius exspectatione vivunt, quae in Christo iam non spes sed res est. Et si cognovimus Christum secundum carnis mortalitatem, quum adhuc esset moriturus, tamen nunc iam non novimus, quia illud eius mortale iam induit immortalitatem ». Quoniam vero Paulus cum Christo in hac terra degente non erat conversatus (id quod haec explicatio innuit), iuniores addere solent, Paulum haec ex aliorum Apostolorum persona dixisse (cfr *Thom.*); attamen evidens est, Paulum proxime de se ipso loqui ac proin illam explicationem, quae priori membro vix adaptari potest, in secundo plane erroneam esse. Ob eandem rationem illa quoque nobis non probatur, quam *Thom.* (cfr etiam *Iust. Pic.* etc.) praefert : « ex quo non debemus nobis vivere, sed ei qui pro nobis mortuus est, non sequimur in aliquo (amando) carnalem affectum; et si adhaesimus Christo aliquando, sc. quando nobiscum erat praesentia corporali, secundum carnalem affectum, iam iste affectus cessavit a nobis per S. Spiritum ». Atque longius a vero recedit *Cai.*, qui secundum membrum simili modo exponens in priore etiam de Messia sermonem esse putat : « Iudaei exspectant Messiam secundum carnis officia viventem ad renovandum Israel et mundum; nos Apostoli autem inde a Christi resurrectione nullum renovatorem agnoscimus secundum carnis officia viventem, et licet Christum, quamdiu erat in terris, hac ratione viventem suscepimus, nunc tamen cum non amplius suscipimus Christum secundum carnem sed secundum spiritum in carne immortali viventem ». Propius ad verum accedere arbitramur *Est.*, cuius haec est explicatio : « Nos novae Legis ministri ex eo iam

1. Memoriae tantum causa adnotamus, iuxta Faustum Manich., quem *S. Aug.* (l. c.) refutat, Paulum his verbis errorem, quem antea de davidica Christi origine et de vera eius carne docuisset, revocare voluisse. Quae sententia refutatione hodie non amplius indiget.

tempore, quo fungimur hoc ministerio, neminem novimus secundum carnem, notitia sc. amoris et propensioris affectus, i. e. in nemine gloriamur carnalis propinquitatis causa, ne in ipso quidem Abraham, patre nostro secundum carnem... Quin etiam etsi aliquando magnum et gloriosum putavimus, gentilem nostrum et consanguineum esse Christum secundum carnem, at nunc ita penitus mortui sumus affectibus vitae veteris, ut non amplius in huiusmodi re gloriandum esse censeamus ». Arctior tamen est haec explicatio, quia de sola propinquitate expressionem *secundum carnem* intelligit atque in eo minus accurata, quod in priore membro vitam Pauli nondum ad fidem conversi vitae eius christianae opponat, in altero autem cognitionem imperfectam, quam post conversionem Paulus de rebus christianis habuisse (immerito) putatur, perfectiori cognitioni, quam postea acquisiverit. Alias huius sententiae expositiones, utpote minus probabiles, praetermittimus.

Explicationem nostram confirmat altera conclusio, quam Apostolus iterum ex *vv.* 14. 15 derivat priorique eadem coniunctione adhibita (ὥστε... ὥστε) parallelam ponit : 17. *si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt : ecce, facta sunt* (*omnia*) *nova*. Latina sententiae versio, praesertim si *Vulg. Clem.* interpunctio retinetur, non est accurata; genuinum vero graecae sententiae (ὥστε εἴ τις ἐν Χριστῷ, καινὴ κτίσις) sensum, quem cum graecis interpretibus (*Chrys. Cyr. Theod.* etc.) reliquae versiones antiquae tuentur, inter Latinos sua versione *S. Ambros.* (ad Faustin. ep. 39,4 : *si quis est in Christo, nova creatura est,* sc. « non naturae sed gratiae novitate ») suisque explicationibus *Rufin.* (cfr *Orig.* in Levit. hom. 12,5 : « omnis ergo, qui in Christo est, nova creatura est »), *Pel.* (« si quis in Christo credit, nova creatura est »), *Prim. Sed.* exprimunt; in eundem fere sensum quoque consueta lectio latina trahitur, si a *Cai.* hac ratione interpungitur et exponitur : « si qua (creatura est) in Christo, nova creatura est ». Porro eum, qui in Christo est, esse novam creaturam, ex antea dictis legitime colligitur; etenim si omnes, qui in baptismo Christo morienti ac resurgenti inserti sunt, cum eo mortui sunt et resurrexerunt, evidens est, eos factos esse novos : vetus homo in baptismo sepultus est, novus ex baptismi aquis emersit. Verbo veritatis genitus (*Iac.* 1,18), renatus ex aqua et Spiritu S. (*Ioan.* 3,5) et in Christo secundum Deum creatus in iustitia et sanctitate veritatis (*Eph.* 2,10; 4,24) novo vitae principio, gratia sc. sanctificante fideque quae per caritatem operatur, est ornatus ideoque vere *nova creatura* (cfr *Gal.* 5,6 et 6,15), quae non amplius sua vita sed ipsius Christi vita vivit (*Gal.* 2,20; 3,27 sqq.) [1]. Hinc cum iubilo Apostolus exclamat : *vetera*

1. Cfr *Iust.* : « Quemadmodum id creari dicitur, quod ex nihilo profertur absque ulla creatae naturae efficientia, ita ii, qui iustificantur absque ullis propriis meritis a praeveniente gratia efficaciter excitantur et moventur ad iustificationis gratiam capessendam ». Accuratius *Thom.* : « Notandum quod innovatio per gratiam dicitur creatio. Creatio enim est

transierunt; ecce facta sunt nova (*omnia*); transiit vetus cogitandi aestimandique modus : quae veteri homini fuerunt lucra, ea novus propter Christum arbitratur detrimenta, quin etiam omnia velut stercora arbitratur, ut Christum lucrifaciat in eoque inveniatur (cfr *Phil.* 3,7 sq.); ea vero, quae vetus homo nihili habebat nec curabat, novus magni facit solaque aestimat; imaginem Christi, quam iuxta praeiudicia sibi vetus effinxerat, novus non amplius agnoscit, sed divinitus illustratus verum Christum iam cognovit, in quo convivificatus et conresuscitatus et consedere factus est in coelestibus (cfr *Eph.* 2,5). Haud pauci in his verbis exhortationem quandam deprehendunt, ut novi esse fideles studeant (cfr *Thom.* etc.); licet vero legitimum exhortationis fundamentum praebeant, per se mera assertio sunt summi beneficii nobis a Deo per Christum collati. Hanc autem conclusionem priori (*v.* 16), in qua de solis operariis apostolicis locutus erat, adiecit, ne quis iis solis beneficia mortis Christi competere existimaret; simili modo statim (*vv.* 18. 19) se sociosque a fidelibus distinguit, ubi de reconciliatione per Christum facta loquitur.

Interroganti, quae vetera transierint, recte respondet *Chrys.* : « peccata et impietates aut etiam iudaica omnia, vel potius haec simul et illa », et *Cyr.* : « vetus illud est : terra es et in terram reverteris; vetus illud quoque : studiosa mens hominis in vitium ab adolescentia (*Gen.* 3,19; 8,21); vetera insuper sunt legalia statuta, quae omnia praeterlapsa sunt ». Uberius *Chrys.* alterum membrum amplificat : « ecce anima nova est (purgata enim est), corpus novum (gloriose enim resurget), novum adorationis genus, novae promissiones et testamentum et vita et mensa et vestis : omnia nova sunt. Pro terrena Ierusalem coelestem accepimus civitatem; pro visibili templo templum spirituale cernimus; pro lapideis tabulis carneas, pro circumcisione baptisma, pro manna corpus Domini, pro aqua e petra sanguinem ex latere profluentem, pro Moysis aut Aaronis virga crucem, pro terra Iudaeis promissa regnum coelorum, pro sexcentis sacerdotibus unum pontificem, pro agno rationis experte agnum spiritualem. Haec aliaque animo volvens Paulus dixit : ecce nova sunt omnia ». Utrum vero Apostolus his verbis ad *Levit.* 26,10 (« vetera novis supervenientibus proiicietis ») alludere voluerit (*Thom. Cat.* etc.), an ad *Is.* 43,18 (« antiqua ne intueamini : ecce facio nova »), uti *Iust. Est.* etc. volunt, incertum est; si quam Vet. Test. sententiam prae oculis habuit, eum secundam potius quam priorem respexisse probabile est.

Porro tota renovatio, quum sit vera creatio, non potuit nisi a solo Deo fieri; cui Apostolus eam nunc ita attribuit, ut simul modum quo

motio ex nihilo ad esse; est autem duplex esse, sc. esse naturae et esse gratiae. Prima creatio facta est, quando creaturae ex nihilo productae sunt a Deo in esse naturae, et tunc creatura erat nova. Attamen per peccatum inveterata est; oportuit ergo esse novam creationem, per quam produceretur in esse gratiae. Quae quidem creatio est ex nihilo, quia qui gratia carent nihil sunt (1 *Cor.* 13,2) et iuxta *Aug.* peccatum nihil est et nihili fiunt homines cum peccato. Et sic patet, quod infusio gratiae est quaedam creatio ».

facta sit describat : eadem nimirum ratione, qua Deus mundum illuminavit (cfr ad 4,6), eum etiam per Christum renovavit velut internuntios Apostolos adhibens : sicut enim illorum in cordibus per Filium suum lucem gloriae suae prius splendescere fecit, ut illi deinde corda fidelium illuminarent, ita illos sibi prius per Christum reconciliavit, ut illorum ministerio ad reliquos sibi reconciliandos uteretur. 18. *Omnia autem* (quae facta sunt nova, quum homo ad ea renovanda nihil conferre possit, sunt) *ex Deo* (Patre, ex quo sunt omnia 1 *Cor.* 8,6), *qui nos reconciliavit sibi per Christum et dedit nobis ministerium reconciliationis.* Quum totum humanum genus in suo protoparente in Deum offendisset ab eoque defecisset, omnes homines natura filii irae fuerunt neque amplius finem suum attingere potuerunt, nisi Deum iratum sibi reconciliarent; at nihil habuerunt, quo Deum offensum placarent. Quare Deus ipse, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem qua dilexit nos, nobis Filium suum misit, qui caro factus sese propitiationem offerens ac pro nobis satisfaciens Patrem nobis morte sua cruenta reconciliavit. Pulcherrime Apostolus, ut infinitam hanc Patris caritatem insinuaret, eum *nos sibi reconciliasse* dicit, quia revera totum reconciliationis opus ei debetur et nos Patrem nobis reconciliare non potuissemus, nisi ipse Filium suum nobis dedisset, qui peccata nostra in se suscipiens pro nobis satisfaceret [1].

Pronomine *nos* fideles omnes designari plerique arbitrantur, quia etiam in sequente sententia (*v.*19) Deus *mundum* sibi reconciliasse dicatur. Cum *Chrys.* tamen et *Cai.* aliisque nonnullis hic de solis Apostolis agi arbitramur; in altero enim membro (dedit *nobis* ministerium reconciliationis) pronomine primae personae eos solos intelligi clarum est, neque eidem pronomini in eadem sententia duas significationes attribuere licet, nisi gravissima causa id postulet : atqui nulla, cur id faciamus, hic adest; quin etiam aptissime Deus Apostolos ipsos, antequam eorum ministerio uteretur, in suam gratiam recepisse refertur : « neque enim nos in sua inimicitia relictos sed in suam amicitiam restitutos tanto munere ornavit » (*Chrys.*). Contextui quoque haec interpretatio conformior est, siquidem Paulus in eo est, ut viros apostolicos caritate Christi regi demonstret ac describat; quare primo in loco iure merito summum beneficium illis collatum commemoravit, quia caritati Dei et Christi manifestandae singulari modo inservit. Postquam enim mundus Christum occiderat, Deus neminem amplius

1. Cfr *Theod.* : « Dei ineffabilem bonitatem ostendit. Neque enim, inquit, Deus nobis reconciliatus dicitur, quamquam ipse erat, qui per transgressionem iniuria erat affectus; sed Deus nos sibi reconciliavit non hominem velut mediatorem adhibens sed unigenitum Filium tamquam pacis mediatorem constituens ».

habuit, per quem reconciliationem in Christi morte factam hominibus annuntiaret applicaretque, sed nova instrumenta sibi praeparare coactus est, quibus reconciliationis ministerium committeret (cfr *Chrys.*).

Ex Deo Patre beneficium hoc Apostolis collatum revera derivari Paulus nunc probat; namque nomen *Dei* in principio novae sententiae repetens, ut praecedens *ex Deo* resumat, opus reconciliationis ita describit, ut illud totum Deo Patri deberi appareat: **19.** *quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans* (μὴ λογιζόμενος non imputans) *illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis* (καὶ θέμενος ἐν ἡμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς collato nobis verbo reconciliationis). Antiquiores Latini tantum non omnes verba *Deus erat in Christo* velut sententiam completam a reliquis separant; atque alii quidem praeeuntibus *Orig.* (in Ps. 18,6) et *S. Ambr.* (de fide ad Grat. III. 11) ad *Ioan.* 14,10. 11 provocantes divinarum personarum perichoresin (circumincessionem) doceri putant (« Pater enim per id intelligitur esse in Filio, quod una eorum est substantia » *A*[ter] cfr *Haym. Herv. Lomb. Thom*[1]. *Dion. Iust*[1]. etc.), alii ad *Col.* 2,9 provocantes divinam Christi naturam asseri statuunt (« Deus erat in Christo non solum per essentiam, praesentiam, potentiam, sed per humanitatis assumtionem » *Lyr.* cfr *Pel. Prim. Sed. Fulbert.* ad Adeod. ep. 5, *Iust*[2].), quam alteram explicationem cum *Luth.* nonnulli iuniores acath. adoptarunt (*Calov. Neand. Os. Goeb.* etc.). At haec constructio, quamvis per se admitti possit, a plerisque iunioribus, utpote contextui parum consona, merito respuitur; nostrum enim *in Christo* praecedenti *per Christum* omnino respondet, quum per hebraismum praepos. ἐν (i. q. בְּ) interdum pro διά (*per*) adhibeatur (cfr *Matth.* 9,34; *Act.* 17,31 etc.); quare recte quoque Graeci omnes (cfr *Chrys. Theod.* etc.), quos cum *Thom*[2]. iuniores et moderni interpretes cath. omnes et multi acath. sequuntur, verbum ἦν cum partic. καταλλάσσων ita connectunt, ut hac periphrasi actio Dei non tam referatur quam depingatur expressiusque asseratur (ἦν καταλλάσσων i. q. κατήλλασσεν, *erat reconcilians* i. q. *reconciliabat*). Pater igitur per unigenitum suum Filium sibi reconciliabat mundum, i. e. genus humanum integrum, quando Christus morte sua pro totius generis peccatis superabundanter satisfecit. Haud recte cum *S. Aug.* (in Ioan. tract. 87, 2. 3; 110, 2. 4) nonnulli nomine *mundi* solos praedestinatos et electos (*Haym.*) aut Ecclesiam de mundo collectam (*Herv. Lomb. Est. Nat.* etc.) intelligunt. Licet enim non omnes homines cum Deo de facto reconcilientur, quia ipsi sua ex parte conditiones ad divinam amicitiam obtinendam requisitas non implent; Deus

tamen sua ex parte pro infinita sua caritate omnia quae potuit fecit, ut integrum genus sibi reconciliaret, quum Filium suum propitiationem pro totius mundi peccatis daret (1 *Ioan.* 2,2) omnibusque consequendae reconciliationis facultatem concederet viamque monstraret. A vero autem longius aberrans *Cai.*, ut vocabulum *mundi* arcto hoc sensu intelligere possit, verba *in Christo mundum* connectit « mundumque qui in Christo sit, i. e. illos, qui ex variis mundi nationibus facti sint membra Christi », designari vult; neque enim graeca aut latina syntaxis istum nexum admittit, et illi qui iam in Christo sunt, reconciliatione non amplius indigent.

Porro ut homines Deo reconciliari possint, duo requiruntur : Deus illis remittere debet peccata, homines ea praestare debent, quae ad obtinendam remissionem a Deo sunt praescripta. Quae duo Apostolus insinuat duobus participiis primo (καταλλάσσων) ita subiunctis, ut modum reconciliationis describat (μὴ λογιζόμενος... καὶ θέμενος...). Deus ex parte sua mundum sibi reconciliat propter merita Christi *non imputans illis* (sc. hominibus, qui nomine mundi comprehenduntur) *delicta ipsorum*. Incomplete haec prior pars exprimitur; peccata enim a Deo non imputari, quia gratiae sanctificantis infusione plene delentur, ita ut homo interne sit iustificatus, Paulus alibi docet (cfr *Rom.* 4,7. 8; 1 *Cor.* 6,11; *Col.* 1,13. 14. 22 etc.), hic autem praetermittit, quia nulla erat ratio, cur integrum iustificationis processum describeret. Deinde ut homo sua quoque ex parte conditiones ad reconciliationem requisitas cognoscere et implere posset, Deus *posuit in nobis* (Apostolis) *verbum reconciliationis,* « i. e. dedit virtutem et inspiravit in cordibus nostris, ut annuntiemus mundo hanc reconciliationem esse factam per Christum, et hoc faciendo inducamus homines, ut conforment se Christo per baptismum » (*Thom.*). *Verbum reconciliationis* de nuda reconciliationis per Christum factae annuntiatione, ac si totum apostolicum munus in mera praedicatione consisteret, cum *Calv.* aliisque acath. non esse intelligendum, sequentia satis docent, ex quibus elucet, Apostolos velut continuatores muneris Christi considerari, cuius exemplum imitantes hominem ad reconciliationem cum Deo quaerendam exhortatione sua adducere eique media ad eam obtinendam subministrare debent.

Ex eo enim, quod Deus in Apostolis verbum reconciliationis posuerit, Paulus immediate colligit : 20. *pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo : Reconciliamini Deo* (καταλλάγητε τῷ Θεῷ sinite vos reconciliari Deo, vel etiam : efficite, ut Deo reconciliemini). Ac profecto legatione *pro Christo* (ὑπὲρ Χριστοῦ) funguntur, quatenus et eius rem gerunt, quum ad re-

conciliationem per ipsum factam homines adducant, et eius vicem explent, postquam ipse cruci affixus opus sibi a Patre demandatum iam complevit. Atque iure quoque Deus Pater per eos exhortari dicitur, quia ab illo ministerium reconciliationis eis est collatum. Bene *Chrys.* : « Pater Filium misit, qui ipsius nomine exhortaretur ac legationis munus apud homines exerceret; sed quoniam ille necatus abscessit, nos legationi illius successimus atque et illius et Patris nomine vos exhortamur. Tanto nimirum in pretio apud eum est genus humanum, ut et Filium daret, quamvis illum occisum iri sciret, et vestra causa nos Apostolos crearet... Quamobrem nolite existimare, vos a nobis rogari; Christus ipse per nos vos rogat, Pater ipse per nos vos orat. Quid tam superabundanti caritati comparari potest? Deus enim post innumera sua beneficia a nobis contumeliis affectus non tantum poenas non sumsit, sed etiam Filium dedit, ut reconciliaremur; et quum non reconciliarentur illi, quibus (proxime) missus erat, sed morte eum affecerunt, rursus alios legatos misit iisque missis ipse est qui vos rogat ». Itaque Apostoli iuxta Patris ordinationem Christi rem gerentes eiusque locum tenentes munus Christi continuant, et quod Pater per Christum hominem antea fecit, id nunc per Apostolos, Christi vicarios, facere pergit. Pro Christo igitur cunctos obsecrant, ut in gratiam amicitiamque Dei redire studeant ea praestantes, quae ad hunc finem sunt necessaria, fide nimirum ac poenitentia reconciliationem a Christo nobis meritam apprehendentes. Qui enim ex fide viva sunt iustificati, ii pacem habent ad Deum per Iesum Christum (*Rom.* 5,1).

Quam exhortationem ut corroboret, Paulus velut rationem, qua ad reconciliationem istam cum fiducia sperandam et quaerendam moveamur, summum infinitae misericordiae benignitatisque divinae documentum affert : 21. *eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Graecus *textus rec.* hanc sententiam coniunctione causali (γὰρ *enim*) inserta praecedenti adnectit; quae particula, quamvis genuina non esse videatur (cfr *VV. LL.*), duarum sententiarum nexum recte indicat : tamquam legatus enim Paulus exhortationi suae causam addere debuit, qua lectores ad eam sequendam efficaciter permoveret, nec quidquam hoc caritatis divinae argumento efficacius afferre potuit; in eo scilicet Deus caritatem suam erga nos maxime commendavit, quod quum adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est ac Pater Filium suum unigenitum misit in mundum propitiationem pro peccatis nostris, ut viveremus per eum (*Rom.* 5,8; 1 *Ioan.* 4,9 sq.; *Ioan.* 3,16 etc.). Sed singula consideremus. Praeprimis ut caritatem divinam describat, Paulus Filium vocat *eum qui peccatum non cognovit,* qui igitur omni peccato prorsus

carens (cfr *Hebr.* 4,15; 1 *Ioan.* 3,5; 1 *Petr.* 2,22 etc.) ipsamet erat iustitia, ut nihil in eo inveniretur, quo ullam poenam, nedum mortem, mereret. Iam innocentissimum hunc Filium suum Deus *peccatum fecit,* i. e. velut summum peccatorem, in quo praeter peccatum nihil esset, traduxit tractavitque; in eo enim omnium nostrum iniquitatem posuerat (*Is.* 53,6) eumque, quia peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum (1 *Petr.* 2,24), « tamquam peccatorem condemnari, tamquam virum maledictum mori passus est » (*Chrys.*). Hac autem ratione eum tractavit *pro nobis* (ὑπὲρ ἡμῶν nostra causa), *ut nos,* qui peccatores eramus mortisque poenam meruimus, *efficeremur iustitia Dei in ipso,* i. e. ipsi satisfacienti ac morienti inserti ipsius gratia, non nostris meritis, iusti efficeremur iustitia, quam Deus misericorditer nobis donat cordibusque nostris infundit.

Eodem fere modo plerique iuniores ac moderni (cfr *Est. Nat. Pic.* etc., *Bisp. Mai. L R. Dr.*[2]. etc.) cum *Chrys.* eiusque schola versum explicant. « Quaenam est haec oratio, inquit *Chrys.*, quae mens haec consequi et exprimere potest? Eum, qui iustus erat, peccatorem fecit, ut peccatores faceret iustos! At ne sic quidem locutus est, sed aliquid longe sublimius dixit; neque enim concretas, sed abstractas qualitates ipsas posuit. Non enim dixit *fecit peccatorem*, sed *fecit peccatum,* non *eum qui peccatum non perpetrarat,* sed *qui ne norat quidem peccatum*, ut et nos efficeremur non *iusti,* sed *iustitia* ipsa atque adeo *Dei iustitia;* Dei enim est, quum non ex operibus, sed ex gratia, quae omne peccatum prorsus delet, iustificemur ». Eandem interpretationem, iuxta quam in priore membro eadem ratione abstractum (*peccatum*) pro concreto (*peccator*) ad augendam significationis vim adhibitum statuitur, qua in altero *iustitia* pro *iusti* adhiberi omnes concedunt, antiquiores quoque Latini nonnulli (*Lomb*[3]. *Thom*[3]. etc.) probabilem habent, atque iure merito velut locum parallelum afferunt *Gal.* 3,13, ubi Christus pro nobis *maledictum* (κατάρα) factus esse dicitur, quamvis in Scripturae verbis, quae pro argumento afferuntur, concretum (*maledictus* ἐπικατάρατος) sit positum. Plerique tamen antiquiores Latini (*A*[ter], *Pel. Prim. Sed. Haym. Herv. Lomb*[1]. *Thom*[1]. *Lyr. Dion*[1]. etc.) consentientibus haud paucis iunioribus (*Cai. Salm*[1]. *Iust*[1]. *Lap*[1]. *M Ev*[1]. *Dr*[1]. *Ramb.* etc. — *Wolf Ros. Ew. Ritschl* etc.) magna, ut videtur, permoti auctoritate *S. Aug.* (cfr ad Honor. ep. 140 al. 120,3; Enchir. 41; c. Maximin. I. 2; c. duas ep. Pelag. III. 6 etc.), cui ex Graecis *S. Cyr.* suffragatur (cfr *Oec*[2].), in priore membro *peccatum* interpretantur « hostiam pro peccato » ad *Os.* 4,8 (cfr *Lev.* 6,18 οὗτος ὁ νόμος τῆς ἁμαρτίας) provocantes. Quae explicatio, licet tanta auctoritate commendetur, parum nobis probatur. Namque certum quidem est, hebraicum חַטָּאת saepius significatione *sacrificii pro peccato* adhiberi, sed nec Alexandrini, si unicum locum *Lev.* 6,18 excipis (de *Os.* 4,8 cfr *Knabenb.* Comm. in proph. min. I. p. 60), nec ullus Novi Test. scriptor

graeco ἁμαρτία eandem significationem tribuerunt. Porro in brevissima sententia idem vocabulum duobus tam diversis sensibus sumi, ut semel verum peccatum (qui peccatum non cognovit) semel sacrificium (peccatum fecit) significet, parum apte dicitur. Demum alterum membrum, in quo peccato iustitia Dei opponitur, omnino postulat, ut peccatum simili modo, quo iustitia (abstractum pro concreto), sumatur. Multo minus tertia sententia probari potest, quam a *S. Aug.* cum secunda propositam (ll. cc.) iuniores nonnulli afferunt (*Lomb*[2]. *Thom*[2]. *Burg*. etc.), peccatum poni pro similitudine peccati, ut sensus sit : « fecit eum peccatum, i. e. fecit eum assumere carnem mortalem et passibilem » (*Thom.*); is enim tropus admitti nequit, ut homo morti aliisque peccati poenis subiectus vocetur peccatum.

3.) *Qua ratione apostolici operarii caritatem Christi, qua impelluntur, in vita sua manifestent* (6,1-10).

6,1. Adiuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2. Ait enim : Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adiuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis : 3. nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum : 4. sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, 5. in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, 6. in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in caritate non ficta, 7. in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiae a dextris et a sinistris : 8. per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam : ut seductores, et veraces : sicut qui ignoti, et cogniti : 9. quasi morientes, et ecce vivimus : ut castigati, et non mortificati : 10. quasi tristes, semper autem gaudentes : sicut egentes, multos autem locupletantes : tamquam nihil habentes, et omnia possidentes.

6,1. Συνεργοῦντες δὲ καὶ παρακαλοῦμεν μὴ εἰς κενὸν τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ δέξασθαι ὑμᾶς· 2. λέγει γάρ· Καιρῷ δεκτῷ ἐπήκουσά σου, καὶ ἐν ἡμέρᾳ σωτηρίας ἐβοήθησά σοι· ἰδοὺ νῦν καιρὸς εὐπρόσδεκτος, ἰδοὺ νῦν ἡμέρα σωτηρίας, 3. μηδεμίαν ἐν μηδενὶ διδόντες προσκοπήν, ἵνα μὴ μωμηθῇ ἡ διακονία, 4. ἀλλ' ἐν παντὶ συνιστάνοντες ἑαυτοὺς ὡς Θεοῦ διάκονοι, ἐν ὑπομονῇ πολλῇ, ἐν θλίψεσιν, ἐν ἀνάγκαις, ἐν στενοχωρίαις, 5. ἐν πληγαῖς, ἐν φυλακαῖς, ἐν ἀκαταστασίαις, ἐν κόποις, ἐν ἀγρυπνίαις, ἐν νηστείαις· 6. ἐν ἁγνότητι, ἐν γνώσει, ἐν μακροθυμίᾳ, ἐν χρηστότητι, ἐν πνεύματι ἁγίῳ, ἐν ἀγάπῃ ἀνυποκρίτῳ, 7. ἐν λόγῳ ἀληθείας, ἐν δυνάμει Θεοῦ· διὰ τῶν ὅπλων τῆς δικαιοσύνης τῶν δεξιῶν καὶ ἀριστερῶν, 8. διὰ δόξης καὶ ἀτιμίας, διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας· ὡς πλάνοι καὶ ἀληθεῖς, ὡς ἀγνοούμενοι καὶ ἐπιγινωσκόμενοι, 9. ὡς ἀποθνήσκοντες καὶ ἰδοὺ ζῶμεν, ὡς παιδευόμενοι καὶ μὴ θανατούμενοι, 10. ὡς λυπούμενοι, ἀεὶ δὲ χαίροντες, ὡς πτωχοί, πολλοὺς δὲ πλουτίζοντες, ὡς μηδὲν ἔχοντες, καὶ πάντα κατέχοντες [1].

1. *VV. LL.* — 1. συνεργοῦντες δὲ καὶ παρακαλοῦμεν (cooperantes autem *et* exhortamur) est communis lectio Graec., quam cum *Memph. Goth.* etiam tuentur *It.* (*S. Aug. Alter*) et meliores codd. *Vulg.* (*Fuld. Am. Harl.*); particulam καί (*et*) omittunt cum nonnullis minusc. graec. *Sah. Arm.* et plerique codd. *Vulg.* — Pro παρακαλοῦμεν (*exhortamur*), quae est communis lectio, male D E F G παρακαλοῦντες (exhortantes). — 3. ἡ διακονία (ministerium) sine additam. B ℵ C K L P, plerique minusc, *Memph.*; minus apte, ut videtur, ἡ διακονία ἡμῶν (*ministerium nostrum*) D E F G cum

Sese hanc defensionem eum in finem conscribere, ut neophyti de ipso tamquam de genuino ac sincero operario gloriari ipsiusque agendi rationem pseudapostolis opponere possint, Paulus in principio huius sectionis asseruerat (cfr ad 5,12). Quapropter ante omnia caritate Christi pro omnibus morientis vitam veri Apostoli moveri ac regi ostendit (5,14 sqq.), atque nunc agendi rationem, quam Corinthii ipsi oculis suis spectarant, ita eis in memoriam revocat, ut ipsum vitam Christi imitari clarius perspiciant. Itaque inchoatam exhortationem (5,20 *reconciliamini Deo*) neophytis accommodans et Isaiae verbo corroborans (1. 2) primo in loco vitae suae apostolicae indolem generali quodam modo describit (3. 4ª) ac deinde virtutes quas exercet (4ᵇ-7) et vicissitudines externas, quibus turbari se non sinit, uberius enumerat (8-10).

Exhortatio praecedens (*reconciliamini Deo*) proxime infideles spectat, qui in Dei amicitiam nondum sunt reversi; ad neophytos autem merito extenditur, qui reconciliati quidem iam sunt sed in ea perseverare quoque nec novis peccatis eam amittere debent, si salutem consequi volunt. Hinc Apostolus eos diserte alloquens monet : 1. *adiuvantes autem* (cum *S. Aug.* lege : *cooperantes autem et* συνεργοῦντες δὲ καί) *exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Pro praes. *recipiatis* rectius legimus *receperitis;* nam infinitivus aor. (δέξασθαι), licet post verba precandi et exhortandi (παρακαλοῦμεν) de tempore praesente vel etiam futuro cum *Vulg*. sumi per se possit, a plerisque tamen antiquis (cfr *Chrys. Theod.* etc., *Thom.* etc.) et iunioribus (cfr *Er. Est. Nat.* etc. — *Kloepp. Heinr.* etc.) aptius ita intelligitur, ut Apostolus ad praeteritum tempus, quo neophyti Deo reconciliati iam sunt, respiciens eos ad perseverantiam in gratia accepta exhortetur : « ne receptio gratiae sit vobis inutilis et vacua; quod tunc contingit, quando ex perceptione gratiae aliquis non sentit fructum » (*Thom.*) Iuxta *Cai.* et *Est.* quidem gratia, de qua hic agitur, non est interna sive actualis sive habitualis, sed « generale illud beneficium reconciliationis mundi, quod priusquam applicetur in Deo magis quam in homine

It. Vulg. Syr. Sah. Goth. — 4. Formam participii, aut συνιστάνοντες (B P) aut συνιστάντες (א C D F G) aut συνιστῶντες (E K L et plerique minusc.), habent omnes codd. graeci omnesque verss., quibuscum etiam consentit *S. Aug.* (Doctr. christ. IV. 20; de Trin. VIII; 9 : commendantes nosmetipsos): sola *Vulg.* (etiam *Fuld. Am.* etc.) legit *exhibeamus nosmet ipsos*, quam lectionem *Est.* ex Officio ecclesiastico (Dom. 1. Quadr.), ubi Ecclesia locum hunc ad omnes fideles accommodet, in codices Scripturae irrepsisse haud inepte censet. — ὡς θεοῦ διάκονοι (sicut Dei ministri) est communis lectio Graecorum, pro qua solus D cum *It.* et *Vulg.* : ὡς θεοῦ διακόνους (*sicut Dei ministros*).

intelligatur », nimirum « benigna Dei voluntas, qua Filium suum nobis dederit propitiatorem »; at quam parum apta haec sit explicatio, nemo non videt; quomodo enim haec benigna Dei voluntas ab hominibus recipi (δέχεσθαι) dici potest? Recte igitur reliqui omnes de vera gratia interna Paulum loqui tenent. Quoniam vero « in vacuum gratiam Dei accipit, qui in Novo Testamento non novus est » (*Pel.*), Corinthii in vacuum (εἰς κενόν i. e. frustra) Deo reconciliati essent, si « post tantam Dei sollicitudinem iterum labentes nec egregia virtutis specimina edentes tantis bonis rursus exciderent » (*Chrys.*); quae verba explicans *Theoph.* : « quid prodest, inquit, a peccatis divina gratia liberari, si quis iisdem iterum per propriam socordiam inquinatur? Nolite igitur existimare, quod in sola fide sit reconciliatio; vita quoque est necessaria »; « quicumque igitur gratia percepta non utitur ad vitandum peccatum et consequendam vitam aeternam, hic gratiam Dei in vanum recepit » (*Thom.*). Disceptatur, quocum Paulus apostolicos operarios dicat cooperari (συνεργοῦντες δὲ καὶ παρακαλοῦμεν); clarum autem ex contextu esse arbitror, eos eadem ratione, qua 1 *Cor.* 3,9, vocari Dei cooperatores, quippe qui, quum per eos exhortetur (5,20), eorum auxilio utatur (cfr *Oec. Herv. Thom. Lyr. Est. Iust. Lap. Nat. Pic. M Ev. Mai. L R.* etc. — *Hofm. Kloepp.* etc.). A qua sententia haud longe quidem discedunt, qui eos cum Christo cooperari dicunt (*Dion. Bisp.* etc. — *Mey.* etc.), minus accurate tamen loqui videntur, siquidem Apostoli hoc in loco velut Christi vicarii potius quam adiutores considerantur (5,20), neque legatus ei, a quo missus est, cooperari apte dicitur. Neque nobis probatur *Chrys.* sententia, qui Apostolum Corinthiis cooperari dicit, atque multo minus acath. nonnullorum novae explicationes, qui Paulum aut sese aliis Apostolis vel doctoribus corinthiis adiungere (*Heum.* etc.) aut exhortationis verbum operibus totaque sua agendi ratione confirmare putant (*Heinr.* etc.). Haec enim omnia a contextu aberrant.

Itaque pro munere sibi collato Apostoli tamquam Dei ipsius cooperatores non tantum precantur (δεόμεθα 5,20) sed *et* exhortantur (καὶ παρακαλοῦμεν) fideles, ne gratiam acceptam negligant. Sicuti autem priori precationi, ita huic exhortationi Paulus rationem addit, qua eam corroboret, eamque ex ipsius temporis messianici, quo degimus, indole desumit : 2. *ait enim* (nimirum *Deus*) *: Tempore accepto* (καιρῷ δεκτῷ) *exaudivi te et in die salutis adiuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile* (καιρὸς εὐπρόσδεκτος tempus bene acceptum s. acceptissimum), *ecce nunc dies salutis.* Priora verba ex *Is.* 49,8 secundum Alexandrinos, qui textum hebr. accurate expresserunt, sunt allegata atque quasi compendio

quodam benedictiones aetatis messianicae complectuntur. Ad servum Domini (Messiam) enim a Patre diriguntur, eique precum, quibus operis ad novum foedus instituendum suscepti successum efflagitaverat, exauditionem felicemque laborum afflictionumque, quibus eundem in finem sese submiserat, exitum ita promittunt, ut eum lucem salutemque totius generis humani fore praenuntient. Atqui tempus illud a propheta praedictum, quod vere acceptissimum, i. e. tempus gratiae benevolentiaeque (עֵת רָצוֹן), erit, quia Deus in eo consolabitur populum suum et pauperum suorum miserebitur, Apostolus iam advenisse proclamat atque ita cavendum esse docet, ne quis gratiam acceptam negligens sese ipse fructibus beatissimae illius aetatis privet. Literali ergo sensu Paulus verbis propheticis utitur ad exhortationem suam urgendam; si quis enim gratiis temporis messianici non utitur, nullam iam habet salutis spem. Nulla vero suppetit ratio, quae suadeat, ut cum nonnullis interpretibus verba prophetae sensu accommodato adhibita esse dicamus, ac si pronomine *te* non tam solus Messias, quam singula membra eius mystica, et *tempore accepto* non tam aetas messianica quam vitae tempus singulis fidelibus ad salutem operandam concessum significarentur.

Versus 2. parenthesin constituit, ita ut *v*. 3. sqq. cum *v*. 1. immediate sint connectendi. Quem nexum versio latina antiquitus iam obscuravit, quum in *v*. 4. pro participio συνιστάνοντες, quod *S. Aug*. quoque in suo codice expressum habuit (*commendantes* cfr *VV. LL.*), exhortativum (*Aler*: commendemus, *Vulg*. : exhibeamus) substitueret. Qua lectione in errorem inducti antiquiores Latini haud pauci (cfr *Herv. Thom. Lyr. Dion*. etc.) ea quae sequuntur (3-10) pro exhortatione habent, qua omnes fideles doceantur, quomodo hoc salutis tempore sese gerere debeant. At cum *S. Aug.*[1] Graecisque (cfr *Chrys. Theod*. etc.) iuniores ac moderni tantum non omnes recte tenent, ea ad solos ministros Evangelii referri iisque genuinorum virorum apostolicorum agendi rationem describi. Etenim participia διδόν-

1. Cfr Doctr. christ. IV. 20,42; de Trin. VIII. 9. In utroque loco integram descriptionem *S. Aug*. transcribit et de evangelico ministerio, pro quo « patienter mala huius temporis cum solatio donorum Dei omnia tolerentur » intelligit. In priore tamen loco eam affert, ut grande dicendi genus in Scripturis quoque inveniri exemplo ostendat. Grande autem a temperato genere in eo maxime differre monet, quod non tam verborum ornatibus comptum, quam violentum animi affectibus sit : « Nam capit etiam ornamenta paene omnia, sed ea, si non habuerit, non requirit. Fertur quippe impetu suo et elocutionis pulchritudinem, si occurrerit, vi rerum rapit, non cura decoris assumit. Satis enim est ei propter quod agitur, ut verba congruentia non oris eligantur industria, sed pectoris sequantur ardorem ». Iam vero hic quoque « magna res est et granditer agitur, nec desunt ornamenta dicendi »; nam ad hanc S. Aug. sententiam respiciens eamque confirmans recte *Erasm*. : « totus hic sermo per contraria, per membra, per comparia, per similiter desinentia, per ἀναδιπλώσεις aliaque id genus schemata variatur volvitur ac rotatur, ut nihil esse possit vel venustius vel ardentius ».

τες et συνιστάνοντες (dantes, commendantes *vv.* 3.4), a quibus reliqua dependent, velut appositiones participio συνεργοῦντες (cooperantes *v.* 1) sunt addita, ut explicent, quomodo Paulus sociique eius cum Deo cooperantes legatione sua pro Christo fungantur (cooperantes exhortamur... nemini dantes ullam offensionem... sed in omnibus commendantès nosmetipsos... in multa patientia etc.). Quae descriptio ipsam quoque exhortationem efficaciorem reddit, siquidem eam a viro proficisci ostendit, qui tota sua vivendi agendique ratione genuinus Dei minister probetur. De se ipso autem solo, quamvis primam pers. *plur.* adhibeat, maxime loquitur et in sua persona imaginem vitae vere apostolicae proponit.

A generali descriptione ita exorditur, ut quid in integra sua vita caveat quidque quaerat una quasi sententia comprehendat : cooperantes exhortamur 3. *nemini dantes ullam offensionem* (vel iuxta graecum μηδεμίαν ἐν μηδενὶ διδόντες προσκοπήν accuratius *S. Aug.* l. c. : *nullam in quoquam dantes offensionem*), *ut non* (ἵνα μή ne) *vituperetur ministerium* (*nostrum*); 4. *sed in omnibus* commendantes *nosmet ipsos sicut Dei ministros* (rectius : *sicut Dei ministri* cfr *VV. LL.*). Necesse est, inquit *S. Greg. M.*, eius praedicationem negligi, cuius vita despicitur; ideo Apostolo summae semper curae fuit, ut omnem offensionem fratrum evitaret, omniaque sustinere maluit, ne quod offendiculum daret Evangelio Christi (1 *Cor.* 9,12;10,33 etc.). Neque suae ipsius tantum praedicationi nocet ille, qui id non curat, ut nullam omnino in ulla re (ἐν μηδενί) offensionem det, sed aliorum quoque fructus impedit; fieri enim solet, ut auditores defectus, quos in praedicatore deprehendunt, doctrinae ipsi ab illo traditae adscribant ideoque eandem etiam vituperent, si ab aliis praedicatur. Unde totum ministerium (ἡ διακονία), cuius praestantiam Apostolus antea tam eloquenter demonstravit, reprehensionem incurreret, si vel unus ex ministris iustam offensionis causam daret. Quapropter cuncti eadem ratione, qua Paulus sese egisse testatur, id studere tenentur, ut in omni re (ἐν παντί) sese commendent, sicut Dei ministri genuini facere solent, vel (si latinam lectionem sequimur) : ut tamquam genuini ministri agnoscantur.

Porro quia genuinus Dei minister non verbis sed factis, quibus conspicuus est, sese commendat (cfr 5,11), Paulus virtutes, quas in vita sua apostolica exercet, recenset a patientia initium capiens, quippe quae Apostolis maxime sit necessaria cuiusque manifestandae sese eis innumerae occasiones praebeant; fundamentum omnium bonorum eam *Chrys.* ideo haud immerito appellat (cfr *Rom.* 5,3 sq.; *Iac.* 1,3 sq. etc.). Sese commendant igitur viri apostolici, sicut Dei ministros decet, *in multa patientia*, (quam exhibent) *in tribulationibus*, *in necessitatibus*, *in angustiis*, 5. *in plagis*, *in carceribus*, *in seditionibus*,

in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis. Quamvis omnia haec membra eadem praepositione (ἐν *in*) introducantur, evidens tamen est, illa non omnia inter se esse parallela; sed primum solum indicat virtutem, qua Apostolus sese commendat (ἐν instrum. i. q. *per*), reliqua occasiones virtutis exercendae enumerant (ἐν quasi loc.) et primo subiunguntur. Quemadmodum iam suis explicationibus antiquiores innuerunt (cfr *Theod. Oec.* etc., *Est.* etc.), novem adversa, in quibus Apostoli patientia sua sese commendant, tribus membris ternariis ita recensentur, ut in primo ternario generatim secundum suam gravitatem distinguantur, in secundo species nonnullae eorum, quae ab aliis inferuntur, in tertio species quaedam eorum, quae spontanee suscipiuntur, velut exempla ponantur. Multo plures enim, quam hic nominantur, Paulo fuisse exercendae patientiae occasiones, uberior accuratiorque enumeratio docet, quam alibi adversariis suis opponit (11,23-28). Iam in primo ternario a *tribulationibus* (ἐν θλίψεσιν), quae expressio omnes etiam leves aerumnas complectitur, ad *necessitates* (ἐν ἀνάγκαις), quae utpote inevitabiles iam ex gravioribus sunt, et ad *angustias* (ἐν στενοχωρίαις) ascendit, quae tam graves sunt, ut quomodo ex iis liberetur homo non videat (cfr ad 4,8). Sequuntur tres species aerumnarum, quae ab aliis inferuntur eo ordine, ut videtur, dispositae, quo magis labores apostolicos impediunt ac proin patientiam magis exercent. *Plagis* (ἐν πληγαῖς), quamvis sint turpiores, minus quam *carceribus* (ἐν φυλακαῖς) ab Evangelio propagando Apostoli retrahuntur; in *seditionibus* autem (ἐν ἀκαταστασίαις), quibus publicus rerum ordo perturbatur, sese ministerio suo fungi non potuisse, Paulus plus semel expertus est (cfr *Act.* 13,50; 14,5;17,5 sqq. etc.). Eadem gradatio in secundo ternario servatur, si vocabulum ἀκαταστασίας, quod in plerisque Novi Test. locis perturbationem ordinis significat (*Luc.* 21,9; 1 *Cor.* 14,33.), hic cum *Chrys.* aliisque Graecis *instabilitatem* (cfr 1 *Cor.* 4,11) explicaveris, quatenus nimirum Apostoli continuis persecutionibus circumvagari cogebantur, ut nullibi sedem figere opusque inchoatum ad finem perducere possent. In tertio demum membro Paulus « aerumnas illas innuit, quas huc illuc cursando victumque manibus suis quaerendo exantlabat, noctesque, quas in docendo vel etiam laborando conterebat; neque ieiunia afferre omittebat, quamquam reliqua iam pro mille ieiuniis sufficiebant » (*Chrys.*).

A patientia ad reliquas virtutes enumerandas transit, atque novem membra proxime sequentia, quorum octo priora praepositione ἐν (instrum. i. q. *per*) iterum afferuntur, primo (ἐν ὑπομονῇ *in patientia*) respondent : 6. *in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavi-*

tate, in Spiritu sancto, in caritate non ficta, 7. *in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiae a dextris et a sinistris* (vel iuxta graecum : διὰ τῶν ὅπλων τῆς δικαιοσύνης τῶν δεξιῶν καὶ ἀριστερῶν cum *S. Aug.* in Ps. 92 n. 2 rectius : *per arma iustitiae dextra et sinistra*). In hac enumeratione videtur ea membrorum dispositio servata, ut sex prima ipsam agendi rationem, duo quae sequuntur praedicationem spectent ultimumque priora quasi complectatur. Incipit autem a vitae suae puritate atque sua in agendo prudentia (ἐν ἁγνότητι, ἐν γνώσει). Nam ἁγνότης (quod nomen pro vulgatiore ἁγνεία hic tantum ac forte 11,3 adhibetur) omnimodam animi puritatem sanctitatemque proxime significat (cfr ἁγνός *Phil.* 4,8; 1 *Tim.* 5,22; *Iac.* 3,17), nec ulla est ratio, cur cum multis Latinis (*Thom. Cai. Nat. Pic. MEv.* etc.) ad solam castitatem, quae praecipuum sit sacerdotis ornamentum, aut cum nonnullis Graecis (*Theod.* etc.) ad solam integritatem illam, qua Paulus sine sumtu ponebat Evangelium (1 *Cor.* 9,18), vocabuli sensum restringamus. Porro scientiam hic maxime intelligi arbitramur ethicam, quae in vita iuxta evangelicam doctrinam instituta sese manifestat, vel potius prudentiam apostolicam, quae quid pro personarum temporum locorum varietate iuxta Dei voluntatem agendum sit, ministrum Dei docet. Neque enim universalior significatio, quam cum *Chrys.* etiam nonnulli moderni praeferunt intimiorem omnium rerum divinarum cognitionem intelligentes, neque strictior, quam *Theod.* voci tribuit, ut idem quod doctrinae christianae institutio sit (ἡ διδασκαλία), contextui videntur respondere.

Sequuntur duae virtutes, quas Paulus etiam alibi coniungit (1 *Cor.* 13,4; *Gal.* 5,22), *longanimitas* (ἐν μακροθυμίᾳ), qua adversarii peccatoresque tolerantur, et *suavitas* (ἐν χρηστότητι *A*[ler] : in benignitate, *Aug.* : in bonitate), qua infirmi foventur ac promoventur, ut utrique tandem ad Christum adducantur. Quamvis longanimitas et suavitas inter fructus Spiritus S. recenseantur (*Gal.* 5,22), quintum membrum (*in Spiritu sancto*) non ideo additum est, ut quo ex fonte Apostoli suas virtutes hauserint doceatur, id quod nonnulli antiquiores et moderni censent (*Chrys. Oec. Theoph*[1]. etc. — *Kl Br. Heinr.* etc.); parum apte enim enumeratio interrumperetur, si hoc sensu membrum intelligeretur. Aptior procul dubio multorum aliorum est sententia, qui virtutem Spiritus S. designari putant, quae in efficaci praedicatione sese manifestat, quando Spiritus animum praedicatoris copiosa luce illustrat, auditorum animos ad doctrinam auditam accipiendam praeparat movetque, praedicationem ipsam charismatum suorum largitione confirmat (cfr *Theoph*[2]. *Est. Lap. Nat. Pic. M Ev. Mai. Bisp.* etc.);

apostolicam enim praedicationem non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis sed in demonstratione virtutis Spiritus esse, Paulo fuit persuasum (cfr 1 *Cor.* 2,4). Neque tamen haec quoque explicatio admitti potest, nisi ordinem perturbare velimus, quum de praedicatione membris 7. et 8. agatur, membrum 6. autem de ea intelligi nequeat. Itaque ad antiquiorum Latinorum (*Prim. Sed. Haym.* etc.) interpretationem respicientes Apostolos eatenus sese Spiritu S. commendasse censemus, quatenus tota sua vivendi agendique ratione ostendebant, sese a Spiritu S. vere regi ac gubernari atque id unum quaerere, ut digna Spiritus habitacula et instrumenta se exhiberent. Hac ratione apte adnectitur sextum membrum *in caritate non ficta* (ἐν ἀγάπῃ ἀνυποκρίτῳ cfr *Rom.* 12,9, ubi *Vulg.* vertit : dilectio sine simulatione). Sincera enim haec caritas, « quae non in externo tantum habitu cernitur, sed factis probatur » (*Theod.*), omnium aliarum virtutum quasi forma est (cfr ad 1 *Cor.* 13,4) ideoque totius vitae apostolicae anima recte dicitur. De praedicatione tandem agunt duo quae sequuntur membra : *in verbo veritatis, in virtute Dei.* A pseudapostolis enim plane dissidentes Paulus sociique eius manifestatione veritatis sese commendabant ad omnium hominum conscientiam coram Deo ex sinceritate loquentes in Christo (4,2; 2,17); quare etiam virtus Dei eis adfuit praedicantibus praedicationemque miraculis confirmavit.

Membrum nonum : *per* (διά) *arma iustitiae dextra et sinistra*, quod praepositione διά affertur, utrum priori huic virtutum enumerationi velut clausula adnectatur oporteat, an exordium quoddam sit sequentis enumerationis, cuius priora membra etiam praepositione διά introducuntur, in controversia est. Antiquiores longe plerique illud cum sequente connectunt; arma enim iustitiae dextra et sinistra eis sunt prospera et adversa, quibus Apostolus utatur velut instrumentis (ὅπλα) virtutum, quum in prosperis humilem ac temperantem, in adversis fortem et patientem se exhibeat; quam generalem sententiam deinde reliquis membris (per gloriam et ignobilitatem etc.) expoliri putant[1] (cfr *Chrys. Theod.* etc., *Pel. Sed.* etc., *Thom. Lyr. Dion.* etc. *Cai.*, *Est. Iust.* etc.). Quam explicationem per se aptam esse non negamus; aptius tamen moderni plerique verba haec priori virtutum, quibus Apostoli conspicui sint, enumerationi velut clausulam addunt, qua cunctae per armorum metaphoram Paulo usitatam comprehendantur. Frequenter scilicet vitam christianam certationi vel pugnae comparans, in qua gladiatoribus vel militibus, ut victoriam consequantur, strenue est dimi-

1. *Theod.* « Omnia pugnant ex diametro, gloria et ignominia, obtrectatio et laus, mors et vita, gaudium et tristitia. Attamen et haec et illa dicit arma iustitiae et per ea, quae inter se sunt contraria, unam virtutem temperavit. Nam neque gloria eum extulit, neque ignominia deiecit, nec laus eum inflavit, nec obtrectatio cruciavit, sed per contraria ingrediens mansit immutabilis. Dextra autem vocat ea, quae animo grata esse solent, sinistra vero quae sunt contraria, ex vulgari opinione nomina imponens » etc.

candum (cfr ad 1*Cor*. 9,24), virtutes aut etiam virtutum opera tamquam totidem armaconsiderat ad hanc pugnam necessaria (cfr *Eph*. 6,13 sqq.; *Rom*. 13,12 etc.), atque hoc solo tropico sensu nomen *armorum* adhibet. Loquendi igitur usui eius convenit, ut Apostolos quoque tamquam milites describat armis suis sese commendantes, ac revera alibi quoque eos bellatoribus arma gerentibus comparat (10,4). Porro *arma iustitiae* virtutes apostolicas nominat, quia iustitiae propagandae tuendaeque sunt accommodata vel etiam quia a iustitia subministrantur (cfr *Rom*. 6,13, ubi iustitiae arma armis iniquitatis opponuntur). Inter virtutes autem aliae Apostolis ad Evangelium propagandum adversariosque iugo Christi subiiciendos magis inserviunt; aliis sese ipsos tuentur defenduntque, ne postquam aliis praedicaverint ipsi reprobi inveniantur; itaque imagini suae inhaerens Paulus arma distinguit, ut ita dicamus, *offensiva*, quae manu dextra (uti gladius) geruntur ideoque *dextra* appellari possunt, et *defensiva*,, quae manu sinistra (sicut scutum) geruntur ac *sinistra* vocantur. Haec dextrorum sinistrorumque armorum explicatio, quam *Cai*. iam insinuavit sed non retinuit, nullo quidem loco parallelo confirmari potest; at nullum quoque exstat exemplum, quo Patrum antiquiorumque interpretum sententia, qui armis dextris sinistrisque res prosperas et adversas significari tenent, probabilis reddatur; immo vero eorum explicatio ab usu loquendi Pauli, qui armis semper tropice aut virtutes aut opera virtutis intelligit, videtur aliena.

Apposite nunc aliquas vitae conditiones, in quibus constituti ministri Dei sese commendant, Apostolus addit, ut eos ab externis istis rebus non dependere appareat: 8. *per gloriam et ignobilitatem* (vel accuratius: *ignominiam*), *per infamiam et bonam famam*. Eadem ratione, qua *v*. 4. praepositio ἐν (*in*) duplici sensu, instrumentali (ἐν ὑπομονῇ *in* patientia) et quasi locali (ἐν θλίψεσιν *in* tribulationibus), adhibetur, hoc in loco significatio praepositionis διά (*per*) variatur, quum etiam in praecedente membro de instrumento (διὰ τῶν ὅπλων *per* arma), hic autem de statu, in quo positus vel potius per quem quasi transiens aliquis agit (διὰ δόξης *per gloriam* cfr ad 3,11; 5,7) usurpetur. Quaecumque ergo externa est vitae eorum conditio, sui semper similes eandem viam Apostoli tenent earumdemque virtutum exercitio commendantur: neque enim, si honore afficiuntur, superbire seseque iactare incipiunt, neque animos despondent, si ignominiose tractantur; neque adversariorum conviciis calumniisque neque laudibus amicorum moventur, ut ab integritate sinceritateque vitae recedant.

Quin etiam non tam verbis, quam ipsis suis virtutibus calumnias refutant: septem enim membris Paulus iis, quae adversarii in Apostolis criminantur, ea opponit quae in iis revera inveniuntur, atque hac ratione magnificam hanc genuinorum ministrorum Dei descriptionem magnifice terminat: *ut seductores, et veraces: sicut qui ignoti, et*

cogniti : 9. quasi morientes, et ecce vivimus : ut castigati, et non mortificati : 10. quasi tristes, semper autem gaudentes : sicut egentes, multos autem locupletantes : tamquam nihil habentes, et omnia possidentes. Singulari cum vi omnia membra ab eadem particula (ὡς) inchoantur, qua adversariorum erronea iudicia vel potius calumniae introducuntur; neque satis recte Vulgata particulas variavit (*ut, sicut, quasi, tamquam*), quum eadem (*quasi*) ubique potius esset retinenda Porro coniunctio καί (*et*), qua calumniae opponitur veritas, hic sensum habet adversativum, ideoque in quinto et sexto membro particula δέ (*autem*) ei substituitur. Itaque traducuntur quidem Apostoli, sicut olim eorum magister (*Matth.* 27,63), quasi *seductores,* qui doctrinis suis populum in errorem inducant, sunt autem *veraces,* qui verbo veritatis sese commendant (*v.* 7); quasi *qui ignoti* sint (ἀγνοούμενοι) habentur, utpote qui rebus gestis tamquam ministri Dei nondum innotuerint (vel iuxta alios : qui nullius sint pretii cfr 1 *Cor.* 14,38), verum *cogniti* sunt in Ecclesia Dei, immo bene cogniti (ἐπιγινωσκόμενοι cfr ad 1 *Cor.* 13,12); ob continua in quibus versantur vitae pericula quasi iamiam *morientes*, quasi viri, qui propter sua peccata a Deo *castigantur,* ab adversariis incusantur, ecce autem *vivunt* neque *occidi* permittuntur (μὴ θανατούμενοι), ut vita Iesu in eorum carne mortali manifestetur (cfr 4,8 sqq.); quasi *tristes* esse continuoque in moerore versari adversariis videntur, *semper autem gaudentes* sunt in Domino superabundantque consolatione, multis suis magnisque tribulationibus non obstantibus, quippe quae ipsae ad gaudium eorum verum augendum conferant (cfr *Act.* 5,41 etc.); quasi *egentes* (vel rectius : *mendici* πτωχοί) atque *nihil habentes* irridentur, *omnia* vero bona spiritualia, quamvis temporalibus careant, *possident* iisque alios quoque *multos locupletant.* Cum Graecis (*Chrys. Theod.* etc.) etiam haud pauci Latini (cfr *Pel. Sed. Haym. Est. Lap. Pic. M Ev. Dr.* etc.) Apostolum ultimis duobus membris non de solis spiritualibus, sed etiam de temporalibus bonis cogitasse censent, quae possideat quibusque alios locupletet, quatenus nimirum a fidelibus eleemosynas colligens pauperes ditaverit atque etiam certo quodam modo fidelium bonis opibusque uti potuerit. Quae duorum membrorum explicatio verbis quidem paulinis consonat, nescio tamen an contextui satis apte congruat; nam quum sine ullo dubio in septimo solum gaudium spirituale sit intelligendum, oratio decresceret, si de rebus temporalibus in octavo et nono cogitaretur.

§ 4. *Apologiae epilogus* (6,11-7,16).

Inconstantiae superbiaeque calumnias refutans totiusque suae vitae apostolicae finem rationemque magna cum ingenuitate explanans Paulus summum quo Corinthios amplectebatur amorem manifestaverat. Iure merito igitur in epilogo eos obsecrat, ut sibi eandem quam illis semper exhibuerat caritatem rependentes iuxta sua monita a pravis infidelium moribus imitandis abstineant (6,11-7,1); deinde consolatione, quam ex Titi relatione percepit, descripta sese eis eundem amorem eandemque fiduciam semper servare ostendit, atque hac ratione etiam ultima diffidentiae malaeque suspicionis vestigia ex eorum animis expellere studet (7,2-16).

1. *Caritati Apostoli neophyti vitiis ethnicorum vitatis respondeant* (6,11-7,1).

6,11. Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est. 12. Non angustiamini in nobis : angustiamini autem in visceribus vestris : 13. eandem autem habentes remunerationem, tamquam filiis dico, dilatamini et vos.

14. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas luci ad tenebras? 15. Quae autem conventio Christi ad Belial? aut quae pars fideli cum infideli? 16. Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus : Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. 17. Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis : 18. et ego recipiam vos, et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens. 7,1. Has ergo habentes promissiones, carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.

6,11. Τὸ στόμα ἡμῶν ἀνέῳγεν πρὸς ὑμᾶς, Κορίνθιοι, ἡ καρδία ὑμῶν πεπλάτυνται· 12. οὐ στενοχωρεῖσθε ἐν ἡμῖν, στενοχωρεῖσθε δὲ ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν· 13. τὴν δὲ αὐτὴν ἀντιμισθίαν, ὡς τέκνοις λέγω, πλατύνθητε καὶ ὑμεῖς.

14. Μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις· τίς γὰρ μετοχὴ δικαιοσύνῃ καὶ ἀνομίᾳ, ἢ τίς κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος; 15. τίς δὲ συμφώνησις Χριστοῦ πρὸς Βελίαρ, ἢ τίς μερὶς πιστῷ μετὰ ἀπίστου; 16. τίς δὲ συγκατάθεσις ναῷ Θεοῦ μετὰ εἰδώλων; ἡμεῖς γὰρ ναὸς Θεοῦ ἐσμὲν ζῶντος, καθὼς εἶπεν ὁ Θεὸς ὅτι ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς καὶ ἐμπεριπατήσω, καὶ ἔσομαι αὐτῶν Θεός, καὶ αὐτοὶ ἔσονταί μου λαός. 17. Διὸ ἐξέλθατε ἐκ μέσου αὐτῶν καὶ ἀφορίσθητε, λέγει Κύριος, καὶ ἀκαθάρτου μὴ ἅπτεσθε· 18. κἀγὼ εἰσδέξομαι ὑμᾶς, καὶ ἔσομαι ὑμῖν εἰς πατέρα, καὶ ὑμεῖς ἔσεσθέ μοι εἰς υἱοὺς καὶ θυγατέρας, λέγει Κύριος παντοκράτωρ· 7,1 ταύτας οὖν ἔχοντες τὰς ἐπαγγελίας, ἀγαπητοί, καθαρίσωμεν ἑαυτοὺς ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος, ἐπιτελοῦντες ἁγιωσύνην ἐν φόβῳ Θεοῦ [1].

1. — VV. LL. — 11. ἡ καρδία ὑμῶν (*cor vestrum*) B ℵ; est error librarii pro ἡ καρδία ἡμῶν (*cor nostrum*), uti legunt reliqui testes. — 15. Βελίαρ (Beliar) B ℵ C L P, multi minusc., *Copt. Arm. Aeth.* et nonnulli boni codd. *Vulg.* (*Fuld. Harl.*) et *Syr.*; Βελίαν (Belian) D E K, pauci minusc. graeci, *Syr.* (codd.) ac teste *S. Hier.* in Eph. 4,27 multi codd. Latini; porro Βελίαβ (Beliab) F G, ac tandem Βελίαλ (Belial) pauci minusc. graeci et plerique codd. latini. — 16. ἡμεῖς γὰρ ναὸς Θεοῦ ἐσμέν (*nos enim*

Tenerrime neophytos Paulus obsecrat, ut caritati suae, quam eis exhibuit, eadem caritate respondeant (11-13), et quum caritas opere probetur oporteat, eos monet, ut ab infidelium vitiis sese abstineant, quippe quae christianae religionis sanctitati repugnent (14-16); illi enim, quibus Deus est pater, ab omni inquinamento prorsus mundi esse debent (6,17-7,1).

Ne apostolicae vitae rationem explanans virtutumque apostolicarum tam magnificam imaginem depingens praedicatorem suarum laudum agere voluisse videretur, magno suo Corinthiorum amore ad haec scribenda sese quasi coactum fuisse asserit: 11. *os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est.* Hic amantium est mos, ut iis, quos amant, omnes suos sensus patefaciant cunctaque libere coram iis proferant nihil reticentes nihilque dissimulantes; « nam quod in corpore sunt manuum complexus, hoc in animo est sermonis commercium » (*Chrys.*). Per se quidem expressio satis frequens *aperuit os suum* de iis maxime usurpatur, quorum verba velut gravia considerationeque digna commendantur (*Matth.* 5,2; 13,35; 17,27 etc.; cfr *Knabenbauer* Comm. in Iob 3,1); quem sensum retinentes nostram sententiam nonnulli pro introductione sequentis moniti habent (« non possum silere et pro salute vestra vos non commonefacere » *Est.*). Attamen si ad ea attendimus, quae Apostolus per totam epistolam atque imprimis in praecedente pericope tanta cum simplicitate et ingenuitate de se ipso suisque rebus erat locutus, satis apparet, hoc in loco verba *os meum apertum est ad vos* de aperto liberoque sermone, quo amici inter se utuntur, esse intelligenda eumque in finem adiecta ab Apostolo, ut ingenuitatis, qua locutus erat, fontem amorem suum esse demonstraret. Cui explicationi, uti recte iam monet *Chrys.*, familiaris quoque compellatio *o Corinthii* favet; « eorum enim, quos amamus, nuda nomina nobis in ore versari solent »; solos Philippenses, quorum ecclesiam gaudium suum et coronam suam vocat, eadem cum familiaritate nominatim compellat (*Phil.* 4,15). Extra omnem demum dubitationem explicatio nostra altero membro ponitur (*cor nostrum dilatatum est*), quod de caritate cor dilatante cum Graecis plerique recte interpretantur; quominus vero de gaudio (cfr *Is.* 60,5) cum *Est.* aut cum antiquioribus Latinis nonnullis (*Herv. Thom.* etc.) de rerum coelestium desiderio ac studio

templum Dei *sumus*) B ℵ D L P, pauci minusc., *Copt. Aeth.* et *S. Aug.* (ep. 187,12); haud minus apte *textus rec.*: ὑμεῖς γὰρ ναὸς Θεοῦ ἐστέ (*vos enim templum Dei estis*) cum reliquis testibus. — Satis multae aliae in hac pericope (praesertim *vv.* 14. 15. 16) sunt variae lectiones, quas praetermittimus, quia nullo modo sensum sententiarum mutant.

explicetur, contextus prohibet. « Quemadmodum autem, inquit *Chrys.*, calor res dilatare solet, ita et caritatis munus est dilatare; calida quippe et fervens est virtus ». Itaque Paulus « non solo ore amorem suum ostendit, sed etiam corde amplo ac lato; amoris enim fervor et os eius aperuit et cor eius dilatavit amplumque reddidit, ut eos omnes iam caperet »(Theoph.).

Neque vero omnes dumtaxat capit cor eius amore dilatatum, sed spatiosum omnibus locum praebet, licet Corinthiorum corda tam angusta sint, ut Apostolo simile spatium non concedant : 12. *non angustiamini in nobis : angustiamini autem in cordibus vestris.* Perpulchra est haec imaginis adhibitae expolitio : sicut is qui non amatur ex corde quasi expellitur, ut ne memoria quidem eius retineatur (cfr *Theod.*), ita is qui amatur in corde amantis quasi in domo sua residet (7,3; *Phil.* 1,7) eoque maiorem in illo locum obtinet, quo magis amatur. At persuasum erat Paulo, se quo plus Corinthios amaret, eo minus ab eis redamari (cfr 12,15); quapropter non sine amaritudine dicere ei licuit, eos quidem in suo ipsius corde tam amplum occupare spatium, ut non coarctati in eo versari possint, eorum vero corda ita esse in angustum redacta, ut ipsi nihil spatii in eis sit concessum. Suspicionibus enim, quas pseudapostolorum calumniae in neophytorum animis excitaverant, morositate, quam Pauli severa monita et acerbae obiurgationes provocaverant, studio partium aliisque eiusmodi rebus sicut angustiis quibusdam corda eorum coarctabantur, ut amori Apostoli aditus esset praeclusus.

Iamvero qui amat, is etiam redamari cupit similemque amorem iure suo exspectat; non nimium ergo postulat Apostolus, si ab eis, quos velut filios suos amat, tamquam pater amari desiderat : 13. *eandem autem* (*habentes*) *remunerationem, tamquam filiis dico : Dilatamini et vos.* Latinam versionem, in quam sententiae complendae gratia interpres participium *habentes* inseruit, apte cum *Thom.* explicabimus : « quia eandem habebitis remunerationem nobiscum, studete habere latum cor, sicut nos habemus »; idem mutui amoris patris et filiorum repositum est praemium : tamquam pater igitur vos filios meos exhortor, ut corda vestra dilatantes mihi tantum locum concedatis, quantum in corde meo tenetis.

At plane arbitrario neque etiam satis recte (quia ἀντιμισθία non est idem quod μισθός *merces*) participium *habentes* suppletur, licet graecam sententiam (τὴν δὲ αὐτὴν ἀντιμισθίαν, ὡς τέκνοις λέγω, πλατύνθητε καὶ ὑμεῖς) aliquid anacoluthici habere non negemus. *Chrys.* quidem anacoluthum non agnoscit, quum accusativum τὴν αὐτὴν ἀντιμισθίαν (brachylogice pro τὸ αὐτὸ ὅ ἐστιν ἀντιμισθία vel ἵνα ᾖ ἀντιμισθία) a verbo λέγω, cui praecipiendi vim tribuit, dependere censet, ut sit sensus : « idem (sc. eundem amorem, quem ego tamquam pater erga vos foveo) velut aequalem compensatio-

nem vobis tamquam filiis praecipio; dilatate corda vestra vos quoque ». Plerique tamen Paulum verba ὡς τέκνοις λέγω (tamquam filiis dico) interiecisse, ut quo cum iure de ἀντιμισθίᾳ (aequali compensatione) loqueretur Corinthiis a se in Christo genitis explicaret, inchoatamque constructionem interrupisse recte tenent. Hinc iuniores quoque Graeci ellipsin adesse statuunt, sed imperativum εἰσενέγκατε aptius supplent : τὴν αὐτὴν ἀντιμισθίαν (τὸ αὐτό, ὅ ἐστιν ἀντιμισθία) εἰσενέγκατε i. e. idem (sc. eundem amorem, sicut filios erga patrem decet) velut aequalem compensationem mihi exhibete; tamquam filiis vobis loquor; dilatate et vos corda vestra » (cfr *Phot. Oec. Theoph.*). Moderni vero plerique accusativum pro absoluto habent, quem alii subintellecta praepositione κατά explicant : « secundum eandem aequalem compensationem dilatate et vos corda » (*Iust.* etc.), alii velut appositionem quandam ad imperativum πλατύνθητε trahunt; namque verba τὴν αὐτὴν ἀντιμισθίαν πλατύνθητε καὶ ὑμεῖς concise dicta esse censent pro : τὸ αὐτό (i. q. ὡσαύτως), ὅ ἐστιν ἀντιμισθία, πλατύνθητε καὶ ὑμεῖς, i. e. « eodem modo (quo ego feci) vos quoque corda dilatate, ut habeatur aequalis compensatio » (cfr *Mai. Bisp.* etc. — *Gr. Kl. Br.* etc.). Quaecumque ex his constructionibus eligitur, sententiae sensus idem erit.

Eundem igitur amorem, quem Corinthiis exhibuerat, Apostolus sibi ab eis expetit; atqui Christum pro omnibus morientem imitatus, ut quam plurimos salvaret, ipse caritatem suam omnium virtutum exercitio demonstraverat; ut ergo par pari retribuentes aequalem compensationem patri suo spirituali darent, neophytos suum Apostoli amorem eodem modo manifestare oportebat. Itaque ex praecedente aequalis amoris petitione sua sponte monitum profluit : 14. *nolite iugum ducere cum infidelibus* (μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις. *S. Aug.* ep. 78, 5 et 130, 17 : ne sitis [rectius : nolite fieri] iugum ducentes cum infidelibus); quibus verbis quid vitandum sit docetur, ne quis gratiam Dei in vacuum receperit (cfr *v.* 1). Graeco verbo ἑτεροζυγεῖν, quod moderni plerique haud satis recte explicant « iugum diversum subire » (cfr *Wahl, Gr.*), Paulus haud dubie ad legem alludit, qua Iudaei animalia diversi generis, uti bovem et asinum, eidem iugo alligare prohibebantur (*Deut.* 22,10), ita ut diversi generis animantia, quae simul alligari non licet, ab Alexandrinis ἑτερόζυγοι (animalia diversi iugi) appellentur (*Lev.* 19,19), verbum ἑτεροζυγεῖν autem significare videatur « cum animali diversi generis iugo alligatum esse » (cfr *Pape*). Unde moniti sensus est : « quum diversi sitis generis, nolite societatem inire cum ethnicis ». Ad haud dissimilem quidem sensum iuniores Graeci perveniunt, qui imaginem a libra (ζυγός) desumtam esse arbitrantur; nam « ἑτεροζυγεῖν, inquit *Theoph.* (cfr *Oec.*), de iniusta libra (ἐπὶ ζυγοῦ ἀδίκου) dicitur, cuius una lanx pondere praevalet », ideoque sententiam explicat : « nolite iustitiam iniuria afficere, iis adhaerentes, quibus non licet ». Prior tamen explicatio, quum in versione alexandrina suum habeat fundamentum, a plerisque iure praefertur. Verum cavendum est, ne his

verbis neophytis omne commercium cum ethnicis, qui nomine infidelium designantur (cfr *v.* 16), interdici censeatur. Sibi ipsi enim contradicere nequit Paulus, qui in priore epistola se fugam societatis ethnicorum praecipere voluisse aut potuisse negat (1 *Cor.* 5,9 sqq.), quin etiam fidelibus permittit, ut coniugium cum infideli contractum continuent (1 *Cor.* 7,12 sqq.) familiaribusque invitationibus ethnicorum obsequantur (1 *Cor.* 10,27); id unum vult Apostolus, « ne mala exempla imitando fideles ad nequitiam seducantur » (*S. Aug.* ad pleb. Hipp. ep. 78,5). Ad eius ergo mentem iugum cum infidelibus ducunt, quicumque iisdem, quibus illi, perversis studiis dediti eosdem cum illis perversos fines sectantur eademque perversa via incedunt; atque iugum cum infidelibus ducentes *fiunt* Christiani illi, qui a pristinis vitae suae ethnicae criminibus abluti et sanctificati ad eadem revertuntur (cfr 1 *Cor.* 6,9 sqq.). Quam lato sensu Paulus monitum suum intelligi velit, ultima huius pericopae sententia (7,1) docet, qua omne inquinamentum corporis et spiritus ad ethnicismum, qui vitandus sit, pertinere insinuat. Quapropter iis non assentimur, qui cum *S. Cypr.* (Test. c. Iud. III. 62) et *S. Hier.* (ad Ager. ep. 123,5; c. Iovin. I. 10) his verbis speciatim cautum esse arbitrantur, ne fideles cum infidelibus matrimonia contraherent (*Est. Nat. Pic. M Ev.* etc.); neque rectius alii Paulum de epulis sacrificalibus ethnicorum vitandis speciatim cogitasse censent. Procul quidem dubio omnia generatim consortia ethnicorum illa, quibus Christiani ad infidelium mores pravos imitandos seducuntur, sunt prohibita; at de his consortiis Apostolus hoc in loco diserte non agit, sed de vitiis fugiendis, quae eos ethnicis similes reddant.

Quod monitum quam conforme sit rectae rationi, quinque interrogationibus demonstrat, quibus Christianos et ethnicos diversi esse generis exponens opposita coniungi non posse monet. Duae primae, quae constructione sua arctius connectuntur, christianam religionem et ethnicismum inter se opponi insinuant : *quae enim participatio* (μετοχή) *iustitiae cum iniquitate* (ἀνομίᾳ), *aut quae societas* (κοινωνία) *lucis ad tenebras?* Nomine *iustitiae* christianam religionem designari, clarum est (cfr *Rom.* 14,17); iustitia enim propriam indolem Evangelii constituit, quippe quod totum eo tendat, ut homo fide quae per caritatem operatur iustificatus ac baptismo a pristinis peccatis ablutus lege divina observata iuste et pie et sobrie in hoc saeculo vivat (*Tit.* 2,12). Ethnicismi vero proprius character est *iniquitas* (ἀνομία vita sine lege); quia enim verum Deum non agnoscentes veritatem Dei in mendacium commutarunt creaturaeque potius quam creatori servierunt, gentiles traditi sunt in passiones ignominiae et

in reprobum sensum, ut facerent ea quae non conveniunt (cfr *Rom.* 1,21, sqq.). Similiter religio christiana velut *lux* intellectum illuminat omnia docens, quae ad salutem adipiscendam quomodocumque requiruntur; ethnicismus vero ignorantiae et errorum *tenebris* mentem obnubilat, ita ut gentes ambulent in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quae est in illis propter caecitatem cordis (*Eph.* 4,17 sq.).

Secundum aliquos (cfr *Est.* etc.) abstractis nominibus *iustitiae* et *lucis, iniquitatis* et *tenebrarum*, Paulus ipsos Christianos et Ethnicos translate significare voluit (cfr *Eph.* 5,8 : eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino); at rectius tenemus, eum intimam naturam christianismi et ethnicismi opponere voluisse, siquidem duabus sequentibus interrogationibus, quae iterum constructione sua arctius connectuntur, de personis agit, duorum regnorum capita et membra ad eadem approbanda consentire posse negans : 15. *quae autem conventio* (συμφώνησις consensio) *Christi ad Belial, aut quae pars* (μερίς) *fideli cum infideli?* Aliquid miri habet, quod Apostolus, ut fidelem cum infideli iugum ducere non debere ostendat, fidelem cum infideli partem non habere dicat ac proin idem per idem demonstrare videatur; at levis haec difficultas disparet, si attendimus, Apostolum, postquam primis duabus interrogationibus oppositam regnorum ipsorum indolem ac naturam insinuavit, nunc diversam et oppositam naturam membrorum utriusque regni indicare voluisse. Itaque prioris regni capiti *Christo*, quo solo nomine et summa eius dignitas (utpote Uncti κατ' ἐξοχήν[1]) et infinitae, quas nobis attulit, gratiarum divitiae significantur, opponitur alterius regni caput *Belial*, cuius nomen et propriam eius perversitatem atque simul perniciem insinuat, in quam asseclas suos proiicit[2]. Porro regni, cuius caput est Christus, nemo

1. « *Christus*, inquit S. Ioan. Dam. (de orthod. fide III. 3), nomen hypostaseos dicitur, sed duarum naturarum significativum est. Ipse enim se ipsum unxit, ungens quidem ut Deus, unctus autem ut homo; nam ipse est hoc et illud, siquidem unctio humanitatis est deitas »; cfr ibid. IV. 14 : « non sicut propheta, operatione unctus, sed totius ungentis praesentia, ut homo quidem sit unctus, Deus autem ungens, non transmutatione naturae, sed unione secundum hypostasin : idem enim est, qui ungit et qui ungitur ».

2. Nec de scriptione nec de significatione huius nominis omnimoda cum certitudine constat. Codd. graeci et versiones quam maxime variant, sed ex quatuor quae inveniuntur nominis formis (Βελίαλ, Βελίαρ, Βελίαν, Βελίαβ) duae priores solae sufficiente testium auctoritate nituntur. Secundam (Βελίαρ), quam cum optimis codd. graecis etiam multi et boni codd. *Vulg. Syr. Copt. Arm. Aeth.* tuentur, moderni critici praeferunt, sed simul plerique monent, nomen Βελίαρ exortum esse ex corrupta pronuntiatione nominis Βελίαλ, alexandrinis Iudaeis literas λ et ρ confundentibus (quam facile liquidae *l* et *r* permutentur, multis aliarum quoque linguarum exemplis constat); quare paucorum coniectura, *Beliar* significare *dominum silvae* (בַּל יַעַר), omni probabilitate caret. Cum *Aquila*, quem vocabulum ἀποστάτης vertisse refert, *S. Hier.* (in Eph. 4,27) illud explicat « *absque iugo* (ex בְּלִי particula

potest membrum fieri nisi per fidem, ita ut nomen *fidelis* (πιστός) ipsam quasi Christiani naturam designet; qui vero ad regnum principis huius saeculi pertinent, quum praeter res terrenas, quae sensibus attinguntur, nihil cognoscant aut quaerant, ii ne ideam quidem fidei proprie dictae, qua bona supranaturalia apprehenduntur, sibi efformare queunt ideoque ethnici *infideles* (ἄπιστοι) iuxta propriam suam naturam recte denominantur.

Quinta demum interrogatione summa Christiani dignitas vilitati ethnicorum opponitur : 16. *qui autem consensus* (συγκατάθεσις compositio) *templo Dei cum idolis?* Tam sanctum semper *templum Domini* habebatur, ut nec idola nec quidquid ad idololatricum cultum pertinebat in illud inferre liceret; quin etiam eiusmodi templi ierosolymitani profanatio, qualis facta est tempore regum Achaz et Manasse, una fuit ex praecipuis causis, cur Dominus templum suum relinqueret populumque profanatorem poenis affligeret (cfr *Ezech.* 8,3 sqq.). Atqui eadem, quae inter veri Dei templum et inter idola, oppositio habetur inter Christianos et inter ethnicismum, quia Christiani quoque sunt templum Dei : *vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus : Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus.* Utrum cum modernis criticis (*Tisch. W. H.* etc.) ob magnam codd. B ℵ D L P auctoritatem legamus : ἡμεῖς γὰρ ναὸς Θεοῦ ἐσμέν (*nos* enim Dei templum *sumus*), ut hac ratione Ecclesia universa templum dicatur, an consuetam lectionem (*vos... estis*) praeferamus, ut singuli fideles vel particularis ecclesia corinthia velut templum designetur, parum interest; siquidem Paulus et universam Ecclesiam (*Eph.* 2,21) et ecclesias particulares (1 *Cor.* 3,16) et singulos fideles (1 *Cor.* 6,19) hoc titulo decorat. Aeque apte quoque, sive haec sive illa lectio et interpretatio eliguntur, probatio adnectitur, quam Apostolus ex *Levit.* 26,12 ita desumsit, ut ad *Ezech.* 37,27.

negante et עֹל vel עוֹל *iugum*), eo quod de collo abiecerit Dei servitutem »; at nec etymologia est satis apta nec significatio ad omnes Vet. Test. locos, in quibus reperitur, quadrat. Quapropter illud ex particula negante בְּלִי et substantivo יַעַל (utilitas) compositum esse, cum plerisque modernis tenemus; proxima igitur eius significatio est *inutilitas* vel *inutilis*, unde ad significandam *nequitiam* et *vilitatem* transiit, atque a Paulo ad eum designandum, qui est nequitia et vilitas κατ' ἐξοχήν, summo cum iure usurpatur. In Vet. Test. nomen בְּלִיַּעַל velut nomen diaboli nondum adhibetur, sed significat tum *perversitatem* (*Deut.* 13,14 בְּנֵי בְלִיַּעַל filii perversitatis i. e. homines perversi; *Deut.* 15,9 etc.) tum *perditionem* (*Nah.* 1,11 יֹעֵץ ב' meditans perditionem; *Ps.* 18 [17], 5 נַחֲלֵי ב' flumina perniciei, quae perniciem spargunt, etc.). Similiter concrete de personis utroque sensu adhibetur : בְּלִיַּעַל (= אִישׁ ב') *perversus* (Iob 34,18 etc.) et *perditor* (*Nah.* 2,1).

28 respexisse videatur. Illis enim in locis Deus se in medio populo Israel tabernaculum suum fixurum suaque praesentia eum sanctificaturum sibique quasi consecraturum esse promittit. Atqui haec promissio veteri populo iam data in eoque impleta, quando nubes tabernaculum testimonii operuit et gloria Domini illud implevit (*Exod.* 40,34), per Ezechielem ad novum populum extensa multo sublimiore modo in novo foedere impletur, quoniam Deus per Spiritum S. in Ecclesia Novi Test. et in singulis fidelibus, qui viva sunt membra corporis Christi, continuo praesens adest [1].

Quoniam igitur inter christianam religionem et inter ethnicorum placita moresque completa est oppositio, consequens est, ut Christianis cum ethnicis iugum ducere non liceat. Quapropter Paulus ad paraenesin transiens neophytos ab omni re, quae ethnicismum sapiat, plane sese abstinere iubet magnarum quae eis factae sunt promissionum memores. Quem in finem aliquas prophetarum sententias praeprimis affert : quod si enim Iudaei, ut a Deo velut filii agnoscerentur, ab ethnicorum immunditie sibi cavere debebant, multo longius ab ea Christiani sese separent oportet, quibus intimior cum Deo unio est promissa. 17. *Propter quod exite de medio eorum, et separamini* (ἀφορίσθητε), *dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis;* 18. *et ego recipiam vos, et ero vobis in patrem et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens.* Variorum prophetarum verba, uti saepe, connectit ac libere, sensu tamen accurate retento, allegat. Verba exhortatoria (*v.* 17) ex *Is.* 52,11 sunt desumta et iuxta Alex. ita se habent : « Recedite, recedite, exite inde et immundum ne tetigeritis; exite de medio eius, separamini (ἀφορίσθητε [2]) qui fertis vasa Domini ». Quibus propheta Iudaeos Babylone degentes urget, ut soluto iam exsilio ethnicam regionem statim relinquant atque ab omni ethnica pollutione sibi caventes puri vasa sacra, quae olim Nabuchodonosor in Babylonem attulerat,

1. Ceterum satis libere verba allegantur iuxta Alexandrinos, qui cum textu hebr. consentientes haec habent : καὶ θήσω τὴν σκηνήν μου ἐν ὑμῖν (*Ezech.* καὶ θήσω τὰ ἅγιά μου ἐν μέσῳ αὐτῶν εἰς τὸν αἰῶνα καὶ ἔσται ἡ κατασκήνωσίς μου ἐν αὐτοῖς. *Paul.* ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς) καὶ ἐμπεριπατήσω ἐν ὑμῖν, καὶ ἔσομαι ὑμῶν Θεὸς καὶ ὑμεῖς ἔσεσθέ μοι λαός. Quo sensu verba sint intelligenda, docet sententia apud Ezechielem addita : « et scient gentes, quia ego Dominus sanctificator Israel, quum fuerit sanctificatio mea (rectius : sanctuarium meum; *Alex.* τὰ ἅγιά μου) in medio eorum in perpetuum ». De solo igitur beneficio, quod Deus populo suo praestiturus sit, in his verbis agitur (cfr *Est.*).

2. Imperativum Niph. הִבָּרוּ, quem Alexandrini reddiderunt ἀφορίσθητε (*separamini*), cum *S. Hier.* moderni plerique reddere malunt *mundamini;* בָּרַר enim et separandi et mundandi significationes habet. Nonne tamen ex Pauli allegatione, qui verbum ἀφορίσθητε (licet eius subiecto praetermisso) retinuit, iure colligitur, separandi notionem in prophetae textu esse praeferendam? Minus aptus enim esset locus ad Pauli scopum, si verbum *mundamini* inseritur.

in templum iterum inferant. Procul dubio sua monitione id intendit, ut Iudaei non tantum ab omni immunditie legali corpora sua conservent pura, sed ut mentibus quoque animisque omnem ethnicam contagionem evitantes Deo purum servitium praestent; quare Apostolus iisdem verbis neophytos aptissime adhortatur, ut omnia ethnica vitia fugiant eaque omnia a se arceant, quibus ad ethnicorum perversa studia sectanda seducantur (cfr *Knabenbauer* Comm. in Is. II. p. 284).

Difficilius est dictu, undenam verba promissoria (*v.* 18) sint desumta. Licet hac forma nusquam in Vet. Test. inveniantur, nulla tamen est ratio, cur ad ea tuenda aut cum *Cai.* ad vaticinium hodie deperditum aut cum *Grot.* ad hymnum quendam sacrum recurramus. Equidem Paulum verba *Ier.* 32,37 sq. prae oculis habuisse arbitror, quibus de tempore messianico agens Deus promittit : *ecce ego congregabo* (vel : recipiam [1]) *eos* de universis terris... et reducam eos ad locum istum et habitare eos faciam confidenter, *et erunt mihi in populum et ego ero eis in Deum* ». Ut magnificum tamen ultimae promissionis sensum aperiret, eam ex immediate praecedente vaticinio messianico (*Ier.* 31,9 « factus sum Israeli pater, et Ephraim primogenitus meus est ») quasi explicavit. Quia enim Israelitas sibi in populum peculiarem elegit, ideo Deus est eorum *pater* (Deut. 32,6. 9) et Israelitas vocat *filios* suos, qui ipsi obedire teneantur (*Deut.* 14,1 sqq.), vel filios filiasque suos, quos singulari modo diligat (*Is.* 43,4 sqq.). Num vero Apostolus simul ad promissionem Davidi de Salomone factam (2 *Reg.* 7,14 « ego ero ei in patrem et ipse erit mihi in filium ») respexerit, valde dubito, quamvis multi illa verba huc trahant (*Thom. Est. Nat. Bisp. Dr.* etc. — *Kl. Br. Heinr. Goeb.* etc.). Quidquid de his citationibus est, nemo dubitat, quin iuxta totam Vet. Test. doctrinam Deus Israelitas sibi peculiari modo in filios adoptaverit (cfr *Rom.* 9,4 « quorum est adoptio filiorum ») omnesque promissiones messianicae eo tendant, ut novi regni incolae sese sublimiore modo per Spiritum adoptionis effici filios Dei sciant in similitudinem Filii Dei, cuius erunt cohaeredes (cfr *Rom.* 8,15 sq.). Suo igitur iure Apostolus sententiam, qua promissionum divinarum summa quaedam comprehenditur, Deo loquenti

1. Verba הִנְנִי מְקַבְּצָם ab Alex. apud Ierem. vertuntur : ἰδοὺ ἐγὼ συνάγω αὐτούς (*S. Hier.* : ecce ego *congregabo* eos); sed apud *Ezech.* 20,34 וְקִבַּצְתִּי אֶתְכֶם vertuntur iisdem verbis, quibus Paulus utitur : καὶ εἰσδέξομαι ὑμᾶς (*S. Hier.* iterum : et *congregabo* vos). Neque tamen ideo Paulus Ezechielis verba allegasse censendus est, licet nonnulli id teneant (*Mai. Bisp. Dr.* etc. — *Kl Br.* etc.); nam Ezechiel ibi proxime de populi punitione loquitur, quam utique eius liberatio postea sit secutura. Neque recte alii verba καὶ ἐγὼ εἰσδέξομαι ὑμᾶς ex *Is.* 52,12 (καὶ ὁ ἐπισυνάγων ὑμᾶς Κύριος ὁ Θεὸς Ἰσραήλ, וּמְאַסִּפְכֶם אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל) efformata dicunt (*Herv. Est.* etc.).

attribuere potuit; quin etiam eam, ne quis ob rei promissae sublimitatem dubius haereret, a consueto suo loquendi modo discedens *omnipotenti* Deo attribuere voluit. Hoc quippe solo in loco Deum appellat παντοκράτορα, quo nomine vaticinium, ad quod eum respexisse diximus, propheta confirmaverat (*Ier.* 31,35 iuxta *Alex.* : Κύριος ὁ παντοκράτωρ ὄνομα αὐτῷ).

Eandem exhortationem, quam Isaiae verbis metaphorice expressit (*v.* 17) propheticisque Ieremiae promissionibus inculcavit (*v.* 18), iisdem promissionibus nixus proprio sermone repetit explicatque : 7,1. *has ergo habentes promissiones* (quas per prophetas promulgatas impletum iri Deus omnipotens auctor est), *carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Quo sensu neophyti iugum ducere cum infidelibus vetentur, ex hac sententia, uti iam innuimus, clarissime elucet : de omni ethnicorum societate aut familiaritate abrumpenda vel vitanda non agitur (secus enim istius aetatis Christiani in alium terrarum orbem transmigrare debuissent 1 *Cor.* 5,10), sed animis studiisque sese ab eis separare iubentur, ne eorum pravis exemplis seducti perniciosis tenebrarum operibus communicent (cfr *Eph.* 5,11). Quae separatio ut sit completa, sese mundent mundosque conservent oportet *ab omni inquinamento carnis et spiritus,* ut sint sancti corpore et spiritu (1 *Cor.* 7,34); qua expressione omnia peccata, quum illa, quae quia delectatione carnali consummantur, carnalia appellantur (uti gula, impudicitia etc.), tum illa, quae absque sensuum voluptate in delectatione spirituali perficiuntur ideoque spiritualia vocantur (uti vanae gloriae studium, superbia etc.), comprehenduntur (cfr *S. Thom.* Summ. theol. II. 1. qu. 72. a. 1.) et ad ethnicismum pertinere insinuantur. Licet vero neophyti a pristinis suis inquinamentis baptismo iam abluti et mundati sint, fomite tamen peccati in eis relicto semper periculo sunt expositi, ne iterum inquinentur; quare continuo sese mundare iubentur *perficientes sanctificationem* in baptismo inchoatam (*Thom.*) vel potius *perficientes sanctitatem* (ἐπιτελοῦντες ἁγιωσύνην), i. e. ad summum gradum puritatem suam ab omni inquinamento adducentes, id quod fieri nequit, nisi *in timore Dei* vivant, nam « concupiscentiae tyrannis ab eo vincitur, qui Dei timore obseptum animum habet » (*Chrys.*). Rectissime porro addit *Thom.,* Apostolum loqui de timore filiali, qui est caritatis effectus, atque timorem commemorare, « ut doceat nos habere debere affectum ad Deum cum quadam reverentia et sollicitudine; amor enim causat securitatem, quae quandoque negligentiam parit, sed qui timet, semper est sollicitus ».

Totam hanc pericopen (6,14-7,1) aliqui moderni acath. addubitant (*Schrad. Ew. Franke Holst. Hilg. Baljon Heinr.*), atque alii quidem ex altera quadam deperdita epistola paulina eam huc perperam transpositam suspicantur, alii etiam paulinam eius originem negant. Priores nexum, quia 6,13 et 7,2 arcte cohaereant, hac exhortatione turbari maxime urgent; alteri doctrinam quoque cum iis, quae Paulus ipse de ethnicorum commercio vitando tradat (1 *Cor.* 5,9), parum consonare addunt, vocesque nonnullas (Βελίαρ, μετοχή, συμφώνησις, μερίς, συγκατάθεσις, καθαρίζειν) allegandique formulas (καθὼς λέγει Κύριος, λέγει Κύριος παντοκράτωρ) a paulino loquendi usu alienas notant. Quae si omnia recte obiicerentur, unanime antiquorum testium, qui ad unum omnes hanc pericopen hoc in loco ponunt, suffragium non aequarent, nedum elevarent; at recte non obiiciuntur. Tantum enim abest, ut nexus exhortatione hac turbetur, ut impensissimae preces, quibus Apostolus Corinthiorum amorem sibi implorat (6,11-13; 7,2 sqq.), aliquid miri haberent, nisi quem in finem et qua ratione ab eis amari tantopere desideret, hac pericope inserta declararet. Porro admonitio quoque, ne neophyti gratiam Dei in vacuum receperint (6,1), explanatione indigebat, quam Paulus aptissime addidit, postquam sua vivendi ratione descripta (6,3-10) monitioni ipsi maiorem auctoritatem conciliavit. Ex iis autem, quae iam adnotavimus, sufficienter elucet, nostram exhortationem cum priore epistola non pugnare; neque enim de ethnicorum commercio abrumpendo vel vitando, sed de ethnicorum vitiis fugiendis hic agitur; et quia omne inquinamentum ethnicum ei sollicite est vitandum, qui gratiam Dei in vacuum recepisse non vult, haec exhortatio rectissime dicitur esse explanatio superioris moniti. Deinde nonnulla hapaxlegomena in his versibus reperiri non negamus, sed haud pauca in sat multis pericopis, quae Paulo a nullo abiudicantur, inveniri addimus; praeterea non sex, sed quatuor (nam μερίς legitur *Col.* 1,12 et καθαρίζειν *Eph.* 5,26), immo duo sola (nam ad μετοχή cfr μετέχειν 1 *Cor.* 9,10. 12; 10,17. 21. 30 etc. et ad συμφώνησις cfr σύμφωνος 1 *Cor.* 7,5) iure numerantur, ex quibus unum (Βελίαρ) electum est, quia significantius, quam duo alia nomina, quibus Paulus alibi utitur (διάβολος *calumniator*, σατανᾶς *adversarius*), ipsam quasi naturam hostis generis humani exprimit (cfr *p.* 189. *n.* 2). Allegationis demum formulas Apostolus saepe variat, nec quidquam in illis, quas hic adhibet, reperitur, quod admirationem, nedum suspicionem provocet.

2. *Continuam suam neophytorum caritatem Paulus demonstrat* (7,2-16).

A paraenesi ad suae ipsius caritatis assertionem revertens Apostolus quo semper erga Corinthios animo fuerit ac sit affectus demonstrat quum pristino suo amore commemorato et sollicitudine indicata, qua in Macedonia quoque tenebatur (cfr 2,12 sqq.), antequam de eorum praesente conditione certior esset factus, tum consolatione descripta, qua bonis nuntiis per Titum allatis est affectus (2-7). Quam consolationem uberius describens sese nunc gaudere asserit, quod priore epistola eos contristaverit; nam tristitia ista tantum in eis excitavit zelum, ut ipse scopum, quem in acerba epistola scribenda habuit, plene iam attigerit (8-12). Gaudium vero suum non parum auctum esse addit gaudio Titi, qui secum nunc in neophytis corinthiis laudandis consentiat (13-16).

Quod si in huius pericopes principio Paulus id maxime intendit, ut sibi Corinthiorum animos magis magisque conciliet reliquiis suspicionis, quam pseudapostolorum calumniae forte in eis excitaverat, omnibus dispulsis, in eius fine iam secundam epistolae partem, quae de collectis agit, quodammodo praeparat, quum erga Titum quoque, quem ad eas terminandas Corinthum mittere voluit, neophytos benevolos reddat.

1.) *Quo animo Paulus erga Corinthios semper fuerit ac sit affectus* (7,2-7).

7,2. Capite nos. Neminem laesimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus. 3. Non ad condemnationem vestram dico. Praediximus enim, quod in cordibus nostris estis ad commoriendum et ad convivendum. 4. Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. 5. Nam et quum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus : foris pugnae, intus timores. 6. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi. 7. Non solum autem in adventu eius, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram aemulationem pro me, ita ut magis gauderem.

7,2. Χωρήσατε ἡμᾶς· οὐδένα ἠδικήσαμεν, οὐδένα ἐφθείραμεν, οὐδένα ἐπλεονεκτήσαμεν. 3. πρὸς κατάκρισιν οὐ λέγω· προείρηκα γὰρ ὅτι ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν ἐστὲ εἰς τὸ συναποθανεῖν καὶ συνζῆν. 4. πολλή μοι παῤῥησία πρὸς ὑμᾶς, πολλή μοι καύχησις ὑπὲρ ὑμῶν· πεπλήρωμαι τῇ παρακλήσει, ὑπερπερισσεύομαι ἐν τῇ χαρᾷ ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει ἡμῶν. 5. καὶ γὰρ ἐλθόντων ἡμῶν εἰς Μακεδονίαν οὐδεμίαν ἔσχεν ἄνεσιν ἡ σὰρξ ἡμῶν, ἀλλ' ἐν παντὶ θλιβόμενοι· ἔξωθεν μάχαι, ἔσωθεν φόβοι. 6. ἀλλ' ὁ παρακαλῶν τοὺς ταπεινοὺς παρεκάλεσεν ἡμᾶς ὁ Θεὸς ἐν τῇ παρουσίᾳ Τίτου· 7. οὐ μόνον δὲ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ παρακλήσει ᾗ παρεκλήθη ἐφ' ὑμῖν, ἀναγγέλλων ἡμῖν τὴν ὑμῶν ἐπιπόθησιν, τὸν ὑμῶν ὀδυρμόν, τὸν ὑμῶν ζῆλον ὑπὲρ ἐμοῦ, ὥστε με μᾶλλον χαρῆναι [1].

Priorem suam petitionem, ut Corinthii eandem quam illis exhibuerat caritatem sibi rependant (6,13), repetens se ad eorum amorem ius habere ostendit quum propter benevolentiam fiduciamque, quam semper eis exhibuit (2-4), tum propter sollicitudinem, quam etiam in Macedonia passus est ob eorum salutem (*v.* 5), ac propter consolationem, quam ex bonis Titi nuntiis percepit (6. 7); haec enim omnia, quantopere ipse eos semper dilexerit ac diligat, clarissime demonstrant.

1. *VV. LL.* — 3. πρὸς κατάκρισιν οὐ λέγω (ad condemnationem non dico) B ℵ C P, sed mutato verborum ordine *textus rec.* rectius : οὐ πρὸς κατάκρισιν λέγω (non ad condemnationem dico) cum aliis omnibus testibus. Pronomen *vestram*, quod *It. Vulg. Syr.* addunt, in graecis libris quidem non legitur sed optima est glossa. — 5. Utrum οὐδεμίαν ἔσχεν ἄνεσιν legamus cum B F G K, an cum reliquis : οὐδεμίαν ἔσχηκεν ἄνεσιν (cfr 2,13) cum ℵ C D E L P ac plerisque minusc., nihil interest.

Praeprimis igitur iterum eorum amorem sibi expetit, quum nullam, cur ipsum non diligant, habeant rationem : 2. *capite nos; neminem laesimus* (ἠδικήσαμεν iniuria affecimus, vel uti legit *A*[ter] : nemini nocuimus), *neminem corrupimus* (ἐφθείραμεν *A*[ter] : gravavimus), *neminem circumvenimus* (ἐπλεονεκτήσαμεν). *Verbum* χωρεῖν (capere) iam ab antiquis tribus diversis modis hic exponitur. Antiquioribus enim Latinis *capere* idem est quod *intelligere* (mente capere); sed alii de verbis Apostoli intelligendis ac perpendendis (cfr *Matth.* 19,11. 12), alii de vita eius cognoscenda et imitanda illud explicant (cfr *A*[ter], *Pel. Prim. Sed. Haym. Herv. Thom.* etc.). Alterum sensum, quamvis nudo verbo *capere* vix exprimi posse videatur, *Est.* non improbat; priorem nonnulli moderni quoque approbant, quia Paulum Corinthios exhortari censent, ut aut praecedentem suam monitionem de ethnicis vitiis fugiendis (6,14 sqq.) aut sequentem expositionem de sua ad eos relatione recte intelligere studeant (cfr *Mai.* — *Rück. de W.* etc.). At nec praecedentia nec sequentia tam obscura sunt, ut perperam explicari facile potuerint eiusmodique exhortatione indiguerint; quare communior hodie sententia cum Graecis recte tenet, χωρεῖν hic idem esse quod *amare* (aliquem in cor suum recipere, ei locum in corde animoque concedere); neque immerito *Chrys.* hac expressione quasi misericordiam neophytorum a Paulo implorari superioremque sententiam (« angustiamini in visceribus vestris ») clarius reddi monet; quibuscum consentiens *Theoph.* « *capite nos*, inquit, idem est quod *accipite nos late* (δέξασθε ἡμᾶς πλατέως), ne angustum in vobis possideamus locum » (cfr etiam *Theod. Oec. Salm. Iust. Lap. Nat*[1]. *Pic. M Ev. Bisp. L R. Dr. Ramb.* — *Mey. Kl Br. Goeb. Schn.* etc.). Cui explicationi reliqua sententia consonat, qua ad pseudapostolorum calumnias, quas sinceritate constantiaque sua demonstrata iam refutavit, respiciens sese quidquam fecisse negat, quo indignus neophytorum amore redderetur. Neminem enim in muneris apostolici administratione iniuria quacumque affecit, neminem adulterata doctrina in perniciosum errorem induxit (cfr φθείρειν 11,3), a nulla occasione evangelicae praedicationis turpe lucrum sibi quaesivit (cfr πλεονεκτεῖν 12,17. 18)[1]. Primum quidem verbum nonnulli de sola severitate, qua incestuosum tractavit, intelligere malunt; alterum pauci cum *Thom.* de exemplo corrumpente interpretantur; omnibus tribus alii integritatem, quam Paulus Evangelium sine sumtu ponens exhibuit, solam defendi arbitrantur (a nullo iniustum lucrum quae-

1. Bene *Erasm.* : « ἀδικεῖ qui tyrannidem usurpat, φθείρει qui falsa docet, πλεονεκτεῖ qui dolo usurpat aliena. Sic oblique taxat pseudapostolos ».

sivi, neminem acceptis ab eo pecuniis ad inopiam redegi, a nullo quidquam fraude extorsi); sed arctioribus his explicationibus prior, quam cum Graecis plerique tenent, iure merito praefertur.

Attamen istas pseudapostolorum calumnias reiiciens Paulus Corinthios accusare videbatur, quod ipsi quoque eadem criminati essent; ne igitur hoc sensu sua verba intelligerentur, statim addidit : 3. *non ad condemnationem* (*vestram*) *dico* haec, ac si vos quoque has calumnias protuleritis aut iis fidem adhibentes probaveritis, mihi in cordibus vestris non esse locum. Caritas enim, qua Corinthios complectitur, prohibet, ne sua verba de eorum condemnatione explicentur : *praediximus* (antea diximus; graece : προείρηκα *antea dixi*[1]) *enim, quod in cordibus nostris estis ad commoriendum et convivendum.* Saepius in hac epistola se Corinthios in corde habere asseruerat (3,2;6,12), atque explicationis gratia nunc addit, tam profunde eos suo cordi esse infixos, ut nec in morte nec in vita a se avelli queant : « sive nobis nunc iam moriendum est, sive vita nobis est continuanda, in cordibus nostris estis, ita ut nobiscum aut moriamini aut vivatis » (εἰς τὸ ὑμᾶς ἡμῖν συναποθανεῖν καὶ συνζῆν). Summae suae caritatis haec est expressio; tam arcte enim eos secum coniunctos dicit, ut unusquisque ipsius quasi alter ego esse videatur. Minus apte alii explicant : « tam profunde cordibus nostris estis infixi, ut et mori et vivere vobiscum cupiamus » (εἰς τὸ ἡμᾶς ὑμῖν συναποθανεῖν καὶ συνζῆν); procul enim dubio ad infinitivos συναποθανεῖν et συνζῆν velut subiectum ex verbo ἐστέ pronomen secundae personae quasi sua sponte suppletur; unde vero primae pers. pronomen sumatur, non apparet.

Quam longe ab eis condemnandis absit, ulterius docet animi sui erga eos habitu descripto : 4. *multa mihi fiducia est apud vos* (πρὸς ὑμᾶς), *multa mihi gloriatio pro vobis* (ὑπὲρ ὑμῶν *A*[ter] rectius *de vobis*) : *repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Voce παῤῥησίας Paulum illam loquendi libertatem ingenuitatemque significare, qua sine ullis ambagibus vitia Corinthiorum aperte notabat corrigebatque, antiquiores interpretes fere omnes tenent (cfr *Chrys. Theod.* etc., *A*[ter] *Pel. Prim.* etc., *Est. Lap.* etc.); idque recte, siquidem haec loquendi fiducia in amore, qui veram amati salutem quaerit, fontem suum habet atque optime demonstrat, Paulum superioribus suis verbis Corinthios *tecte* condemnare noluisse. Sine ulla igitur causa et parum quoque recte moderni plerique praeeunte *Thom.* antiqua interpretatione praetermissa vocem de fiducia

1. Singularem *praedixi* meliores quoque *Vulg.* codices (*Fuld. Am.* etc.) atque nonnulli ex antiquioribus latinis interpretibus (*A*[ter], *Sed. Gl int. Herv. Lomb.* etc.) tuentur.

explicant, qua Paulus de Corinthiis bene sperabat (*Iust. Mai. Bisp. Dr.* etc. — *Mey. Kl Br. Goeb.* etc.); iste enim sensus, licet per se non sit ineptus, voce παῤῥησίας in Novo Test. non exprimitur (cfr ad 3,12). Porro amorem, quem Corinthiis ipsis sua sinceritate et ingenuitate probabat, apud alios laudibus demonstrabat, quibus ecclesiam corinthiam celebrabat; uti enim *multa* ei fuit *fiducia* loquendi *ad eos* (πρὸς ὑμᾶς), ita *multa* fuit ei *gloriatio de iis* (ὑπὲρ ὑμῶν). Quin etiam in se ipso testimonium istius amoris habebat, consolationem nimirum et laetitiam, qua ob laetos Titi nuntios de bona Corinthiorum conditione perfusus est non obstante tribulatione, in qua tunc degebat. Quanta haec consolatio laetitiaque fuerit, ipsis verbis indicat; non tantum *consolatione* sed *gaudio* non tantum *impletus est* sed *superabundavit*, quamvis eo tempore tribulationibus premeretur (ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει ἡμῶν).

Ultima hac sententia artificiose sibi viam paravit ad illud argumentum exponendum, quo quanto amore etiam tunc eos amplecteretur demonstrare voluit. Ut enim qua tribulatione tunc afflictus fuerit explicet, historicam relationem supra (2,13) interruptam resumit, atque ad suum amorem probandum quum magnam tristitiam commemorat, qua premebatur antequam de rerum corinthiarum conditione certos nuntios acceperat, tum magnam consolationem describit, quam Tito adveniente et laeta de eis annuntiante expertus est. Iure merito nos gaudio superabundasse in omni nostra tribulatione diximus, 5. *nam et quum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus* (rectius *A*[ler] : *in omnibus afflicti fuimus* ἐν παντὶ θλιβόμενοι sc. ἦμεν) : *foris pugnae, intus timores.* Troade se in Macedoniam esse profectum, quia « non habuit requiem *spiritui suo*, eo quod non invenerit Titum », supra retulit (2,13); at etiam in Macedonia consolationem quam quaesivit non statim invenit; nam etiam ibi requiem non habuit *caro eius.* Cur priore in loco *spiritum*, in altero *carnem* requiem non habuisse dicat, dissentiunt interpretes. Quia ad 2,13 non attendit, erronee, ni fallor, *Thom.* cum multis (cfr *Theoph. A*[ler]*, Herv. Lomb.* etc., *Cai. Pic. M Ev.* etc.) ad hunc locum adnotat : « dicit *caro nostra* et non *spiritus noster*, quia sancti semper habent pacem spiritus, quum etiam in adversis anima, quae in corpore patitur, spe futuri praemii quiescat, quamvis multa sustineat affectui carnis contraria ». Rectius alii et *spiritu* et *carne* totum hominem synecdochice designari censent, at addi potest ac debet, Paulum Troade ob non inventum Titum solas internas afflictiones expertum esse ideoque in priore loco de solo *spiritu* requiem non habente loqui; in Macedonia vero ad internam anxietatem externae afflictiones accesserunt, quare nostro in loco de

carne requiem non habente aptius loquitur. Hanc enim explicationem ipse insinuat, quum se *in omnibus* (ἐν παντί in omni re) tribulatum esse asserit afflictionesque suas in externas et internas distinguit : *foris pugnae, intus timores*. Etenim quin priore expressione persecutiones, quas ei in Macedonia aut gentiles aut ethnici aut forte etiam falsi fratres excitabant, altera animi perturbationes anxietatesque designare voluerit, quibus ob suam de rebus corinthiis incertitudinem maxime agitabatur, vix dubium est (cfr *A[ter], Haym[1]. Herv. Thom[1]*. etc., *Iust. Est*. etc., *Mai. Bisp*. etc. — *Mey. Kl Br*. etc.). Neque enim adverbia ἔξωθεν et ἔσωθεν ad Ecclesiam referre licet, ut vexationes intelligantur ab iis qui *foris* sunt (gentilibus, Iudaeis) et ab iis qui *intus* sunt (a falsis fratribus) Paulo inflictae, quamvis non paucis haec explicatio placuerit (cfr *Chrys. Theoph. Pel. Prim. Haym[2]. Thom[2]*. etc. — *Grot. Beng. Schr. Heinr*. etc.); multo minus de loco, in quo Paulus afflictiones illas passus sit, adverbia intelligi possunt : *foris*, i. e. in publico, persecutiones, *intus*, i. e. domi, anxietates (*Cai*. etc).

A tristitia, qua maxime ob corinthiarum rerum incertitudinem affligebatur, Apostolus ad consolationem transit, quam Corinthiorum quidem emendatio ei attulit, ipse tamen iustissime Deo acceptam refert, consolatori humilium, qui non in suis viribus, sed in solo divino auxilio fiduciam suam collocant : 6. *sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi*, i. e. per eum advenientem laetaque de vobis annuntiantem. Quamvis enim Titus unus ex praecipuis eius discipulis adiutoribusque esset, quem eodem spiritu iisdemque vestigiis secum ambulare scivit (12,18), Paulus tamen eius reditum non tam ideo desideraverat, ut in sua tristitia socium amicumque secum haberet eiusque ope in ministerio apostolico adiuvaretur, quam ut per eum accuratius disceret, quem fructum prior sua epistola tulisset et quo in loco res corinthiae essent. Id enim sententia addita docet : consolatus nos est Deus, 7. *non solum autem in adventu eius* (sc. Titi), *sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis* (passive : ᾗ παρεκλήθη ἐφ' ὑμῖν), *referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram aemulationem pro me, ita ut magis gauderem*. Ne de bona prioris epistolae receptione laetaque ecclesiae corinthiae conditione dubitasse videatur, bonis nuntiis per Titum allatis consolationem suam nude ac directe non attribuit, sed eam totam ex discipuli sui adventu et ex illius consolatione non minus pulchre quam prudenter derivat. Deus Apostolum consolatus est consolatione Titi; Titus ipse autem, qui ob Corinthiorum dissensiones contristatus fuerat, duplicem quodammodo consolationem perceperat; Corinthum enim adveniens neophytos iam correctos invenerat indeque non parvam

consolationem hauserat, atque eandem consolationem quasi iterum expertus erat, quando ad Paulum reversus magistro suo laeta, quae Corinthi viderat, retulit. Namque fieri solet, ut laeta quae experti sumus narrantes ipsi nostra narratione ad maiorem laetitiam excitemur atque hac ratione auditorum quoque gaudium consolationemque augeamus. Itaque Paulus, quum Titus magna cum consolatione referret Corinthiorum *desiderium* (ἐπιπόθησιν), quo Apostolum suum mox apud se videre cuperent, *fletum* (ὀδυρμόν), quo amarum suum luctum ob patris sui monita non observata manifestassent, *aemulationem pro eo* (ζῆλον ὑπὲρ ἐμοῦ), qua quasi certatim eius defensionem suscepissent adversariosque eius reiecissent, non tantum consolatione perfusus est, sed etiam *magis gavisus est*.

2.) *Quae eius consolatio de felici prioris suae epistolae fructu fuerit* (7,8-12).

7,8. Quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me poenitet : etsi poeniteret, videns quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit : 9. nunc gaudeo : non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. 10. Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur : saeculi autem tristitia mortem operatur. 11. Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem : sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed aemulationem, sed vindictam : in omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio. 12. Igitur, etsi scripsi vobis, non propter eum, qui fecit iniuriam, nec propter eum, qui passus est : sed ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam habemus pro vobis coram Deo : ideo consolati sumus.

7,8. ὅτι εἰ καὶ ἐλύπησα ὑμᾶς ἐν τῇ ἐπιστολῇ, οὐ μεταμέλομαι. εἰ δὲ καὶ μετεμελόμην (βλέπω ὅτι ἡ ἐπιστολὴ ἐκείνη, εἰ καὶ πρὸς ὥραν, ἐλύπησεν ὑμᾶς) 9. νῦν χαίρω, οὐχ ὅτι ἐλυπήθητε, ἀλλ' ὅτι ἐλυπήθητε εἰς μετάνοιαν. ἐλυπήθητε γὰρ κατὰ Θεόν, ἵνα ἐν μηδενὶ ζημιωθῆτε ἐξ ἡμῶν. 10. ἡ γὰρ κατὰ Θεὸν λύπη μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον ἐργάζεται, ἡ δὲ τοῦ κόσμου λύπη θάνατον κατεργάζεται. 11. ἰδοὺ γὰρ αὐτὸ τοῦτο τὸ κατὰ Θεὸν λυπηθῆναι πόσην κατειργάσατο ὑμῖν σπουδήν· ἀλλὰ ἀπολογίαν, ἀλλὰ ἀγανάκτησιν, ἀλλὰ φόβον, ἀλλὰ ἐπιπόθησιν, ἀλλὰ ζῆλον, ἀλλὰ ἐκδίκησιν. ἐν παντὶ συνεστήσατε ἑαυτοὺς ἁγνοὺς εἶναι τῷ πράγματι. 12. ἄρα εἰ καὶ ἔγραψα ὑμῖν, οὐχ ἕνεκεν τοῦ ἀδικήσαντος, ἀλλ' οὐδὲ ἕνεκεν τοῦ ἀδικηθέντος, ἀλλὰ ἕνεκεν τοῦ φανερωθῆναι τὴν σπουδὴν ὑμῶν τὴν ὑπὲρ ἡμῶν πρὸς ὑμᾶς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. διὰ τοῦτο παρακεκλήμεθα[1].

1. *VV. LL.* — 7. εἰ δὲ καὶ μετεμελόμην (si *autem* etiam poenituit) solus B; recte reliqui omissa particula adversativa : εἰ καὶ μετεμελόμην (etsi poenituit; *Vulg.* haud plane recte : *etsi poeniteret*). — βλέπω ὅτι (video quod) B D et *A[ler]*; βλέπω γὰρ ὅτι (video *enim* quod) reliqui codd. graeci cum *Syr. Copt. Arm. Goth.*; denique βλέπων ὅτι (*videns quod*) est lectio quam *Vulg.* supponit. Iam moderni critici plerique secundam lectionem (βλέπω γὰρ ὅτι) utpote testium auctoritate fultam praeferunt; aliqui

Se priore sua epistola, qua Corinthiorum vitia severe reprehendit, eos contristasse, Apostolus non ignoravit; attamen illam tristitiam, quum secundum Deum esset, sibi nunc maioris gaudii, quo superabundet, causam esse docet (8. 9). Quod ut explicet, tristitiam secundum Deum a mundi tristitia distinguens fructibus per eorum tristitiam productis demonstrat, eos vere secundum Deum contristatos esse (10. 11). Itaque quoniam finem, quem in priore scribenda epistola praecipue intenderat, plene attigit, merito nunc gaudet (*v*. 12).

Tito praeclara emendationis Corinthiorum argumenta referente Paulus ita commotus est, *ut magis gauderet* (*v*. 7). Quae verba non tam significant, adventu ac gaudio discipuli magistri gaudium auctum esse (id quod plerique ad *v*.13. prospicientes censent), quam praesens Apostoli gaudium pristinam eius tristitiam superasse ac penitus ex eius animo delevisse; hanc enim interpretationem contextui esse conformiorem recte iam monuit *Phot.* consentientibus nonnullis Latinis (cfr *Thom*[1]. *Cai. Est*[1]. *Iust. Pic. M Ev.* etc.). Namque assertum istud (*ita ut magis gauderem*) explicans et confirmans Paulus in hunc modum pergit : 8. *quoniam, etsi contristavi vos in epistola, non me poenitet; etsi poeniteret* (lege : *etsi me poenitebat*), *videns* (rectius : videntem)[1] *quod epistola illa, etsi ad horam, vos contristavit,* 9. *nunc gaudeo : non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam.* Pristinae ergo tristitiae praesens suum gaudium opponit. Quum enim priore epistola, quam « ex multa

tamen (*Lachm. Rück. W H. Heinr.* etc.) lectionem *Vulg.* (βλέπων ὅτι) utpote contextui concinniorem censent esse genuinam. De huius sententiae interpunctione cfr *Comment.* — 10. ἀμεταμέλητον (impoenitendam) est communis lectio graeca, quam etiam *S. Aug.* (de civ. Dei XIV. 8 et serm. 254,2) tuetur; sed semel *Orig.* (in Ierem. 45,3) legit ἀμετάβλητον (immutabilem), quam lectionem *Vulg.* quoque supponit : *stabilem.* — 11. αὐτὸ τοῦτο τὸ κατὰ Θεὸν λυπηθῆναι (« hoc ipsum secundum Deum contristari ») pronomine non addito B ℵ C F G, paucissimi minusc. et *A*[ter]; sed *textus rec.* : αὐτὸ τοῦτο τὸ κατὰ Θεὸν λυπηθῆναι ὑμᾶς (*hoc ipsum secundum Deum contristari vos*) cum D E K L P, plerisque minusc., *Vulg. Syr. Copt. Goth. Arm. Aeth.* — κατειργάσατα ὑμῖν σπουδήν (operatum est *vobis* sollicitudinem) B N D E K L, plerique minusc. *Goth. Arm.*; sed alii codd. Graeci cum *It. Vulg. Syr.* : ἐν ὑμῖν (*in vobis*); parum recte *It.* et *Vulg.* exhibent praesens : *operatur.* — τῷ πράγματι (*negotio*) B ℵ C D F G, pauci minusc., *Pel. Vulg. Goth.*; sed *textus rec.* : ἐν τῷ πράγματι (*in* negotio) cum E K L P, plerisque minusc., *A*[ter] *Arm.* — 12. τὴν σπουδὴν ὑμῶν τὴν ὑπὲρ ἡμῶν (sollicitudinem vestram de nobis) B C E K L P, multi minusc., *Syr. Copt. Arm. Aeth.*; sed *textus rec.* : τὴν σπουδὴν ἡμῶν τὴν ὑπὲρ ὑμῶν (*sollicitudinem nostram de vobis*) cum haud multis minusc., aliquibus PP. graec., *It. Vulg. Goth.* (cfr *Comment.*).

1. Levis adest in nostra Vulgata anacoluthus, quum participium (*videns*) cum pronomine, ad quod referatur oportet (etsi *me* poenitebat) casu non concordet. In graeca lectione, quam latinus interpres secutus est (εἰ καὶ μετεμελόμην βλέπων ὅτι κτλ.) minus apta haec constructio non adfuit.

tribulatione et angustia cordis inter multas lacrymas » scripserat, Corinthios etsi ad breve dumtaxat tempus contristatos esse vidisset, ipse quoque, quod praeter suam voluntatem illos dolore affecisset, dolebat, quamdiu nimirum, cuiusnam generis illorum tristitia esset, ignorabat. At Apostoli dolor, quamvis illos contristasset, cessavit (*non me poenitet*), quin etiam, quamvis se illos contristasse videret, in gaudium conversus est (*etsi me poenitebat videntem tristitiam vestram*, *nunc gaudeo*), quamprimum ex Titi relatione illos tristitia sua ad poenitentiam esse adductos rescivit. De illorum tristitia, quam non intenderat, contristatus, sed de tristitiae fructu, quem solum obtinere voluerat, gavisus est; neque enim illorum tristitiam, sed illorum emendationem sibi in scribenda priore epistola proposuerat, ut quanto amore erga illos esset affectus hac ratione eis ostenderet (2,4). Hinc interroganti, quomodo Apostolum epistolae, quam ex Christi in se loquentis instinctu se scripsisse haud ignoravit (cfr 13,3), poenitere potuerit, respondemus eum de scripta epistola non loqui, sed de primo eius effectu, sc. de Corinthiorum tristitia, quam non intenderat quamque cuius naturae esset ante Titi reditum nescivit (cfr *Est. Pic. M Ev.* etc.).

Graeca quoque lectio, quam plerique codd. exhibent (cfr *VV. LL*), eandem interpretationem postulat, si eam cum modernis criticis (cfr *Lachm. Tisch. W H.*) hac ratione interpungamus : ὅτι εἰ καὶ ἐλύπησα ὑμᾶς ἐν τῇ ἐπιστολῇ, οὐ μεταμέλομαι· εἰ καὶ μετεμελόμην (βλέπω γάρ, ὅτι ἡ ἐπιστολὴ ἐκείνη, εἰ καὶ πρὸς ὥραν, ἐλύπησεν ὑμᾶς), νῦν χαίρω κτλ. « quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me poenitet; etsi me poenitebat (video enim, quod epistola illa, etsi ad horam, vos contristavit), nunc gaudeo » etc. At aliam interpunctionem cum *Chrys.* aliisque Graecis *textus rec.* exhibet, qui verba εἰ καὶ μετεμελόμην priori sententiae adnectit atque a verbis βλέπω γάρ et νῦν χαίρω novas sententias in hunc modum inchoat : ὅτι εἰ καὶ ἐλύπησα ὑμᾶς ἐν τῇ ἐπιστολῇ, οὐ μεταμέλομαι, εἰ καὶ μετεμελόμην. βλέπω γάρ, ὅτι ἡ ἐπιστολὴ ἐκείνη, εἰ καὶ πρὸς ὥραν, ἐλύπησεν ὑμᾶς. νῦν χαίρω κτλ. « quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me poenitet (sc. nunc), etsi me poenitebat (sc. antea). Nam video, quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit. Nunc gaudeo, non quia contristati estis » etc. Qui sententiarum nexus iure merito parum aptus censetur; iuxta *Chrys.* enim aliosque sententia causalis (βλέπω γὰρ κτλ.) rationem affert, cur Paulum nunc non poeniteat Corinthios sua epistola contristasse (« Postquam dixit *non me poenitet*, causam huius rei affert, fructum qui ex literis ortus est ponens ac prudenter se excusans his verbis *etsi ad horam* : brevis enim, inquit, ea molestia fuit, sed utilitas perpetua » *Chrys.*); sed nemimi, opinor, haec constructio ac sententia probetur : « etsi vos contristavi, non me poenitet, quia vos, *etsi* ad horam tantum, contristavi ». Ad illum sensum, quem volunt, exprimendum aut dicendum erat : « non me poenitet, quia ad breve dumtaxat tempus vos contristavi », aut : « non me poenitet, quia *etsi* ad horam tantum, tamen vos ita contristavi, ut ad poenitentiam sitis adducti »; sed de hoc contristationis fructu non loquitur nisi in sequentibus sententiis.

De Corinthiorum igitur emendatione certior factus Paulus de tristi-

tia, in quam eos coniecit et qua ad poenitentiam (εἰς μετάνοιαν ad animi mutationem) adducti sunt, iure merito gaudet, « sicut pater, qui filium secari conspiciens gaudet, quod morbus abigatur, non quod filius excrucietur » (*Chrys.*). Cur vero illorum tristitia egregium hunc poenitentiae emendationisque fructum tulerit, duobus tristitiae generibus diversisque eorum fructibus distinctis exponit : *contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo* (vel melius : *ne in ulla re* ἵνα ἐν μηδενί) *detrimentum patiamini ex nobis.* Antiquiores plerique *tristitiam secundum Deum*, cui statim tristitia mundi opponitur, eam esse definiunt, quae ex amore Dei et iustitiae, quam Deus praecepit, procedat; a qua definitione verbis potius quam re moderni dissentiunt, si tristitiam intelligunt, quae Dei voluntati respondens ei placeat. Porro evidens est, eiusmodi tristitiam etiam non posse esse nisi a Deo eique una cum fructu, quem producit, acceptam esse referendam. Quare Deus, quum eam Corinthiis concederet, impedivit, ne ulla in re ex parte Apostoli aliquod detrimentum paterentur, vel potius (siquidem haec per litoten quandam videntur dicta) effecit, ut omni modo ab Apostolo suo adiuvarentur. Deus nimirum impulit Paulum, ut severam, qua Corinthios contristavit, epistolam conscriberet, quia eos hac via ad defectuum emendationem adducere voluit; nisi vero Paulus hac ratione eos contristasset, magnum damnum ab eo passi essent; « quemadmodum enim, qui mercatori illa, quae ad navigationem necessaria sunt, dare recusat, ipse damnum infert, ita nos, si vobis poenitentiae causam non praebuissemus, vos damno affecissemus » (*Chrys.* cfr *Oec. Theoph. Mai. LR.* etc. — *Mey. Goeb.* etc.). Antiquiores quoque Latini (*A*[ter] *Pel. Prim.*) particulae *ut* sensum finalem attribuunt, neque alius ei attribui hoc loco potest, si latinam lectionem : *ut non... patiamini* retineamus; iuniores tamen plerique particulam pro consecutiva (*ita ut*) habent sententiamque explicant, ac si scriptum esset : « *ita ut* in nullo detrimentum *passi sitis* a nobis » (cfr *Cai. Est. Iust. Pic. Nat. M Ev. Bisp. Dr.* etc. — *Rück* etc.). Quae interpretatio per se non est inepta, quum graeca particula ἵνα aliquoties ἐκβατικῶς sumatur et verbum ζημιωθῆτε perfecto *passi sitis* recte reddatur; at nulla est ratio, cur particula ἵνα consueta sua vi finali hoc in loco privetur; de fine enim, quem Deus veram tristitiam Corinthiis concedens intendit, aptissime intelligitur.

Accuratius iam duo tristitiae genera eorumque fructus distinguit; ut Corinthios secundum Deum contristatos esse clarius appareat. **10.** *Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem* (vel accuratius cum *S. Aug.* l. c. ex graeco : *impoenitendam*

ἀμεταμέλητον) *operatur : saeculi autem tristitia mortem operatur.* « Sciendum est, inquit *Thom.*, quod tristitia et gaudium et communiter omnis affectio ex amore causatur; tristatur enim, qui caret eo quod amat. Qualis autem est amor, talis est tristitia ex eo causata; amor vero est duplex; unus, quo diligitur Deus, et ex hoc causatur tristitia, quae est secundum Deum; alius, quo amatur saeculum, et ex hoc causatur tristitia saeculi ». Sicut autem et origine et intima sua natura [1], ita etiam fructibus duo tristitiae genera differunt. Prior dicitur operari *poenitentiam*, quae vox hic non lato suo sensu, quo tristitiam de peccato commisso includit, sed arctiore sensu de animi mutatione (hanc enim μετάνοια vi etymologiae suae significat) emendationeque sumatur oportet; « qui secundum Deum tristis est, inquit *S. Aug.*(serm. 254,2), in poenitentiam tristis est de peccatis suis; tristitia de iniquitate propria poenitentiam parturit; prius tibi displiceat quod es, ut possis esse quod non es »[2]. Atque haec mentis animique mutatio hominem ad *salutem stabilem* vel *impoenitendam* perducit. Uti plerique Latini adiectivum *stabilem*, ita *Aug.* (l. c.) et *Theoph.* vocem *impoenitendam* cum proximo substantivo (*salutem*) connectunt; quae constructio inepta quidem dici nequit, siquidem *salus stabilis*, i. e. aeterna, per litoten recte vocatur *impoenitenda*, siquidem omnia hominis desideria ita explet satiatque, ut nihil felicitatis, quod sibi cupiat, amplius supersit eumque proinde beatitudinis obtentae poenitere non possit. Nihilominus Graecorum non-

1. Hunc in modum *Cassian.*(de instit. coenob. IX. 11) duo genera describit : « Illa tristitia, quae poenitentiam ad salutem stabilem operatur, obediens est, affabilis, humilis, mansueta, suavis ac patiens, utpote ex caritate Dei descendens, et ad omnem doloris corporis ac spiritus contritionem infatigabiliter semetipsum desiderio perfectionis extendens, et quodammodo laeta ac spe profectus sui vegetata cunctam affabilitatis et longanimitatis retinet suavitatem, habens in se omnes fructus Spiritus, quos enumerat Apostolus (*Gal.* 5,22). Haec vero asperrima, impatiens, dura, plena rancore, et moerore infructuoso ac desperatione poenali eum, quem complexa fuerit, ab industria et salutari dolore frangens ac revocans, utpote irrationabilis et intercipiens non solum orationum efficaciam, verum etiam universos, quos praediximus, fructus spirituales evacuans, quos novit illa conferre ».

2. Haud recte *Thom.* nomine *poenitentiae* ipsum poenitentiae sacramentum videtur intelligere; ad difficultatem enim, quomodo tristitia secundum Deum, quum ipsa sit poenitentia (« poenitere enim est constristari de malo secundum Deum ») poenitentiam operari possit, respondet : « dicendum est, quod poenitentia habet tres partes, quarum prima est dolor de peccatis, aliae duae sunt confessio et satisfactio; quum ergo dicit, quod tristitia operatur poenitentiam, intelligendum est, quod dolor de peccato operetur in nobis alias duas partes, confessionem et satisfactionem ». Neque melior est altera difficultatis solutio ab eo proposita, tristitiam secundum Deum latius patere quam poenitentiam, quia poenitentia sit de propriis peccatis, tristitia autem circa propria et aliena versari possit. Subtilius quoque et obscurius, quam verius, *Cai.* postquam *internam* poenitentiam tribus actibus (dolore, proposito, voluntate satisfaciendi) integrari dixit, tristitiam secundum Deum et poenitentiam in eo differre censet, « quod illa sonet tristitiam ex ratione tristandi, sc. Deo, haec autem sonet tristitiam commissi cum reliquis duobus actibus ».

nullorumque Latinorum praeplacet sententia, qui Paulum « ad differentiam poenitentiae poenitendae, qualis saepe est poenitentia humana atque maxime poenitentia desperatorum » (*Cai.*), *de poenitentia impoenitenda,* quae ad *salutem* ducat, loqui censent (cfr *Chrys. Phot. Oec. Prim. Cai. Iust*². *Nat*². *Pic*². *M Ev*². *Ramb.* etc. — *Goeb. Heinr.* etc.) ; vera ac sincera igitur intelligitur animi mutatio, cuius utpote operis salutaris ex tristitia divinitus data exorti neminem umquam poenituerit. Prorsus contrario modo sese habet *tristitia saeculi,* i. e. ex amore mundi ob amissionem vel impeditam acceptionem rerum temporalium, quae carnaliter diliguntur, exorta : « si ob amissas opes, si ob alicuius mortem, si ob invidiam in moerore versaris, haec omnia secundum mundum sunt » (*Chrys.*). Eiusmodi enim moeror non tantum homines impedit, ne ea, quae pro officio facere debent, tempore ac modo debito faciant, multorumque aliorum peccatorum causa est, sed in se ipso quoque ob carnalem suam originem malus est ac proin hominem *ad mortem* aeternam ducit; nam de hoc solo aeterno interitu vocabulum *mortis,* quum saluti opponatur, hic intelligatur oportet, neque satis recte *Est.* cum nonnullis illud simul de morte naturali interpretari vult, ad quam immoderatus dolor homines interdum adducat.

A qua generali sententia, explicationis gratia quasi parenthetice inserta, Apostolus ad Corinthiorum tristitiam revertitur, ut eorum ipsorum experientia constare docens, quam salutiferos fructus eorum tristitia secundum Deum tulerit, simul eos laudet et erudiat arctiusque sibi devinciat (cfr *Chrys.*). In hac autem fructuum descriptione illam maxime tristitiam respicit, in quam gravissima sua de incestuoso non punito increpatione (1 *Cor.* 5,1 sqq.) eos coniecerat (cfr 2,5 sqq.). **11.** *Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos* (vel potius : contristatos vos esse, αὐτὸ τοῦτο τὸ κατὰ Θεὸν λυπηθῆναι ὑμᾶς, i. e. haec ipsa vestra secundum Deum tristitia) *quantam* (*in*) *vobis operatur* (rectius : *operatum est* κατειργάσατο) *sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed aemulationem, sed vindictam.* Particula ἀλλά (*sed*) sexies repetita praecedenti expressioni, utpote auctoris mentem nec plene nec satis clare reddenti, magna cum vi rhetorica novam semper addit, qua priores augeantur expliceuturque. Prima (σπουδή *sollicitudo*) omnino est generalis atque pristinae eorum negligentiae, qua incestuosi crimen nec aegre ferre nec curare videbantur, ardens studium opponit, quo ab Apostolo suo increpati rem hanc tractare coeperant : reliquae sex ita videntur dispositae, ut binae arctius cohaerentes describant, quomodo hanc sollicitudinem erga se ipsos, erga Apostolum, erga peccatorem manife-

staverint. Tristitia enim eo sunt adducti, ut sese nullam in illo crimine partem habere coram Tito defenderent (ἀπολογίαν *defensionem*) *indignationemque* (ἀγανάκτησιν) exprimerent suam, quod tanto crimine ecclesiam suam contaminari permisissent nequedum illam maculam abstergere studuissent. Sollicitudinem deinde suam, si Apostoli persona consideratur, eo maxime manifestaverant, quod timerent quidem, ne velut severus iudex in virga veniret, nihilominus tamen increpationibus eius non absterriti adventum eius, utpote patris amantissimi, ardenter desiderarent (φόβον, ἐπιπόθησιν, *timorem, desiderium*). Demum ab Apostolo admoniti fervido criminis puniendi ardore impleti (ζῆλον *aemulationem* cfr *Sap*. 5,18; *Is*. 26,11 iuxta Alex.) incestuoso ex ecclesia eiecto iniuriam ecclesiae illatam iam vindicaverant (ἐκδίκησιν, *vindictam*). Quibus omnibus se in illo crimine partem non amplius habere demonstrarunt : *in omnibus* (ἐν παντί omni ratione, vel omni ex parte) *exhibuistis* (συνεστήσατε ostendistis) *vos incontaminatos esse negotio* (τῷ πράγματι determinato illo incestuosi negotio, de quo agitur). Procul dubio Corinthii incestuosum in ecclesia sua retinentes gravem sibi attraxerant culpam (cfr 1 *Cor*. 5,2); at priore epistola secundum Deum contristati ad animi mutationem erant adducti eamque re ita probaverant, ut tunc iam *incontaminati illo negotio* essent.

Quare Paulus se finem prioris epistolae attigisse iure asserit : 12. *igitur etsi scripsi vobis, non* (tam scripsi) *propter eum, qui fecit iniuriam, nec propter eum, qui* (iniuriam) *passus est, sed* (vel : quam) *ad manifestandam sollicitudinem nostram quam habemus pro vobis coram Deo* (vel iuxta probatiorem lectionem graecam : ἕνεκεν τοῦ φανερωθῆναι τὴν σπουδὴν ὑμῶν ὑπὲρ ἡμῶν πρὸς ὑμᾶς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ *ad manifestandam sollicitudinem vestram*, *quam habetis pro nobis ad vos* [i. e. apud vos, in vestra ecclesia] *coram Deo*). Simili modo, quo supra (cfr ad 2,5. 6), incestuosum tectis tantum verbis designat, et quem ibi a tristitia, qua ecclesiam affecerat, hic ab iniuria, quam patris uxorem ducere attentans contra patrem suum commiserat, denotat. Nominibus τοῦ ἀδικήσαντος et τοῦ ἀδικηθέντος enim incestuosum eiusque patrem designari, communis est veterum omnium sententia, a qua sine ulla causa pauci tantum recentes recesserunt, qui de ignoto quodam calumniatore seque ipso Apostolum loqui aeque temere atque erronee statuerunt aut incestuoso iniuriam inferenti Paulum iniuriam passum opponere voluerunt. Iam vero clarum est, scopum prioris epistolae etiam fuisse, ut peccator puniretur atque hac ratione simul pater eius vindicaretur (diserte enim Corinthii peccatorem ex suo coetu eiicere iubentur 1 *Cor*. 5,13); negatio igitur in priore membro non est absoluta, sed

relativa (i. q. non tam... quam cfr ad 2,5; 1 *Cor.* 1,17; 15,10), qua praecipuus finis clarius effertur. Quis autem hic finis fuerit, ob lectionis incertitudinem cum certudine definiri nequit. Iuxta *Vulg.*, cuius lectionem etiam graeci interpretes (*Chrys. Theod.* etc.) sequuntur, Paulus gravem suam epistolam scripsit, ut suum amorem, quo Corinthios amplectebatur, suamque veram ac sinceram (*coram Deo*) sollicitudinem de eorum salute manifestaret; iuxta meliores vero codices graecos eam scripsit, ut Corinthii obedientia sua suum Apostoli amorem suamque sollicitudinem veram ac sinceram, qua ei in omnibus placere studebant, manifestarent. Qui ad 2,9 attenderit, quo etiam in loco Paulus dicit, se scripsisse, ut eis obedientiae probandae occasionem praeberet, consideraveritque, qua ratione in tota hac pericope sollicitudinem Corinthiorum praedicet ac celebret, secundam interpretationem praeferre non dubitabit. At priorem aeque aptam esse, non negabit, qui ad 2,4 respexerit, ubi Apostolus sese scripsisse dicit, ut Corinthiis immensum suum amorem patefaceret, atque attenderit, eum in tota hac pericope id potissimum intendere, ut continuum suum amorem Corinthiis persuadeat. Aeque probabiles igitur duas has lectiones esse arbitror; sive autem haec, sive illa praefertur, certum est, Paulum finem prioris suae epistolae plene attigisse; quare etiam addit : *ideo consolati sumus*, vel uti accuratius A[ler] legit : *ideo consolationem accepimus.*

In singulis expressionibus *v.* 11. explicandis satis inter se dissentiunt interpretes. Haec de iis habet *Chrys.* : « subiungit deinde sollicitudinis eorum argumenta : *defensionem* i. e. excusationem apud me, *indignationem* contra illum qui peccaverat, *timorem*, siquidem valde metuentium erat tantum studium tamque sceleris correctio. Ne tamen sese ipse efferre videatur, vide quam cito id leniat addens *sed desiderium* erga me, *sed aemulationem* pro Deo, sed *vindictam*, siquidem violatae divinae legis exstitistis vindices ». Alio modo *Theod.* : « Literarum mearum reprehensione correcti omne quidem studium ad vos excusandos contulistis, contra eos autem, qui peccarant, indignatione vos armastis divinumque timorem induistis; sed et nos ardentius, quam antea desiderastis, iustaque aemulatione tacti de legum transgressione luxistis ». Cum antiquioribus Latinis *Thom.* omnes expressiones generali modo de iis, quae poenitentia in peccatore producit, explicat : praeprimis enim producitur *sollicitudo* ad vitanda mala et ad facienda bona; ad mali autem remotionem requiritur *defensio* contra seductores, *indignatio* contra se ipsum ob peccata commissa, et *timor*, ne in futuro iterum cadat; ad boni dein adeptionem duo requiruntur, *desiderium*, quo ad bonum afficitur, et *aemulatio*, qua iustos imitetur; ad externum demum poenitentiae actum pertinet *vindicta*, qua poenitens in se ipso peccatum punit. Iuxta *Cai.* tria priora respiciunt *peccatum* praeteritum (*excusatio*), praesens (*indignatio*) et futurum (*timor*); tria alia *bonum*: sc. *desiderium* quum proprii tum communis boni, *aemulatio* in bonis actionibus ponendis, *vindicta* in exercendo bono iustitiae. Non minus inter se recentiores dissentiunt, sed non tantopere, quam antiquiores Latini, extra contextum vagantur.

3.) *Quantopere Apostoli gaudium gaudio discipuli sit auctum* (7,13-16).

7,13. *In consolatione autem nostra abundantius magis gavisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus eius ab omnibus vobis.* 14. *Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus: sed sicut omnia vobis in veritate loculi sumus, ita et gloriatio nostra, quae fuit ad Titum, veritas facta est,* 15. *et viscera eius abundantius in vobis sunt: reminiscentis omnium vestrum obedientiam, quomodo cum timore et tremore excepistis illum.* 16. *Gaudeo, quod in omnibus confido in vobis.*	7,13. Ἐπὶ δὲ τῇ παρακλήσει ἡμῶν περισσοτέρως μᾶλλον ἐχάρημεν ἐπὶ τῇ χαρᾷ Τίτου, ὅτι ἀναπέπαυται τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἀπὸ πάντων ὑμῶν, 14. ὅτι, εἴ τι αὐτῷ ὑπὲρ ὑμῶν κεκαύχημαι, οὐ κατῃσχύνθην, ἀλλ' ὡς πάντα ἐν ἀληθείᾳ ἐλαλήσαμεν ὑμῖν, οὕτως καὶ ἡ καύχησις ὑμῶν ἐπὶ Τίτου ἀλήθεια ἐγενήθη, 15. καὶ τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ περισσοτέρως εἰς ὑμᾶς ἐστὶν ἀναμιμνησκομένου τὴν πάντων ὑμῶν ὑπακοήν, ὡς μετὰ φόβου καὶ τρόμου ἐδέξασθε αὐτόν. 16. Χαίρω, ὅτι ἐν παντὶ θαρρῶ ἐν ὑμῖν [1].

Haud immerito *Chrys. Theod.* aliique ad *v.* 7. iam adnotant, Paulum consolationem, quam Titus in ecclesia corinthia invenerat, ideo commemorasse, ut discipulo suo neophytorum gratiam amicitiamque conciliaret. At quod ibi obiter tantum et quasi in transitu praestitit, id nunc iam data opera praestat. Etenim ut collectarum negotium in priore epistola commendatum ante suum adventum terminaretur, Titum velut legatum suum, qui illud urgeret, Corinthum mittere statuerat; quare ad secundam epistolae huius partem, in qua collectas mox terminari iubet, transiturus opportune explicat, quo animo Titus erga Corinthios sit affectus, qua igitur ratione ab eis recipi tractarique mereatur. At ita de Tito loquitur, ut continuum suum ipsius quoque amorem neophytis simul probet, quippe de quibus iam ante primam discipuli missionem coram eo sit gloriatus et quibus etiam nunc plene confidat. Apologiam ergo haec particula aptissime terminat nec minus apte exhortationem de collectis praeparat.

13. *In consolatione autem nostra,* quam vestra sollicitudine co-

1. *VV. LL.* — 13. ἐπὶ δὲ τῇ παρακλήσει (*in consolatione autem*) B ℵ C D E F G K L P, pauci minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Goth.*; sed *textus rec.* vocabula ἐπὶ τῇ παρακλήσει (in consolatione) praecedenti sententiae adnectens haud recte particulam δὲ post ἐπὶ omittit eamque post περισσοτέρως ponit, ut ab hac voce novam sententiam exordiatur cum plerisque minusc. et Aeth.; parum recte quoque *Theod.* cum aliis minusc. particulam omnino praetermittit. — παρακλήσει ἡμῶν (*consolatione nostra*) B ℵ C D E G P, pauci minusc., *It. Vulg. Syr. Goth. Arm. Aeth.*; male *textus rec.*: παρακλήσει ὑμῶν (consolatione *vestra*) cum F K L, plerisque minusc., *Copt.* — 14. ὅτι εἴ τι (*quoniam,* si quid) est communis lectio codd. graec. et verss., quam etiam *A^ter* exhibet; pro *quoniam* minus apte *Vulg.* habet *et.* — πάντα (*omnia*) B ℵ D E K L P, plerique minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Arm. Aeth. Goth.*; sed πάντοτε (semper) C F G, *Copt. Syr.* (codd.). — ἡ καύχησις ὑμῶν (gloriatio *vestra*) B F cum uno alterove minusc. et *Copt.*; legatur oportet ἡ καύχησις ἡμῶν (*gloriatio nostra*) cum ℵ D E G K L P, plerisque minusc., *It. Vulg. Syr. Arm. Goth.*

gnita ob finem prioris epistolae obtentum experti sumus, *abundantius magis* (περισσοτέρως μᾶλλον multo magis, vel : quam maxime; minus recte A^ler : magis magisque) *gavisi sumus super* (ἐπὶ de) *gaudio Titi,* qui ipse gavisus est, *quia refectus est* (vel recreatus est ἀναπέπαυται) *spiritus eius ab omnibus vobis* (ἀπὸ πάντων ὑμῶν ex omnium vestrum parte), i. e. omnium vestrum, seu integrae vestrae ecclesiae, intuitu, licet forte nonnulli in ea fuerint, qui obedientia sua illum non sint consolati; totam enim ecclesiam, non singula eius membra Paulus alloquitur (cfr ad 1 *Cor.* 1,5 sqq. etc.). Qua vero ratione ipse de Titi gaudio gavisus sit, ita exponit, ut et pristinum (*v.* 14) et praesentem (*v.* 15) suum ecclesiae corinthiae amorem demonstret. Antequam enim Titum prima vice Corinthum mitteret, ut quem fructum prior epistola tulisset exploraret, coram discipulo suo iam de neophytorum obedientia gloriatus erat; iure igitur de Titi gaudio gavisus est, quo se iis non temere confisum esse luce clarius patebat : 14. *et* (lege : *quia* ὅτι cfr *VV. LL.;* sc. de Titi gaudio gavisus suum, quia) *si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus; sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita et gloriatio nostra, quae fuit ad Titum, veritas facta est,* i. e. laudes, quas vobis coram Tito tribuimus, veritati consonare eventu apparuit. « Nihil umquam falsum dicere in animum induximus, sed et vobis veram doctrinam tradidimus et laudes vestras veritate exornavimus »; ita *Theod.*, qui cum multis indirectam pseudapostolorum, qui Apostoli sinceritatem negabant, refutationem in his verbis recte deprehendit. Altera ratio, cur Paulus de Titi gaudio gavisus sit, est maior amor, quo discipulus nunc, postquam eam tam obedientem invenit, ecclesiam corinthiam complectitur; quia enim Apostolus ipse Corinthios tantopere amat, eos etiam a discipulis suis valde amari desiderat : 15 *et* de Titi gaudio gavisus sum, quia *viscera eius abundantius in vobis sunt* (εἰς ὑμᾶς ἐστίν ad vos sunt, i. e. quia cor eius vobis magis est deditum), *reminiscentis* (i. e. quando in memoriam revocat) *omnium vestrum obedientiam, quomodo cum timore et tremore recepistis illum;* tantum sc. obediendi studium exhibuerant, ut quasi timere ac tremere visi sint, ne ei satisfacerent. Quoniam vero Titus tamquam Pauli legatus hanc obedientiam invenerat, Corinthii Tito obedientes simul se Apostolo obedientissimos esse demonstraverunt, quare totam suam apologiam terminat verbis : 16. *gaudeo, quod in omnibus confido in vobis*, atque hac continui sui amoris demonstratione vestigia ultima, si quae supererant, malae suspicionis a pseudapostolis excitatae ex cordibus eorum delet.

PARS SECUNDA PARAENETICA

EXHORTATIO AD COLLECTAS PRO IEROSOLYMITANIS TERMINANDAS (8,1-9,15).

Omnimodae suae fiduciae, quam asseruit (7,16), argumentum Paulus Corinthiis statim praebet eos ad collectarum negotium terminandum exhortans, quod iam diu haerebat (cfr *Theod.*). Etenim ante integrum iam annum (8,10; 9,3) promissis suis (*Gal.* 2,9. 10) stans Galatiae Macedoniae Achaiaeque ecclesias eleemosynas conferre iusserat, quibus Iudaeochristianorum palaestinensium paupertas sublevaretur; gentiles enim, qui spiritualium eorum participes facti essent, in carnalibus ministrare debere fratribus ex circumcisione censebat (*Rom.* 15,27). Nihilominus in priore epistola, quamvis a Corinthiis ut videtur interrogatus, obiter tantum et perpaucis hanc rem attigerat solo modo indicato, quem Galatas in colligendis pecuniis tenere iusserat (1 *Cor.* 16,1-4). Coniicere licet, eum accuratius de illa agere noluisse, antequam Corinthii partium studio reiecto aliisque, quibus suam ecclesiam maculaverant, vitiis remotis digniores sese reddidissent, qui in tam sancti operis partem vocarentur. Itaque nunc, de eorum sincera mutatione et magno fervore per Titum certior factus, ad illud negotium revertitur atque ea ratione illud tractat, ut luculentissime appareat, non tantum quam bene de eis existimet quantumque eis confidat, sed etiam quanta cum cura omnia evitet, quae adversariis calumniarum ansam praebeant, et quam paratus sit ad neophytorum bonum in virtutibus profectum promovendum. Satis arcte igitur haec exhortatio cum praecedente apologia cohaeret eamque non parum confirmat, quum una ex parte continui, quo ecclesiam corinthiam amplectitur, amoris continuaeque suae fiduciae sit argumentum, altera ex parte calumniis adversariorum nihil veri subesse posse demonstret.

Tribus autem sectionibus haec pars absolvitur (cfr *Thom.*). Ab iis enim exorsus, quae Macedones in hoc collectarum negotio egerant,

Apostolus Corinthios edocet, quomodo ipsi eas terminare debeant (8,1-15). Titum deinde, quem ad hoc negotium elegerat, eiusque duos socios, ecclesiarum legatos, commendat atque se illos iam nunc mittere monet, ut ante suum adventum omnia sint terminata (8,16-9,5). Demum ut eos ad hilarem munificentiam excitet, paucis sed gravibus verbis exponit, quam meritoria sit liberalitas (9,6-15).

§ 1. *De modo, quo collectae Corinthiis sint terminandae* (8,1-15).

1. Quid Macedones in collectarum negotio praestiterint (8,1-6).

8,1. *Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quae data est in ecclesiis Macedoniae : 2. quod in multo experimento tribulationis, abundantia gaudii ipsorum fuit : et altissima paupertas eorum, abundavit in divitias simplicitatis eorum : 3. quia secundum virtutem testimonium illis reddo, et supra virtutem voluntarii fuerunt. 4. Cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam, et communicationem ministerii, quod fit in sanctos. 5. Et non sicut speravimus, sed semet ipsos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei : 6. ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum coepit, ita et perficiat in vobis etiam gratiam istam.*

8,1. Γνωρίζομεν δὲ ὑμῖν, ἀδελφοί, τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ τὴν διδομένην ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Μακεδονίας, 2. ὅτι ἐν πολλῇ δοκιμῇ θλίψεως ἡ περισσεία τῆς χαρᾶς αὐτῶν καὶ ἡ κατὰ βάθους πτωχεία αὐτῶν ἐπερίσσευσεν εἰς τὸ πλοῦτος τῆς ἁπλότητος αὐτῶν, 3. ὅτι κατὰ δύναμιν, μαρτυρῶ, καὶ παρὰ δύναμιν, αὐθαίρετοι, 4. μετὰ πολλῆς παρακλήσεως δεόμενοι ἡμῶν τὴν χάριν καὶ τὴν κοινωνίαν τῆς διακονίας τῆς εἰς τοὺς αγίους, 5. καὶ οὐ καθὼς ἠλπίκαμεν, ἀλλ' ἑαυτοὺς ἔδωκαν πρῶτον τῷ Κυρίῳ καὶ ἡμῖν διὰ θελήματος Θεοῦ, 6. εἰς τὸ παρακαλέσαι ἡμᾶς Τίτον, ἵνα καθὼς ἐνήρξατο, οὕτως καὶ ἐπιτελέσῃ εἰς ὑμᾶς καὶ τὴν χάριν ταύτην [1].

Sicuti singulos fideles, ita particulares quoque ecclesias, utpote unius corporis Christi membra, Apostolus tam arcte inter se coniungi et quasi uniri voluit, ut non tantum mutuo amore unitae de aliarum gaudiis congauderent de earumque tribulationibus contristarentur, sed etiam mutuo exemplo incitatae in omnium virtutum exercitio promoverentur. Quamobrem ut Corinthiis liberalitatem commendet, ab eximia Macedonum liberalitate describenda exorditur

1. *VV. LL.* — 1. Pro γνωρίζομεν (*notum... facimus*), quae est communis codicum ac versionum lectio, pauci libri graeci et latini legunt γνωρίζω (*notum facio*). — 3. παρὰ δύναμιν (*supra virtutem*) B ℵ C D E F G et pauci minusc.; sed *textus rec.* eodem sensu ὑπὲρ δύναμιν cum K L P et plerisque minusc. — 4. δεόμενοι ἡμῶν τὴν χάριν καὶ τὴν κοινωνίαν τῆς διακονίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους (*obsecrantes nos* [a nobis] *gratiam et communicationem ministerii quod fit in sanctos*) sine addito B ℵ C D E F G K L P, haud pauci minusc., *It.* (*S. Aug.* de op. mon. 12) *Vulg. Syr. Copt. Aeth.*; sed *textus receptus* addit δέξασθαι ἡμᾶς (obsecrantes nos, ut [ab eis] gratiam et communicationem ministerii, quod fit in sanctos, *recipiamus*) cum multis minusc., *Aeth*, *Arm. Goth.* etc. *Comm.* — 6. ἐνήρξατο (*coepit*) B, *It. Vulg.*; sed reliqui codd. graeci omnes προενήρξατο (*antea* coepit).

(1-5); pro sua prudentia tamen non directe eam illis imitandam proponit, sed ea dumtaxat sese permotum dicit, ut Tito collectam corinthiam terminandam committeret (*v.* 6). Nihilominus tanta cum arte tota illa descriptio est expolita, ut singulis sententiis, ne dicam verbis, stimuli contineantur, quibus Corinthii ad Macedonas imitandos provocari debuerint; itaque Apostolus « res aliorum narrans id agit, ut, dum alios laudat, hos diligentiores reddat » (*Chrys.*).

Praeprimis enim Macedonas, quamvis multis tribulationibus summaque egestate opprimerentur, per divinam gratiam stipem abundantissimam corrogasse monet : 1. *Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quae data est in ecclesiis Macedoniae,* 2. *quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum* (*fuit*[1]), *et altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum.* Particula δέ (*autem*) hic, uti saepe (10,1 etc.), transitioni inserviens (δέ metabaticum) novum argumentum introducit, quod quomodo cum praecedente apologia interne cohaereat, iam diximus; at etiam externe quodam modo cum prioribus connectitur, siquidem Apostolus narrationem eorum, quae in Macedonia expertus est, supra (7,5) inchoatam quasi continuat omnimodaeque, quam ibi passus est, tribulationi magnam, quam ibi etiam ex parte Macedonum invenit, consolationem adiungit (cfr ad 2,12). Nomine *gratiae Dei* aliqui antiquiores Latini ob erroneam codicum suorum lectionem (gratiam Dei, quae data est *mihi* in ecclesiis Mac.) aut ipsam eleemosynam (cfr 1 *Cor.* 16,3) aut eleemosynae largitionem (cfr *v.* 6.) significari haud recte putarunt (*Sed. Lomb. Thom.* etc.); neque satis recte *Chrys.* (cfr *Theoph.*) ipsam beneficentiam aut *Oec.* « charisma misericordiae » (*Rom.* 12,8) significari volunt; generali enim modo beneficium divinitus collatum significatur, quod in agendi ratione ecclesiarum macedonicarum sese manifestaverit, quodque quale ac quantum fuerit, sententia addita docet. Quodsi latinam lectionem sequimur, quam etiam *Chrys. Theod.* etc. suis interpretationibus tuentur, Macedones duplici ratione beneficium sibi divinitus collatum manifestarunt : « in animi aegritudine hilares fuerunt, et in extrema paupertate fuerunt liberalitate divites; quum enim fluctibus undequaque obruerentur, gavisi sunt ac si secundis ventis navigarent, et quum rebus carerent necessariis, animi magnitudinem, ac si divitiis abundarent, prae se tulerunt » (*Theod.*). Quae explicatio non tantum omnibus iunioribus (cfr *Cai. Iust. Est. Lap.* etc.) sed etiam plerisque modernis (cfr *M Ev. Bisp. L R.* etc. — *Mey. Kl. Br. Goeb.* etc.) probatur idque meritissimo. Iuxta Apostoli do-

1. Verbum *fuit* cum omnibus codd. graecis et verss. etiam *S. Aug.* (l. c.) et meliores codd. *Vulg.* (*Fuld. Amiat.* etc.) praetermittunt.

ctrinam enim eleemosyna nec moroso tristique animo dari nec donantis avaritiam prodere debet (9,5. 7); aptissime igitur Macedonas non obstantibus eorum tribulationibus gaudio fuisse repletos atque egestate eorum non obstante liberalissimos fuisse monet. Porro idem quidem fere sensus manet, sed concinniore et clariore, opinor, constructione exprimitur, si cum nonnullis modernis (*Mai.* etc. — *Heinr.* etc.) verbo *fuit*, quod interpres de suo addidit, praetermisso unam solam sententiam adesse statuamus, cuius duo subiecta (ἡ περισσεία τῆς χαρᾶς et ἡ κατὰ βάθους πτωχεία) verbum (ἐπερίσσευσεν) habeant commune: « quod in multo tribulationis experimento abundantia gaudii eorum et altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum » i. e. quod eo tempore, quo multis tribulationibus eorum virtus quasi explorata sit, abundantia gaudii, quo erant repleti, et profunditas egestatis, qua erant pressi, ad eos reddendos liberalissimos conspiraverint manifestaverintque gratiam Dei eis datam.

Ad singulas expressiones quod attinet, quo sensu ἡ δοκιμὴ τῆς θλίψεως sumenda videatur, iam innuimus; ἡ δοκιμή enim hic non tam est *probatio* (cfr ad 2,9), quam *exploratio;* priorem quidem sensum antiqua versio expressit (in multa probatione pressurae *A^{ler}* et *S. Aug.*) et cum *Chrys.* (« non simpliciter erant afflicti, sed ita ut probati fierent patientia » cfr *Rom.* 5,3) tenent iuniores ac moderni nonnulli (*Est. Lap. Bisp. L R.* etc.); at alter, quem *Vulg.* innuit (*experimentum* tribulationis), a plerisque merito praefertur (*Cai. Iust. Pic.* etc., *MEv. Mai.* etc.). Sine ullo utique dubio eadem hic intelligatur oportet tribulatio, quam Apostolus se ipsum in Macedonia invenisse dicit (7,5); continuis tamen in persecutionibus ecclesiae macedonicae videntur esse versatae; uti in tribulatione multa verbum divinum exceperant (1 *Thess.* 1,6 cfr *Act.* 16,19 sqq.; 17,5 sqq. 13), ita etiam a Iudaeis postea persecutiones sustinuerunt bonisque suis direptis ad egestatem sunt redacti (cfr 1 *Thess.* 2,14 cum *Hebr.* 10,34; 2 *Thess.* 1,4; *Phil.* 1,29). Quapropter expressio *in multo experimento tribulationis* non ad solum primum subiectum pertinet (*abundantia gaudii*, quod nimirum per divinam gratiam mediis in afflictionibus suis experti sunt), sed etiam ad alterum (*altissima paupertas*, vel uti *A^{ler}* et *Aug.* legerunt: *profunda paupertas* et *Chrys.* explicat: *ingens et ineffabilis paupertas*, quae persecutionibus illis creabatur). Iam ex abundantia gaudii et ex profunditate paupertatis eorum, velut ex duobus fontibus, uberrime emanarunt *divitiae simplicitatis eorum* (τὸ πλοῦτος τῆς ἁπλότητος αὐτῶν), i. e. abundantissimae eleemosynae, quas contulerunt animo simplici ad se ipsos suamque paupertatem non attendentes nec quidquam sibi quaerentes, sed solam fratrum indigentiam spectantes, ad quam sublevandam eorum auxilium implorabatur, Deumque intuentes, propter quem fratres diligendi et adiuvandi sunt; ab hac enim simplicitate eleemosynarum meritum pendet (cfr *Rom.* 12,8).

Quibus non contentus Paulus, ut Macedonum liberalitatem magis magisque commendet, verba sua ipse quodam modo explicat; namque quo cum iure gaudium et paupertatem eorum in divitias simplicitatis eorum abundasse dixerit exponens hunc in modum pergit : 3. *quia secundum virtutem* (κατὰ δύναμιν *S. Aug.* : secundum vires, *A*ter : pro viribus; aut si mavis : *pro facultatibus* cfr *Deut.* 8,17 iuxta Alex.), *testimonium* (*illis*) *reddo, et supra virtutem* (melius *S. Aug. A*ter : supra vires, vel : *supra facultates*) *voluntarii* (*fuerunt*), 4. *cum multa exhortatione* (μετὰ πολλῆς παρακλήσεως, *S. Aug. A*ter accuratius : *precibus*) *obsecrantes nos gratiam et communicationem* (κοινωνίαν, *S. Aug. A*ter accuratius : *communionem*) *ministerii, quod fit in sanctos*, 5. *et non sicut speravimus, sed semetipsos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei.* Iuxta graecum textum tres hi *vv.* (3-5) unam solam constituunt sententiam, cuius verbum commune est ἔδωκαν (*dederunt v.* 5); sed primus iam interpres latinus (cfr *S. Aug. A*ter) in fine *v.* 3. verbo *fuerunt* inserto sensum quidem non mutavit, sed constructionis concinnitatem turbavit; *Vulg. Clem.* praeterea integrum locum sua interpunctione obscuriorem reddidit, quum in fine *vv.* 3. et 4. punctis positis unam sententiam graecam in tres discerperet, cuius secunda verbo finito caret[1]. Una autem hac sententia tribus praecipue modis, uti monet *Thom.*, Macedonum munificentia commendatur : « quantum ad quantitatem doni (*v.* 3), ad voluntatem dantis (*v.* 4), ad ordinem dationis (*v.* 5) » vel accuratius : ratione magnitudinis doni, promptae voluntatis, purae intentionis. Ac profecto primum, ad quod in liberalitate aestimanda attendi solet, ipsum est donum, utrum nimirum dantis facultatibus respondeat necne; atqui Macedones teste Paulo, qui fidem suam in hanc rem interponit, non tantum *secundum virtutem* (pro viribus), i. e. quantum eorum paupertas permittebat, sed pauperculam viduam (*Marc.* 12,41 sqq.; *Luc.* 21,1 sqq.) imitati *supra virtutem*, i. e. plura dederant, quam homines similibus in conditionibus positi similibusque facultatibus praediti vulgo dant ac dare posse existimantur[2]. Multo magis vero, quam ex doni ma-

1. In *Vulg. Clem.* etiam primum membrum (*v.* 3) obscurius est, quia ante vocem *testimonium* comma est omissum, ita ut verba : *quia secundum virtutem testimonium eis reddo* connectenda esse et grammatice cohaerere videantur; graeca vox μαρτυρῶ (testor i. e. testimonio meo confirmo) parenthetice est inserta.

2. Sibi ipse obiicit *Thom.* : « quicumque dat *supra virtutem*, dat immoderate; ex hoc ergo non est laude dignus », atque respondet : « Dicendum est, quod virtus in dando potest considerari dupliciter, sc. simpliciter seu absolute, et secundum proportionem aliorum. Quando ergo plus dat, quam alii suae proportionis, non peccat; sed si simpliciter dat supra virtutem, tunc immoderate dat ». Quibus *Cai.* addit : « habet magnam latitudinem quod censetur supra vires; largiri aliquid supra vires, compatitur moderata ratio, quae non compateretur nimium supra vires excessum largitionis ». Atque *Lyr.* : « licet liberalitas *politica*

gnitudine, ex dantis animo liberalitas aestimetur oportet; neque enim de liberalitate potest esse sermo, si quis ex necessitate aut ex tristitia aliquid largitur (9,7). Iamvero animi alacritate ac proclivitate Macedones excelluerant; praeprimis enim *voluntarii* (αὐθαίρετοι), i. e. sua sponte ac proprio voluntatis motu, stipem erant largiti, ita ut exhortatione non indiguissent, nedum praeceptum exspectassent; patet autem spontaneitatem, uti divina gratia excitante non tollitur, ita alterius exemplo, quo aliquis ad similiter agendum provocatur, non minui; sua enim sponte agere non est idem quod caece agere (cfr 9,2). Deinde *cum multa exhortatione*, i. e. multis rationibus allatis (aut melius: *cum multis precibus*) Apostolum *obsecrarant*, ut sibi *gratiae* ac beneficii nomine partem habere concederetur in hoc ministerio, quo pauperum Christianorum inopia erat sublevanda; neque enim datis eleemosynis se illis gratiam facere, sed sibi gratiam fieri putabant.

Sim. *Thom.*: « non solum rogaverunt, sed etiam per rationes nos induxerunt (*cum multa exhortatione*), ut haberent gratiam et communionem ministerii etc., i. e. ut liceret sibi dare sua pauperibus sanctis, qui sunt in Ierusalem, non reputantes se facere gratiam nobis, sed quod eis gratia fiat »; neque nisi in levioribus ab hac explicatione Graeci (cfr *Chrys. Theod. Phot.*) et moderni plerique dissentiunt (cfr *Bisp. Mai. L R.* etc. — *Kl Br. Goeb.* etc.). Revera meliori lectioni graecae, quae cum *Vulg.* consonat, accommodatissima est, siquidem accusativus τὴν χάριν καὶ τὴν κοινωνίαν τῆς διακ. (*gratiam et communionem ministerii*) velut obiectum dependet a participio δεόμενοι (*obsecrantes*; attende verbum obsecrandi duplicem accusativum personae et rei admittere, sicut δεῖσθαι cum genit. personae et accus. rei construitur). In ipsa vero expressione aut cum pluribus admittendum est hendiadys (ἡ χάρις καὶ ἡ κοινωνία τῆς διακ. i. q. ἡ χάρις τῆς κοινωνίας τῆς διακ. gratia participationis in ministerio) aut particulae καὶ sensus epexegeticus attribuendus est (ἡ χάρις, τοῦτ' ἐστὶν ἡ κοινωνία τῆς διακ., gratia i. e. participatio in ministerio). — Antiquiores tamen Latini plerique (cfr *Ater*, *Pel. Herv. Est. Iust.* etc.) eam lectionem explicant, quam exhibet *textus rec.* (δεόμενοι ἡμῶν τὴν χάριν καὶ τὴν κοινωνίαν τῆς διακονίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους δέξασθαι ἡμᾶς, obsecrantes nos, ut gratiam et communicationem ministerii quod fit in sanctos acciperemus) vel similem (cfr *Ater*: « orantes suscipi in gratiam et communionem ministerii quod fit in sanctos »). Iuxta *textum rec.* vocabula ἡ χάρις (cfr 1 *Cor.* 16,3) et ἡ κοινωνία (i. q. communis collatio cfr *Rom.* 15,26) sensu eleemosynae sumi queunt (« Macedones nos rogarunt, ut ab ipsis eleemosynam collectamque ad ministerium sanctorum acciperemus » cfr *Est. M Ev. Dr.* etc.); alii tamen explicare malunt: « rogarunt nos, ut gratiosi in partem oneris veniremus et in ministerio colligendi eleemosynas participaremus » (cfr *Lap. Iust.* etc.). Quamvis textus rec. aptum sensum praebeat, nulla tamen est ratio, cur *Vulg.* lectionem melioribus codicibus graecis confirmatam relinquamus, praesertim quum *Syr.* eundem sensum exprimat: « efflagitarunt a nobis cum multa obsecratione, ut in partem venirent beneficentiae ministerii sanctorum ».

(i. e. naturalis) habeat medium respiciendo proprias facultates, liberalitas tamen *infusa* (supranaturalis) excedit hoc medium, in quantum rescindit aliquid de sibi necessariis, ad dandum magis indigenti propter Deum ».

Quoniam igitur Macedones egestate sua non obstante, ut partem in eleemosynarum collatione haberent, studiosi quaerebant ac petebant, mirum non est, quod Paulus eorum animum promptum alacritatemque spem suam superasse dicat : *et non sicut speravimus*, dederunt. Plerique quidem cum *Theod. Phot.* etc. haec verba « non de voluntate, sed de multitudine pecuniarum » intelligenda censent; at eos supra vires dedisse asserens Paulus copiam eleemosynarum spem suam superasse clare iam innuerat; quare hoc membrum praecedenti arcte adnectere ac de voluntate interpretari malumus. Pro bona sua nimirum de eis opinione libenti utique animo eos petitioni suae obsecuturos stipemque petitam corrogaturos esse speraverat; verum tantam animi proclivitatem alacritatemque, ut non rogati in hoc ministerium sese coniicerent eiusque partem sibi quasi vi vindicarent, non expectaverat. Hac ratione tertium quoque membrum apte adnectitur, in quo non de « ordine dationis », ut vult *Thom.*, sed de puritate intentionis, qua Macedones in hoc negotio regebantur, sermo est ac proin proximus fons illius alacritatis innuitur. Macedones enim Pauli spem superantes eiusque desideria praevenientes non tantum sua *sed semet ipsos dederunt*, i. e. se totos cum omnibus suis facultatibus ad hoc ministerium obtulerunt permittentes, ut quidquid placeret in pauperum fratrum subsidium impenderetur.

Neque tamen fratribus sese dederunt, sed *primum Domino* et (*deinde*) *nobis*. Sua nimirum munificentia ante omnia Domino Iesu Christo, qui quum esset dives pro eis egenus factus erat, ut eos faceret divites (*v.* 9), caritatem gratitudinemque rependere voluerunt; quae enim uni ex fratribus darent, ea se Christo ipsi dare haud ignorabant (*Matth.* 25,40). At simul etiam Apostolo, utpote Christi vicario, per quem ad fidem erant adducti, caritatem gratitudinemque suam demonstrare intenderunt; ei enim hoc pauperum ministerium summae curae esse sciebant. Particulis *primum* (πρῶτον) et *deinde* (pro quo graece nudum habetur καί, quod tamen pro ἔπειτα positum videtur) non temporis distinctio indicatur, sed primaria intentio a secundaria discernitur; praeprimis ob amorem Christi, sed etiam ob amorem vicarii Christi Macedones tantam magnanimitatem tantamque alacritatem exhibuerunt. Quae omnia non habuerunt ex se, quare totam huius liberalitatis descriptionem Paulus terminat verbis *per voluntatem Dei;* Deo enim volente et in eis operante tam alacres et liberales se huic negotio impenderunt[1]. Haud satis apte *Chrys.* haec verba soli ultimo vocabulo

1. Egregie, licet unum alterumve membrum minus accurate explicet, *Phot.* hunc locum perpendit : « In parte hac sermonis Paulus sex praeclara testatur de Macedonibus. Primum quidem, quod *secundum vires;* magnum enim est, si quis pro viribus eleemosynas largi-

et nobis addita esse vult : « sese et nobis dederunt non humano quodam affectu, sed quia hoc quoque secundum Dei voluntatem erat ». Neque aptius cum *Chrys.* satis multi (cfr *A^ter*, *Lomb. Thom. Lyr.* etc.) priora verba (*semetipsos dederunt primum Deo, deinde nobis*) ita explicant, ut Domino sese dederint vitam emendantes virtutesque exercentes, Apostolo autem per obedientiam aut etiam per eleemosynas collectas; haec enim a contextu aberrant.

Eximia hac Macedonum liberalitate Paulus quam maxime commotus est, 6. *ita ut rogaremus,* inquit, *Titum, ut quemadmodum* coepit (προενήρξατο *antea* coepit), *ita et perficiat in vobis* (εἰς ὑμᾶς erga vos) *etiam gratiam istam.* « Sed quaenam est haec verborum series? Egregia sane ac cum iis quae praecedunt pulchre cohaerens. Quoniam enim, inquit, Macedonas in omnibus acres et ferventes esse comperimus, Titum mittimus, ut vos quoque illorum virtutem adaequetis. Id enim his verbis indicat, etsi non directe id dicit. Ac consideres velim, quo amore Corinthios amplexus sit : quum ab illis, inquit, rogaremur et obsecraremur, de vobis eramus solliciti, nimirum ne ab illis vinceremini. Quae etiam mittendi Titi causa nobis fuit, ut etiam ab eo excitati et admoniti illos aemularemini » (*Chrys.*). Plerique iuniores et moderni interpretes ob verbum προενήρξατο (*antea* coepit) Titum in priore sua missione negotium collectarum Corinthi iam tractasse cum *Chrys.* arbitrantur; at nisi alteram ex duabus particulis (*et* perficiat *etiam* gratiam istam) abundare dicere velimus, Paulum de aliis negotiis loqui, quae a discipulo antea coepta ei nunc sint perficienda, illisque terminationem collectarum adiungere rectius statuimus. *Gratia* (χάρις) autem eleemosynarum corrogatio vocatur, quia eleemosyna signum est caritatis nostrae erga fratres (cfr 1 *Cor.* 16,3, ubi ipsa

tur; sed maius est, quod ait *supra vires*, i. e. se ipsos privantes. Et tertium est, quod *voluntarii* fuerunt; neque enim aliena admonitione indigebant, sed ipsi ex se ipsis quod bonum est elegerunt. Quartum quod *multa cum obtestatione,* id quod fervidae est voluntatis et eleemosynas effundentis; neque enim tamquam gratiam aliis praestantes, sed tamquam ipsi maximum lucrum facientes obtestabantur et obsecrabant, neque quieverunt a precibus : rogantes, inquit, *nos.* Quintum quod etiam *supra ea quae speraverat* Paulus; vide quo rem perduxerit : et me ipso maiorem animum prodiderunt; neque enim ego ipse sperabam, eos tam abundantem eleemosynam esse largituros. At ne haec quidem illi satis fuerunt, sed ad complementum periodi id quod omnium maximum est posuit. Quid enim fuit, inquit, quod iuxta vires et supra vires et voluntarii et obsecrantes ac orantes et supra spem nostram fecerunt? O magnitudinem virtutis dignam sane encomiis Pauli! Quid est illud quod fecerunt? *Se ipsos*, inquit, *dederunt, primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei.* Non partem aliquam dederunt et partem sibi retinuerunt : ne vivendi quidem subsidia sibi servarunt, sed datis omnibus suam ipsorum providentiam et curam omnem in Domino posuerunt. Ideo quoque Paulus magnitudinem praeclari facinoris intelligens subiungit *per voluntatem Dei*, ac si diceret : Noli admirari, o homo, Deum habebant auxiliatorem; ubi vero Deus auxiliatur, nihil impossibile est ».

eleemosyna corrogata vocatur gratia); licet vero « quidquid boni facimus, sit ex gratia Dei » (*Thom.*), hoc tamen axioma ad hanc appellationem explicandam immerito a nonnullis affertur.

2. Quid Corinthios in collectis terminandis praestare deceat (8,7-15).

8,7. *Sed sicut in omnibus abundatis fide, et sermone, et scientia, et omni sollicitudine insuper et caritate vestra in nos, ut et in hac gratia abundetis.* 8. *Non quasi imperans dico : sed per aliorum sollicitudinem, etiam vestrae caritatis ingenium bonum comprobans.* 9. *Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, quum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* 10. *Et consilium in hoc do : hoc enim vobis utile est, qui non solum facere, sed et velle coepistis ab anno priore :* 11. *nunc vero et facto perficite : ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit et perficiendi ex eo quod habetis.* 12. *Si enim voluntas prompta est : secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet.* 13. *Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex aequalitate.* 14. *In praesenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat : ut et illorum abundantia vestrae inopiae sit supplementum, ut fiat aequalitas, sicut scriptum est :* 15. *Qui autem multum, non abundavit : et qui modicum, non minoravit.*

8,7. ἀλλ' ὥσπερ ἐν παντὶ περισσεύετε, πίστει καὶ λόγῳ καὶ γνώσει καὶ πάσῃ σπουδῇ καὶ τῇ ἐξ ἡμῶν ἐν ὑμῖν ἀγάπῃ, ἵνα καὶ ἐν ταύτῃ τῇ χάριτι περισσεύητε. 8. οὐ κατ' ἐπιταγὴν λέγω, ἀλλὰ διὰ τῆς ἑτέρων σπουδῆς καὶ τὸ τῆς ὑμετέρας ἀγάπης γνήσιον δοκιμάζων· 9. γινώσκετε γὰρ τὴν χάριν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτι δι' ὑμᾶς ἐπτώχευσεν πλούσιος ὤν, ἵνα ὑμεῖς τῇ ἐκείνου πτωχείᾳ πλουτήσητε. 10. Καὶ γνώμην ἐν τούτῳ δίδωμι· τοῦτο γὰρ ὑμῖν συμφέρει, οἵτινες οὐ μόνον τὸ ποιῆσαι ἀλλὰ καὶ τὸ θέλειν προενήρξασθε ἀπὸ πέρυσι· 11. νυνὶ δὲ καὶ τὸ ποιῆσαι ἐπιτελέσατε, ὅπως καθάπερ ἡ προθυμία τοῦ θέλειν, οὕτως καὶ τὸ ἐπιτελέσαι ἐκ τοῦ ἔχειν. 12. εἰ γὰρ ἡ προθυμία πρόκειται, καθὸ ἐὰν ἔχῃ, εὐπρόσδεκτος, οὐ καθὸ οὐκ ἔχει. 13. οὐ γὰρ ἵνα ἄλλοις ἄνεσις, ὑμῖν θλῖψις, ἀλλ' ἐξ ἰσότητος· 14. ἐν τῷ νῦν καιρῷ τὸ ὑμῶν περίσσευμα εἰς τὸ ἐκείνων ὑστέρημα, ἵνα καὶ τὸ ἐκείνων περίσσευμα γένηται εἰς τὸ ὑμῶν ὑστέρημα, ὅπως γένηται ἰσότης, καθὼς γέγραπται· 15. Ὁ τὸ πολὺ οὐκ ἐπλεόνασεν, καὶ ὁ τὸ ὀλίγον οὐκ ἠλαττόνησεν [1].

1. *VV. LL.* — 8. τῇ ἐξ ἡμῶν ἐν ὑμῖν ἀγάπῃ (caritate *nostra* in *vos*) B, paucissimi minusc., *Copt. Arm.* et aliqui codd. *Syr.*; melius τῇ ἐξ ὑμῶν ἐν ἡμῖν ἀγάπῃ (*caritate vestra in nos*) cum ℵ C D E F G K L P, plerisque minusc., *It.* (*S. Aug.* de op. mon. 16, *Ater* etc.), *Vulg. Syr.* (codd.) *Aeth. Goth.* — 8. διὰ τῆς ἑτέρων σπουδῆς (*per aliorum sollicitudinem*) est communior lectio codd. et verss.; minus apte διὰ τὴν ἑτέρων σπουδήν (*propter* aliorum sollicitudinem) D E, *It.* (*S. Aug. Ater*) et pauci codd. iuniores *Vulg.* — τῆς ὑμετέρας ἀγάπης (*vestrae caritatis*) iterum est communis lectio, pro qua nonnullae editiones gr. cum paucis minusc. : τῆς ἡμετέρας ἀγάπης (*nostrae* caritatis). — δοκιμάζων (*comprobans*, melius *S. Aug.* : probans) est communis et vera lectio; sed D F G legunt δοκιμάζω (probo). — 9. Ἰησοῦ sine addito solus B; reliqui testes : Ἰησοῦ Χριστοῦ. — δι' ὑμᾶς (*propter vos*) B ℵ D E F G L P, plerique minusc., *It.* (*S. Aug.* l. c., *S. Ambr.* in Ps. 35 n. 2; in Luc. II. 41; *Ater* etc.) *Vulg. Syr. Copt. Arm. Goth*; sed δι' ἡμᾶς (propter *nos*) C K, haud pauci minusc., et PP., *S. Aug.* de civ. Dei XVII. 4, *S. Greg. M.* Mor. XX. 36 etc.; at ex his testibus plerique cum communiore lectione pergunt : ἵνα ὑμεῖς... πλουτήσητε (ut *vos*... ditaremini), pauci tantum legunt :

Ab indirecta exhortatione, quae *magnifica* liberalitatis Macedonum descriptione continetur, Paulus ad directam transiens Corinthios monet, ut ipsi quoque collectarum negotium terminent. Vere admirabilis sese in hac parte prodit eius prudentia pastoralis, quae a rhetoricis artificiis non abstinet, ut neophytos ad id, quod illis utile est, adducat. Primo enim in loco praecavens, ne laudibus liberalitati Macedonum tributis animi Corinthiorum offendantur, ab *eis* quoque laudandis exorditur idque unum se velle insinuat, ut munificentia eorum alias eorum virtutes aequet (*v.* 7); ne deinde eos ad largitionem cogere putetur, imperio sese quidquam hac in re obtinere velle negans eos Christi pro nobis, ut nos ditaret, egeni facti memores esse iubet (8. 9); porro ne quid novi postulare videatur, ad eorum utilitatem sese respicere praemonens id dumtaxat terminandum esse docet, quod iam ab anno sibi proposuerint (10. 11); demum ne nimium onus eis imponere credatur, quem modum finemque liberalitati suae statuere debeant, eis exponit (12-15). Summa igitur cum cautione Apostolus in hac re procedit atque causas, quae virum christianum ad eximiam liberalitatem impellunt, in fine tantum huius tractatus attingit (9,6 sqq.). Etenim difficiliores durioresque fuisse in rebus pecuniariis Corinthii videntur, ita ut Paulus, qui in suum quoque usum a Philippensibus aliisque Macedonibus pauperibus eleemosynas recipere non renuebat, in regionibus Achaiae nihil omnino acceperit (cfr 11,9 sq.), ne quod offendiculum daret Evangelio Christi (1 *Cor.* 9,12), et in solis epistolis ad Corinthios suam integritatem defendere coactus sit (1 *Cor.* 9,1 sqq.; 2 *Cor.* 11,8 sqq.; 12,14 sqq. etc.).

Itaque Corinthios ab eorum laudibus exorsus, quemadmodum aliis virtutibus, etiam liberalitate excellere vult : 7. *sed sicut in omnibus* (ἐν παντί) *abundatis, fide et sermone et scientia et omni sollicitudine,* (*insuper*) *et caritate vestra in nos,* videte, *ut et in hac gratia abundetis.* Particula ἀλλά (*sed*) hoc in loco nec oppositionem contra concessa (i. q. verumtamen) nec transgressionem (i. q. quin imo) ac multo minus consectarium (i. q. igitur) exprimit, uti haud pauci arbitrati sunt (cfr *Est. Iust. Pic. M Ev.* etc.), sed uti saepius (cfr *Matth.* 9,18; *Marc.* 9,22; *Luc.* 7,7 etc.) narratione interrupta ad exhortationem, quam praeparabat, orationem traducit, quare latine melius *at* quam *sed* redditur. Exhortatio ipsa coniunctione ἵνα c. coni. (*ut*) est expressa, ante quam verbum adhortationis vel precationis etc. est

ἵνα ἡμεῖς... πλουτήσωμεν (ut *nos*... dita*remur*). — 13. ὑμῖν θλῖψις (vobis tribulatio) sine ulla particula B ℵ C, pauci *minusc., Aeth.;* melius ὑμῖν δὲ θλῖψις (*vobis autem tribulatio*) D E F G K L P, plerique minusc., *It.* (*S. Aug. Ater*) *Vulg. Syr.* (codd.), *Arm.;* sed *Copt.* et aliqui codd. *Syr.* legerunt καὶ ὑμῖν θλῖψις (*et* vobis tribulatio).

supplendum; quae imperativi periphrasis in Novo Test. non est admodum rara (cfr *Eph.* 5,33; *Gal.* 2,10; *Marc.* 5,23 etc.). Quatuor priores virtutes, quibus Corinthii excellere dicuntur (πίστις, λόγος, γνῶσις, πάσῃ σπουδή), ab antiquioribus ita explicantur, ut tres primae ad intellectum pertineant (fides qua credimus, sermo quo fidem profitemur [vel etiam donum linguarum], scientia Scripturarum), quarta operationem respiciat (cfr *Herv. Lomb. Thom.* etc.), quin etiam quartam nonnulli recentiores ad curam salutis fratrum restringere volunt (cfr *Est. Pic.* etc.). *Fides* procul dubio est intelligenda virtus illa, qua Deo revelanti credimus; *sermo* et *scientia* vero eadem ratione, qua in priore epistola (cfr ad 1 *Cor.* 1,5), cognitionem et intelligentiam doctrinae revelatae significant, atque *omnis sollicitudo* diligentiam sedulitatemque denotat, qua neophyti omnia sua opera peragere studebant. Quibus demum velut virtus etiam caritas additur, qua Corinthii Apostolum suum diligebant; parum apte vero iuxta aliam lectionem (cfr *VV. LL.*) caritate, qua ab Apostolo diligebantur, excellere hoc in contextu dicerentur. Verum qui tot insignibus virtutibus excellunt, eos et *hac gratia abundare* decet. Haud immerito ad haec verba *Est.* adnotat : « dicens *et in hac gratia* significat etiam praecedentia, quae enumeravit, fidem etc., gratias esse; quare *gratia* hoc in loco non idem est quod *beneficentia* (vel potius : non idem quod *eleemosynarum collatio,* uti in praecedente versu), sed in genere significat gratuitum donum Dei, sub quo inter alia continetur eleemosynae vel beneficentiae virtus ».

Quamvis autem neophytos etiam munificentia excellere summopere desideret, Apostolus tamen hac in re nihil praecipere vult : 8. *non quasi imperans* (κατ' ἐπιταγήν *secundum imperium* cfr 1 *Cor.* 7,6 et 1 *Tim.* 1,1, vel *secundum praeceptum* cfr *Tit.* 1,3) *dico* sc. hoc, *sed per aliorum sollicitudinem etiam vestrae caritatis ingenium bonum comprobans* (lege : *probans*, et supple : hoc dico). Verba graeca τὸ τῆς ὑμετέρας ἀγάπης γνήσιον ab *A^tro* redduntur *vestrae caritatis bonum animum* et a *S. Aug.* (de op. mon. 16) *vestrae caritatis carissimum;* rectius vero, quum τὸ γνήσιον (ingenuum, sincerum) hic pro τήν γνησιότητα (ingenuitatem, sinceritatem) sit positum (neutr. adi. pro subst. abstr. cfr ad 1 *Cor.* 1,25), vertuntur *vestrae caritatis sinceritatem;* a qua versione *Vulg.* sensu non differt, siquidem *bonum ingenium* hic idem est quod *bona indoles* [1]. Ad participium δοκιμάζων porro quod attinet, *Vulg.* qui-

1. Genuinam lectionem latinam esse *ingenuum bonum*, sed interpretis versionem librariorum inscitia esse vitiatam, erronee suspicati sunt *Cai. Iust. Est.* etc.; namque antiquissimi codd. *Vulg.* iam legunt *ingenium bonum*, eandemque lectionem omnes antiqui interpre-

dem illud vertit *comprobans* (i. e. probum agnoscens s. approbans) atque Graeci explicant *probum efficiens* (cfr *Chrys. Theod.* etc.); at alteram significationem verbum δοκιμάζειν non admittit et priorem contextus respuit; explorandi igitur sensu, uti plerumque, sumatur oportet, quapropter *Thom.* cum aliis antiquioribus Latinis participium *comprobans* eodem modo recte explicavit : « probare volens, quam promtam voluntatem habeatis ad dandum ». Itaque priora sua verba (*videte, ut et in hac gratia abundetis*), quamvis praecepti formam habeant, Paulus pro praecepto haberi noluit; sed in eis scribendis id sibi proposuit, ut Corinthiis, postquam eorum oculis magnificam Macedonum liberalitatem subiecit, viam monstraret, qua suam fraternam caritatem esse genuinam demonstrare possent ac deberent. Opere enim sese prodat caritas necesse est (1 *Ioan.* 3,16 sqq.); munificentia ergo Macedonum, qui sua egestate non obstante summa cum animorum promptitudine semetipsos cum omnibus suis facultatibus Domino et Apostolo tradiderunt, iure merito velut norma quaedam proponitur, ad quam exploretur, quae revera sit Corinthiorum caritas.

Cur vero praeceptum hac in re eis imponere nolit, ita explicat, ut simul eos ad liberalitatem efficacissime incitet; praecepto enim ad eam illum adigi necesse non est, qui Christi Domini propter nos, ut nos divites redderet, egeni facti memor est : 9. *scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, quum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis* (accuratius : *ditaremini*[1]). Verbum γινώσκετε a Graecis pro imperativo sumitur (cfr *Chrys. Theod. Oec.* etc.) paucis assentientibus iunioribus (*Iust. Nat.* etc.); contextus tamen omnino suadet, ut cum *Vulg.* illud pro indicativo habeamus, siquidem Paulus rationem affert, cur a praecipienda liberalitate abstineat : « non secundum imperium hoc dico, nam Christi exemplum vobis est cognitum et quid facto opus sit clare docet ». *Gratia Iesu Christi* per se quidem omnia complectitur, quae Filius Dei propter nos caro factus ad nostram salutem procurandam egit ac pertulit; nam « quidquid Filius Dei poenalitatum nostrarum assumsit, totum gratiae est imputandum, quia nec praeventus est alicuius bonitate, nec alicuius virtute coactus, nec inductus sua neces-

tes, qui *Vulg.* usi sunt, in explicationibus suis supponunt (cfr *Sed. Haym. Herv. Lomb. Thom.* etc.); quin etiam *Alri* lectio *animum bonum* eandem tuetur.

1. Verbum πλουτεῖν idem quidem est quod *divitem esse;* sed aor. I. saepe ingressum in statum verbo indicatum significat, quare cum *S. Ambr.* (in Luc. II. 41) et cum *S. Aug.* (de op. mon. 16) omnino legere malumus : *ditaremini*. Eadem ratione πτωχεύειν quoque significat *mendicum esse;* nihilominus latinus interpres aor. ἐπτώχευσεν recte vertit *egenus factus est;* similiter βασιλεύειν est *regnare*, sed ἐβασίλευσα saepe significat *regnum adeptus sum* (cfr 1 *Cor.* 4,8) etc.

sitate » (*Thom.*), sed omnia totidem constituunt beneficia gratuito nobis ex solo amore collata; attamen, uti sententia addita explicat, eo nomine proxime hic intelligitur indigentia ad nos ditandos a Christo libere suscepta. Quum enim dives esset secundum divinam naturam, utpote rerum omnium Dominus, in natura assumta pauper, immo egenus factus est[1], ita ut quo caput suum reclinaret, non haberet (*Matth.* 8, 20), idque propter nos, ut sua nimirum omnium rerum temporalium inopia nobis omnes divitias spirituales procuraret. Sententiae nostrae vicina est illa, qua Christus Iesus, quum in forma Dei esset, semetipsum exinanisse ac forma servi assumta humilitatem perfectissima sua obedientia exercuisse refertur (*Phil.* 2,5 sqq.), atque similis quoque est utriusque sententiae finis, quamvis in neutra diserte exprimatur. Sicuti enim exemplo Christi sese humiliantis et obedientis Philippenses ad humilitatem et obedientiam provocare voluit, ita Paulus Corinthiis exemplum Christi, qui ad nos ditandos egenus factus est, eum in finem proponit, ut ipsi quoque ad pauperes suos fratres sublevandos suis opibus renuntiare incommodaque aliqua in se suscipere discant. Ac profecto hoc exemplum locum tenere potest praecepti; nam « haec medicina, inquit *S. Aug.* (de ag. christ. 11.), tanta est, quanta non potest cogitari. Nam quae superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur? Quae avaritia sanari potest, si paupertate Filii Dei non sanatur? Quae iracundia sanari potest, si patientia Filii Dei non sanatur? Quae impietas sanari potest, si patientia Filii Dei non sanatur? Postremo quae timiditas sanari potest, si resurrectione corporis Christi Domini non sanatur?... O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia necessaria custodientem, omnia perdita reparantem, omnia depravata corrigentem! » Ut autem monito suo maiorem vim attribueret Corinthiosque efficacius ad Dominum suum imitandum provocaret, Apostolus secunda usus persona (propter *vos*, ut *vos* ditaremini) beneficium, quod omnibus commune est, velut neophytis proprium proposuit; cuius enim animus non commovetur, si Christum quasi audit loquentem : propter *te*, ut *tu* dives fieres, ego quum dives essem egenus factus sum ? Quare minus apta quoque est nonnullorum testium lectio, qui primam pers. plur. hic exhibent (cfr *VV. LL.*).

1. Eos, qui cum *Thom.* vocabulum *egeni* hic urgent et *egestate* maiorem paupertatis gradum significari volunt, *Est.* carpit, quia graecum verbum πτωχεύειν nihil significet nisi *pauperem esse;* sed immerito. Simili enim modo, quo *pauper* et *egenus*, in graeco πένης et πτωχός distinguuntur; πένης enim (a πένομαι laboro) est *pauper*, qui labore victum quaerere cogitur, sed πτωχός (a πτώσσω perterreo) est *mendicus*, vel *egenus*, qui capite deiecto misere circumvagatur eleemosynisque vitam sustentat.

Egregie hanc sententiam *S. Ambr.* (in Luc. II. 41) amplificat : « Ille infantulus fuit, ut tu vir possis esse perfectus; ille involutus in pannis, ut tu mortis laqueis sis absolutus; ille in praesepibus, ut tu in altaribus [sc. ad sacramentum corporis Dominici accipiendum]; ille in terris, ut tu in coelis; ille alium locum in eo diversorio non habuit, ut tu plures haberes in coelestibus mansiones. *Qui quum dives esset, propter vos pauper factus est, ut illius inopia vos ditaremini.* Meum ergo paupertas illa patrimonium est, et infirmitas Domini mea est virtus; maluit sibi indigere, ut omnibus abundaret. Me illius infantis vagientis abluunt fletus; mea lacrymae illae delicta laverunt. Plus igitur, Domine Iesu, iniuriis tuis debeo, quod redemtus sum, quam operibus, quod creatus sum; non prodesset nasci, nisi redimi profuisset ». — Ceterum *Thom.* bene adnotat, Christi paupertatem in temporalibus nos in spiritualibus duplici ratione ditare, « propter exemplum et propter sacramentum : propter exemplum, quia si Christus dilexit paupertatem, etiam nos exemplo eius permoti illam diligere debemus; diligendo autem paupertatem in temporalibus, efficimur divites in spiritualibus (cfr *Iac.* 2,5); propter sacramentum autem, quia omnia, quae Christus egit vel sustinuit, fuerunt propter nos; unde sicut per hoc, quod sustinuit mortem, liberati sumus a morte aeterna et restituti vitae, ita per hoc, quod sustinuit inopiam in temporalibus, liberati sumus ab inopia in spiritualibus et facti divites in spiritualibus (cfr 1 *Cor.* 1,5) ».

Postquam magna cum moderatione quum sua exhortatione tum Christi exemplo neophytis liberalitatem commendavit, eadem cum moderatione per modum dumtaxat consilii, quid nunc eis faciendum sit, proponit; de re nova non agitur, sed opus iam pridem inchoatum ad finem est adducendum. **10.** *Et consilium* (γνώμην) *in hoc do; hoc enim vobis utile est* (συμφέρει *S. Aug.* : prodest), *qui* (οἵτινες utpote qui) *non solum facere* (τὸ ποιῆσαι) *sed et velle* (τὸ θέλειν) *coepistis* (προενήρξασθε *antea* coepistis) *ab anno priore :* **11.** *nunc vero et facto perficite* (καὶ τὸ ποιῆσαι ἐπιτελέσατε i. e. id quod facere coepistis ad finem adducite) etc. Multi recentiores interpretes rationem, cur Apostolus liberalitatem praecipere nolit (*v.* 9), parenthetice insertam censent, ita ut sententia inchoata (*v.* 8) nunc resumatur atque verbis prioribus (*v.* 7) consilium contineri doceatur. Simili nimirum modo, quo virginitatem, de qua praeceptum Domini (ἐπιταγὴν Κυρίου) non habuit, Corinthiis consilio (γνώμῃ) ad eorum utilitatem (πρὸς τὸ ὑμῶν σύμφορον) commendavit (cfr ad 1. *Cor.* 7,25. 35), Paulum etiam propter eorum utilitatem liberalitatem eis praecepto non imponere, sed dumtaxat consilio commendare arbitrantur. Cui explicationi, quamvis in se haud sit inepta atque auctoritate commendetur, duo obstant : neque enim nostra sententia (*v.* 10) priori (*v.* 8) opponitur (non im-

perans dico, consilium *autem* do), sed coniunctione copulativa (καί *et*) praecedenti adnectitur; neque cum iis quae sequuntur, consilium, quo liberalitas commendetur, apte conciliatur, ita ut interpretes illi in totius nostrae sententiae sensu ac nexu definiendo inter se quam maxime dissentiant. Planus vero et clarus est contextus, si cum *Oec. Theoph.* paucisque modernis admittimus, consilium Apostoli in praecedentibus nondum esse expressum, sed hac sententia enuntiari atque sequentibus accuratius definiri; quasi duas enim partes complectitur, quibus duae Corinthiorum difficultates removentur. Ad illa nimirum, quae in hoc collectarum negotio ipsi antea iam sponte egerant, attentionem convertens Paulus eis primum suadet, ut opus inchoatum terminent (10. 11), ac deinde ut pro suis quisque viribus eleemosynam largiatur (12 sqq.); de re igitur nova, qua gravandi sint, non agitur, neque nimium gravabuntur, quum plura, quam dare possint, ab eis non exspectentur. Itaque *in hoc* (ἐν τούτῳ) sc. collectarum negotio tam salutari, quum ad eorum profectum spiritualem conferat (*et hoc* sc. negotium *vobis utile est*), id quod ipsi huic negotio operam suam antea sponte impendentes iam agnoverunt (*quippe qui non tantum facere sed et velle* antea *coepistis*), praeprimis illud *eis consilium dat*, ut opus inchoatum ad felicem exitum perducant (*nunc vero et facto perficite*). Sententiis interiectis leve exortum est anacoluthum, quum Apostolus particulis νυνὶ δὲ καί (*nunc vero et*) id quod faciendum esse suadet, ei quod iam a Corinthiis factum est, quasi opponat.

Aliquid miri habet sententia, qua Apostolus ea quae a Corinthiis iam praestita sunt exprimit : quippe *qui non tantum facere* (τὸ ποιῆσαι) *sed et velle* (τὸ θέλειν) *antea coepistis ab anno priore*; supponere enim videtur, aliquem facere posse, antequam velit, et *velle* plus dicere quam *facere*. Ad quam difficultatem removendam *Syr.* verba invertit (non tantum *velle* sed et *facere*), iuniores quidam novam dicendi figuram (inversum dicendi genus) statuerunt. Quibus aliisque sententiis arbitrariis praetermissis duas explicationes, quarum prior antiquis praeplacuit, altera plerisque modernis probatur, coniungendas ducimus. Antiqui quum Graeci (cfr *Chrys. Theod.* etc.) tum Latini (cfr *Pel. Prim. Sed. Herv.* etc.) τὸ θέλειν (*velle*) hic idem esse censent, quod *libenter* vel *sponte* nullo praecipiente vel exhortante *velle* : τὸ θέλειν τουτέστιν τὸ ἑκουσίως ποιεῖν καὶ μηδενὸς προτρεψαμένου (*Oec.*), et *S. Greg. M.* (Moral. XX. 36) de hac sententia agens : « facile est, inquit, in bono opere obedire etiam nolentem [i. e. eum, qui non nisi iussus opus aggreditur], sed haec magna in discipulis exstiterat virtus, eos bonum, quod eis praeceptum est, et antea voluisse » [sc. antequam praeceptum erat [1]]. Hac quidem ratione τὸ *velle* plus est quam nudum *facere*; neque tamen haec explicatio plane satisfacit, quia nec ad diversas infinitivorum formas (*Aor.* ποιῆσαι, *Praes.* θέλειν) nec ad verbum προενήρξασθε (*antea* coepistis) attendit. Quapropter cum modernis plerisque (cfr *Cai. Est. Nat. Pic. MEv. Bisp. Mai. LR.* etc.) praeprimis ad

1. Cfr quae de simili significatione vocis ἑκών ad 1 *Cor.* 9,17 disseruimus (Comm. in priorem epistolam ad Cor. p. 254 sqq.).

hoc verbum animos advertentes addamus oportet, ratione *temporis* quoque ea, quae Macedones et Corinthii in collectarum re egerant, inter se comparari Corinthiosque Macedonibus praeferri. Deinde diversas infinitivorum formas respicientes addere debemus, Corinthios facere quidem coepisse, sed internis ecclesiae suae perturbationibus abstractos ab opere inchoato cessasse, ita ut eo tempore, quo Paulus haec scripsit, nihil amplius hac in re facerent, quamvis eorum bona voluntas semper permaneret; ideo τῷ ποιῆσαι, quae rem praeteritam designat, opponitur τὸ θέλειν, quod quia perdurat etiam certa quadam ratione aliquid maius est. Ad quae accuratius explicanda iuverit pauca de istarum collectarum historia in memoriam revocasse. Ex priore epistola constat, Corinthios iam antequam illa scripta est eleemosynas, quibus ecclesiae palaestinenses adiuvandae erant, collegisse suaque interrogatione, quomodo instituendae essent collectae, bonam promptamque suam hac in re voluntatem manifestasse (cfr 1 *Cor.* 16,1 sqq.). At eo tempore Galatis quidem caedem collectae erant indictae (l. c.), Macedonibus vero, qui ipsi erant egeni (cfr *v.* 2), Paulus de iis non esse locutus videtur, antequam post priorem ep. ad Cor. scriptam Epheso profectus in Macedoniam advenit. Quamprimum autem Macedones stipem ad sustentandos fratres ierosolymitanos in ecclesiis achaicis corrogari compererunt, ipsi quoque partem pii huius operis sibi vindicarunt (cfr 9,2) eamque deinde liberalitatem exhibuerunt, quam Apostolus tantis laudibus celebrat (*v.* 1 sqq.). Interea Corinthi pseudapostoli calumniis suis id obtinuerant, ut neophytorum de Pauli integritate dubitantium fervor languesceret, eleemosynarum corrogatio consisteret, ille colligendi modus, qui eis indicatus erat, non observaretur. Quapropter Apostolus, quum ecclesiae corinthiae pacem internam restitutam esse per Titum audivisset, Macedonum exemplo proposito fervorem Corinthiorum resuscitavit; sed ne aegre ferrent, quod alterius ecclesiae exemplum sibi proponeretur, simul eis debitas laudes tribuit, quippe qui non tantum iam ante Macedonas stipem corrogassent sed etiam ante eos promptam voluntatem hac in re manifestassent, ita ut Macedones Corinthiorum dumtaxat fuerint imitatores (cfr 9,2). Tacitum tamen vituperium quoque ipsa hac laude continetur, quoniam bonam quidem voluntatem perdurare sed opus ipsum refrixisse diversis infinitivorum formis insinuatur.

A quonam mense Paulus annum inchoaverit, quum Corinthios *ab anno priore* (ἀπὸ πέρυσι, cfr 9,2 ab anno praeterito) facere et velle coepisse dicat, inquirunt moderni interpretes. Annum suum religiosum a mense Nisan (Mart.-Apr.), civilem a m. Tisri (Sept.-Oct.) Iudaei inchoarunt; Macedones, inter quos Paulus hanc epistolam scripsit, ab aequinoctiis auctumnalibus et Achaei, quibus scripsit, a solstitio aestivo initium anni sumserunt. Suos quodque ex his initiis habet patronos, dicendum autem est, ex nostro loco hac de re nihil definiri. Etenim haec epistola circa mensem Sept. a. 58. scripta est (cfr *Proleg.* I. p. 4), prior vero, in qua de collectis velut de re iam satis cognita sermo fit, data est circa pascha eiusdem anni; probabiliter igitur Paulus in praecedente illa epistola hodie deperdita, quam ipse commemorat (cfr ad 1 *Cor.* 5,9), eas Corinthiis iam indixerat; sed quandonam *istam* scripserit, prorsus ignoramus.

Bonam ergo voluntatem, quam Corinthii semper retinuerant, considerans Paulus eos exhortatur, ut collectis terminatis eam ostendant, siquidem voluntati opus respondere debeat : **11.** *nunc vero et facto perficite* (opus inceptum terminate), *ut quemadmodum promptus est animus voluntatis* (καθάπερ ἡ προθυμία τοῦ θέλειν sicut proclivitas vo-

lendi i. e. prompta voluntas sc. adest), *ita sit et perficiendi ex eo quod habetis* (ἐκ τοῦ ἔχειν). Noster interpres secundum membrum ita reddidit, ac si pro nominativo τὸ ἐπιτελέσαι (τὸ perficere), quem cum graecis codd. et PP. omnibus reliquae quoque versiones tuentur, genetivum τοῦ ἐπιτελέσαι legisset atque Paulus proclivitati volendi proclivitatem terminandi respondere voluisset. At eo tendit eius consilium, ut bonae promptaeque voluntati ipsa iam operis terminatio respondere debeat. Porro addens collectas terminandas esse ἐκ τοῦ ἔχειν, ex eo quod unusquisque habet ac proinde secundum normam facultatum uniuscuiusque, ad secundam consilii partem sermonem traducens praecavet, ne quis bona sua voluntate abreptus iustos limites transgrediatur sibique quoque ad Macedonum exemplum *supra vires* dandum esse existimet.

Ideo Apostolus in sequentibus, cur ad suas cuique facultates respiciendum sit explicat duabus rationibus allatis, quarum prior quasi ex intima beneficentiae natura (*v.* 12), altera ex eleemosynarum fine (v. 13) desumta est. 12. *Si enim voluntas promta est* (lege : *adest* πρόκειται), *secundum id quod habet* (καθὸ ἐὰν ἔχῃ secundum facultates eius, quaecumque sunt, sive parvae, sive magnae) *accepta est; non secundum id quod non habet* (καθὸ οὐκ ἔχει). Quae ad verba *Chrys.* iure merito nos Pauli sapientiam admirari iubet, qui extraordinariam quidem Macedonum munificentiam magnis laudibus praedicavit, Deum tamen nihil aliud a nobis postulare monet, nisi ea, quae pro suis quisque viribus praestare potest. Neque enim doni magnitudo nos Deo acceptos reddit, sed prompta voluntas, qua ea quae possumus fratribus damus (cfr *Marc.* 12,41 sqq.); « voluntas, inquit *Thom.*, acceptatur in perfectione operis, opus autem non perficitur nisi ex eo, quod habetur ». Ac profecto voluntas illius, qui ex suis opibus, quamvis possit, pauperibus nihil elargitur, sese autem ex iis, quae non habet, daturum esse, si id fieri posset, asserit, sterilis est neque minus in Deum quam in pauperes iniuriosa, licet Deo placeat pium desiderium illius, qui, postquam ea quae potuit pauperibus largitus est, etiam plura, si ea haberet, distribuere vellet.

Porro ex fine quoque eleemosynarum elucet, in eis distribuendis ad facultates suas cuique, nisi ad perfectiorem vitam sit vocatus (cfr *Matth.* 19,21 etc.), esse respiciendum : 13. *non enim, ut aliis sit remissio* (sc. molestiarum, quas inopia secum affert, ἄνεσις, *S. Aug.* : refectio, *A*[ter] : refrigerium), *vobis autem tribulatio* (θλῖψις *S. Aug.* et *A*[ter] : angustia), *sed ex aequalitate* (ἐξ ἰσότητος *S. Aug.* : *pro* aequalitate) collectae hae fiant. In praecipienda enim beneficentia Deus non

eum habuit finem, ut pauperes divitum eleemosynis ab omnibus inopiae molestiis liberati otiosam opulentamque vitam agerent[1], atque divites ipsi eleemosynis datis ad angustiam redacti molestiis inopiae affligerentur, sed *ex aequalitate* i. e. ad normam aequalitatis (*S. Aug.* bene : *pro* aequalitate) eas distribui voluit, ut aequalis quaedam haberetur divites inter et pauperes proportio. Quam vero aequalitatem intelligat, Paulus explicat addens : 14. *in praesente tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat* (verbum *suppleat* in graeco quidem deest, sed ab interprete ad complendam constructionem recte est insertum), *ut et illorum abundantia vestrae inopiae sit supplementum, ut fiat aequalitas*, 15. *sicut scriptum est : Qui multum non abundavit, et qui modicum, non minoravit.* Moderni acath. plerique (*Mey. Heinr. Kl Br. Schn.* etc.) cum paucis cath. (*Iust. Mai. Ramb.*) in utroque membro abundantiam inopiamque rerum temporalium intelligunt, ita ut Paulus Corinthios admoneat, instabiles esse huius temporis rationes atque fieri posse, ut ipsi quoque ad inopiam redigantur, Palaestinenses autem opibus potiantur. Sensus igitur sententiae iuxta illos est : nunc bonis vestris superfluis adiuvate Palaestinenses, ut deinceps, si ipsi inopiae molestiis affligemini, a Palaestinensibus adiutum iri mereatis, atque hoc pacto semper aequalitas quaedam bonorum temporalium inter Christianos habeatur. Cui explicationi, quamvis inepta dici nequeat, longe tamen praeferenda est communis antiquorum sententia (cfr *Chrys. Theod.* etc., *A^ter, Pel. Prim.* etc., *Herv. Thom. Lyr.* etc., *Cai. Est. Lap.* etc., *M Ev. Bisp. L R. Dr.* etc.), qui ad *Rom.* 15,27 attendentes in priore quidem membro de temporalibus, in altero vero de spiritualibus bonis agi censent : vos opibus vestris carnalibus sublevate inopiam Palaestinensium, ut illi vicissim precibus suis vobis impetrent copiam donorum coelestium, quibus illi abundant, atque hac ratione vos inter et illos habeatur aequalitas quaedam quum in bonis temporalibus tum in spiritualibus.

Quae explicatio est praeferenda primum quidem, quia temporis differentia inter duo membra non est indicata, contra vero illud *in praesenti tempore* ad utrumque membrum pertinet; deinde parum conveniens videtur esse, ut Apostolus spe similis auxilii in futuro tempore obtinendi Corinthios ad largitionem provocet; iure merito enim *Est.* ad doctrinam Domini (*Luc.* 14,12 sqq.) provocat, qua eiusmodi ratio motiva beneficentiae excluditur. Hanc porro aequalitatem Pau-

1. Ἄνεσις, maxime si ei θλῖψις opponitur, non solam cessationem alicuius mali significat, sed simul boni oppositi fruitionem connotat; cfr 2 *Thess.* 1,7, ubi aeterna beatitudo, ad quam per tribulationes pervenitur, ἄνεσις (*Vulg.* : requies) appellatur.

lus verbis mosaicis *Exod.* 16,18 indicatam videt, quae accurate ex versione alex. allegat. Illo in loco sermo est de colligentibus manna : « collegerunt alius plus, alius minus; et mensi sunt ad mensuram Gomor, *nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus paraverat, reperit minus;* sed singuli iuxta id, quod edere potuerunt, congregaverant ». Illam igitur, quam miraculum in manna colligendo produxit aequalitatem sc. proportionalem inter omnes Israelitas, ita ut unusquisque tantum, quanto indigebat, haberet, inter Christianos producere debet caritas fraterna, qua ducti mutuis auxiliis in rebus temporalibus et spiritualibus ita inter se adiuvabunt, ut inter eos quoque aequalitas quaedam proportionalis exoriatur atque unusquisque quum in temporali tum in spirituali vita ea obtineat, quibus indiget. Plerique verba Exodi typice a Paulo adhiberi censent; rectius vero dicemus, eum verba illa suo argumento accommodasse (cfr meam *Introd. gener.* p. 546; *Comp. Introd.* p. 135).

In ultimis versibus (13-15) exponendis *Vulgatae Clem.* interpunctionem secuti sumus, quam cum plerisque modernis cath. (cfr *Mai. M Ev.* etc.) etiam haud pauci acath. (*Kl Br. Goeb. Schn. Heinr.* etc.) et ex criticis graeci textus editoribus quoque *Lachm.* et *Tisch.* approbant. Reliqui variis modis interpungunt, at variatio interpunctionis universum loci sensum in levioribus tantum variat. Ne ipse quidem *Chrys.*, quamvis etiam alium textum habuisse videatur, ab explicatione data multum recedit; legit enim : οὐ γὰρ ἵνα ἄλλοις ἄνεσις, ὑμῖν δὲ θλῖψις· τὸ ὑμῶν περίσσευμα εἰς τὸ ἐκείνων ὑστέρημα, ἵνα γένηται ἰσότης ἐν τῷ νῦν καιρῷ, καὶ τὸ ἐκείνων περίσσευμα εἰς τὸ ὑμῶν ὑστέρημα, καθὼς γέγραπται κτλ (« non enim, ut aliis remissio, vobis autem tribulatio [sit]; vestra abundantia [inserviat] ad eorum inopiam [sublevandam], ut fiat aequalitas in praesente tempore, et eorum abundantia [inserviat] ad vestram inopiam [sublevandam sc. in futuro tempore], sicut scriptum est etc.). Alii graeci interpretes (cfr *Theoph.* etc.) consentientibus nonnullis modernis novam sententiam a verbis ἀλλ' ἐξ ἰσότητος in hunc modum inchoant : « non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio; sed secundum aequalitatem in praesente tempore vestra abundantia suppleat eorum inopiam » etc. *Ater* aliique antiquiores verba *in praesente tempore* quoque praecedentibus hac ratione addere malunt : « non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio; sed ex aequalitate in praesente tempore (res fiant) : vestra abundantia » etc. Alii alio modo.

§ 2. *De ministris collectarum negotio praefectis* (8,16-9,5).

1. Titus eiusque duo socii, ecclesiarum legati, Corinthiis commendantur (8,16-24).

8,16. *Gratias autem Deo, qui dedit eandem sollicitudinem pro vobis in corde Titi,* 17. *quoniam exhortationem quidem suscepit : sed quum sollicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos.* 18. *Misimus etiam cum illo fratrem, cuius laus est in*

8,16. Χάρις δὲ τῷ Θεῷ τῷ διδόντι τὴν αὐτὴν σπουδὴν ὑπὲρ ὑμῶν ἐν τῇ καρδίᾳ Τίτου, 17. ὅτι τὴν μὲν παράκλησιν ἐδέξατο, σπουδαιότερος δὲ ὑπάρχων αὐθαίρετος ἐξῆλθεν πρὸς ὑμᾶς. 18. συνεπέμψαμεν δὲ μετ' αὐτοῦ τὸν ἀδελφόν, οὗ ὁ ἔπαινος ἐν τῷ εὐαγγελίῳ διὰ

evangelio per omnes ecclesias : 19. non solum autem, sed et ordinatus est ab ecclesiis comes peregrinationis nostrae, in hanc gratiam quae ministratur a nobis ad Domini gloriam, et destinatam voluntatem nostram : 20. devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine quae ministratur a nobis. 21. Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. 22. Misimus autem cum illis et fratrem nostrum, quem probavimus in multis saepe sollicitum esse : nunc autem multo sollicitiorem, confidentia multa in vos, 23. sive pro Tito, qui est socius meus et in vos adiutor, sive fratres nostri, apostoli ecclesiarum, gloria Christi. 24. Ostensionem ergo, quae est caritatis vestrae, et nostrae gloriae pro vobis, in illos ostendite in faciem ecclesiarum.

πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν· οὐ μόνον δέ, ἀλλὰ καὶ χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν συνέκδημος ἡμῶν ἐν τῇ χάριτι ταύτῃ τῇ διακονουμένῃ ὑφ' ἡμῶν πρὸς τὴν τοῦ Κυρίου δόξαν καὶ προθυμίαν ἡμῶν, 20. στελλόμενοι τοῦτο, μή τις ἡμᾶς μωμήσηται ἐν τῇ ἁδρότητι ταύτῃ τῇ διακονουμένῃ ὑφ' ἡμῶν. 21. προνοοῦμεν γὰρ καλὰ οὐ μόνον ἐνώπιον Κυρίου, ἀλλὰ καὶ ἐνώπιον ἀνθρώπων· 22. συνεπέμψαμεν δὲ αὐτοῖς τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν, ὃν ἐδοκιμάσαμεν ἐν πολλοῖς πολλάκις σπουδαῖον ὄντα, νυνὶ δὲ πολλῷ σπουδαιότερον πεποιθήσει πολλῇ τῇ εἰς ὑμᾶς. 23. εἴτε ὑπὲρ Τίτου, κοινωνὸς ἐμὸς καὶ εἰς ὑμᾶς συνεργός· εἴτε ἀδελφοὶ ἡμῶν, ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν, δόξα Χριστοῦ. 24. τὴν οὖν ἔνδειξιν τῆς ἀγάπης ὑμῶν καὶ ἡμῶν καυχήσεως ὑπὲρ ὑμῶν εἰς αὐτοὺς ἐνδεικνύμενοι εἰς πρόσωπον τῶν ἐκκλησιῶν [1].

In praecedente iam sectione Paulus sese Titum rogasse scripsit, ut Corinthi collectas terminaret (*v.* 6), sed quominus Titum invitationem accepisse scriberet impeditus est, quum prius exponere vellet, qua ratione Corinthios eas terminare desideraret. Quibus expositis ad Titum reversus eius studium erga ecclesiam corinthiam ita commemorat, ut suas preces superfluas fuisse appareat (16. 17). Simili deinde modo duos Titi socios eis commendat, quorum prior ab ecclesiis macedonicis sibi in collectarum negotio socius sit datus, siquidem solus illud ministerium ad evitandam omnem suspicionem obire noluerit (18-21), alter quoque ecclesiarum quidem legatus at simul

1. *VV. LL.* — 16. τῷ Θεῷ τῷ διδόντι (Deo qui *dat*) B ℵ C K P, plerique minusc. et PP.; sed τῷ Θεῷ τῷ δόντι (*Deo qui dedit*) D E F G L, haud pauci minusc., *It* (*S. Aug.* de op. mon. 16. *A*[ler]) *Vulg. Syr. Copt. Arm.* — 19. ἐν τῇ χάριτι ταύτῃ (*Fuld. Am.* etc : *in hac* gratia; sed cum *Demid.* etc. *Vulg. Clem. : in hanc gratiam*) B C P, haud pauci minusc, *Arm. Aeth.*; at *textus rec. :* σὺν τῇ χάριτι ταύτῃ (*cum* hac gratia) cum ℵ D E F G K L, plerisque minusc., *It* (*S. Aug.* l. c.) *Syr. Goth.* — πρὸς τὴν τοῦ Κυρίου δόξαν (ad Domini gloriam) B C D F G L, haud multi minusc., *It* (*S. Aug. A*[ler]) *Vulg.* (*Am.* etc. ad Domini gloriam; *Fuld.* ad eandem Domini gloriam, *Vulg. Clem. :* ad *Dei* gloriam) *Copt. Arm. Aeth. Goth.*; sed πρὸς τὴν αὐτοῦ τοῦ Κυρίου δόξαν (ad *ipsius* Domini gloriam) ℵ E K, plerique minusc., *Syr.* — προθυμίαν ἡμῶν (promptam voluntatem *nostram*, vel iuxta S. Aug.: pomptum animum nostrum, *A*[ler] *:* sollicitudinem nostram, *Vulg. Clem. : destinatam* [*Fuld.* designatam] *voluntatem nostram*) B ℵ C D E G K L P, plerique minusc., *It.* etc.; haud recte *textus rec. :* προθυμίαν ὑμῶν (promptam voluntatem *vestram*) cum F, et haud multis minusc. — 21. προνοοῦμεν γάρ (*providemus enim*) est communis lectio codd. et verss.; minus apte προνοούμενοι γάρ (*providentes* enim) C, pauci minusc., *Copt. Goth.* — 24. ἐνδεικνύμενοι (ostendentes) B D E F G, paucissimi minusc. et *Goth.*; rectius *textus rec. :* ἐνδείξασθε (*ostendite*) cum reliquis testibus omnibus.

ecclesiae corinthiae amicissimus sit (*v.* 22), ita ut omnes tres summa cum caritate ab iis recipi mereantur (23. 24).

Omne bonum donum desursum descendit a Patre luminum, cui proinde de omnibus, quae nobis adveniunt bonis continuas gratias agi decet. Quod iterum (cfr 2,14; 9,15; 1 *Cor.* 15,57 etc.) nos Paulus docet, quum viso studio, quo Titus profectum ecclesiae corinthiae promovere desiderabat, in gratiarum actionem prorumpat: 16. *gratias autem Deo, qui dedit* (τῷ δόντι, vel iuxta alteram lectionem : qui continuo dat τῷ διδόντι) *eandem sollicitudinem pro vobis in corde* (ἐν τῇ καρδίᾳ, cordi scilicet ita inseruit, ut in corde vigeat) *Titi*, 17. *quoniam exhortationem quidem suscepit, sed quum sollicitior esset sua voluntate* (αὐθαίρετος voluntarius cfr *v.* 3. i. e. proprio voluntatis motu) *profectus est ad vos.* Summa profecto discipuli est laus, quod studium fervoremque magistri aequet : eandem enim, qua ipse erga Corinthios incensus sit, caritatem operosam industriamque Titum a Deo accepisse testatur Apostolus atque, ne quis haec veritati non plane consonare arbitretur, probat. Etenim rogaverat quidem vel exhortatus erat (παρακαλεῖν *v.* 8. utrumque significat) Titum, ut Corinthi collectas terminaret, at hic sollicitior erat, quam qui petitione aut exhortatione (παράκλησις) indigeret, suaque sponte ad hoc munus Corinthi obeundum paratissimus erat. *Profectus esse* (ἐξῆλθεν) autem dicitur, non quia eo tempore, quo scripta est epistola, iter corinthium iam erat ingressus (communis enim est omnium interpretum ac certa sententia, hanc ipsam epistolam per Titum eiusque comites Corinthiis esse allatam), sed pro Graecorum Romanorumque stylo epistolari Paulus in illud tempus sese quasi transtulit, quo epistola erat legenda (cfr *Act.* 15,22. 27); simili ratione statim Paulus dicit συνεπέμψαμεν (*vv.* 18. 22).

18. *Misimus etiam cum illo fratrem, cuius laus est in evangelio per omnes ecclesias.* Quisnam ille frater fuerit, qui de doctrinae evangelicae propagatione ita erat meritus, ut eius nomen in omnibus ecclesiis non tantum Macedoniae, sed aliarum quoque provinciarum, celebre esset, ignoramus. Ab aliis Lucam, ab aliis Barnabam intelligi, *Chrys.* iam adnotat et *Thom.* repetit. Ob *S. Hier.* auctoritatem, qui eam saepius sine ulla haesitatione proponit (cfr de vir. ill. 7; Comm. in Matth. Prolog.; in Philem. 24), prior opinio inter Latinos erat pervulgata, quia « eius laus est in Evangelio per eum scripto » (*Thom.*); at eo tempore (a. 58.) tertium Evangelium nondum erat editum neque de scripto Evangelio hic agitur. Altera sententia inter Graecos praeplacuit, quia Barnabas (« cuius laus est in evangelio praedicato » *Thom.*) una cum Paulo sese pauperum palaestinensium memorem fore reliquis Aposto-

lis promiserat (*Gal.* 2,9 sq.); verum hic de fratre agitur, qui *ab ecclesiis* Paulo socius est datus. Inter recentiores alii Silvanum (Silam) intelligunt (*Baron. Est.* etc.), alii Apollo (*Sa* etc.) aut alterum quendam ex Pauli discipulis individuisque sociis. Quae omnes coniecturae non tantum solido fundamento carent, sed ob eam quoque causam reprobandae videntur, quod Paulus una ex parte Titum, utpote discipulum suum, a duobus aliis velut « socium suum » distinguat (*v.* 23), altera ex parte finem, quem in hoc comite itineris assumendo habuit (omnis sc. suspicionis evitationem cfr *v.* 20 sq.), non plene attigisset, si unum ex suis ordinariis discipulis in eleemosynis administrandis collegam habuisset. Quare nomen fratris, cuius laus est in evangelio, si alicubi in Novo Test. nobis est conservatum, *Act.* 20,4 quaeratur oportet, quo in loco viri enumerantur, quos Apostolus in ultimo suo itinere ierosolymitano, quum Macedonum et Achaeorum eleemosynas Palaestinensibus afferret, comites peregrinationis suae habuit. Quodsi ibi revera reperitur, non potest esse nisi unus ex tribus prioribus (Sopater Beroeensis, Aristarchus et Secundus Thessalonicenses), siquidem de viro a macedonicis ecclesiis electo agitur; qui enim ex antiquioribus putarunt, eum ab ecclesiis Palaestinae et Syriae Paulo socium esse datum, ii ad sermonis contextum non attenderunt.

Quidquid de viri huius nomine est, de quo certi nihil potest statui, dubium non est, quin Achaiae quoque ecclesiis, quamquam vir facie probabiliter illis erat ignotus, famosus fuerit; at *non solum* ob hanc causam Corinthiorum fiduciae erat dignus, 19. *sed et ordinatus est* (χειροτονηθείς) *ab ecclesiis* (ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν illis sc., quae collectas terminaverant, i. e. macedonicis) *comes peregrinationis nostrae in hanc gratiam* (lege : *in hac gratia* ἐν τῇ χάριτι ταύτῃ[1]), *quae ministratur a nobis ad Domini gloriam et destinatam voluntatem nostram* (lege : *et promptum animum nostrum* προθυμίαν ἡμῶν). Verbum χειροτονεῖν, quod hic a *Vulg.* redditur *ordinare*, in ecclesiastica quidem graecorum lingua significat « sacrum ordinem manuum impositione conferre », per se autem iuxta suam etymologiam nihil est nisi « manuum extensione aliquem ad aliquod munus obeundum designare » aut etiam notione extensionis manuum praetermissa idem est quod *eligere*. Nulla vero est ratio, cur primitivum hunc verbi sensum relinquamus; quod si enim pauci iuniores fratrem illum « diaconum

1. Iuxta hanc lectionem, quam praeferimus, χάρις significat caritatis ministerium, quo Paulus eleemosynas corrogans fungebatur (cfr *v.* 6). Si altera lectio (σὺν τῇ χάριτι ταύτῃ *cum* hac gratia) praefertur, significat ipsas eleemosynas collectas (cfr 1 Cor. 16,3), quibuscum Paulus iter faciebat. Nescio tamen, an in ullo Novi Test. loco haec praepositionis σύν significatio, quae profanis non est insueta, inveniatur.

vel etiam sacerdotem consecratum esse » asserunt (*Lap.* cfr *Salm. Iust. M Ev.* etc.), non tantum ex antiquioribus interpretibus nullum huius sententiae patronum allegare queunt, sed ipsis Pauli verbis refutantur; nam ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν χειροτονηθείς (*ab ecclesiis* electus) dicitur; arbitrarium autem est hanc expressionem in eum sensum detorquere ut « approbante multitudine a legitimis ministris sacerdos vel diaconus initiatus esse » (*Iust. M Ev.*) dicatur [1]. Arbitrarium quoque esse censemus, quod cum *Chrys.* aliqui antiquiores Latini (cfr *Herv. Lomb. Thom.* etc.) tenent, fratrem eum in finem ab ecclesiis esse electum, ut Pauli in evangelica praedicatione socius esset; quin etiam erronee id asseritur, quia ecclesiarum non erat electio aut designatio sociorum Apostolorum, quamvis hi in illis eligendis testimonium ecclesiarum antea exquirerent (cfr *Act.* 16,1 sqq.), et quia Paulus munus electi clare definit. Ea enim, uti ex 1 *Cor.* 16,3 sq. elucet, collectarum ratio erat instituta, ut ecclesiae, in quibus eleemosynae erant corrogatae, unum vel plures viros eligerent, qui Apostoli literis commendatitiis muniti eas Ierosolyma perferrent; quod si vero tanta erat earum copia, ut eas per supremum huic negotio praefectum perferri non indignum iudicaretur, Paulus ipse in Palaestinam iter facere virosque ab ecclesiis electos sibi itineris socios adiungere voluit. Iamvero ecclesiae macedonicae, quum sua liberalitate omnem eius spem superassent, effecerant, ut Paulus alterum hunc modum eligeret fratremque, cuius laus erat in evangelio per omnes ecclesias, ei designaverant *comitem peregrinationis* (συνέκδημος socius itineris) *in hac gratia* (i. e. in collectarum negotio), *quae ministrabatur* ab eo *ad Domini gloriam* augendam *suumque promptum animum* manifestandum (πρὸς τὴν τοῦ Κυρίου δόξαν καὶ προθυμίαν ἡμῶν).

1. Verbum χειροτονεῖν hoc tantum in loco et *Act.* 14,22 adhibetur, ubi a *Vulg.* redditur *constituere.* Quum ibi sermo sit de presbyteris, quos Paulus et Barnabas ecclesiis Pisidiae etc. *constituerunt*, haud pauci theologi ibi de consecratione verbum intelligunt, at parum recte. Procul enim dubio presbyteri illi ab Apostolis consecrati sunt, at consecratio non participio χειροτονήσαντες, sed sequentibus verbis προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν (orantes cum ieiunio) exprimitur, atque χειροτονία erat mera designatio personarum. Simili modo Paulus et Barnabas ipsi a Spiritu S. sunt designati, at eorum consecratio continetur verbis sequentibus : νηστεύσαντες καὶ προσευξάμενοι καὶ ἐπιθέντες τὰς χεῖρας αὐτοῖς (ieiunantes et orantes imponentesque illis manus). In ecclesiastica lingua Graecorum χειροτονία (proprie : manuum *extensio*) et χειρεπιθεσία (manuum *impositio*) eodem sensu de consecratione adhibentur; at in Novo Test. χειροτονεῖν, uti diximus, bis tantum, et quidem de personarum electione, usurpatur, sed frequens est altera expressio ἐπίθεσις τῶν χειρῶν et ἐπιτιθέναι τὰς χεῖρας. Substantivum de sola consecratione (1 *Tim.* 4,14; 2 *Tim.* 1,6) aut de alterius sacramenti administratione (*Hebr.* 6,2; *Act.* 8,18) adhibetur. Verbum autem in Evangeliis synopt. saepe (*Matth.* 9,18; *Marc.* 5,23; 7.32; 8,23. 26; 16,18; *Luc.* 4,40; 13,13) et ter in *Act.* (9, 12. 17; 28,8) de actione, qua miraculum patrabatur, et praeterea bis apud *Matth.* (19,13. 15) de Domino pueris benedicente adhibitum legitur; plerumque vero in Act. et Epist. de sa-

Ultima haec verba participio τῇ διακονουμένῃ (quae ministratur) cum *Theod.* ac plerisque Latinis adnectimus (*Aler, Herv. Thom.* etc., *Cai. Est.* etc., *Mai L R.* etc.) : « nam Dominus propter ista celebratur, nos autem hac ratione promptum nostrum animum ostendimus ». Cum *Chrys.* tamen nonnulli moderni ea cum participio χειροτονηθείς (electus) connectere malunt : « qui ab ecclesiis in hoc ministerio noster socius est electus ad Domini gloriam nostramque proclivitatem promovendam »; quamvis enim Paulus sua sponte illud ministerium suscepisset, fervor tamen eius augeri potuit, quando a tanto viro se adiuvari vidit. Quae explicatio improbabilis profecto non est; quod enim aliqui acath. obiiciunt, electionem socii Pauli, utpote rem levissimam, ad gloriam Domini promovendam inservire non potuisse (*de W. Klœp. Heinr.*), id sane levissime, ne dicam absurdissime, asseritur. Rectius obiici potest, Pauli ardorem eiusmodi stimulo non indiguisse, ac revera *Chrys.*, qui hanc constructionem praefert, legit πρὸς τὴν τοῦ Κυρίου δόξαν καὶ προθυμίαν ὑμῶν « ad Domini gloriam et *vestram* proclivitatem augendam ». Attamen etsi genuinam lectionem retinemus, obiectio haec satis levis est, atque priorem explicationem ob eam solam rationem praeferimus, quia constructio, si verba ista cum participio χειροτονηθείς coniunguntur, impeditior est.

Haud sine ratione Paulus socium Titi tantis laudibus ornavit; id enim summae curae ei fuit, ut integritas eius nullo modo in suspicionem vocaretur, eamque ob causam nec solus nec a solis ordinariis suis sociis adiutus collectas administravit, sed viros sibi adiungi voluit probos et integros, quos fideles ipsi utpote sua fiducia dignos designaverant : 20. *devitantes* (στελλόμενοι) *hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine* (ἐν τῇ ἁδρότητι ταύτῃ sc. in hac abundantia pecuniarum collectarum), *quae ministratur a nobis.* Grammatice quidem partic. στελλόμενοι (devitantes) cum verbo συνεπέμψαμεν (misimus *v.* 18) connectatur oportet, rationem autem indicat, cur Apostolus sibi socium ab ecclesiis adiungi voluerit, ita ut sensu cum immediate praecedente sententia arctius cohaereat; neque tamen ideo nominativum στελλόμενοι anacoluthice pro στελλομένων positum esse (ut scilicet pronomini ἡμῶν concordet) dicet, nisi qui languidam ac flaccidam constructionem admittere malit. Significatio verbi στέλλεσθαι a *Vulg.* recte est expressa ; simili enim sese subtrahendi ac vitandi significatione et a profanis (cfr *Pape* Lexic. s. v.) et ab Alex. (*Mal.* 2,5) et a Paulo ipso (2 *Thess.* 3,6) adhibetur, neque dissimili modo *Theoph.* cum *Chrys.* participium στελλόμενοι hic explicat ὑποπτεύοντες καὶ δεδοικότες (suspicantes et timentes); significatio vero, quae nonnullis modernis praeplacet (instituentes hoc, ne quis), quamvis verbo competat, contextui minus congruit. Ne quis igitur sinistri aliquid de ipso suspicetur, aut levissimam

cramenti alicuius administratione (*Act.* 6,6; 8,17. 19; 13,3; 19,6; 1 *Tim.* 5,22) repetitur. Verbum igitur et substantivum collationem insignis cuiusdam beneficii sive spiritualis sive temporalis connotat; at in Novo Test. saltem non est eadem vis verbi χειροτονεῖν.

reprehensionis ansam adversus ipsum habeat, ac si pecuniae ad eum finem, ad quem datae sint, non impendantur, Paulus socium ab ecclesiis electum una cum Tito Corinthum misit. Atque rationem addit, cur vel ipsas suspiciones evitare velit : 21. *providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus;* quibus in verbis ad *Prov.* 3,4 iuxta Alex. respexit, quamvis illa sententia in textu hebr. (et in *Vulg.*) non legatur : προνοοῦ καλὰ ἐνώπιον Κυρίου καὶ ἀνθρώπων (provide i. e. diligenter facere stude bona coram Domino et hominibus). Iuxta Domini praeceptum (*Matth.* 5,16) suam quoque lucem lucere voluit coram hominibus, ut opera bona videntes glorificarent Patrem coelestem, a quo descendunt.

Egregie in haec verba *S. Aug.* (serm. 355. al. de div. 49,1) : « Nolo, ut aliquis de nobis inveniat male vivendi occasionem. *Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Propter nos, conscientia nostra sufficit nobis : propter vos, fama nostra non pollui sed pollere debet in vobis. Tenete quod dixi et distinguite. Duae res sunt conscientia et fama : conscientia tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conscientiae suae negligit famam suam, crudelis est [sc. in proximum]; maxime si isto in loco est positus, de quo dicit Apostolus scribens ad discipulum suum : circa omnes teipsum bonorum operum praebens exemplum (Tit. 2,7) ». Atque ea, quae in verbis Apostoli de eodem argumento dictis inter se videntur pugnare, conciliaturus haec habet (Serm. 47,9) : « Expone itaque mihi, quomodo intelligam diversa et contraria : hac dicentem Apostolum : Si hominibus placerem, Dei servus non essem (*Gal.* 1,10), hac dicentem : Placete omnibus per omnia, sicut et ego omnibus per omnia placeo (1 *Cor.* 10,33); hac iterum dicentem : Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae (1,12), hac dicentem : Providemus bona, non solum coram Deo sed etiam coram hominibus. Si tranquillus audias, si tibi ipsi aquam mentis tuae non perturbes, quantum potero, fortassis exponam. Sunt homines temerarii iudices, detractores, susurrones, murmuratores, quaerentes suspicari quod non vident, quaerentes etiam iactare, quod non suspicantur : contra tales, quid remanet, nisi testimonium conscientiae nostrae? Neque enim, fratres, etiam in illis, quibus placere volumus, gloriam nostram quaerimus aut gloriam nostram quaerere debemus, sed illorum salutem; ut si bene ambulamus, nos sequendo non errent; imitatores Christi sint, si nos Christi; si autem nos non Christi, imitatores sint Christi. Non ergo utilitatem nostram quaerimus, quando placere hominibus volumus; sed gaudemus eis placere quod bonum est, propter ipsorum utilitatem, non propter nostram dignitatem. Contra quos autem dixerit Apostolus : Si hominibus placerem, Christi servus non essem, manifestum est; et propter quos dixerit : Placete omnibus per omnia, sicut et ego omnibus placeo per omnia, manifestum est; utrumque dilucidum, utrumque tranquillum, utrumque purum, utrumque non perturbatum ».

Ad alterum deinde Titi socium Apostolus transit : 22. *misimus autem cum illis et fratrem nostrum, quem probavimus in multis saepe sollicitum esse : nunc autem multo sollicitiorem, confidentia multa in vos.* Quis hic quoque frater fuerit, prorsus ignoramus; Patrum tem-

pore, testibus *Theod.* et *Pel.*, nonnulli de Apollo agi suspicati sunt, quae coniectura in *Gl int.* recepta a mediae aetatis interpretibus repetitur (*Haym. Herv.* etc., *Thom. Lyr.* etc.); *Cai.* deinde Timotheum proposuit non recordatus, Timotheum cum Paulo hanc epistolam conscribere; *Est.* de Luca aut de Zena legisperito (cfr *Tit.* 3,13) aut de Sosthene (1 *Cor.* 1,1), *Grot.* de Epaeneto (*Rom.* 16,5), *Wies.* de Trophimo (*Act.* 20,4) cogitarunt; immo *Rück* fratrem germanum Pauli indicatum vidit non intelligens, Paulum, si fratrem germanum habuit (qua de re nihil traditum est), ei hoc eleemosynarum negotium concredere non potuisse, nisi suspicionem provocare quam evitare maluit. Cur non potius de Gaio Derbeo (*Act.* 20,4) agi dicamus, ut ecclesiae Galatiae (i. e. illae ecclesiae quae a Paulo et Barnaba in meridionalibus provinciae Galatiae regionibus Iconii, Lystris, Derbae etc. fundatae erant cfr *Proleg.* 1. in ep. ad Gal.) in administrandis collectis, quae illis cum Macedonibus et Achaeis communes erant (1 *Cor.* 16,1), non minus, quam macedonicae, suum legatum habeant? Sed consultius est, in re, quae probabilibus argumentis definiri nequit, a levibus coniecturis abstinere. Quisquis igitur ille frater fuit, a Paulo velut vir celebratur, quem ipse multis in negotiis saepe iam probavit ac semper sollicitum industriumque (σπουδαῖον) invenit, quemque ubi de Corinthiis agebatur, quum illis ob multa bona qua de iis audivit multum confideret, multo sollicitiorem esse vidit. Communior est ac verior haec interpretatio, ut frater Corinthiis confisus esse dicatur ac proin ratio maioris sollicitudinis, quam ostendit, insinuetur. Sunt tamen, qui cum *Est.* verba πεποιθήσει πολλῇ τῇ εἰς ὑμᾶς (*confidentia multa in vos*) ad verbum συνεπέμψαμεν (*misimus*) trahant, ut Paulus de sua ipsius confidentia loquatur; quae interpretatio haud apta est non tam, quia constructionem impeditam supponit, quam quia non explicat, cur ille frater nunc iam sollicitior sit; interpretes isti Paulum fratri suo benevolentiam Corinthiorum hac laude conciliare voluisse non attenderunt; fratri enim, qui eis, antequam eos vidit, iam multum confisus est, Corinthii suam fiduciam negare nequeunt.

Tandem tres fratres, quos singulos laudibus ornavit, Apostolus nunc simul Corinthiis commendat : 23 *sive pro Tito, qui est socius meus et in vos adiutor, sive fratres nostri, Apostoli ecclesiarum, gloria Christi* (εἴτε ὑπὲρ Τίτου, κοινωνὸς ἐμὸς καὶ εἰς ὑμᾶς συνεργός· εἴτε ἀδελφοὶ ἡμῶν, ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν, δόξα Χριστοῦ). Constructio nec in graeco nec in latino textu est concinna, inconcinnior tamen nec satis accurata est in latino; quia interpres ad ellipticam constructionem εἴτε — εἴτε (sive... sive) non attendit ac pronomen relativum (*qui* est) ex suo penu inseruit, editor autem totam sententiam sua interpunc-

tione obscuravit ab immediate praecedente eam commate dumtaxat seiungens. Accuratius et clarius vertimus : « *sive de Tito* (scribo), *est socius meus et in vos adiutor; sive fratres nostri* (sunt, qui vobis commendantur), *apostoli ecclesiarum* sunt, *corona Christi* » (cfr similem constructionem in latino textu obscuratam 1 *Cor.* 13,8). Paucis his verbis Paulus rationes complectitur, ob quas tres sui legati a Corinthiis cum caritate recipi mereantur. Ad Titum quod attinet, sufficit dixisse, eum ex ordinariis Pauli sociis esse, qui simili, quo ille, munere fungitur atque magistrum suum in dirigenda et corrigenda ecclesia corinthia iam adiuvit; ad alios duos autem quod attinet, quamvis ex ordinariis Apostoli sociis non sint sed communi nomine fratrum dumtaxat designentur (Titus vocatur socius *meus,* duo alii fratres *nostri,* i. e. quum mei tum *vestri*), Corinthiorum tamen caritate digni sunt tamquam *legati* (ἀπόστολοι primitivo suo sensu sumatur oportet cfr *Phil.* 2,5) *ecclesiarum* (ἐκκλησιῶν sine articulo; a quibuscumque enim ecclesiis sunt missi, cum honore recipiendi sunt) *et gloria Christi,* cuius nimirum gloriam vita sua vere christiana ac praesertim caritate, qua sese pauperum ministerio dedicarunt, in se repraesentant ac manifestant (cfr ad 1 *Cor.* 11,7 sq.).

Hinc sua sponte profluit exhortatio : 24. *ostensionem ergo* (*quae est*) *caritatis vestrae et nostrae gloriae* (lege : *gloriationis* καυχήσεως *A^{ter}* : exsultationis) *pro vobis, in illos ostendite in faciem ecclesiarum.* Haud satis recte *Vulg.* pronomen relat. (*quae est*) inseruit atque iure *A^{ter}* illud praetermisit; expressio ἔνδειξιν ἐνδείκνυσθαι significationem nudi verbi maiore cum vi effert, et quum ἐνδείκνυσθαι sit i. q. argumentis demonstrare, Corinthii caritatem suam erga legatos operibus demonstrare iubentur, ut hac ratione simul omnia illa, quae Apostolus de iis apud legatos et in aliis ecclesiis praedicavit ac gloriatus est, veritati consonare probent. Id autem facere iubentur *in faciem ecclesiarum* (εἰς πρόσωπον τῶν ἐκκλησιῶν) i. e. spectantibus illis ecclesiis, a quibus legati sunt electi quaeque ipsae in legatis suis honore afficiuntur; nulla vero ratione πρόσωπον hoc loco *personam* significare potest, ut vult *Est.,* quia legati personam ecclesiarum illarum gesserint; quis enim umquam dixerit, verba εἰς πρόσωπον τῶν ἐκκλησιῶν posse sumi pro appositione et explicatione pronominis εἰς αὐτούς? Egregie sententiam hanc *Theod.* suis verbis reddit : « caritatis ergo vestrae opes omnes reserate et meas de vobis laudes confirmate ; omnes enim ecclesias hoc pacto honorabitis ».

2. *Cur Apostolus Titum eiusque socios iam nunc Corinthum missurus sit* (9,1-5).

9,1. ***Nam de ministerio, quod fit in***
sanctos, ex abundanti est mihi scribere
vobis. 2. ***Scio enim promptum animum***
vestrum : pro quo de vobis glorior apud
Macedones. Quoniam et Achaia parata est
ab anno praeterito, et vestra aemulatio
provocavit plurimos. 3. ***Misi autem fra-***
tres : ut ne quod gloriamur de vobis, eva-
cuetur ex hac parte, ut (quemadmodum
dixi) parati sitis : 4. ***ne quum venerint***
Macedones mecum, et invenerint vos im-
paratos, erubescamus nos (ut non dicamus
vos) in hac substantia. 5. ***Necessarium***
ergo existimavi rogare fratres, ut praeve-
niant ad vos, et praeparent repromissam
benedictionem, hanc paratam esse, sic
quasi benedictionem, non tamquam ava-
ritiam.

9,1. Περὶ μὲν γὰρ τῆς διακονίας τῆς εἰς
τοὺς ἁγίους περισσόν ἐμοί ἐστιν τὸ γράφειν
ὑμῖν· 2. οἶδα γὰρ τὴν προθυμίαν ὑμῶν, ἣν
ὑπὲρ ὑμῶν καυχῶμαι Μακεδόσιν, ὅτι Ἀχαΐα
παρεσκεύασται ἀπὸ πέρυσι, καὶ τὸ ὑμῶν
ζῆλος ἠρέθισεν τοὺς πλείονας. 3. ἔπεμψα
δὲ τοὺς ἀδελφούς, ἵνα μὴ τὸ καύχημα
ἡμῶν τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κενωθῇ ἐν τῷ μέρει
τούτῳ, ἵνα καθὼς ἔλεγον παρασκευασμένοι
ἦτε, 4. μήπως ἔλθωσιν σὺν ἐμοὶ Μακεδό-
νες καὶ εὕρωσιν ὑμᾶς ἀπαρασκευάστους,
καταισχυνθῶμεν ἡμεῖς, ἵνα μὴ λέγωμεν
ὑμεῖς, ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ. 5. ἀναγ-
καῖον οὖν ἡγησάμην παρακαλέσαι τοὺς
ἀδελφούς, ἵνα προέλθωσιν πρὸς ὑμᾶς καὶ
προκαταρτίσωσιν τὴν προεπηγγελμένην εὐλο-
γίαν ὑμῶν ταύτην ἑτοίμην εἶναι οὕτως ὡς
εὐλογίαν καὶ μὴ ὡς πλεονεξίαν [1].

Commendationem collectarum, quia ad illas faciendas Corinthii promptum suum animum factis iam probassent, superfluam esse praefatus (1. 2) Paulus se Titum eiusque socios iam nunc Corinthum mittere docet, ut ante suum ipsius adventum negotium terminent, ne coram Macedonibus, si qui secum venturi sint, de neophytis, si parati

1. *VV. LL.* — 1. περὶ μὲν γάρ (nam de... quidem) est communis lectio; sed aliqui codd. *lat.* et *syr* legunt : *at* de; C cum paucis minusc. particulam plane omittit; *latina* versio particulam μέν, cui respondet δέ (v. 3) neglexit. — 2. καὶ τὸ ὑμῶν ζῆλος (*et vestra aemulatio*). Neutrum τὸ ζῆλος soli B ℵ exhibent; reliqui, uti plerumque : ὁ ζῆλος. Porro τὸ (vel ὁ) ὑμῶν ζῆλος legunt B ℵ C P, nonnulli minusc., *Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Arm.*; sed *textus rec. :* ὁ ἐξ ὑμῶν ζῆλος (quae ex vobis est aemulatio) cum D E F G K L P, plerisque minusc., *It.* (*S. Aug.* de op. mon. 16) *Syr.* (codd.) *Goth.* — 3. ἔπεμψα (*misi*) est communior et aptior lectio; sed pluralem ἐπέμψαμεν (misimus) tuentur D E, *It.* (*S. Aug. Pel.*) aliqui codd. *Vulg.* (*Demid.* etc.) *Copt. Arm.* — 4. μήπως ἔλθωσιν (ne veniant) est mendosa lectio cod. B et aliquorum codd. *Syr.*; legatur oportet μήπως ἐὰν ἔλθωσιν (*ne quum* [rectius : *si*] *venerint*). — ἵνα μὴ λέγωμεν (*ut non* [ne] *dicamus*) B ℵ L P, plerique minusc., *Vulg. Syr. Copt.*; sed singularem ἵνα μὴ λέγω (ne dicam) tuentur C D E F G, *It.* (*S. Aug. Al*[er]) *Goth.* — ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ (*in hac substantia*) sine additamento B ℵ C D F G, pauci minusc., *It.* (*S. Aug. Al*[er] etc.) *Vulg. Copt. Aeth.*; sed *textus rec. :* ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως (in hac substantia *gloriationis*) cum E K L P, plerisque minusc. *Syr. Arm. Goth.* — 5. τὴν προεπηγγελμένην εὐλογίαν (*antea promissam* benedictionem) B ℵ C D E F G P, pauci minusc., *It.* (*S. Aug.* : pridem repromissam) *Vulg.* (notione praeposit. πρό praetermissa : *repromissam*) *Arm.*; minus apte *textus rec. :* τὴν προκατηγγελμένην εὐλογίαν (antea *annuntiatam* benedictionem) cum K L et plerisque minusc.

nondum sint, erubescere cogatur (3-5). Cito igitur dandum esse monet.

1. *Nam de ministerio, quod fit in sanctos* (i. e. de stipis corrogandae munere, quo Titus eiusque socii ad sublevandam pauperum ierosolymitanorum inopiam funguntur) *ex abundanti* (περισσόν *A*[ler] clarius : *supervacaneum*) *est mihi scribere vobis.* Nexum non intelligentes antiquiores nonnulli particulam causalem γάρ (*nam*) aut praetermiserunt aut in adversativam mutarunt (cfr *VV. LL.*); alii vero, quia Paulus hucusque iam satis multa de collectis dixisset ac plura dicturus esset, eum hoc loco non de iisdem collectis loqui arbitrati sunt, sed aut de sacerdotum sustentatione aut de ministerio verbi, de quibus quidquam addere non sit necessarium (cfr *Pel. Prim.* etc.). Verum arctam huius sectionis cum praecedente connexionem bene iam post *Herv.* explicat *Thom.* : « Potuit aliquis dicere Apostolo : tu nos mones quod bene recipiamus nuntios quos mittis; sed quare non potius mones, quod bene largiamur eleemosynas? Ideo hoc removens dixit : non est necessarium quod hoc moneam... quia scio promptum animum vestrum » etc. Revera rationem affert, cur in legatis suis commendandis ad eorum personas solas attenderit, de munere autem, quo Corinthi functuri essent, nihil addiderit; tacitae igitur obiectioni occurrens, nolite mirari, inquit, quod personas quidem legatorum, qui collectis praefecti sunt, vobis commendaverim, negotium vero, ad quod terminandum mittuntur, silentio praeterierim; nam superfluum est id illis commendare, quos in eo tractando iam a multo tempore promptum suum animum demonstrasse scio.

Quem nexum ratio addita quoque suadet : 2. *scio enim promptum vestrum animum* (τὴν προθυμίαν ὑμῶν), *pro quo de vobis glorior* (vel cum *S. Aug.* : de quo pro vobis glorior, vel iuxta graecum : ἣν ὑπὲρ ὑμῶν καυχῶμαι aptius : quem de vobis glorians celebro) *apud Macedones, quoniam*[1] *et Achaia parata est* (παρεσκεύασται) *ab anno praeterito; et aemulatio vestra* (vel cum *S. Aug.* : et quae ex vobis est aemulatio) *provocavit plurimos* (τοὺς πλείονας; maiorem eorum partem paucis tantum remanentibus, qui vestro fervore non sint provocati).

1. Haud recte *Vulg. Clem.* puncto ante *quoniam* posito ab hac particula novam sententiam inchoat, cuius quae sit constructio grammatica, nemo facile dixerit; revera hoc membrum a praecedente verbo καυχῶμαι (glorior) dependet; et quia particula ὅτι hoc in loco verbis, quibus Paulus gloriatus est, introducendis inservit, in latina versione praetermitti potuit : « quem (promptum animum) de vobis glorians celebro (dicens) : Achaia parata est ab anno praeterito ». Sed maiore interpunctione ultimum membrum (*et vestra aemulatio* etc.) a priore separandum est, quia verba Pauli gloriantis non continuat. — Porro particulam *et*, quam *Vulg. Clem.* ante *Achaia* inserit, cum codd. graecis etiam antiqua versio latina (cfr *S. Aug. A*[ler] etc.) et meliores *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat.* etc.) ignorant; omittatur igitur oportet.

Patres nonnulli in his sententiis figuram quandam oratoriam deprehendunt: « allicientis haec verba esse » censet *A^ter*, atque *Chrys.* ea dicta esse arbitratur, « ut Corinthiorum animos excitet; pudet enim hominem, qui ea existimatione est, ut ne consilio quidem indigere videatur, aliorum de se opinioni imparem inveniri »; hinc *Theod.*: « supervacaneam, inquit, vocavit exhortationem ad munificentiam, non supervacaneam revera eam existimans, sed hac loquendi ratione illos ad maiorem liberalitatem excitans ». Quae exaggerans *Lap.* ex his sententiis velut regulam practicam derivat « artem emendicandi eleemosynas commodam esse, si laudetur dantium liberalitas; eam artem egregie callere publicos viarum et templorum mendicos ». Patrum istorum explicatio, a qua iuniores ac recentes plerique non recedunt (cfr *Cai. Salm. Iust. Nat. Pic. Mai. Bisp. Ramb.* etc. — *Mey. Kl Br.* etc.), per se quidem admitti potest, quum Paulus alibi quoque figura simili transitionis utatur (1 *Thess.* 4,9), huic tamen loco minus congruere videtur, siquidem erronee supponit, expressione *ministerii quod fit in sanctos* ipsam liberalitatem significari; significatur autem integrum collectarum negotium, ad quod Corinthi terminandum legati mittebantur. Iam vero in toto hoc tractatu, quaenam istae collectae sint et quid sibi velint, non definitur, neque palaestinensium fratrum inopia, quae aliarum ecclesiarum auxiliis sublevanda sit, ad earum misericordiam instigandam describitur, neque rationibus allatis Ethnicochristianos ad fratres suos Iudaeochristianos adiuvandos obligatos esse ostenditur: uno verbo totum ministerium, quod fit in sanctos, Apostolus lectoribus suis plane cognitum esse supponit, et quia illis scribit, quos ad collectas istas faciendas prompto animo esse scivit, quidquam de illis scribere supervacaneum duxit idque unum egit, ut Corinthios ad eas terminandas exhortaretur modumque doceret, quo terminandae essent.

Neque laudes, quibus Paulus Corinthios praedicat, sunt exaggeratae eumque in his laudibus, ut Macedonas magis stimularet, a veritate deflexisse, unus alterve acath. (*Rück* etc.) non minus stulte quam impie asseruit. Prompto se esse animo ad collectas faciendas Corinthii iam demonstrarant, quum qua ratione faciendae essent Paulum interrogarent; ex eadem autem interrogatione iure quoque colligitur, eos iam nonnullas eleemosynas seponere coepisse; quamquam ergo crescentibus internis ecclesiae corinthiae perturbationibus negotium collectarum probabiliter interruptum est (cfr ad 8,10), pars quaedam erat terminata, ad quam respiciens Apostolus iure dicere potuit: *Achaia parata est ab anno praeterito,* a quo nimirum tempore et facere et velle coeperant. Neque cum *Thom. Est.* aliisque verba illa ita explicare licet, ut eos *ad dandum* paratos fuisse dicamus; nam hanc significationem graecum παρεσκεύασται non admittit; parati etiam ad mittendas pecunias iam collectas erant, licet integrum negotium nondum esset terminatum. Duplici igitur ratione Paulus hoc verbo utitur; hoc in loco ad ea sola attendens, quae a Corinthiis eo usque erant praestita, sed in *v.* sequente (*ut parati sitis* ἵνα παρεσκευασμένοι ἦτε) totum negotium, quod nondum erat terminatum, considerans.

Demum antiqui iam interpretes nos prudentiam admirari iubent Pauli, qui hac quidem in epistola Macedonum, qui primi collectas terminaverant, exemplum Corinthiis imitandum proposuit, at antea Macedonas Corinthiorum, qui primi eleemosynas corrogare coeperant, exemplo stimulaverat. *Aemulatio* enim, qua ab initio Corinthii certatim stipem erant largiti, velut bona quaedam contagio ab iis ad Macedonas sese propagaverat (ὁ ἐξ ὑμῶν ζῆλος quae ex vobis initium sumsit aemulatio) illosque simili ardore infecerat. Contradictionem, quae in his verbis, si cum 8,3 conferuntur, contineri videtur, *Chrys.* iam solvit : « Sed quid ais? paullo antea dixisti Macedonas *voluntarios* multis cum precibus obsecrantes suas eleemosynas contulisse; quomodo ergo aemulatio Corinthiorum eos provocavit? Ita tamen, inquit, res se habet; nos non suasimus, nos exhortati non sumus, sed vos tantum laudibus exornavimus, de vobis gloriati sumus, atque haec ad illos provocandos sufficiebant ».

Collectarum negotium ipsum *quidem* exponere et commendare Paulus superfluum esse duxit; terminationem *autem* earum missis legatis urgere necessarium habuit : 3. *misi autem fratres* (Titum sc. eiusque socios), *ut ne quod gloriamur de vobis evacuetur in hac parte.* Expressio *quod gloriamur de vobis* (τὸ καύχημα ἡμῶν τὸ ὑπὲρ ὑμῶν, *S. Aug.* : gloria nostra quam habemus in vobis; *A*[ler] : gloria nostra, qua vos praeferimus; accuratius : nostrae de vobis gloriationis materia) latius hic patet, quam *v.* 2. ἡ προθυμία ἣν ὑπὲρ ὑμῶν καυχῶμαι (promptus animus, quem de vobis glorians praedico); omnes enim complectitur Corinthiorum virtutes, de quibus Apostolus coram aliis gloriari solebat. Non minus eleganter ergo quam prudenter Paulus insinuat, se id quidem non timere, ne aliis in rebus ea, quae gloriabundus de Corinthiis retulit, a veritate inveniantur aliena, at id unum se praecavere, ne sua de iis gloriatio *in hac parte* (sc. collectarum) *evacuetur,* i. e. inanis ac fundamento carens inveniatur. « Magnopere de vobis glorior et apud illos quoque vos celebravi; quocirca si procrastinetis, commune mihi vobiscum erit dedecus. Sermonem suum tamen temperavit addens *in hac parte,* non omnibus in rebus » (*Chrys.*).

Duobus aliis membris finalibus, quae primo sunt parallela, illud explanat : misi fratres, *ne* (ἵνα μή) gloriatio mea in hac parte evacuetur, *ut* (ἵνα) igitur, *quemadmodum dixi, parati sitis,* toto collectarum negotio ad felicem finem perducto, praecaventes 4. *ne* (μήπως) *quum* (lege : *si* ἐάν) *venerint Macedones mecum et invenerint vos imparatos,* collectis nondum terminatis, *erubescamus nos — ne dicamus vos — in hac substantia.* Pro particula *quum* hypotheticum *si* legendum esse monuimus, quia Paulus, uti cum *Chrys.* recte adnotant plerique, ut

adversariis omnem calumniarum ansam eripiat, Macedonas secum esse adventuros absolute asserere noluit; suspicari enim aliquis potuit, eum ad Corinthios confundendos consulto exteros secum adduxisse. Ob eandem causam, quamvis Corinthiis, si parati non sint, magis erubescendum esse insinuet, suum ipsius tamen pudorem, quo ob vanam suam gloriationem afficiendus sit, primo in loco collocat : *ne erubescamus nos, ne dicamus vos*. Demum ut Corinthiis parcat, iterum addit *in hac substantia* (ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ), rursus indirecte Corinthios exhortans, ut in collectis quoque terminandis diligentes sint, quum aliis in rebus nihil adsit, quod Macedonum oculis subiicere verecundentur. Cum plerisque antiquioribus igitur verba *in hac substantia* (vel : in hac substantia gloriationis) eodem sensu, quo priora *in hac parte*, sumimus; « ὑπόστασις enim, inquit *Theoph.*, argumentum significat sermonis aut ipsam rem de qua agitur ». Iuniores tamen multi ὑπόστασιν sensu *fiduciae* aut *firmae exspectationis* sumunt[1] : « ne erubescamus in firma hac exspectatione nostra » (cfr *Iust. Nat. Mai. Bisp.* etc. — *Wolf. Beng. Heinr. Goeb.* etc.); quae explicatio apta quidem est, sed postulat, ut parenthesi (*ne dicamus vos*) neglecta, quoniam Corinthii de vana Pauli fiducia erubescere nequiverunt, expressio *in hac substantia* cum solo verbo *erubescamus nos* connectatur.

Ne igitur coram Macedonibus, si qui secum venturi essent, una cum neophytis erubescere cogeretur, Paulus sua ex parte omnia quae potuit egit, ut ante suum adventum collectae bene terminarentur : 5. *necessarium ergo existimavi rogare fratres, ut praeveniant* (προέλθωσιν *antea* veniant) *ad vos et praeparent* (προκαταρτίσωσιν *antea* parent) *repromissam* (τὴν προεπηγγελμένην *antea* promissam) *benedictionem hanc paratam esse quasi benedictionem non tamquam avaritiam.* Quanta urgendi vis tribus illis verbis προελθεῖν, προκαταρτίσαι, προεπηγγέλθαι coniunctis insit, vix opus est adnotare. Infinitivum ἑτοίμην εἶναι οὕτως ὡς κτλ antiqua versio recte reddidit : *ut sit parata tamquam benedictio non tamquam avaritia* (cfr *S. Aug.*); finem scilicet innuit, quem Corinthii in terminandis collectis prae oculis habere debent; neque enim dumtaxat eis 'esset erubescendum, si adveniente Paulo collectae nondum essent terminatae, sed etiam si collectarum copia eorum avaritiam potius quam promptum animum et liberalitatem proderet. Quam ob causam nomen quoque εὐλογίας (*benedictionis* בְּרָכָה) ad pecunias collectas designandas Paulus adhibuit; neque enim hoc nomine praemium aeternum, quod eleemosyna meretur, insinua-

1. Cfr *Ps.* 38 [39], 8 ubi hebraico תּוֹחֶלֶת et *Ezech.* 19,5 ubi hebr. תִּקְוָה respondet.

tur, uti vult *Thom.*, sed benevolus hilarisque animus indicatur, ex quo provenit, atque eleemosynae ipsius copia connotatur. Quare graeci interpretes haud plane immerito nomine benedictionis duo illa argumenta indicata vident, quae Apostolus in sequente sectione tractabit, hilaritatem alacritatemque scilicet atque liberalitatem in terminandis collectis requisitam (cfr *Theoph. Oec.*). Ceterum bene adnotat *Theod.* beneficentiam nusquam ab Apostolo vocari *philanthropiam*, sed aut benedictionem aut communionem aut gratiam (cfr ad 1 *Cor.* 16,1).

§ 3. *De hilari liberalitate, qua collectae sint terminandae* (9,6-15).

9,6. *Hoc autem dico : Qui parce seminat, parce et metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* 7. *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus.* 8. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis : ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* 9. *Sicut scriptum est : Dispersit, dedit pauperibus : iustitia eius manet in saeculum saeculi.* 10. *Qui autem administrat semen seminanti : et panem ad manducandum praestabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum iustitiae vestrae :* 11. *ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quae operatur per nos gratiarum actionem Deo.* 12. *Quoniam ministerium huius officii, non solum supplet ea quae desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino,* 13. *per probationem ministerii huius, glorificantes Deum in obedientia confessionis vestrae, in evangelium Christi, et simplicitate communicationis in illos, et in omnes,* 14. *et in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis.* 15. *Gratias Deo super inenarrabili dono eius.*

9,6. Τοῦτο δέ, ὁ σπείρων φειδομένως φειδομένως καὶ θερίσει, καὶ ὁ σπείρων ἐπ' εὐλογίαις ἐπ' εὐλογίαις καὶ θερίσει. 7. ἕκαστος καθὼς προῄρηται τῇ καρδίᾳ, μὴ ἐξ λύπης ἢ ἐξ ἀνάγκης. ἱλαρὸν γὰρ δότην ἀγαπᾷ ὁ Θεός. 8. δυνατεῖ δὲ ὁ Θεὸς πᾶσαν χάριν περισσεῦσαι εἰς ὑμᾶς, ἵνα ἐν παντὶ πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες περισσεύητε εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν, 9. καθὼς γέγραπται· Ἐσκόρπισεν, ἔδωκεν τοῖς πένησιν, ἡ δικαιοσύνη αὐτοῦ μένει εἰς τὸν αἰῶνα. 10. ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν σπόρον τῷ σπείροντι καὶ ἄρτον εἰς βρῶσιν χορηγήσει καὶ πληθυνεῖ τὸν σπόρον ὑμῶν καὶ αὐξήσει τὰ γενήματα τῆς δικαιοσύνης ὑμῶν. 11. ἐν παντὶ πλουτιζόμενοι εἰς πᾶσαν ἁπλότητα, ἥτις κατεργάζεται δι' ἡμῶν εὐχαριστίαν Θεοῦ· 12. ὅτι ἡ διακονία τῆς λειτουργίας ταύτης οὐ μόνον ἐστὶν προσαναπληροῦσα τὰ ὑστερήματα τῶν ἁγίων, ἀλλὰ καὶ περισσεύουσα διὰ πολλῶν εὐχαριστιῶν τῷ Χριστῷ. 13. καὶ διὰ τῆς δοκιμῆς τῆς διακονίας ταύτης δοξάζοντες τὸν Θεὸν ἐπὶ τῇ ὑποταγῇ τῆς ὁμολογίας ὑμῶν εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ καὶ ἁπλότητι τῆς κοινωνίας εἰς αὐτοὺς καὶ εἰς πάντας, 14. καὶ αὐτῶν δεήσει ὑπὲρ ὑμῶν ἐπιποθούντων ὑμᾶς διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν χάριν τοῦ Θεοῦ ἐφ' ὑμῖν. 15. χάρις τῷ Θεῷ ἐπὶ τῇ ἀνεκδιηγήτῳ αὐτοῦ δωρεᾷ [1].

1. *VV. LL.* — 6. τοῦτο δέ (hoc autem), verbo λέγω non addito est communis lectio, quam ex Latinis tuentur *S. Aug.* (de op. mon. 16) et cod. *Amiat.*; paucissimi tamen minusc. cum reliquis *Latin.* et *Copt.* τοῦτο δὲ λέγω (*hoc autem dico*). — Pro ἐπ' εὐλογίαις (*in benedictionibus*), quae est communis lectio, D F G cum *It.* (*S. Cypr.* Test. c. Iud. III. 1 *S. Aug.* A[ter]), codd. *Fuld.*, *Cop. Goth.* legunt singularem ἐπ' (vel ἐν)

Apostolus eo quidem fine legatos miserat, ut ante suum ipsius adventum collectas terminantes neophytos ad eleemosynas *cito* conferendas impellerent; neque tamen collectas quasi abrumpi ita voluit, ut celeritas hilaritati ac liberalitati officeret; quapropter in ultima hac tractatus sectione paucis quidem sed gravibus sententiis Corinthios exhortatur, ut futurae mercedis memores ea, quae sibi quisque ad collectas conferenda proposuit, laeti ac magnanimi largiantur (6. 7); Deum enim eorum eleemosynas suis maioribus beneficiis quum temporalibus tum spiritualibus esse remuneraturum (8-11), siquidem hoc collectarum negotium non tantum inopiae pauperum fratrum sublevandae inserviat sed Deum ipsum glorificet (12-14); quam ad utilitatem respiciens Paulus tractatum gratiarum actione concludit (*v.* 15).

Ultimis praecedentis sectionis verbis, quibus eleemosynam tamquam benedictionem non tamquam avaritiam parandam esse monuit, novae argumentationi pro more iam praelusit; itaque illa explicaturus pergit : 6. *Hoc autem dico : Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in* (ἐπί) *benedictionibus, de* (cum *S. Aug.* lege : *in* ἐπί) *benedictionibus et metet.* Elliptica formula τοῦτο δέ (*hoc autem,* quam *Vulg.* verbo *dico* inserto (λέγω *Gal.* 3,17; vel φημί 1 *Cor.* 7,29 etc.) recte complet, quam vero, si malueris, cum nonnullis modernis etiam imperativo λογίζεσθε (considerate) vel simili expressione complere poteris, Apostolus lectores attentos reddit, singulari consideratione explicationem, quam daturus sit, esse dignam. Porro seminandi metendique metaphora, quam alibi latissimo sensu de omnibus hominum actionibus, quibus aut praemium aut poena velut iusta retributio debetur, adhibet (*Gal.* 6,8 cfr *Prov.* 22,8), contextu nostro ad

εὐλογίᾳ (in benedictione). — 7. προῄρηται (*destinavit*) B ℵ C P, pauci minusc. *It.* (*SS. Cypr. Aug.* : proposuit; *A^ter* : secundum propositum), *Vulg.* (*Fuld.* : secundum propositum); sed *textus rec.* : προαιρεῖται (proponit) cum D E K L, plerisque minusc. et PP. — 9. εἰς τὸν αἰῶνα (in aeternum) sine addito est antiqua lectio, quam cum *It.* (*SS. Cypr. Aug.*) ex *Vulg.* codd. tuentur *Fuld. Amiat. Demid.*; at F G K cum paucis minusc. et *Vulg. Clem.* : εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος (*in saeculum saeculi*). — 10. χορηγήσει, πληθυνεῖ, αὐξήσει (*praestabit, multiplicabit, augebit*) B ℵ C D F, haud multi minusc., *It.* (*SS. Cypr. Aug.* etc.) *Vulg. Copt. Arm. Aeth.*; sed *textus rec.* minus apte : χορηγήσαι, πληθύναι, αὐξήσαι (praestet, multiplicet, augeat) cum K L, plerisque minusc. et PP., *Goth.* — 11. ἐν παντὶ πλουτιζόμενοι (in omnibus locupletati), coniunctione nulla praemissa, est communis lectio; at participio coniunctionem finalem praemittunt (ἵνα ἐν παντὶ πλουτιζόμενοι) F G cum *S. Aug.* (ut in omnibus locupletati); *S. Cypr.* vero et *A^ter* adhibent verbum finitum (ut in omnibus locupletemini) et *Vulg.* verbum finitum addit : *ut in omnibus locupletati abundetis.* (cfr *Comm.*). — 12. τῷ Χριστῷ (Christo) solus B; reliqui omnes : τῷ Θεῷ (Deo), quacum lectione consentiunt *SS. Cypr. Aug. A^ter*; minus bene *Vulg.* legit : *in Domino.* — 13. καὶ διὰ τῆς δοκιμῆς (*et per probationem*) solus B; coniunctio καί omittatur oportet.

beneficentiam eiusque mercedem aeternam restringitur, uti alio in loco de sola relatione, quae labores evangelicos inter atque sustentationem, qua operarii evangelici digni sint, usurpatur (1 *Cor.* 9,11). « Semen, inquit *Chrys.*, eleemosynam appellat, ut oculis tuis statim mercedem debitam obiiciat, tuque messem cogitans te plura accepturum esse quam dare intelligas ». Sementi autem messis respondet; qui prae avaritia, ne semen suum perdat, sibi quasi parcens, parce (φειδομένως) parvum dumtaxat agrum conseverit, is amplam messem exspectare nequit; qui vero *in benedictionibus* (ἐπ' εὐλογίαις i. e. benedictionibus fretus « bona voluntate sub spe futurae retributionis » *A^ler*) ac proinde abundanter seminaverit, is abundantem quoque *in benedictionibus* (ἐπ' εὐλογίαις i. e. benedictionibus fretus nec spe sua frustratus) messem faciet. Plurali (ἐπ' εὐλογίαις) fortius quam singulari (ἐπ' εὐλογίᾳ) abundantia exprimitur divinae benedictionis, qua seminans confidit; quare etiam hoc respectu communis lectio omnino est praeferenda (cfr *VV. LL.*).

De aeterna retributione, quae eleemosynae debeatur, Apostolum loqui, acath. quoque moderni concedunt (cfr *Mey. Heinr. Kl Br. Schn.* etc.); quidquid igitur obloquuntur, verba haec a cath. theologis ad doctrinam de bonorum operum merito confirmandam iure allegantur. Sicut enim semen secundum ordinem naturalem ex sese profert fructum, ita ut semen inter et fructum sit nexus causalis (physicus), ita bona opera secundum positivam ordinationem Dei cum coelesti gloria nexu causali (morali) connectuntur eamque vere merentur. Ex iisdem porro verbis id quoque colligitur, beatitudinem coelestem, quamvis obiectiva eadem sit omnibus iustis, subiectivam et formalem fore inaequalem pro meritorum inaequalitate; « certe, inquit *S. Hier.* (c. Iovin. II. 23), et qui plus et qui minus seminat, de parte sunt dextra (sc. Domini iudicis), et quum unum sementis genus sit, tamen mensura et numero differunt ». Attamen probe animadvertatur oportet, quod cum aliis adnotat *Herv.* : « Parcus est etiam avarus, cui extorquetur quod dat, dum compellitur tribuere vel propter verecundiam vel propter longam multorum admonitionem. Huic parva messis est, quia parco animo dedit, licet magna videatur dedisse. E contrario vidua, quae in gazophylacium misit duo minuta, est laudata misisse plus quam omnes divites, quia largo animo totum quod habebat misit, quum exteri parco animo mitterent et multo maiora, quam mittebant, sibi retinerent. Et ideo parce seminabant, quamvis multa seminare viderentur, quia tantum seminare nolebant, quantum poterant ».

Revera non tam ex eleemosynarum multitudine quam ex dantium animo beneficentiae meritum esse aestimandum, Paulus docet, quum addit : 7. *unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus.* Quamquam collectarum negotium Corinthi erat interruptum, promptam tamen alacremque dandi voluntatem neophytos retinuisse, pluries iam insinuaverat (*v.* 2; 8, 10 sq.); quare etiam supponit, singulos sibi iam proposuisse, quantum dare velint; neque eius exhortatio nunc eo tendit, ut quasi invitos ad plura danda urgeat, sed id unum vult, ut recto animo eleemosynas conferant atque debito modo collectas terminent. Sive igitur parum est sive multum, quod pro suis quisque facultatibus largiri statuit, id ne *ex tristitia*, i. e. tristis, nunc afferat avaro similis, qui, quum dare idem putet esse quod amittere, de omnibus contristatur, quae ex manibus dimittit, neve *ex necessitate*, i. e. invitus, quasi aut superiorum auctoritate aut pudore fratrum aut ipsis rerum adiunctis coactus. Eleemosyna enim, ut Deo sit acceptabilis, libenti laetoque animo detur oportet; siquidem homines quidem de sola externa actus specie iudicant, Deo autem, qui corda intuetur, « non sufficit, ut aliquis solum operetur actum virtutis secundum speciem actus, sed postulat, ut etiam secundum debitum modum, i. e. delectabiliter et cum gaudio, operetur, ideoque non datorem, sed *hilarem datorem diligit*, i. e. approbat ac remunerat » (*Thom.*). Bene ergo *S. Aug.* (in Ps. 42 n. 8) : « si panem, inquit, dederis tristis, et panem et meritum perdidisti ». Verba *hilarem datorem diligit Deus,* quamvis sine allegationis forma sint allata, ex alexandrina tamen Proverbiorum versione desumta recte dicuntur (*Prov.* 8,22 iuxta Alex. : ἄνδρα ἱλαρὸν καὶ δότην εὐλογεῖ ὁ Θεός viro hilari ac datori benedicit Deus); neque assertum hoc ideo improbare licet, quia sententia ista ab hodierno textu hebr. et a Vulg. exsulat (cfr ad 8,21 et meam *Introd. gener.* p. 458); ceterum similes sententiae in aliis libris sacris non desunt (cfr *Eccli.* 35,11 : in omni dato hilarem fac vultum tuum et in exsultatione sanctifica decimas tuas), atque Paulus ipse eadem ratione etiam Romanos exhortatur, ut misericordiam cum hilaritate exerceant (*Rom.* 12,8).

Ne cuius vero hilaritas in miserendo turbetur nimia rerum temporalium sollicitudine, neve liberalitas superfluis futuri temporis curis opprimatur, misericordi nihil esse timendum docet ad seminantis metaphoram, ut videtur, respiciens. Etenim agricolae semen hilariter et abunde spargunt, quia se illud multiplicatum recuperaturos esse sciunt; atqui misericordes quoque ea, quae hilariter et abundanter pauperi largiuntur, non amittunt, sed iis ad tempus dumtaxat carent,

ut postea magno cum fenore ea recipiant; nam qui pauperum miseretur, feneratur Domino (*Prov.* 19,7), et qui misit panem suum super transeuntes aquas, post multa tempora inveniet illum (*Eccle.* 11,1). Neque id mirum, quoniam Deus liberalitatem ditissimis suis donis compensare potest (8. 9) atque experientia teste revera compensat (10. 11). Si quis igitur timens, ne eleemosynis suis ad inopiam redactus ipse indigere incipiat, non nisi ex tristitia aut ex necessitate manum suam pauperibus aperire voluerit, Deum consideret tam potentem ac divitem esse, ut misericordes non a sola penuria defendere sed iis quoque donis ditare possit, quibus omnibus pietatis operibus exercendis pares fiant : 8. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis* (εἰς ὑμᾶς in vos), *ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum.* Magna cum vi, ut vanum istum timorem ex neophytorum animis expellat, a potentia divina asserenda exorditur; neque plane immerito *Salm.* censet, eam tanta cum vi ideo asseri, ut lectores statim concludant, Deum id etiam esse facturum, quod facere potest, dummodo ratio adsit, quae id fieri suadeat; iam vero eiusmodi ratio non deest, quia iuxta divinam voluntatem eleemosyna eum in finem non est praecepta, ut accipienti sit remissio, largienti autem tribulatio (8,12); itaque haec sola sententia completum constituit argumentum, cui alterum ex experientia desumtum statim (v. 10 sq.) additur.

Expressio πᾶσα χάρις quid significet, in controversia est. Paucorum illam de charismatis seu gratiis gratis datis cum *Theod.* explicantium sententiam praetermittimus, quia eam extra contextum vagari evidens est. Iuniores aliqui nomine *gratiae* (simili modo quo 8,6. 19; 1 *Cor.* 16,1) beneficentiam aut eleemosynam significari volunt, ut sensus sit : Deus potest efficere, ut *totum hoc beneficium* (πᾶσα χάρις), ad quod vos exhortor, in vos exuberet, i. e. cum affluentia ad vos revertatur (cfr *Est. Iust.*); attamen πᾶσα χάρις non est *totum* beneficium (πᾶσα ἡ χάρις) sed *omne* beneficium, et verbum περισσεύειν, quamvis transitive hic usurpetur, non significat « efficere, ut aliquid abundanter *revertatur* », sed « ut aliquid abundet ». Antiquiores Latini plerique de sola interna gratia expressionem cum *A*[tro] explicant (cfr *Herv. Thom. Lyr.* etc.); rectius vero iuniores ac moderni plerique omne beneficium temporale significari cum *Chrys.* tenent (« Quid autem est omnem gratiam abundare facere? Tot tantisque opibus vos cumulare, ut munificentia copiosissime uti possitis » *Chrys.*). Quod si quis una cum temporalibus beneficiis etiam internas gratias a Paulo hic intelligi, cum *Oec. Haym.* aliisque admittere voluerit, non reluctabor, quia expressio adhibita est amplissima. At bona temporalia maxime esse intelligenda docet sententia addita, qua finis indicatur, ob quem Deus misericordibus omnem gratiam abundare faciet. Proxime enim hac abundantia eos *omni*

modo *omni* tempore *omnem* (ἐν παντὶ πάντοτε πᾶσαν) rerum ad vitam necessariarum *sufficientiam* (αὐτάρκειαν) ita habere vult, ut ad omne bonum, i. e. beneficentiae, opus (cfr *Act.* 9,36) abunde concurrere queant. Neque tamen, opinor, ultima verba (*ad omne bonum opus*) de solis misericordiae operibus cum plerisque modernis interpretari cogimur, sed nihil prorsus obstat, quominus cum antiquioribus omnibus illa sensu latiore intelligamus, ac proin priora (*omnem gratiam*) quoque simul de spiritualibus donis interpretari licet.

Haec *Chrys.* quoque videtur fuisse sententia : « Vide, inquit, quanta philosophia eius precationi insit. Neque enim opes eis exoptat ac redundantes facultates, sed *omnem sufficientiam.* Neque hoc tantum mirabile in illo est, sed quod, sicut superfluum non apprecatur, ita eorum infirmitati sese accommodans nec premit nec cogit illos, ut ex paucis residuis pecuniis eleemosynas largiantur; sed precatur, ut quantum satis sit habeant, simulque ostendit beneficiis divinitus acceptis non esse abutendum : *ut abundetis ad omne opus bonum;* ideo, inquit, haec peto, ut aliis quoque tribuatis; neque dixit *tribuatis*, sed *abundetis.* Nam in temporalibus quidem, quantum satis est, illis petit; at in spiritualibus, ut etiam abundent, postulat, non in eleemosyna tantum, sed etiam in omnibus aliis rebus : hoc enim significat *in omne opus bonum* ».

Quemadmodum adiectivum αὐταρκής (αὐτός, ἀρκεῖν) tum eum significat, qui obiective sibi plene sufficit neque alterius ope vel auxilio indiget (*Plat.* Tim. 68 a : αὐταρκὴς καὶ τελεώτατος Θεός Deus sibi sufficiens et perfectissimus), tum eum, qui subiective sua sorte licet tenui contentus auxilium alterius non implorat (*Phil.* 4,11), ita substantivum αὐτάρκεια tum eum vitae statum designat, in quo positus aliquis res ad vitam necessarias possidet, tum eam animi habitudinem, qua praeditus homo sua sorte contentus vivit. Quo altero sensu vocabulum 1 *Tim.* 6,6 adhibetur, prior autem solus nostro loco congruit (saepius in Novo Test. non legitur). Sunt quidem, qui cum *Est.* etiam nostro in loco alteram significationem (subiectivam) contra communem antiquorum sententiam praeferant, ut sensus loci sit : « Deus vobis omnem gratiam eo fine abundare faciet, ut vobis, dummodo vestra sorte contenti sitis, non desit, unde ad omne aliud beneficentiae opus concurratis » (cfr *Bisp. L R.* — *Mey. Goeb.* etc.). Quae explicatio non tantum per se parum apta est, sed ineptior esse apparet, si tota sententia consideratur; summa enim perfectio (animus *omnimode omni tempore omnino* sorte sua contentus ἐν πανὶ πάντοτε πᾶσα αὐτάρκεια) velut conditio poneretur, sine qua Deus eleemosynas non esset compensaturus.

Rem ita se habere, ut Deus misericordibus semper ea largiatur, quibus eleemosynas distribuere possint, Apostolus nunc Psalmistae verbis confirmat : 9. *sicut scriptum est : Dispersit, dedit pauperibus : iustitia eius manet in saeculum* (*saeculi*). Alexandrinam versionem (*Ps.* 111 [112], 9), quae cum textu hebr. plane consentit, ad literam sequi-

tur solo ultimo vocabulo (τοῦ αἰῶνος), quod *Vulg.* addidit, suppresso; sententiae autem sensum cum aliis *Agell.* in hunc modum exponit : « dispersit vir iustus opes suas, dedit eas pauperibus, ideoque iure id consecutus est, ut iustitia eius maneat in saeculum saeculi, i. e. ut dispergendo et largiendo mereatur semper tribui sibi a Deo, unde benigne largiri et iustitiam facere possit ». Iuxta *Chrys.* « per *iustitiae* vocabulum hoc loco *benignitas* intelligitur; iustos quippe homines reddit misericordia, peccata absumens et consumens sicut ignis, qui largissime profunditur ». Aliter tamen *A^ter*, quamvis iustitiam etiam hoc in loco pro misericordia dici censeat, nominis rationem explicat : « quia sciens qui largitur Deum omnia omnibus communiter dare, quia sol eius omnibus oritur et pluit omnibus et terram omnibus dedit, idcirco dividit cum iis, qui copiam terrae non habent, ne beneficiis Dei privati videantur. Iustus ergo est, qui sibi soli non detinet, quod scit omnibus datum; et iustus non solum hoc in tempore, sed et in aeternum, quia in saeculo futuro hanc habebit secum in perpetuum ». Quod si nomen *iustitiae* arcto sensu de sola misericordia hic interpretandum esset[1], *A^tri* explicatio praeferenda videretur; at melius *iustitia* consueto suo sensu sumitur, ut una cum misericordia alias omnes virtutes homini, ut iustus sit Deoque placeat, necessarias complectatur : hac enim ratione verbis Psalmistae verba Pauli accuratius respondent, qui a Deo id misericordibus tribui dicit, ut *ad omne bonum opus* abundent, quia Deus eis *gratiam omnem*, quum temporalem tum spiritualem, abundare faciat (cfr *Thom.*).

Cui argumento, quod quasi a priori esse haud plane immerito dixeris, Apostolus alterum addit ex experientia desumtum; ad seminantis autem metaphoram, quam Psalmistae verbum *dispersit* (ἐσκόρπισεν) quoque innuerat, iterum revertitur : **10.** *qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum praestabit et multiplicabit semen vestrum et augebit incrementa frugum iustitiae vestrae.* Iuxta *Vulg. Clem.* interpunctionem, quam antiquiores Latini omnes sequuntur et inter Graecos *Theod.* approbat, subiectum sententiae uno membro constat (*Qui administrat semen seminanti*), praedicatum autem tribus (*panem praestabit, multiplicabit semen, augebit incrementa*); cum *Chrys.* tamen alii Graeci (*Oecum. Theoph.*) ac moderni plerique eam ita interpungere malunt, ut et subiectum (Qui administrat semen

1. צְדָקָה, quo vocabulo hebr. textus utitur, aliquoties ab Alexandrinis ἐλεημοσύνη redditur (cfr *Deut.* 24,13 etc.); at nullo in Novi Test. loco δικαιοσύνη tam arcto sensu sumitur (neque *Matth.* 6,1, quem locum multi huc trahunt).

seminanti et panem ad manducandum) et praedicatum (praestabit et multiplicabit semen et augebit incrementa) bina complectantur membra, quae inter se respondeant. Neque immerito, quandoquidem vix dubium est, quin Apostolus, uti iam Theoph. monuit, in subiecti sui enuntiatione ad *Is.* 55,10 respexerit, ubi propheta efficaciam promissionis divinae cum efficacia imbris comparat « dantis semen seminanti et panem ad manducandum » (*Alex.* δώσει σπέρμα τῷ σπείροντι καὶ ἄρτον εἰς βρῶσιν, *Paul.* ὁ ἐπιχορηγῶν σπόρον τῷ σπείροντι καὶ ἄρτον εἰς βρῶσιν). Concinnior quoque hac interpunctione redditur argumentatio; in subiecto enim id asseritur, quod ex experientia constat; Deum nimirum agricolae non tantùm semen dare, sed etiam messem, atque in praedicato id exprimitur, ad quod iure concluditur, Deum nimirum misericordibus quoque semen, i. e. opes quas pauperibus distribuant, praestiturum multiplicaturumque esse atque iisdem etiam messem (incrementa frugum), i. e. mercedem, aucturum esse. (Ad expressionem *incrementa frugum iustitiae vestrae* quod attinet, adnotasse iuverit, duplici modo graecum vocabulum τὰ γενήματα [terrae proventus vel fructus] esse redditum; *S. Aug.* in suo quidem codice legit: augebit *crescentes fruges iustitiae vestrae*, atque melius *A*[ter]: amplificabit *fructum iustitiae vestrae;* verum in *Vulg.* nostra duae diversae vocabuli interpretationes [*incrementa* et *fruges*] haud feliciter videntur esse coniunctae). Nulla igitur est ratio, cur aliquis timeat, ne eleemosynis suis ad inopiam redigatur; Deus enim semper ei opes praestabit, quas velut semen in pauperes spargere poterit atque simul semper fructus iustitiae, quae misericordiae operibus sese manifestat, ita augebit, ut maneant in aeternum. Temporalis ergo et spiritualis erit merces beneficentiae ita 11. *ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quae per nos operatur gratiarum actionem Deo.*

In textu graeco, qui iuxta plures et meliores codd. nudum exhibet participium πλουτιζόμενοι (cfr *VV. LL.*), leve adest anacoluthum; pro nominativo enim adhibendus erat genetivus, ut participium cum pronomine ad quod pertinet casu concordet: καὶ αὐξήσει τὰ γενήματα τῆς δικαιοσύνης ὑμῶν ἐν παντὶ πλουτιζομένων εἰς πᾶσαν ἁπλότητα. Sunt quidem, qui ad removendum anacoluthum duos *vv.* 9. 10 parenthesin esse statuant participiumque nostrum cum fine *v.* 8 in hunc modum connectant: ἵνα... περισσεύητε εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν,... ἐν παντὶ πλουτιζόμενοι κτλ (cfr *Lap.* etc. — *Wolf. Beng.* etc.). At non tantum superflua est haec coniectura, quia simile anacoluthum in participiorum constructione haud infrequens est (cfr *v.* 13; 1,7; 10,4. 5; *Col.* 2,2; 3,16 etc. [1]), sed etiam parum apta, quia duae sententiae (9. 10),

1. Similes constructiones etiam apud Patres latinos inveniuntur; ex gr. *S. Corn.* ad

quae argumentationem continuant, pro parenthesi haberi nequeunt. Porro participium πλουτιζόμενοι hic non rationem reddit, cur Deus fruges iustitiae neophytorum aucturus sit, nec proinde exponendum est : *utpote qui* locupletati sitis etc. (uti volunt *Cai. Est.*); sed proleptice effectum illius actionis divinae exprimit (ὥστε ἡμᾶς πλουτίζεσθαι) ac proin recte ab antiqua versione latina exponitur : *ita ut in omnibus locupletemini*. Vel si malueris, poteris participium coniunctione finali exponere : Deus augebit fruges iustitiae vestrae *eo fine, ut* in omnibus locupletemini.

Omni autem ratione, temporalibus nimirum et spiritualibus opibus, misericordes a Deo locupletantur *in omnem simplicitatem* (εἰς πᾶσαν ἁπλότητα), i. e. ad omne misericordiae opus animo simplici ac recto ita obeundum, ut ad sua ipsorum commoda non attendentes solam fratrum, quos adiuvant, inopiam sublevandam ac Dei, propter quem fratres suos diligunt iuvantque, gloriam spectent (cfr ad 8,2). Quae simplex fidelium misericordia *operatur* per Apostolum (*per nos*) *gratiarum actionem Deo*, siquidem pauperes, quibus Pauli ministerio interveniente eleemosynae fidelium distribuentur, ad gratias Deo agendas incitat.

Quibus ultimis verbis altera ratio innuitur, qua misericordia commendatur; eam enim non tantum fidelibus multiplicem utilitatem temporalem ac spiritualem praestare, sed imprimis ad Dei gloriam promovendam inservire, Apostolus secundo in loco monet : 12. *quoniam ministerium huius officii non solum supplet ea, quae desunt sanctis, sed etiam abundat* (περισσεύει hic melius : *excellit*) *per multas* (*S. Aug. A^ler* etc. : *multorum*) *gratiarum actiones* (*in*) *Domino* (deleta praepositione *in* lege : *Deo* cfr *VV. LL.*). Ante omnia consideratione digna est expressio, qua Paulus collectas designat : *ministerium huius officii* ἡ διακονία τῆς λειτουργίας ταύτης. Graecum vocabulum λειτουργία enim, quo profani scriptores publicum munus a viro propriis sumtibus obeundum significant, ab Alexandrinis de solo *sacro* munere, quo sacerdotes in sanctuario funguntur, usurpatur atque simili sensu etiam a Novi Test. scriptoribus semper adhibetur[1]. Itaque collectae Paulo

Cypr. ep. 6,2 (M. 3,721) : « Una vox erat omnium gratias Deo ag*entium,* gaudium pectoris lacrymis exprim*entes,* complect*entes* eos, quasi hodie poena carceris fuissent liberati ».

1. Cum haud paucis acath. (cfr *Mey. Heinr. Goeb.* etc.) etiam unus alterve cath. (*Mai. L R.* etc.) nihil nisi *publicum* munus, quod toti Christianorum coetui inserviat, vocabulo λειτουργίας significari volunt; sed erronee, si ad loquendi usum Novi Test. attenditur, in quo et λειτουργία et vocabula affinia (λειτουργεῖν, λειτουργός, λειτουργικός) cultum divinum semper connotant. Λειτουργία *sexies* legitur; bis significat ministerium sacerdotale Vet. Test. (*Luc.* 1,23; *Hebr.* 9,21), semel aeternum sacerdotium Christi (*Hebr.* 8,6), semel actionem, qua Paulus fidem Philippensium (vel credentes Philippenses cfr *Rom.* 15,16) Deo velut hostiam offert (*Phil.* 2,17). Restant duo alii loci (noster et *Phil.* 2,20), in quibus mise-

sunt velut sacrificium quoddam Deo oblatum, cuius ministri (διάκονοι) fideles ipsi sunt eleemosynas suas conferentes. Multi quidem *ministerium huius officii* ita esse dictum putant, ut Paulus, utpote collectarum instigator et administrator, de suo ipsius munere loquatur (*Est.* etc.); verum quoniam in sequente sententia expressio τῆς διακονίας ταύτης (*ministerii huius*) procul dubio ad Corinthios est referenda; etiam hoc in loco *ministerium* (ἡ διακονία) Corinthiorum intelligatur oportet, atque neophyti proin sacri muneris huius dicuntur ministri. Neque sine ratione eleemosynarum collatio sacrum munus appellatur, quia praeter proximum scopum, ut sanctorum inopiam sublevent (*supplent ea quae desunt sanctis*), collectae illum longe sublimiorem finem habent, ut per gratiarum actiones, quae a multis (sc. pauperibus sanctis adiutis) Deo offeruntur[1], Deus ipse glorificetur (cfr 1,11); fieri enim nequit, ut sancti illi non agant gratias Deo, a quo solo eorum fratres quum facultates habent, quibus suppleant eorum inopiam, tum voluntatem, ut eis succurrant.

Porro quae gratiarum actionum istarum ac proin glorificationis Dei sit materia, verba sequentia docent : 13. *per probationem ministerii huius glorificantes Deum in* (lege : *de* ἐπί) *obedientia confessionis vestrae in Evangelium Christi, et* (*de*) *simplicitate communicationis* (melius hic : *collationis* τῆς κοινωνίας cfr *Rom.* 15,26) *in illos et in omnes,* 14. *et in* (lege : *de*) *ipsorum obsecratione pro vobis.* Ad sententiae huius constructionem quod attinet, duo sunt praenotanda. Ac primum quidem in graeco latinoque textu leve iterum habetur anacoluthum, siquidem participium δοξάζοντες (*glorificantes*)

ricordiae opera hoc nomine designantur; atqui in altero (*Phil.* 2.20) de *sacro* munere agi. ipse contextus clare docet; iure ergo eandem significationem hic admittimus; idque eo maiore cum iure, quia alibi quoque misericordiae opera diserte appellantur sacrificia θυσίαι (*Hebr.* 13,16). Simili modo verbum λειτουργεῖν, quod *ter* in Novo Test. legitur, semel de vetere cultu sacro (*Hebr.* 10,11), semel de sacro Novi Test. cultu (*Act.* 13,2) atque semel de misericordiae operibus ita adhibetur, ut contextu iterum sacram actionem intelligere cogamur (*Rom.* 15,27). Porro λειτουργός, quae vox *quinquies* legitur, semel vocatur Christus, aeterni tabernaculi minister (*Hebr.* 8,2); semel Paulus se ipse vocat λειτουργόν, quatenus gentes sua praedicatione conversas Deo hostiam offerat (*Rom.* 15,16); semel de pietatis opera exercentibus adhibetur (*Phil.* 2,11); semel magistratus, quibus ob conscientiam obediatur oportet, vocantur λειτουργοὶ Θεοῦ (*Rom.* 13,6), ac demum *Hebr.* 1,7 vocabulum in loco Psalmistae allegato ita legitur, ut *sacri* ministri notio ei insit. Tandem vox λειτουργικός *semel* tantum in N. T. invenitur; Angeli scilicet in fidelium ministerium a Deo missi, vocantur λειτουργικὰ πνεύματα (*Hebr.* 1,14.).

1. Verba διὰ πολλῶν εὐχαριστιῶν τῷ Θεῷ cum antiqua versione latina (cfr SS. *Cypr. Aug. Ater*) et nonnullis Graecis (cfr *Oec.*) ita construenda censemus, ut genetiv. πολλῶν sit masculinus (per *multorum* actiones gratiarum), dativus Θεῷ autem immediate cum subst. εὐχαριστιῶν connectatur ab eoque regatur; itaque vertatur sententia oportet : *per multorum actiones gratiarum quae fiunt Deo.*

pro διὰ πολλῶν εὐχαριστιῶν (per multorum actiones gratiarum) scriptum supponit : ὅτι πολλοὶ εὐχαριστοῦσιν (quia multi gratias agunt); ad genetivum πολλῶν enim, quem masculinum esse diximus, pertinet, ac Paulus simili modo, quo *v.* 11., pro genetivo (δοξαζόντων glorificantium) nominativum (δοξάζοντες glorificantes) adhibere maluit, ut maiore cum vi novam hanc sententiam enunciaret. Deinde eadem ratione, qua dativus ἁπλότητι (*simplicitate*), etiam dativum δεήσει (*obsecratione*) a praepositione ἐπί (*de*) dependere ac regi supponimus, ut tria gratiarum actionis ac glorificationis Dei argumenta indicentur : ἐπὶ τῇ ὑποταγῇ... καὶ ἁπλότητι... καὶ αὐτῶν δεήσει (de obedientia... et simplicitate... et ipsorum obsecratione).

Quibus praemissis sensus sententiae quis sit, iam facile elucet. Primo enim in loco ratio indicatur, qua multi ad gratias Deo agendas eumque glorificandum adducantur : *per probationem ministerii huius* (διὰ τῆς δοκιμῆς τῆς διακονίας ταύτης). Collectarum nimirum negotio quasi explorata atque conspicua reddita erat virtus Corinthiorum eaque perspecta multi illi, quibus collectae erant destinatae, impulsi sunt ut Deo gratias agerent. Secundo deinde in loco materiae indicantur, de quibus gratias agentes Deum glorificent; atque primum quidem *de obedientia confessionis Corinthiorum in Evangelium Christi*. Nomine *confessionis* (ὁμολογίας) ipsa fides seu, si mavis, fidei doctrina designatur, quam cum aliis profitemur (cfr *Hebr.* 3,1; 4,14; 1 *Tim.* 6,12. 13), ita ut *confessio in Evangelium Christi* (ἡ ὁμολογία εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ) re idem sit quod *fides in Evangelium Christi*[1], atque *obedientia confessionis* idem quod *obedientia fidei* (*Rom.* 1,7). De obedientia igitur, quam Corinthii doctrinis praeceptisque Evangelii, in quod sese credere profitebantur, liberalitate sua praestiterunt, pauperes ab iis adiuti Deo gratias egerunt. Inter evangelica enim praecepta caritas fraterna certo quodam modo primum locum obtinet, quatenus ex ea dignoscitur, utrum aliquis Deum diligat necne (1 *Ioan.* 4,20 cfr ad 1 *Cor.* 13,1); ex eo igitur, quod Corinthii primum ac summum hoc praeceptum observarunt, Palaestinenses iure ad plenam eorum obedientiam fidei concluserunt : etenim « si diligamus invicem, Deus in nobis manet et caritas eius in nobis perfecta est » (1 *Ioan.* 4,12).

Altera gratiarum actionis et glorificationis Dei materia est *simplicitas collationis* (Corinthiorum) *in illos* (Ierosolymitanos) *et in omnes*,

1. Cfr *Col.* 2,5 : ἡ εἰς τὸν Χριστὸν πίστις et *S. Iustin. M.* c. Tryph. 47 : μετὰ τοῦ φυλάσσειν τὴν εἰς τὸν τοῦ Θεοῦ Χριστὸν ὁμολογίαν.

i. e. recta ac sincera intentio, qua Corinthii non solis Palestinensibus sed aliis quoque omnibus pauperibus fratribus eleemosynas suas largiebantur. Iamvero *Chrys.* recte attendere nos iubet, quantis laudibus Christianos palaestinenses Paulus ornet, quum eos non tam de eleemosynis acceptis, quam de obedientia, qua Corinthii fidei observabant praecepta, gratias egisse neque magis de eleemosynis, quas ipsi receperant, quam de eleemosynis inter alios distributis gavisos esse insinuet. A veritate igitur longissime aberrant moderni rationalistae haud pauci, qui Paulum a Iudaeochristianis palaestinensibus animo abalienato fuisse contendunt ob eamque rationem ei inter alias etiam priorem epistolam ad Thess. abiudicant (cfr *Introd. spec.* in Nov. Test. p. 411).

Demum pauperes sublevati Deum gratiis actis glorificant 14. *in* (lege : *de*) *ipsorum obsecratione pro vobis desiderantium vos* (ἐπιποθούντων ὑμᾶς [1]) *propter eminentem gratiam Dei in vobis.* Ergo non de solis beneficiis, quae Corinthiis collata sunt, de illorum nimirum obedientia fidei ac misericordiae simplicitate, gratiis actis Deum glorificant, sed de suis ipsorum quoque precibus, quas divina gratia impellente pro benefactoribus suis fundunt. Neque id cuiquam potest mirum videri consideranti, preces illas signum esse ac documentum amoris sinceri, quo Corinthios ob insignia dona illis a Deo collata amplectuntur; aptam igitur quum glorificationis tum gratiarum actionis materiam constituunt et quodam modo iam gratiarum actio quaedam sunt; qui enim ob alterius dona supernaturalia cognita pro illo precatur, is simul de istis donis Deum glorificat eique gratias agit. Tertio porro hoc argumento Paulus unum ex praecipuis fructibus, quos ex collectarum negotio exorituros esse speravit, intimiorem caritatis unionem esse insinuat inter ecclesias a se ex ethnicis collectas interque iudaeochristianas ecclesias Palaestinae; cognitis enim agnitisque eximiis donis, quae Deus ethnicis conversis liberalissime contulerat, Iudaeochristiani eos velut fratres in suam societatem recipere quasi cogebantur.

« Tanta vero, inquit *S. Aug.* (de op. mon. 18), pinguedine sanctae laetitiae est perfusus Apostolus, dum loquitur de alterno supplemento indigentiae militum et provincialium Christi, hinc de rebus carnalibus in illos, inde autem de spiritualibus in istos, ut exclamaret et

1. *Alter* legit *desiderantium vos videre*, atque cum *Chrys.* etiam multi iuniores et moderni (cfr *Est. Pic.* etc., *Mai. M Ev.* etc.) verba ita explicant, ac si verbum ἰδεῖν sit supplendum. At Paulus verbum, si quod intelligi voluisset, expressisset (cfr 5,2 ἐπιποθοῦντες ἐπενδύσασθαι, *Rom.* 1,11 ἐπιποθῶ ἰδεῖν ὑμᾶς, 1 *Thess.* 3,6; 2 *Tim.* 1,4 etc.); quare verbum ἐπιποθεῖν cum *Theod.* rectius explicamus *amore prosequi aliquem* (cfr *Phil.* 1,8; 2,26. — *Ps.* 118,131 τὰς ἐντολάς σου ἐπιπόθουν mandata tua desiderabam i. e. ardenter amabam).

tamquam sanctorum gaudiorum sagina eructuaret dicens : 15. *Gratias Deo super inenarrabili dono eius* ». Nomine *doni inenarrabilis* (δωρεᾶς ἀνεκδιηγήτου i. e. doni cui describendo sufficienterque explicando ac laudando verba non sufficiunt, cfr ἀνεκλάλητος 1 *Petr.*, 1,8) iuxta *Chrys.* Paulus « hoc in loco tot ac tanta bona illa intelligit, quae tam iis qui accipiunt quam iis qui dant per eleemosynas comparantur, vel arcana illa bona, quae per ipsius praesentiam orbi terrarum universo amplissime tributa sunt ». Secundam explicationem cum *Chrys.* ipso nonnulli praeferentes hoc epiphonemate Deo de toto redemptionis opere gratias agi volunt (cfr *Oec. Theoph.* etc. — *Mey. Heinr. Goeb.* etc.); prior tamen, si ad contextum attendimus, videtur praeferenda eamque longe plerique cath. recte sequuntur. Proxime enim nomine doni inenarrabilis significatur *eminens gratia* Corinthiis a Deo collata (*v.* 14.), quae in collectarum negotio sese manifestavit, scilicet obedientia, qua fidei praecepta exsequebantur, ac simplex puraque intentio, qua eleemosynas distribuebant; latiore deinde sensu probabiliter alios quoque fructus egregios misericordiae, quos in hac parte epistolae descripsit, intelligi voluit; cur vero omnes omnino redemptionis gratias comprehendi dicamus, nulla adest ratio.

In *v.* 14. explicando antiquiores interpretes maxime latinos secuti sumus, qui tertiam gratiarum actionis materiam a Paulo indicari tenent (cfr *Herv. Lomb. Thom. Lyr. Dion.* etc.), neque dubium est, quin haec explicatio uti latino ita graeco textui apprime consonet; plana enim est et clara sententiae graecae constructio, si dativus δεήσει, uti iam monuimus, eadem ratione, qua duos praecedentes (ἁπλότητι et ὑποταγῇ), a praepositione ἐπί regi atque ad participium δοξάζοντες referri dicitur. At « parum commodum esse sensum, ut sancti illi Deum *de* suis ipsorum precibus glorificaturi dicantur », plerique iuniores ac moderni asserunt ideoque alias constructiones quaerunt; sensum autem esse aptum, iam diximus, novas vero constructiones illas parum esse aptas facile apparebit. Alii enim cum *Est.* initium *v.* 14. (et in ipsorum obsecratione καὶ αὐτῶν δεήσει) cum *v.* 12. connectunt atque a verbo *abundat* (περισσεύουσα) ita dependere statuunt, ut priori expressioni *per multorum gratiarum actiones* sit parallelum : « collectarum negotium redundabit ad hunc fructum, ut multi gratias agant Deo et ipsi pro vobis orent ». Cui constructioni et explicationi non tantum obstat praepositionum diversitas in latino et in graeco textu (dicendum enim erat : excellit *per* multorum gratiarum actiones... et *per* ipsorum obsecrationem; περισσεύουσα διὰ πολλῶν εὐχαριστιῶν... καὶ [διὰ] αὐτῶν δεήσεως), sed etiam locus, quem pronomen αὐτῶν occupat, quod ut oppositionem quandam indicet nomini δεήσει est praemissum. Alii plures (cfr *Mai. Bisp. Dr. Ramb.* etc. — *Mey. Heinr. Goeb.* etc.) latino textu neglecto (vel contra totius grammaticae latinae regulas explicato *Dr. Ramb.*) graecam sententiam καὶ αὐτῶν δεήσει

ὑπὲρ ὑμῶν ἐπιποθούντων ὑμᾶς pro genetivo absoluto habent, ut hic sensus exoriatur: « glorificant Deum.., dum et ipsi pro vobis precantes desiderant vos » etc. Qui sensus aptus quidem est, sed admittendum esset anacoluthum satis durum; quamvis enim eodem subiecto manente graecus genetivus absol. adhiberi possit, hoc tamen in loco adhiberi non potuit, quia nominativus participii ad sensum illum exprimendum multo erat aptior: δοξάζοντες τὸν Θεὸν ἐπὶ τῇ ὑποταγῇ τῆς ὁμολογίας ὑμῶν... καὶ αὐτῶν δεήσει ὑπὲρ ὑμῶν ἐπιποθοῦντες ὑμᾶς. Nominativus δοξάζοντες anacoluthice iam positus est pro genetivo (cfr ad *v.* 13); quomodo nunc in eadem sententia Paulus genetivum ἐπιποθούντων pro nominativo ponere potuit? Tam negligenter et arbitrario scribere non solet.

Quae a *Semler* (de dupl. append. ep. ad Rom. Halae 1767) eiusque sequacibus paucis (*Weber* de numero epp. ad Cor. rectius constituendo. Wittemb. 1798 etc.) olim obiecta sunt, ut integrum *c.* 9. ad hanc epistolam non pertinere demonstrarent, ea levissima sunt atque hodie ab ipsis quoque rationalistis spernuntur ac refutatione vix digna esse merito censentur. Totum enim collectarum negotium *c.* 8 sufficienter tractari et absolvi opinati sunt, arctum nexum inter *cc.* 8 et 9. desiderari, argumenta *c.* 8 iam explicata in *c.* 9. repeti; itaque *c.* 9 a Paulo scriptum quidem esse concesserunt, at illud non Corinthiis, sed aliis Achaiae ecclesiis destinatum fuisse statuerunt. Quae omnia plane sunt absona: arctissimo enim nexu initium *c.* 9. cum fine *c.* 8 cohaerere, iam vidimus, neque minus arcte alteram *c.* 9. partem (9,6-15) cum priore (9,1-5) cohaerere luce clarius est. Neque eadem argumenta in utroque capite tractari, explicatio data satis superque demonstrat: ex eadem vero etiam elucet, integrum collectarum negotium *c.* 8. non absolvi. Hisce igitur immorari opus non est.

PARS TERTIA POLEMICA.

PSEUDAPOSTOLORUM IUDAIZANTIUM OPPUGNATIO (10,1-13,10).

Exhortatione de collectis finita Paulus ex abrupto ad tertiam epistolae partem transit, qua adversarios suos directe aggreditur eosque non minore cum acerbitate quam vi et gravitate impugnat ac deiicit. Eorum quidem calumnias ita iam refutavit, ut quanta Corinthiorum caritate ac fiducia esset dignus, simul ostenderet; eum enim in finem et celsitudinem ministerii sibi a Deo commissi descripserat (3,7 sqq.) rationemque, qua non obstantibus omnibus periculis aerumnisque illo functus esset, exposuerat (4,7 sqq.; 5,11 sqq.), atque continuam suam ipsius quoque caritatem ac fiduciam satis demonstraverat (7,2 sqq.; 8,7 sqq.; 9,2 sqq.). Nihilominus timendum semper erat, ne neophyti, quamvis longe plerique Apostolo suo iam plane reconciliati essent (7,7), novis adversariorum calumniis aures praeberent. Namque ut viam sibi ad perversa sua dogmata spargenda sternerent, iudaizantes illi pseudapostoli, primorum ut videtur Apostolorum literis commendatitiis (3,1) abutentes nihil non moliebantur, quo apostolicam Pauli auctoritatem ac dignitatem convellerent. Epistolae igitur huius, qua adventum suum, ne in virga reverti Corinthium cogeretur, praeparare voluit, finem Apostolus non esset assecutus, nisi adversarios suos perversitate eorum, quam aliquoties iam obiter notaverat (1,17; 4,2), patefacta plane fregisset auctoritatemque suam strenue fortiterque vindicasset. Itaque praeprimis falsam pseudapostolorum iactantiam perstringens sibi apostolicam auctoritatem etiam Corinthi exercendam a Deo collatam esse asserit ac demonstrat (10,1-18); deinde sese quodam modo cum adversariis suis comparans tantum abesse ostendit, ut ulla in re eis sit inferior, ut omni ratione eos longe superet (11,1-12,10); demum in huius partis conclusione Corinthiis ipsis, qualis inter eos egerit, in memoriam revocat annuntiatque se in suo adventu severum sed iustum iudicium esse facturum (12,11-13,10).

Summa cum vehementia in hac epistolae parte Paulus loquitur,

neque de ulla alia epistola magis, quam de hac parte, ea valent, quae S. Hieronymus asseruit, « sibi quotiescumque Paulum legeret, videri non verba audire sed tonitrua » (ad Pamm. ep. 48,13). Quia diverso prorsus loquendi genere in reliqua epistola utitur, non defuerunt, qui quatuor haec ultima capita epistolam separatam constituisse putarent (cfr *Proleg.*2,3 p. 9); at fundamento caret haec opinio, siquidem styli diversitas diversitate argumenti satis superque explicatur. Simili modo, quo Demosthenes olim in priore suae apologiae (Or. de corona) parte suam agendi rationem pacatius et quietius defendit, ut in ultima accusatorem suum Aeschinem vehementissime aggrederetur, Paulus quoque ab initio ad Corinthios seductos magis attendens sese magna cum mansuetudine a pseudapostolorum calumniis defendit, atque in fine epistolae adversarios suos ipsos aggrediens acerbissime et fortissime eosdem reprobat atque affligit.

§ 1. *De apostolica potestate Pauli* (10,1-18).

Apostolica igitur cum libertate Apostolus adversarios suos, ut sese corrigant, rogat, ne contra eos armis spiritualibus sibi a Deo datis praesentem uti cogant (10,1-6); sibi enim hanc potestatem competere tam apertum esse asserit, ut non tantum de ea, quemadmodum illi calumnientur, absens glorietur, sed eam praesens quoque, si opus fuerit, exercere audeat (10,7-11); neque enim illis similis est, qui aliam gloriationis mensuram praeter se ipsos non cognoscentes insaniunt de alienis laboribus gloriantes, sed secundum mensuram suorum ipsius laborum in Domino gloriatur utpote a Deo ipso commendatus (10,12-18).

1. *Rogat adversarios, ne ipsum potestate sua contra eos uti cogant* (10,1-6).

10,1. *Ipse autem ego Paulus obsecro vos, per mansuetudinem et modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis.* 2. *Rogo autem vos ne praesens audeam, per eam confidentiam qua existimor audere, in quosdam qui arbitrantur nos tamquam secundum carnem ambulemus.* 3. *In carne enim ambulantes non secundum carnem militamus.* 4. *Nam arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes,* 5. *et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in*

10,1. Αὐτὸς δὲ ἐγὼ Παῦλος παρακαλῶ ὑμᾶς διὰ τῆς πραΰτητος καὶ ἐπιεικείας τοῦ Χριστοῦ, ὃς κατὰ πρόσωπον μὲν ταπεινὸς ἐν ὑμῖν, ἀπὼν δὲ θαρρῶ εἰς ὑμᾶς· 2. δέομαι δὲ τὸ μὴ παρὼν θαῤῥῆναι τῇ πεποιθήσει ᾗ λογίζομαι τολμῆσαι ἐπί τινας τοὺς λογιζομένους ἡμᾶς ὡς κατὰ σάρκα περιπατοῦντας. 3. ἐν σαρκὶ γὰρ περιπατοῦντες οὐ κατὰ σάρκα στρατευόμεθα, — 4. τὰ γὰρ ὅπλα τῆς στρατείας ἡμῶν οὐ σαρκικά, ἀλλὰ δυνατὰ τῷ Θεῷ πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων, — 5. λογισμοὺς καθαιροῦντες καὶ πᾶν ὕψωμα ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ, καὶ αἰχμαλωτίζον-

captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, 6. et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, quum impleta fuerit vestra obedientia.

τες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ, 6. καὶ ἐν ἑτοίμῳ ἔχοντες ἐκδικῆσαι πᾶσαν παρακοήν, ὅταν πληρωθῇ ὑμῶν ἡ ὑπακοή [1].

Obtrectatores suos, ut resipiscant, Apostolus rogare incipit, ne contra eos armis suis, quae carnalia esse erronee iactent, uti cogatur (1. 2); quamvis enim in carne fragili degat, arma tamen a Deo accepit potentissima (3. 4), quibus omnem frangeret superbiam inobedientiamque omnem puniret (5. 6).

Ab illis fidelibus, quos utpote a pseudapostolis seductos cum benignitate caritateque magna allocutus demonstrata criminationum falsitate sibi reconciliare studuit, ad ipsos seductores sese convertit apostolicamque suam auctoritatem statim ab initio quasi minax eis ante oculos ponit : 1. *ipse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis.* Ad latinam versionem animadverte, ultima verba θαρρῶ εἰς ὑμᾶς reddenda esse *audeo* (vel : audax sum) *in vos;* eodem enim verbo interpres et statim (*v.* 2) et supra (5,6. 8) graecum θαῤῥεῖν reddidit; latino autem verbo *confidere* sensum *aspere agendi* cum *Thom.* aliisque antiquioribus attribuere non licet. Porro sententiam ipsam non esse completam, quum quid Paulus roget non exprimatur, clarum est; statim *v.* 2. resumitur et completur, hic vero calumniam, quam in hac parte refutare vult, Apostolus exponit; ex eo enim, quod non nisi absens, uti adversarii eius temere iactabant, severius loqueretur, veram potestatem ei non competere concluserant. Iamvero simili modo, quo Galatis nudum suum nomen velut sufficiens assertionis suae argumentum opponit (*Gal.* 5,2 cfr *Theoph.* i. h. l.), corinthiis suis adversariis idem nomen nudum velut sufficientem apostolicae suae auctoritatis demonstrationem obiicit, atque « illud *ipse ego Paulus* magnum habet autoritatis apostolicae pondus » (*Theod. Chrys. Oec. Theoph.* etc.). Namque expressione *ipse autem* a legatis suis, de quibus antea locutus erat, sese distinguere non vult, uti cum *Thom.* aliqui opinantur; siquidem tractatui de eleemosynis actione gratiarum (9,15) finem imposuit, et particula δέ (*autem*) hic, uti supra

1. *VV. LL.* — 1. θαῤῥῶ δὲ ὑμᾶς (audeo *propter* vos) solus B; cum reliquis legatur oportet θαῤῥῶ εἰς ὑμᾶς (audeo *in* vel *contra* vos). — 4. Utrum στρατείας cum B et plerisque minusc. (*Lachm. WH.*) an στρατιᾶς cum ℵ C D E F G K L P et haud paucis minusc. (*Tisch.*) legatur, haud multum interest; etsi enim στρατεία expeditionem militarem, στρατιά exercitum proxime significat atque sola prior significatio contextui congruit, notandum tamen est, vocabula ista teste Ammonio saepe inter se permutari.

(8,1), novum epistolae argumentum introducit. Pronomine αὐτός (*ipse*) ad sententiam relativam potius prospicit, qua obtrectatorum suorum novam calumniam affert, quod praesens humilis, absens audax esse soleat. Illa nimirum in sententia, uti cum aliis egregie monet *Chrys.*, « ironice loquitur verbis adversariorum assumtis; illi enim dicebant, eum, quum praesens adesset, virum nullius esse pretii, vilem abiectumque, intumescere vero, quum longe abesset, ac magnifice loqui neophytosque vexare ac minis terrere (cfr *v.* 10). Ergo per ironiam et magna cum acerbitate ait : Ego ille, coram vilis, uti dicitis, absens autem superbus[1] ». Itaque in plenitudine suae potestatis adversarios alloquitur calumniarum eorum memor; neque tamen ab initio eos terrere vult, sed *obsecrat eos per mansuetudinem et modestiam* (διὰ... ἐπιεικείας rectius : *clementiam* [2]) *Christi*. Domini ipsius autem benignitatem per obtestationem interponens sese eandem imitari, ut eos ad obedientiam reducat, malle insinuat, quoniam eorum obstinacia non obstante ad lenitatem quam severitatem exercendam sit proclivior.

Sententiam abruptam iam resumit petitioneque sua expressa ita complet, ut eam clementiae Christi memor quodammodo leniat; pro verbo παρακαλεῖν enim, quod adhortandi notionem petitioni adiungit (adhortando rogare), nudum iam verbum δεῖσθαι adhibet, quo maior animi affectus exprimitur : « *orat* enim, ut tales eos inveniat, ne cogatur irasci » (*A*[ter]) : 2. *rogo autem vos, ne praesens audeam per eam*

1. Ταπεινός (sensu proprio i. q. depressus, a solo vix assurgens *Ios.* 11,16; *Ezech.* 17,24) a profanis et sacris scriptoribus fere semper sensu translato adhibetur. Atque a profanis quidem plerumque malam in partem sumitur, ut animum vilem ac servilem significet, qui ex ignavia aliis se subiicit eosque blanditiis abiectis sibi conciliare studet; rarius bonam in partem usurpatur ad *hominem* modestum arroganti et superbo opponendum. A sacris vero scriptoribus fere semper in bonam partem sumitur eamque virtutem designat, quam Christus exemplo suo nos docuit (*Matth.* 11,29; 2 *Cor.* 7,6; *Rom.* 12,16; *Iac.* 4,6; 1 *Petr.* 5,5) quamque utpote Graecis prorsus ignotam novo vocabulo formato sacri scriptores vocant ταπεινοφροσύνην (*Act.* 20,19; *Eph.* 4,2; *Phil.* 2,3 etc.); atque illis quoque in locis, in quibus de homine infimae sortis et conditionis est sermo, ταπεινός virtutem humilitatis connotat (*Luc.* 1,52; *Iac.* 1,9). Solo nostro in loco in ore adversariorum Pauli voci ille sensus attribuitur, qui frequens invenitur apud profanos scriptores (abiectus, ignavus, servilis). — Similiter θαῤῥῶ plerumque bonam in partem de homine forti et audaci sumitur, atque hoc solo in loco arrogantiam superbiamque connotat.

2. 'Επιείκεια *Act.* 24,4 recte a *Vulg.* vertitur *clementia*; saepius autem substantivum in Novo Test. non legitur; in *Vet. T.* diversimode redditur : *reverentia* (*Sap.* 2,19), *tranquillitas* (*Sap.* 12,19; 2 *Mach.* 2,23), bonitas (*Bar.* 2,27); quibus omnibus in locis significatio *clementiae* aptior est. Frequentius in *Novo Test.* legitur adiect. ἐπιεικής, quod *Vulg.* semper reddit *modestus* (1 *Tim.* 3,3; *Tit.* 3,2; *Iac.* 3,17; 1 *Petr.* 2,18; — *Phil.* 4,5 τὸ ἐπιεικές *modestia*); verum qui omnium illorum locorum contextum consideraverit, facile deprehendet, non eam virtutem designari, quae arrogantiae ac superbiae opponitur atque « modum servat in agendis » (*Thom.*), sed illam, quae summo iustitiae rigore neglecto id quod aequum est prosequitur ac proin severitati opponitur; cfr 1 *Petr.* 2,18, ubi dominis iniquis ac duris (σκολιοῖς) ἀγαθοὶ καὶ ἐπιεικεῖς (boni et clementes) opponuntur.

confidentiam, qua existimor audere, in quosdam qui arbitrantur nos tamquam secundum carnem ambulemus (τοὺς λογιζομένους ἡμᾶς ὡς κατὰ σάρκα περιπατοῦντας A^{ter} : qui nos arbitrantur secundum carnem ambulare, accuratius : *qui nos aestimant velut homines secundum carnem ambulantes*). Priorem sententiae partem optime explanat *Chrys.* : « Oro vos, ne in eam necessitatem me adducatis, ut ostendere cogar me praesentem quoque viribus ac potentia pollere ». Quia verbum λογίζεσθαι, quod plerumque est deponens, etiam passivo sensu usurpatur, altera pars duplici modo exponi potest. Graeci (*Chrys. Oec. Theoph.*), quos moderni plerique sequuntur (cfr *Mai. Bisp. L R. — Mey. Heinr. Goeb.* etc.), utrique formae verbi λογίζεσθαι (λογίζομαι et λογιζομένους) activum sensum attribuentes explicant : « ne me adigatis, ut praesens audeam *ea cum confidentia, qua cogito* (λογίζομαι) *audere contra quosdam*, qui nos secundum carnem ambulare *cogitant* (λογιζομένους) ». « Neque enim, dixit, inquit *Chrys.*, ea cum confidentia, qua audere promptus paratusque sum (ᾗ παρεσκεύασμαι), sed qua audere *cogito*; necdum enim hoc erat ei constitutum, quamvis ei occasionem audendi isti praeberent ». Qui sensus aptus quidem est, aptior tamen, opinor, sensus *Vulg.*, quae priorem formam (λογίζομαι) passive, alteram (λογιζομένους) active sumit[1] atque sententiae relativae ex praecedente versu participium (ἀπών *absens*) inseri supponit : « ne me adigatis, ut *ea cum confidentia, qua* (*absens*) *audere existimor, praesens audeam contra quosdam,* qui nos velut homines secundum carnem ambulantes *existimant* ».

Secundum utramque explicationem Paulus severe agere non vult nisi contra obtrectatores suos, qui eum *secundum carnem ambulare* arbitrantur; quare hanc calumniam statim reiicit : 3. *in carne enim ambulantes non secundum carnem militamus.* Se *in carne* ambulare (cfr *Gal.* 2,20; *Phil.* 1,22 sq.[2]) i. e. vitam mortalem se degere carnemque, quae in se habet fomitem peccati (cfr ad 1 *Cor.* 2,13 p. 69), secum gerere Apostolus non negat, at carnis affectus non sequitur neque inferioris hominis appetitibus regitur (cfr ad 1,8. 17) nec in vita sua nec in suo ministerio. Quia de ministerio hic agitur, ideo pro verbo *ambulandi* in altero membro verbum *militandi* posuit; apostolatum enim suum velut militiam considerat seque velut Christi militem bonis armis instructum (cfr 6,7; 1 *Thess.* 5,8; 1 *Tim.* 1,18; 2 *Tim.* 2,3 etc.),

1. Simili modo, quo iuxta *Vulg.* hic verbum λογίζεσθαι eadem in sententia sensum activum et passivum habet, supra (9,8) verbum περισσεύειν eadem in sententia sensu transitivo et intransitivo adhibetur.

2. *Rom.* 8,8 tamen *in carne esse* eodem sensu, quo *secundum carnem ambulare* (*Rom.* 8,4), iuxta contextum sumatur oportet.

cui omnes regis sui hostes debellandi atque Evangelio subiugandi sunt. Eadem in imagine pergens se non secundum carnem militare ex natura armorum demonstrat, quae ad bellum hoc gerendum accepit : 4. *nam arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia* (δυνατὰ *A*ter clarius : *fortia*) *Deo ad destructionem munitionum*. Quaecumque a carne mortali et infirma proveniunt, ea ex intima sua natura sunt infirma ac debilia; quae vero a spiritu proveniunt, ea fortia sunt ac potentia; uti igitur expressione *arma carnalia* eorum infirmitas, ita expressione *arma potentia* eorum spiritualitas connotatur ac proin iure carnalia potentibus, i. e. spiritualibus, armis opponuntur. « Neque dixit *spiritualia*, quamquam hoc vocabulum adhibendum erat, ut *carnalibus* opponeretur, sed *potentia*, per hoc illud quoque significans atque adversariorum arma imbecilla esse insinuans » (*Chrys.*). Ut suorum tamen armorum spiritualitatem clarius manifestaret, Paulus ea dixit *fortia Deo* esse, quam appositionem moderni quidem explicant « fortia *coram* Deo et secundum eius iudicium » (*Mai. Bisp. Dr.* etc. — *Mey. Heinr.* etc.), antiquiores vero plerique cum *Chrys.* haud minus recte idem esse censent; quod fortia *per* Deum divinamque eius virtutem; « nos non paravimus ea, ut sint fortia, sed Deus ipse;... etsi igitur nos ea gestamus, Deus tamen per ea dimicat et operatur » (*Theoph. Oec. Est. Lap.* etc.). Iamvero nomine armorum carnalium malas artes intelligit, quibus eum ad Evangelium adulterandum neophytosque circumveniendos perdendosque uti adversarii eius calumniabantur[1]; e contra nomine potentium armorum omnia ea comprehendit, quibus ad Evangelium propagandum a Deo idoneus erat redditus. Quodsi vero arma eius spiritualia sunt, eum non secundum carnem militare patet, nam « unusquisque miles arma habet accommoda militiae ac pugnae suae » (*Thom.*); ex armorum genere ergo recte ad militiae genus concluditur.

Porro arma Apostoli spiritualia esse, etiam ex fine elucet, ad quem obtinendum illa accepit : *ad destructionem munitionum*. Nimis arcte *munitionum* nomen *Chrys.* explicat de Graecorum fastu ac superbia et de vi sophismatum argumentorumque eorum; procul enim dubio omnia ea complectitur, quae Evangelii propagationi sese opponunt, atque recte *Theod.* Paulum ipsum illud sequente sententia explicare censet : 5. *consilia destruentes et omnem altitudinem extollentem se*

1. Quum de apostolici ministerii armis hic agatur (arma militiae *nostrae*), nimis latae sunt explicationes *Chrys.* : « Opes, gloria, principatus, facundia, eloquentia, concursationes, assentationes, simulationes aliaque eiusmodi », atque *Thom.* : « arma eorum, qui secundum carnem militant, sunt divitiae, voluptates, honores et potentiae humanae ac temporales », quamvis haec omnia alio in contextu nomine armorum carnalium designari queant.

adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, 6. *et in promtu habentes* (ἐν ἑτοίμῳ ἔχοντες *A*ter et *S. Aug.* ad Bonif. ep. 185,6 clarius : *parati*) *ulcisci omnem inobedientiam, quum impleta fuerit obedientia vestra.* Constructionis iterum eadem habetur inaequalitas, quam supra (9,11. 13) deprehendimus; nominativus enim participii (καθαιροῦντες *destruentes*) pro πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων (*ad destructionem munitionum*) scriptum supponit ἵνα καθαιρῶμεν ὀχυρώματα, καθαιροῦντες κτλ (ut destruamus munitiones, destruentes etc.). Triplici autem ratione armorum suorum potentiam Paulus describit, quatenus nimirum omnibus obstaculis deiiciendis, hostibus in captivitatem redigendis, pertinacibus adversariis puniendis idonea sunt. Atque primum quidem *consilia destruunt omnemque altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* Latina versione haud satis accurata, quae λογισμούς (i. e. ratiocinationes) vertit *consilia,* in errorem inducti antiquiores Latini in priore membro machinationes, quibus tyranni propagationem Evangeli impedire conantur, atque in altero (*omnem altitudinem*) « profunditatem intellectus tam legisperitorum quam philosophorum » designari censent (*Thom.* cfr *Herv. Lomb.* etc.); Graeci de solis ratiocinationibus sophismatisque philosophorum utrumque membrum explicant. Rectius priore omnia ea comprehendi dicemus, quae humana carnalisque sapientia quum ethnicorum philosophorum tum scribarum Iudaeorum atque iudaizantium quoque doctorum ad oppugnandum evertendumque Evangelium excogitavit aut excogitat, altero deinde ipsam intellectus carnalis superbiam designari, quae velut *vallum* (ὕψωμα *Vulg.* haud satis recte : *altitudo*) sese extollit adversus scientiam Dei (i. e. doctrinam a Deo revelatam), quia ea, quae non intelligit, admittere non vult. Haec igitur sapientiae carnalis dictamina, quae vana ac stulta esse Deus demonstrat (cfr 1 *Cor.* 3,19) et haec sapientium, quos perdit (cfr 1 *Cor.* 1,19), superbia munitiones sunt, quibus mundus a praedicatione evangelica sese tueri apostolicosque milites repellere conatur; verum apostolicis armis resistere nequeunt.

Destruentur enim atque hostes, qui iis sese defendunt, in captivitatem rediguntur : *in captivitatem redigentes omnem intellectum* (πᾶν νόημα cfr ad 2,11) *in obsequium Christi* (εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ *A*ter clarius et rectius : *in obedientiam Christi*). Sunt qui πᾶν νόημα vertere malint *omne consilium;* at satis clarum est, Apostolum non tam de pravis machinationibus, quam de iis loqui, qui prava machinantur vel potius cogitant; *intellectum* enim designat, qui carnalibus affectibus abreptus contra doctrinam a Deo revelatam rebellat; is

autem ab Apostolis ita captivus reddendus est, ut Christo humiliter se subiiciat eique obediat. Egregie monet *Chrys.*, Paulum duram vocem αἰχμαλωτίζειν (*in captivitatem redigere*) additis verbis εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ (*in obedientiam Christi*) quasi mitigasse; qui enim Christi sint captivi, eos e servitute in libertatem, e morte ad vitam, ex interitu ad salutem vindicari neque tamquam adversarios prosterni, sed tamquam amicos ad veritatem transferri. Iure merito quoque ex hoc similibusque locis (cfr 9,13; *Act.* 6,7; *Rom.* 1,5;10,16) colligitur, veram fidem solo actu intellectus non constare sed voluntatis quoque subiectionem postulare; neque enim quisquam credit nisi volens (*S. Aug.* in Ioan. tract. 26,2), siquidem « his quae sunt fidei, inquit *Thom.* (in *Rom.* 1,5), voluntate consentimus, non ex rationis necessitate, quum sint supra rationem »; quae explicans *Dom. Soto* (in eund. loc.) : « usus est Apostolus verbo *obedire*, ut quantum esset inter fidem et humanas disciplinas discriminis explicaret. Haec namque, quum naturali mentis acie et lumine cernantur, compellere evincereque possunt intellectum; fides autem invisibilium divinorum, quae nisi per lucem mortalium oculis inaccessam conspecta esse nequeunt, non argumentorum vi syllogismorumque acumine demonstratur, sed voluntario obsequio tacitaque auscultatione suscipitur ».

Attamen si qui captivi Christo reddi nolunt, sed in sua rebellione persistunt, Apostoli potentibus suis armis alio modo contra eos utuntur : *in promptu habentes* (i. e. parati) *ulcisci omnem inobedientiam, quum impleta fuerit vestra obedientia.* Eandem quidem imaginem Paulus retinet, sed eam ipsi ecclesiae corinthiae adversariisque suis corinthiis applicat. Ecclesiam enim corinthiam nunc considerat velut arcem ab adversariis suis vallo aliisque munitionibus instructam quam Christo regi suo expugnare debet ac potest (cfr *Bisp.*). Destructis igitur munitionibus adversariorum, i. e. calumniis pravisque doctrinis, quibus ecclesiam perturbarant, illos qui bonae sunt voluntatis Christo adducet captivos, pertinacium vero inobedientiam paratus est poenis impositis coercere. De doctoribus iudaizantibus, minime vero de ethnicis aut Iudaeis evangelicam praedicationem reiicientibus, eum loqui facile concedet, qui Apostolo in infideles iurisdictionem non exercuisse (1 *Cor.* 5,12 sq.) perpenderit; neque minus clarum esse arbitror, eum pervicaciam adversariorum spiritualibus poenis (excommunicatione, traditione satanae etc.) ulcisci voluisse. Cuiusmodi poenae ut vere efficaces essent, ante omnia Corinthii ipsi Paulo debebant esse reconciliati Dominoque vera obedientia subiecti; tunc enim, uti habet *S. Aug.* (c. ep. Parmen. III. 2,13 sq.), « severitas disciplinae adhibetur sine labe pacis et unitatis, quando congregationis ecclesiae multitudo ab

eo crimine, quod anathematur, aliena est; tunc enim adiuvat praepositum potius corripientem, quam criminosum resistentem; tunc ab eius coniunctione se salubriter continet, non rabie inimica, sed coercitione fraterna; tunc etiam ille timore percutitur et pudore sanatur, quum ab universa ecclesia se anathematum videns, sociam turbam, cum qua in delicto suo gaudeat et bonis insultet, non potest invenire... (At) si contagio peccandi multitudinem invaserit, divinae disciplinae severa misericordia necessaria est : nam consilia separationis (i. e. excommunicationis) et inania sunt et perniciosa atque sacrilega, quin et impia et superba fiunt et plus perturbant infirmos bonos quam corrigunt animosos malos ». Itaque ad puniendos doctores pervicaces Paulus accedere non vult, nisi postquam neophyti illi, qui calumniis doctrinisque eorum perversis aures praebuerunt, perfecta obedientia Christo iterum fuerint subiecti. « Hoc loco, inquit *Chrys.*, non solos adversarios, sed et alios metu percutit. Vos enim, inquit, exspectamus, ut postquam monitis ac minis nostris correcti ab eorum societate recesseritis, tum demum illis, qui incurabili morbo laborant, solis relictis poenas inferamus. Nam obeditis quidem nunc quoque, sed non perfecte ». Revera magnis laudibus, quas ecclesiae antea tribuit (7,7 sqq.; 8,7 etc.), non obstantibus, non defuerunt neophyti, qui etiam post Titi missionem a Paulo erant abalienati correctioneque indigebant (cfr *infra* 13,1 sqq.).

2. *Sibi enim praesenti animum severe agendi non deesse asserit* (10,7-11).

10,7. *Quae secundum faciem sunt, videte. Si quis confidit sibi Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se : quia sicut ipse Christi est, ita et nos.* 8. *Nam, et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in aedificationem, et non in destructionem vestram, non erubescam.* 9. *Ut autem non existimer tamquam terrere vos per epistolas :* 10. *quoniam quidem epistolae, inquiunt, graves sunt et fortes : praesentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis :* 11. *hoc cogitet qui eiusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales et praesentes in facto.*

10,7. Τὰ κατὰ πρόσωπον βλέπετε. εἴ τις δοκεῖ πεποιθέναι ἑαυτῷ Χριστοῦ εἶναι, τοῦτο λογιζέσθω πάλιν ἐφ' ἑαυτοῦ, ὅτι καθὼς αὐτὸς Χριστοῦ, οὕτως καὶ ἡμεῖς. 8. ἐὰν γὰρ περισσότερόν τι καυχήσωμαι περὶ τῆς ἐξουσίας ἡμῶν, ἧς ἔδωκεν ὁ Κύριος εἰς οἰκοδομὴν καὶ οὐκ εἰς καθαίρεσιν ὑμῶν, οὐκ αἰσχυνθήσομαι. 9. ἵνα μὴ δόξω ὡς ἂν ἐκφοβεῖν ὑμᾶς διὰ τῶν ἐπιστολῶν, — 10. ὅτι Αἱ ἐπιστολαὶ μέν, φασίν, βαρεῖαι καὶ ἰσχυραί, ἡ δὲ παρουσία τοῦ σώματος ἀσθενὴς καὶ ὁ λόγος ἐξουθενημένος, — 11. τοῦτο λογιζέσθω ὁ τοιοῦτος, ὅτι οἷοί ἐσμεν τῷ λόγῳ δι' ἐπιστολῶν ἀπόντες, τοιοῦτοι καὶ παρόντες τῷ ἔργῳ [1].

1. *VV. LL.* — 7. Χριστοῦ sine additam. est verior ac communior lectio; at Χριστοῦ δοῦλος (Christi *servus*) D E F G, paucissimi minusc., *It.* (*A*^ler^) et aliqui codd. *Vulg.* (*Fuld. Floriac.* etc.). — Pro δοκεῖ πεποιθέναι ἑαυτῷ (sibi confidere videtur), quod solus B habet, legatur oportet πέποιθεν ἑαυτῷ (*confidit sibi*). — ἐφ' ἑαυτοῦ (*apud se*) B ℵ L, pauci minusc., *It. Vulg.*; minus apte *textus rec.*: ἀφ' ἑαυτοῦ (a semet ipso, fere i. q.

Arma sua describens Paulus magnam sibi attribuerat potestatem, quam adversarii eius non agnoverunt irridentes, eum semper quidem de illa absentem gloriari illamque in epistolis exaltare, praesentem autem illam exercere non audere. Ne igitur minae suae parvipendantur, Corinthios exhortatur, ut ad ea, quae coram oculis sint posita attendant: se enim non minus, quam alios qui hac de re glorientur, Christi ministrum esse, quum sibi etiam plus, quam fecit, de sua auctoritate gloriari liceat (7. 8), neque sese epistolis dumtaxat absentem, sed praesentem quoque illam esse facto manifestaturum (9-11).

7. *Quae secundum faciem sunt videte* (vel considerate). Iuxta hanc *Vulg.* versionem, quam non tantum antiquiores Latini omnes (*A^ter*, *Pel.* etc., *Haym. Herv.* etc.) sed iuniores quoque plerique (*Est. Lap. Nat.* etc.) modernique omnes (*M Ev. Mai. Bisp. Dr. L R.* etc.). et haud pauci acath. (*Billr. Rück. Olsh. de W. Hofm. Holst. Heinr. Schn.*) tuentur, Apostolus neophytos monet, ut ex iis, quae in aperto sunt, rem diiudicantes minas suas non fore vanas discant; quae enim dicturus sit, ea omnia plana et conspicua esse, ut de adversariorum calumnia iudicium sit facile. Cum Graecis tamen omnibus (*Chrys. Theod. Dam. Oec. Theoph.*) iuniores cath. pauci (*Cai. Er. Iust.* etc.) et plerique acath. (*Luth. Calv. Beza* etc., *Ros. Raeb. Flatt.* etc., *Mey. Kl Br. Goeb.* etc.) formam βλέπετε pro indicativo habent, atque alii quidem cum *Chrys.* enuntiative, alii cum *Theod.* interrogative sententiam legunt (« quae secundum faciem sunt, consideratis », vel : « quae secundum faciem sunt, consideratis? »), utrique autem vituperium exprimi censent, quod adversarii ad solam externam rei speciem attendant Apostolumque ex iis solis diiudicent, quae oculis carnalibus in eo deprehendisse sibi videntur. Verum eiusmodi vituperium nec cum praecedentibus nec cum sequentibus satis cohaeret, ita ut ad contextum explicandum a variis varia suppleantur.

sponte) cum C D E F G K, plerisque minusc. et PP. — οὕτως καὶ ἡμεῖς (*ita et nos*) sine additam. B ℵ C D F G P, pauci minusc. sed plerisque PP., *It. Vulg. Syr. Goth. Arm. Aeth.*; minus apte *textus rec.* : (οὕτως καὶ ἡμεῖς Χριστοῦ (ita et nos *Christi*) cum E K L, plerisque minusc. et *Copt.* — 8. ἐὰν γάρ (nam si) B F G, pauci minusc. et PP., *Arm.*; alii testes graeci : ἐάν τε γάρ (etenim si, aut iuxta It. Vulg. : *nam et si*). — Ante περισσότερον augendi gratia *textus rec.* inserit καί (*et* abundantius) cum L et plerisque minusc., quod ob aliorum testium auctoritatem melius praetermittitur. — ὁ Κύριος εἰς οἰκοδομήν (Dominus in aedificationem) B ℵ C D, meliores codd. *Vulg.* (*Fuld. Am. Tol.* etc.) *Aeth.*; sed *textus rec.* : ὁ Κύριος ἡμῖν εἰς οἰκοδομήν (Dominus *nobis* ad aedificationem) cum E F G K L, plerisque minusc., atque hanc lectionem etiam exprimunt *It. Vulg.* (*Clem.*) *Syr. Arm.* — 9. ἵνα μὴ δόξω (ne videar, vel existimer) est communis lectio graeca; at ἵνα δὲ μὴ δόξω (*ut autem non existimer*) legunt aliqui minusc. et PP. (*Chrys.* etc.) cum *It.* et *Vulg.* (cfr. *Comm.*). — 11. φασίν (*inquiunt*) solus B cum *Vulg. Syr. Goth.*; alii testes graeci φησίν (inquit); *A^ter* aliique nonnulli vocem omittunt.

Quibus praetermissis *Vulg.* interpretationem, utpote planiorem ac simpliciorem, rectius retinemus; re enim vera Paulus ea, quae *secundum faciem sunt* (i. e. in conspectu sunt posita[1]), exponere incipit, atque primo in loco id affert, quod et caeci videre poterant, ipsum non minus, quam alios qui de suo munere apostolico glorientur, ministrum Christi esse : *si quis confidit sibi* (πέποιθεν ἑαυτῷ) *Christi se esse, hoc cogitet iterum* (πάλιν hic rectius : *vicissim* cfr *Luc.* 6,43; 1 *Cor* 12,21 etc.) *apud se*[2], *quia, sicut ipse Christi est, ita et nos* sc. Christi sumus. De communi illa relatione, qua omnes fideles, utpote Christi membra, Christi sunt, hic non agi, contextus docet; apostolicam enim suam auctoritatem Paulus defendit ac proin specialem illam relationem intelligit, qua Apostoli aliique doctores ac praecones, quorum opera Deus in propagando et promovendo Evangelio utitur, cum Christo coniunguntur; quam relationem glossa (δοῦλος[3]) ab aliquibus codd. graecis et latinis textui inserta (cfr *VV. LL.*) recte exprimit. Hunc ministrorum Christi titulum non sine gloriatione pseudapostoli sibi attribuerunt (πέποιθεν ἑαυτῷ Χριστοῦ εἶναι tantam in sese fiduciam collocat, ut se Christi ministrum esse censeat), Paulo autem videntur negasse; ideo eos admonet, sibi non minus, quam illis, istum titulum competere. Iure merito cum Chrys. alii Graeci adnotant, Apostolum, quum ab initio vehemens esse nollet sed orationem sensim augeret, per sermonis comitatem quandam (συγκαταβατικῶς) dixisse se Christi esse, *sicut* illi Christi sint; ingens enim inter sese et inter illos discrimen etiam hac ratione intercedere statim ostendit[4].

Etenim se Christi esse, ex sua potestate demonstrat, quae etiam maior sit, quam potentibus suis armis descriptis (4-6) eam esse insinuavit, ac proin adversariorum auctoritatem fictam (cfr *v.* 12 sqq.)

1. De hac formulae κατὰ πρόσωπον significatione cfr *supra v.* 1; *Luc.* 2. 31; *Act.* 3. 23.

2. Si quis alteram lectionem ἀφ' ἑαυτοῦ (*a* semet ipso), quae communior est (cfr *VV. LL.*) sequi voluerit, eam cum *Chrys.* explicet necesse est : « ne exspectet, donec a nobis, i. e. nostra obiurgatione, id discat, sed *ex semet ipso* (sponte) consideret, quod eo modo, quo ipse Christi sit, etiam nos Christi simus ». Aliquid coacti tamen ista lectio habet; quare merito *Vulg.* lectionem et interpretationem sequimur.

3. De hac apostolicorum ministrorum denominatione satis frequente cfr *Rom.* 1,1; *Gal.* 1,10: *Phil.* 1,1 etc.

4. Plane absurde haud pauci moderni acath. (cfr *Mosh. Olsh. de W. Beyschl. Klop. Holst.* etc.) quartam, quam sibi fingunt, corinthiam factionem Christinorum (cfr ad 1 *Cor.* 1,12 *p.* 28 sq.) hic iterum inveniunt. Quodsi enim eiusmodi factionem, quae se Christi esse schismatico animo asseruit, exstitisse concederetur, Paulum tamen schismaticam eius tesseram usurpasse sibique appropriasse atque se Christi esse, *sicut illi erant*, dixisse, quis concederet? Praeterea illa in tessera de omnium fidelium, hic de ministrorum ad Christum relatione agitur.

longe superet. 8. *Nam et si* (ἐάν τε γάρ) *amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit* (*nobis*) *Dominus in aedificationem et non in destructionem vestram, non erubescam* (rectius : *non confundar*, vel : *pudore non afficiar* οὐκ αἰσχυνθήσομαι). Erronee nonnullae editiones *Vulg.* (uti etiam codd. *Fuld. Am.* etc.) pro *et si*, quae est genuina lectio *Vulg. Clem.*, exhibent *etsi*; sententia enim non est concessiva, sed conditionalis, illamque conditionalium sententiarum formam Paulus elegit, qua indicaret, se experimentum hoc esse facturum atque hoc pacto, quanta esset sua potestas, ostensurum. Statim enim de sua potestate amplius gloriabitur, neque tamen in ista gloriatione quidquam invenietur, propter quod aut mendacii aut arrogantiae accusetur vel tamquam mendax aut arrogans confundatur et pudore afficiatur. Quam potestatem sibi in aedificationem non in destructionem ecclesiae corinthiae datam esse asserens « ostendit adversarios suos facere contrarium neque aedificare velle sed destruere conari » (*Theod.*); ab ipso autem potestatem illam ad aedificandum adhibitam esse, ecclesia corinthia integra testari potuit ac debuit (3,2 sq.; 1 *Cor.* 9,1 sq. etc.); ipse enim tamquam sapiens architectus eius fundamentum iecerat atque in ea aedificanda ita laboraverat, ut facta sit « aedificatio (vel potius *aedificium* οἰκοδομή) Dei »; quin etiam templum, in quo Spiritus Dei inhabitet (cfr 1 *Cor.* 3,9. 10. 16). Quomodo haec sententia, qua se potestatem *ad destructionem* (εἰς καθαίρεσιν) accepisse negat, cum superiore concilietur, qua arma sua *ad destructionem* (εἰς καθαίρεσιν) esse asseruit (*v.* 4), sua sponte elucet, si ad genetivos additos (ὑμῶν, ὀχυρωμάτων) attenditur. Bene tamen monet *Chrys.*, « ad aedificii constructionem quam maxime requiri, ut impedimenta removeantur, marcida corruptaque materia reiiciatur, sola bona in aedificando adhibeatur; Apostolos ergo potestatem suam accepisse, ut aedificarent, erga eos vero, qui obluctarentur ac dimicarent insanabilesque essent, altera facultate diruendi ac prosternendi uterentur ». Addit *Cai.* : « hic est textus toties citatus de potestate ecclesiastica, quod nihil possit contra bonos mores, immo nec contra meliora bona, qualia sunt consilia Christi, quia hoc non esset posse in aedificationem sed in destructionem spiritualem ».

Itaque Paulus, si in sequentibus de sua potestate gloriabitur, non timet, ne mendax aut arrogans inveniatur vel erubescere cogatur; caveant autem adversarii, ne eum absentem quidem de sua auctoritate gloriari, praesentem vero eam exercere non posse calumnientur, sed absentis epistolis facta praesentis consonatura esse sibi persua-

deant : 9. *ut autem non existimer* (ἵνα μὴ δόξω melius : *ne videar*) *tamquam terrere* (ὡς ἂν ἐκφοβεῖν *A^ler* : quasi terrere[1]) *vos per epistolas,* — 10. *quoniam quidem epistolae, inquiunt, graves sunt et fortes* (βαρεῖαι καὶ ἰσχυραί severae ac vehementes), *praesentia autem corporis infirma et sermo contemtibilis* (ἐξουδενημένος nullius pretii, abiectus), — 11. *hoc cogitet qui eiusmodi est* (ὁ τοιοῦτος qui haec vera esse arbitratur), *quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales et praesentes in facto* (simus, vel melius : futuri simus). Ad calumniam *v.* 1. indicatam revertitur eamque ipsis calumniatorum verbis per parenthesin (*v.* 10) monitioni suae inserit. Corinthum prima vice adveniens « in infirmitate et timore et tremore multo » fuerat praedicationisque ratione simplici humilique usus erat ab altioribus doctrinis tradendis abstinens (1 *Cor.* 2,3 sq.; 3,1 sq.) ; secunda autem vice in tristitia adveniens (cfr ad 2,1) etiam magna cum misericordia ac lenitate agere debuerat, ne neophytos parvulos in Christo laederet et absterreret; mirum ergo non est, quod adversariorum calumnia, qui epistolas absentis, utpote severas, quum vitia sine ambagibus carperent peccatoribusque graves poenas comminarentur, ac vehementes rationumque pondere efficaces, apparenti praesentis infirmitati humilique eius praedicationi opponebant, Corinthi fidem invenerint. Atqui nunc tertio ad eos veniens (13,1) eadem cum gravitate ac fortitudine, quam in epistolis suis exhibuit, inter eos se versaturum esse annuntiat, ita ut forte aliqui eum, qualem eum esse non desiderent (12,20), sint inventuri, illi nimirum, qui calumniis fidem habentes non intelligunt, eos quidem, qui potestatem sibi arrogant, absentes posse audere ac praesentes pudorem pati, genuinum vero Apostolum, qui a Christo suam potestatem accepit, illam eadem ratione quum absentem tum praesentem exercere, si id necessarium esse iudicet (cfr *A^ler*).

Etsi *It.* ac *Vulg.* lectio, quae cum paucis minusc. graecis in primae sententiae (*v.* 9) initio particulam *autem* (δέ) habet, forte non est probanda, omnino tamen cum omnibus Graecis (cfr *Chrys. Theod.* etc.) Latinisque antiquioribus ac modernis et nonnullis acath. (*Rück. Olsh. de W. Ew. Hofm. Heinr.* etc.) censemus, a *v.* 9. novam sententiam inchoari, cuius apodosis (*v.* 11) parenthesi quadam (*v.* 10) a sua protasi (*v.* 9) separetur : « Ne quis putet, me absentem vos terrere velle, uti adversarii criminantur, persuasum habeatis me eundem esse et absentem et praesentem ». Plerique

1. Particulam ὡς ἂν plerique insertam putant, ut alterius hanc esse opinionem (sc. Apostolum epistolis suis velle terrere) insinuaretur; quare verba ὡς ἂν ἐκφοβεῖν exponenda censent ὡς ἂν ἐκφοβοῖμι ὑμᾶς (tamquam qui velim vos terrere); at de alterius opinione agi, verbum (δόξω) iam clare indicat. Melius igitur particulam cum verbo ἐκφοβεῖν ita connectimus, ut durum terrendi verbum leniat molliatque (*quasi* terrere, vel *quodam modo* terrere).

tamen moderni acath. alios nexus statuunt. Alii enim *vv.* 9. et 10. praecedenti *v.* 8. addunt et a *v.* 11. novam sententiam inchoant, ut hic sit nexus : « Si quid amplius de me gloriatus fuero, *pudore non afficiar, ne videar vos terrere* per epistolas, sicut adversarii calumniantur; qui huius sententiae est, cogitet etc. », cuius sententiae sensum esse volunt, Deum esse prohibiturum, quominus Paulus de se glorians pudore afficiatur, ne ea, quae adversarii calumnientur, vera esse videantur (cfr *Mey. Kl Br. Goeb. Schn.* etc.). Quamvis autem haec constructio per se possit admitti, nemo non videt longissime esse quaesitam hanc explicationem sensumque istum verbis potius ingeri, quam ex eis erui. Aptior est aliorum explicatio, sed minus apta constructio, qui ante *v.* 9. ellipsin quandam adesse statuunt hunc in modum : « si gloriatus fuero, pudore non afficiar. (Quae ego ideo dico), ne videar tamquam terrere vos » etc. (*Beza, Beng.* etc.), aut etiam : « pudore non afficiar. (Sed plura hac de re non dico), ne videar » etc. (cum *Syr.* ita *Grot. Klöp.* etc.). Cur enim ellipsis admittatur, nulla prorsus adest ratio, atque satis dure *v.* 11. asyndete sententiae huic omissae opponeretur.

Cum *Lap.* nonnulli ex eo, quod Pauli « praesentiam corporis infirmam esse » adversarii dixerint, confirmari putant incertam traditionem, quae a Niceph. Call. etc. est conservata, « Paulum fuisse corpore parvo et contracto atque incurvo et paululum inflexo, facie candida annosque plures prae se ferente » etc.; at recte iam monuit *Iust.* « de trunco seu de corporis mole » hic non agi. Epistolis absentis opponitur « praesentia corporis » i. e. ipse praesens corpore, atque praedicatum *infirmus* ad eius corpus non refertur, sed ad totam eius agendi et dicendi rationem, in qua adversarii eandem, quam in absentis epistolis, fortitudinem ac gravitatem inveniri negabant (cfr *Iust.* etc., *Mai.* etc.).

3. *De potestate arrogata enim, sicut adversarii, non gloriatur* (10,12-18).

10,12. Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant : sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, et comparantes nosmetipsos nobis. 13. Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulae, qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad vos. 14. Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendimus nos : usque ad vos enim pervenimus in Evangelio Christi : 15. non in immensum gloriantes in alienis laboribus : spem autem habentes crescentis fidei vestrae, in vobis magnificari secundum regulam nostram in abundantiam, 16. etiam in illa, quae ultra vos sunt evangelizare, non in aliena regula in iis, quae praeparata sunt gloriari. 17. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. 18. Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est : sed quem Deus commendat.

10,12. Οὐ γὰρ τολμῶ ἐγκρῖναι ἢ συγκρῖναι ἑαυτούς τισιν τῶν ἑαυτοὺς συνιστανόντων. ἀλλὰ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς μετροῦντες καὶ συγκρίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς οὐ συνιᾶσιν. 13. ἡμεῖς δὲ οὐκ εἰς τὰ ἄμετρα καυχησόμεθα, ἀλλὰ κατὰ τὸ μέτρον τοῦ κανόνος, οὗ ἐμέρισεν ἡμῖν ὁ Θεὸς μέτρου, ἐφικέσθαι ἄχρι καὶ ὑμῶν. 14. ὡς γὰρ μὴ ἐφικνούμενοι εἰς ὑμᾶς ὑπερεκτείνομεν ἑαυτούς. — ἄχρι γὰρ καὶ ὑμῶν ἐφθάσαμεν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ, — 15. οὐκ εἰς τὰ ἄμετρα καυχώμενοι ἐν ἀλλοτρίοις κόποις, ἐλπίδα δὲ ἔχοντες αὐξανομένης τῆς πίστεως ὑμῶν ἐν ὑμῖν μεγαλυνθῆναι κατὰ τὸν κανόνα ἡμῶν εἰς περισσείαν, 16. εἰς τὰ ὑπερέκεινα ὑμῶν εὐαγγελίσασθαι, οὐκ ἐν ἀλλοτρίῳ κανόνι εἰς τὰ ἕτοιμα καυχήσασθαι. 17. ὁ δὲ καυχώμενος ἐν Κυρίῳ καυχάσθω· 18. οὐ γὰρ ὁ ἑαυτὸν συνιστάνων, ἐκεῖνός ἐστιν δόκιμος, ἀλλὰ ὃν ὁ Κύριος συνίστησιν [1].

VV. *LL.* — 12. οὐ τολμῶ (non audeo) B solus; cum reliquis lege : οὐ τολμῶμεν (*non*

Cur tanta cum fiducia asserere potuerit, sibi etiam amplius gloriari licere neque sibi praesenti defore potestatis illius, quam absens epistolis sibi vindicavit, exercendae animum, explicaturus Paulus docet, sese dumtaxat in Domino gloriari neque limites provinciae sibi a Deo commissae transgredi. Namque similis non est adversariis, qui de arrogata potestate gloriantes se ipsi commendant, sed secundum mensuram potestatis divinitus acceptae gloriatur (12. 13). Iuxta hanc mensuram enim Corinthiis quoque, quippe qui ad suam provinciam pertinerent, Evangelium attulit, nec proin, si de iis gloriatur, de alienis laboribus gloriatur; quin etiam spem habet fore, ut Corinthiorum fide crescente aliis terris, quas provincia sua complectatur, Evangelium afferat ac de earum conversione gloriari possit non imitatus eos, qui in alienam provinciam iam occupatam se ingerentes sibi ipsis aliorum labores attribuant (14-16). Hac autem ratione glorians in Domino gloriatur, utpote a Domino ipso, qui laboribus eius successum tribuit, commendatus (17. 18).

Totum hunc locum a Paulo, quum reos aperte carpere nollet, obscure esse scriptum, haud sine ratione *Theod.* monet. Quae obscuritas maxime quidem ex vocum nonnullarum ambiguitate et, quemadmodum aliis in locis paulinis, ex imagine adhibita exoritur, lectionis tamen incertitudine non parum augetur. Statim a principio iam lectionem *Vulg.* relinquere cogimur; iuxta eam enim legimus : 12. *non enim audemus inserere aut comparare* (ἐγκρῖναι ἢ συγκρῖναι [1]) *nos quibusdam* (eorum), *qui se ipsos commendant* (τισὶν τῶν ἑαυτοὺς συνιστανόντων); *sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes et comparantes nosmetipsos nobis* (sc. sumus) : at cum graecis codd. et PP. aliisque

audemus). — 12. 13. οὐ συνιᾶσιν· ἡμεῖς δέ vel : οὐ συνιοῦσιν· ἡμεῖς δέ (non intelligunt; nos autem : — de alia secundae lectionis interpretatione cfr *Comm.*) B ℵ E K L P, plerique minusc. et PP., *It.* (S. *Aug.* in Ps. 34, n. 10; Ps. 118. serm. 12,4; de Civ. Dei XII. 17; c. Faust. XXII. 47 etc.) *Syr. Copt. Arm. Aeth. Goth.*; sed quatuor haec vocabula omittuntur a D E G, paucissimis minusc., *Atro* et *Sed.*; sola verba οὐ συνιᾶσιν (non intelligunt) omittuntur ab uno alterove minusc., *Pel.* et *Vulg.*; de his lectionibus cfr *Comm.* — 13. καυχησόμεθα (*gloriabimur*) est communis codd. et verss. lectio; soli F G legunt καυχώμενοι (gloriantes) ac solus D vocem omittit. — οὗ ἐμέρισεν ἡμῖν (quam attribuit nobis) est communis codd. et verss. lectio; a qua sensu non differt altera οὗ ἐμέτρησεν, quam exhibent M et pauci minusc., dummodo eam aut cum *Atro* vertas : *quam partitus est nobis*, aut cum antiquioribus *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat.* etc.) : *quam mensus est nobis*; minus recte autem *Vulg. Clem.* cum iunioribus legit : *qua mensus est nobis.* — 14. ὡς γὰρ μή (quasi enim non) B cum paucis minusc.; sed cum omnibus aliis lege : οὐ γὰρ ὡς μή (*non enim quasi non*).

1. Si paronomasiam (ἐγκρῖναι ἢ συγκρῖναι) retinere volueris, cum *Iust.* verte : *inferre aut conferre*, vel cum *Beng.* : *aequiparare aut comparare;* minus apte alii : *adiungere aut coniungere*, vel *inserere aut conserere.*

verss. consentiens *S. Aug.* (cfr *VV. LL.*) alteram partem rectius ita exhibet : *sed ipsi* (sc. adversarii) *in semetipsis semetipsos metientes et comparantes semetipsos semetipsis non intelligunt* (i. e. insaniunt[1]). Hanc enim graeci textus interpretationem sequens sententia postulat, quippe in qua Paulus contrariam suam sese metiendi rationem describit : **13.** *nos autem* (Apostoli) *non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulae, qua mensus est* (lege : *quam mensus est*, vel rectius : *quam attribuit* cfr *VV. LL.*) *nobis Deus mensuram pertingendi* (ἐφικέσθαι ut pertingeremus[2]) *usque ad vos* (lege : *usque ad vos quoque* ἄχρι καὶ ὑμῶν). Acerba cum ironia nimirum Apostolus sese indignum proclamat (*non audemus*), qui sese *inferat aut conferat* classi magnorum illorum virorum, qui pleno ore suam laudem decantantes sese ipsi commendant, atque velut indignitatis suae rationem ingens affert discrimen, quod in agendo ipsum inter et illos intercedit : « non enim audemus nos illis adnumerare; sed illi quidem ita agunt, nos vero contrarium agimus, ita ut inter illos et nos aequiparationi aut comparationi non sit locus »[3]. Quae autem est opposita haec utrorumque ratio agendi? Adversarii sese ipsi commendant, quia obiectiva regula, qua sese diiudicent, carentes in immensum gloriantur; a Deo enim apostolatus eis non est commissus, sed ipsi sibi alienos labores attribuunt (cfr *v.* 16); pro sua superbia igitur

1. *S. Aug.* explicat suppleto obiecto : « non intelligunt neque quae loquuntur neque de quibus affirmant » (cfr 1 *Tim.* 1,7); *S. Chrys. Theoph.* etc. : « non intelligunt quam ridiculi sint », *Phot. Oec.* : « non intelligunt sese esse arrogantes ». Inter iuniores aliqui (*Er. Cai. Est. Iust.* etc. — *Grot. Wolf* etc.) integram sententiam explicant : « se ipsos quidem commendant, sed ipsi occaecati non intelligunt nec vident, se metiri et comparare semetipsos magnosque facere ex suo ipsorum iudicio ». Quamvis constructio, quae in hac explicatione supponitur, per se admitti possit, explicatio tamen probari nequit, quia non de adversariorum occaecatione agitur, sed eorum superbia et indebita gloriatio gloriationi Pauli opponitur. Patrum autem supplementa sunt superflua, siquidem οὐ συνιᾶσιν (non intelligunt) est idem quod ἀσύνετοί εἰσιν (stolidi sunt); cfr *Marc.* 8,17 οὔπω νοεῖτε οὐδὲ συνίετε; (nondum cognoscitis *nec intelligitis?*) et *Matth.* 15,16 ἀκμὴν καὶ ὑμεῖς ἀσύνετοί ἐστε; (adhuc et vos *sine intellectu estis?*).

2. In sententia κατὰ τὸ μέτρον τοῦ κανόνος, οὗ ἐμέρισεν ἡμῖν ὁ Θεὸς μέτρου ἐφικέσθαι ἄχρι καὶ ὑμῶν genetivus οὗ, uti patet, per attractionem est pro ὅν, genetivus μέτρου autem non est, uti plerique censent, appositio substantivi κανόνος, sed ad ipsum genetivum οὗ velut appositio accedit (τοῦ κανόνος, ὃν ἐμέρισεν ἡμῖν ὁ Θεὸς μέτρον). Infinitivus ἐφικέσθαι demum non dependet a subst. μέτρου (id quod sua versione *Vulg.* indicat *mensuram pertingendi*), sed a verbo ἐμέρισεν : « quam Deus nobis attribuit mensuram eo fine (vel : ita) ut pertingeremus ad vos quoque ».

3. Pro ἀλλὰ αὐτοί... ἡμεῖς δέ (*sed ipsi... nos autem*) Paulus etiam sensu vix mutato scribere potuit : αὐτοὶ μὲν γάρ... ἡμεῖς δέ (nam ipsi quidem... nos autem); pro causali tamen adversativum nexum elegit, ut maiore cum vi simul inane esse fundamentum insinuaret, cui adversariorum gloriatio innititur : « qui se ipsos commendant; sed ipsi in semetipsis tantum semetipsos metiuntur ». Si causalem nexum elegisset, solum illud « non audemus inserere nos » etc. probaretur.

vanam suam de se ipsis suisque meritis opinionem pro mensura statuunt, qua se ipsos metiantur (*in semetipsis semetipsos metientes*), nec quemquam invenientes dignum, quocum sese comparent, *sibimetipsis* solis *semetipsos comparantes* ideoque supra omnes sese extollentes *insaniunt*. Pronomen reflexivum quater repetitum : ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτούς... ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς, graphice describit vanitatem eorum, qui se solos ipsi considerant et aestimant. Paulus vero *in immensum non gloriabitur* nec gloriatur[1], quia obiectivam regulam, qua se suosque labores diiudicet, a Deo accepit ac dumtaxat *secundum mensuram huius regulae* sibi divinitus datae gloriatur. Nomine κανόνος (*regulae*), quo Paulus utitur, proxime instrumentum designatur, quo artifices ceu amussi mensuraque utuntur, ut opus suum ea ratione, quae ab operis magistro est praescripta, perficiant; unde metaphorice quoque normam mensuramque rerum significat. Porro hoc in loco *mensuram regulae* non tam, ut vult *Theod.*, gratiam divinitus acceptam in universum vocat, quam ipsum suum munus apostolicum seu potestatem Evangelii certos intra limites praedicandi (cfr *Iust.* etc.). A qua explicatione illi parum recedunt, qui κανόνα proxime baculum vel funem mensorium ac deinde spatium fune illo descriptum ac definitum significare statuunt, ut Pauli *mensura regulae* illis regionibus constituatur, in quibus iuxta Dei voluntatem munus apostolicum ei erat exercendum (cfr *Cai.* etc.). Tam vicinae inter se sunt duae explicationes, ut utramvis eligere possis. Iam gentium (*Rom.* 11,13) quidem Apostolus Paulus erat, vocatus ut in gentibus Filium Dei evangelizaret (*Gal.* 1,16;2,7; *Eph.* 3,8 etc.); neque tamen quibuslibet gentibus pro arbitrio Evangelium afferre potuit, sed speciali providentia divina, quae extraordinario modo interdum manifestabatur (cfr *Act.* 16,6-8), in suis expeditionibus regebatur ac ducebatur, ut inter illas gentes, quas Deus voluit, munere suo fungeretur; felici autem successu, quem Deus praedicationi eius attribuit, internisque et externis gratiis, quibus Deus eum adiuvit (*Rom.* 15,18 sq.; 1 *Cor.* 2,3 sqq. etc.), certior reddebatur, se limites apostolatui suo assignatos non esse trans-

1. Phrasis εἰς τὰ ἄμετρα καυχᾶσθαι (*in immensum gloriari*) ab omnibus ita solet explicari, ut sit idem quod *immodice* (s. in infinitum) *gloriari*. Quae explicatio apta quidem est, sed nescio annon hoc in loco (*vv.* 13.15) sit nimis vaga. Quum μετρεῖν aeque ac *metiri* interdum significet *metiendo attribuere* (cfr *Luc.* 6,36 et lectionem, quam hoc in *v.* secuta est *Vulg.* οὗ ἐμέτρησεν ἡμῖν ὁ Θεός, *quam Deus nobis est mensus* i. e. metiendo attribuit), nihil obstat, quominus τὰ ἄμετρα etiam significent *ea, quae alicui non sunt attributa;* itaque εἰς τὰ ἄμετρα καυχᾶται (in immensum gloriatur), qui intra limites mensurae sibi attributae sese non continens in ea, quae ipsi non competunt, gloriationem suam extendit, aliorum sc. labores sibi attribuit de iisque gloriatur; hanc explicationem Paulus ipse (*v.* 15) videtur innuere : εἰς τὰ ἄμετρα καυχώμενοι ἐν ἀλλοτρίοις κόποις (in immensum gloriantes in alienis laboribus).

gressum. Hoc igitur pacto, ductus et adiutus a Deo, semper intra limites suos se continens Evangelium ab Ierusalem usque ad Illyricum annuntiaverat atque corinthiam quoque ecclesiam fundaverat. Quapropter si de his gloriatur, non *in immensum* de eis quae ei non competunt, *sed secundum mensuram regulae, quam ei attribuit Deus tamquam mensuram, ut pertingeret Corinthum quoque,* gloriatur neque sese ipse commendat, sed a Deo commendatur, quippe a quo ductus et adiutus sit, ut haec perficeret.

Simili modo, in levioribus dumtaxat dissentientes, duos hos versus cum Graecis (*Chrys. Theod.* etc.) et *S. Aug.* haud pauci quoque iuniores ac moderni interpretantur (cfr *Cai. Iust. Est. Lap.* etc., *Bisp. M Ev.* etc. — *Mey. Kl Br. Heinr. Goeb.* etc.). Neque tamen desunt, qui eandem nobiscum lectionem retineant, alteram tamen explicationem praeferant, aut qui aliam lectionem sequi malint, sed omnes in eo consentiant, quod in secunda *v.* 12. parte subiectum αὐτοί (*ipsi*) non de Pauli adversariis, sed de ipso Paulo intelligendum arbitrentur; id quod per se fieri potest, quia pronomina reflexiva (ἑαυτοῖς ἑαυτούς... ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς), quamvis tertiae personae sint, haud raro (ubi ambiguitas non timetur) ad primam (vel secundam) personam reflectuntur. Priores igitur, qui eandem lectionem retinent sed forma συνιᾶσιν, quam duo antiquissimi codd. (B ℵ) cum paucis tantum minusc. tuentur, reiecta formam συνιοῦσιν praeferunt, quam pro dativo participii habent, hunc sensum inveniunt : « non audemus nos comparare cum iis, qui se ipsi commendant, sed ipsi in nobis nosmetipsos metimur et comparamus nosmetipsos cum nobismetipsis, non cum prudentibus (quales se esse putant adversarii); nos autem non in immensum gloriabimur ». Quam interpretationem iam *Chrys.* indicat et ex modernis aliqui sequuntur (*Mai.* — *Schrad.* etc.). Haud multum differt altera paucorum modernorum (acath.) explicatio, qui verba οὐ συνιοῦσιν velut appositionem ad ἑαυτοῖς trahunt : « comparamus nosmetipsos cum nobismetipsis non prudentibus » (i. e. nobiscum, qui ab adversariis dicimur non prudentes). Vicina quoque est explicatio *Vulg.*, quae duo ultima verba (οὐ συνιοῦσιν) praetermittit, et iuxta *Thom.* hunc sensum exhibet : « secundum ea, quae sunt in nobis, commensuramus et comparamus facta nostra et dicta, quasi dicat : illa dicimus de nobis, quae sunt proportionata nobis, i. e. commensurata factis nostris ». Quae omnes interpretationes gravissimo illo incommodo laborant, quod nexum cum sequente versu destruant; etenim clarum est, subiectum secundae partis *v.* 12. opponi subiecto *v.* 13. (αὐτοί... ἡμεῖς δέ *ipsi... nos autem*), oppositio vero nulla adest, si utroque pronomine eaedem personae indicantur. Quod incommodum evitabis, si cum nonnullis testibus (cfr *VV. L L.*) etiam verba ἡμεῖς δέ (*nos autem*) eiicis atque *vv.* 12. 13. in unam sententiam contrahis; hac ratione *A*[tr] legit : « non enim audemus coniungere aut comparare nos ipsos quibusdam, qui se ipsos commendant; *sed ipsi in nobis nosmetipsos mensurantes et comparantes nosmet-*

ipsos nobis non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulae » etc. Si pluribus melioribusque testibus haec lectio fulciretur, nihil obstaret, quominus admitteretur, quum aptum sensum praebeat et contextui consonet.

Verum quidem est, iuxta nostram interpretationem adversarios a Paulo carpi, quod sese in semetipsis metiantur, atque iuxta alteram Paulum velut rem bonam considerare, quod ipse sese in semetipso metiatur; at haec duo, quamvis inter se opponi videantur, inter se non pugnant. Etenim qui in se obiectivam mensuram divinitus acceptam habet, eam procul dubio in semetipso metiendo suisque factis diiudicandis recte adhibet; qui vero eiusmodi regulam a Deo non accepit, is male agit, si sibi ipse aliquam pro vanitate sua fingit. Atqui Paulus in apostolatus gratia, quam acceperat, continuaque Dei assistentia, qua ducebatur et adiuvabatur, in se ipso obiectivam certamque regulam mensuramque, qua res suas aestimaret, invenit; adversarii vero, quia a Deo nec ad labores apostolicos erant vocati nec in suis laboribus arbitrarie susceptis ab eo regebantur aut iuvabantur, illa regula obiectiva carebant sibique ipsi ex suis opinatis virtutibus mensuram, qua res suas aestimarent, fingebant. Ob suum igitur sensum neutra lectio velut inepta reprobari potest; communior tamen, quam exposuimus, ob testium criticorum auctoritatem retineatur oportet; nam tribus codd. graecolatinis paucissimisque minusc., qui cum *A*[tro] et *Sed.* quatuor vocabula (οὐ συνιᾶσιν ἡμεῖς δέ) praetermittunt, longissime praestant reliqui, qui cum omnibus PP. graecis omnibusque verss. antiquis ea exhibent

Itaque ab adversariis suis prorsus differens Paulus iuxta mensuram divinitus acceptae regulae gloriatur, neque de ecclesia corinthia glorians mensuram suam excedit, siquidem Corinthus limitibus apostolatui eius assignatis continetur. Quod quum adversarii, qui sese optime de Corinthiis meritos esse iactabant, negarent, diserte ita probat, ut simul illorum arrogantiam, qua de alienis laboribus glorientur, acerbe carpat (14-16). Ad ultimam enim praecedentis sententiae particulam respiciens pergit : 14. *non enim quasi non pertingentes ad vos superextendimus nos : usque ad vos enim* (rectius : *usque enim ad vos quoque,* ἄχρι γὰρ καὶ ὑμῶν) *pervenimus* (ἐφθάσαμεν [1]) *in Evangelio Christi.* Corinthum veniens ibique munus suum exercens Paulus similis non est viro, qui rem ita disiunctam, ut manu attingi nequeat, nihilominus manu apprehendere desiderat ideoque supra modum sese extendens limites ei a natura praescriptos transgredi conatur, sed intra limites divina vocatione ac gratia sibi assignatos consistit; atque id ipso

1. Quia verbum φθάνειν proxime significat *praevenire* s. *antevertere,* pauci moderni Paulum dicere voluisse censent, se *ante* adversarios Corinthum pervenisse; at id procul dubio pronomine addito (αὐτοὺς ἐφθάσαμεν) expressisset; obliterata potius *prae*veniendi notione Paulus verbum φθάνειν hic, uti alibi quoque (*Rom.* 9,31; *Phil.* 3,16), Alexandrinos imitatus nudo *adveniendi* sensu usurpat.

facto probatur. Neque enim tantum ad alias gentes, sed *etiam* ad Corinthios (ἄχρι καὶ ὑμῶν) in Evangelio Christi, i. e. iuxta divinam suam missionem verum de Christo Evangelium praedicans, pervenit, eos in Christo genuit (1 *Cor.* 4,15) eorumque ecclesiam fundavit (cfr 3,2 sqq.; 1 *Cor.* 9,1. 2 etc.). Profecto Corinthii illa omnia, quae Paulus in virtute Dei intra ipsos operatus erat, perpendentes dubitare non poterant, quin ipsi quoque a Deo eius sollicitudini apostolicae essent commissi intraque limites apostolicae eius auctoritatis continerentur, pseudapostolis vero nullum gloriandi ius competeret.

Altera sententiae huius pars (*usque ad vos enim* etc.) parenthesin constituit, priorem vero Apostolus continuat completque, qua ratione sese non superextendat explicans [1] adversariosque superextensionis reos esse insinuans : **15.** *non in immensum gloriantes in alienis laboribus, spem autem habentes crescentis fidei vestrae* (lege : crescente fide vestra [2]) *in vobis magnificari secundum regulam nostram in abundantiam,* **16.** *etiam in illa, quae ultra vos sunt, evangelizare, non in aliena regula in iis, quae praeparata sunt, gloriari.* « Magnam, inquit *Chrys.,* his verbis reprehensionis notam adversariis inurit, quod et immodice glorientur et alienos labores sibi attribuentes meritis, quae alii acquisiverunt, sese ipsos exornent ». Ab eorum agendi ratione longissime Paulus abest, qui de suis solis laboribus corinthiis glorians neque ultra limites suo apostolatui assignatos neque in ea, quae ipsi non sunt attributa, gloriationem suam extendit. Quum vero suae regulae mensuram Corinthi non terminari persuasum habeat, sperat fore, ut Corinthiorum fide crescente (i. e. *si* eorum fides crescat) ipse quoque inter eos [3] secundum regulam suam in abundantiam (εἰς περισσείαν magis magisque quasi immense) magnificetur et crescat, id est longinquiores quoque terras Evangelio subiiciat de earumque conversione iure glorietur.

1. Si malueris, etiam integrum *v.* 14. parenthesin dicere cum aliis (*Bisp.* etc.) poteris, ut *v.* 15. cum altera parte *v.* 13. connectatur : *sed* (gloriabimur) *secundum mensuram regulae nostrae.... non in immensum gloriantes* etc. Minus apte cum *Atro* antiquiores Latini (*Herv. Thom.* etc.) a secunda parte *v.* 14. novam sententiam inchoant, cui *v.* 15. annectunt : *Usque ad vos enim pervenimus..... non gloriantes* etc. Erronee demum nonnullae editiones *Vulg. Clem.* puncto posito *v.* 15. a praecedentibus prorsus separant; genuinae editiones sua interpunctione eum nexum videntur indicare, quem supra dedimus.

2. Latinum interpretem genetivum absol. graecum (αὐξανομένης τῆς πίστεως ὑμῶν) ablativo absoluto reddere debuisse diserte monent *Gagn. Iust. Est.* etc., sua explicatione cum *Atro* tacite supponunt *Herv. Lomb. Lap. Nat. Pic.* etc. Nec ad primitivum textum nec ad grammaticam latinam satis attendentes alii (*Thom. Lyr. Dion.* etc.) genetivum *crescentis fidei* ita a verbo *magnificari* dependere volunt, ut sit idem quod « gloriam nostram augeri *de* fide vestra crescente ».

3. Sunt qui verba ἐν ὑμῖν ad genetivum absolutum αὐξανομένης τῆς πίστεως ὑμῶν trahant (*vestra* fide *in vobis* crescente), at hac constructione tautologia exoritur, quae cur admit-

Antiquiores fere omnes verbum μεγαλύνειν (*magnificare*) hic ita interpretantur, ut sit idem quod *magnum declarare* s. *celebrare* (cfr *Luc.* 1,46; *Act.* 5,13 etc.); moderni plerique primam eius significationem (*magnum facere*, pass. *crescere*; cfr *Matth.* 23,5; *Luc.* 1,58; 1 *Reg.* 2,21 etc.) retinere malunt. Prior explicatio, quamvis contextui adaptari possit (speramus nos crescente vestra fide magis magisque inter vos celebratum iri, ita ut [vel : eo fine, ut] aliis quoque terris Evangelium annuntiare possimus), minus tamen videtur esse apta, quia quis inter laudes, quibus Corinthi Paulus celebratur, interque eius ulteriorem praedicationem internus sit nexus non satis indicat. Quare alteram praeferendam ducimus atque infinitivis *v.* 16. (εὐαγγελίσασθαι et οὐ καυχήσασθαι, evangelizare, non gloriari) verbum μεγαλυνθῆναι (magnificari s. crescere) quasi exponi et explicari consemus. Si nimirum Corinthiorum fides creverit roborataque fuerit, Apostolus continua eorum cura custodiaque non amplius distentus et impeditus ministerium suum latius iam poterit extendere, ac novis semper terris Evangelio subiectis magis magisque quasi immense crescet. Porro eam legem sibi statuerat, ut illis tantum in locis, in quibus Christus nondum erat annuntiatus, ministerium suum exerceret, quia super fundamentum ab aliis positum aedificare (*Rom.* 15,20) aut in regionem, quae aliis velut eorum regula a Deo erat attributa, sese ingerere aut pseudapostolos imitatus ea, quae alii perfecerant, sibi ipsi glorians adscribere noluit. Itaque postquam in Oriente nullam iam occasionem invenit Evangelii illis praedicandi, quibus praedicatum nondum erat, in extremo Occidente novum laborum campum quaerere et ante omnia Hispaniam Evangelio subiugare sibi proposuerat (cfr *Rom.* 15,22 sq.). Sicut autem eousque Antiochia centrum quoddam orientalium expeditionum, quo iis finitis revertebatur, ei fuerat, nunc Corinthum caput et initium occidentalium suarum expeditionum constituere voluit. Nostris igitur verbis spem exprimit fore, ut inter Corinthios quasi degens, si eorum fides creverit, secundum regulam suam inter limites ministerio suo assignatos novis semper gentibus conversis magis magisque magnus fiat, dum adversarii eius in aliorum provincias iam occupatas se ingerant de iisque, quae alii laboribus suis paraverunt, glorientur [1].

Iamvero hac ratione secundum regulae suae mensuram de iis solis, quae a Deo ductus et adiutus perfecit, glorians non iactat sese ipsum sed in Deo exsultat, quippe qui ministrum suum gratiis adiuvans laboribusque eius successum tribuens eum commendat approbatque.

tatur, nulla est ratio; ad verbum μεγαλυνθῆναι omnino trahenda sunt (inter vos magnificari).

1. Cfr *Chrys.* : « Spero, inquit, fore, ut vobis in fide progressum facientibus regula nostra latius sese extendat, ut ulterius praedicemus Evangelium. Longius enim, inquit, progrediemur, ut concionemur et labores suscipiamus, non autem ut gloriemur de iis, quae alii suis laboribus effecerunt. Regulae autem ac mensurae vocabulis aptissime usus est, velut ad orbis terrarum possessionem praestantissimamque haereditatem profectus, ostendens totum esse opus Dei. Talia igitur opera iam exsecuti et maiora exspectantes non gloriamur, sicut illi qui nihil egerunt, nec nobismetipsis quidquam adscribimus, verum omnia Deo ».

Quae in huius sectionis fine addens docet quomodo ea, quae de sua gloriatione hucusque dixit, intelligenda sint ac simul sequentem sectionem praeparat, in qua de divinis donis uberius gloriabitur : 17. *qui autem gloriatur, in Domino glorietur;* 18. *non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Prioribus verbis, quae ex *Ier.* 9,23 libere sunt allegata (cfr ad 1 *Cor.* 1,31), homo quidquam ad se ipsum ita referre vetatur, ut illud a semetipso sese habere putet, omnia autem ad Deum referre iubetur, a quo omnia bona descendunt (*Iac.* 1,17) et sine cuius gratia nihil boni agere potest (1 *Cor.* 15,9 etc.)[1]. Hanc legem Paulus semper observavit, eam vero violaverunt eius adversarii, qui a Deo nec missi nec adiuti in ecclesias iam fundatas irrumpentes easque perturbantes nihilominus sese ipsos iactabant. Bene *A^ter* : « Illum Dominus commendat et ille probatus est, quem dignum habet ac mittit, ut praedicet donum eius; quem autem non mittit, non illum commendat; ipse autem se commendat, qui non missus praedicat; ac per hoc idoneus non est, sed praesumtor et reprobus ».

§ 2. *Pauli adversus obtrectatores suos gloriatio* (11,1-12,10).

Integram hanc epistolam encomium Pauli recte appellari meritissimo quidem *Chrys.* (in 10,1) censet; nulli tamen parti maiore cum iure, quam huic sectioni, praeclarus hic titulus competit. Etenim Paulus, postquam contra adversariorum suorum arrogantiam potestatem suam vere apostolicam non minore cum vi quam acerbitate asseruit vindicavitque, ulterius iam, ut eos plane confundat, progreditur comparationeque se ipsum inter et illos instituta quam longe illos superet quamque indigni sint existimatione et auctoritate, in quam apud neophytos venerunt, luce clarius demonstrat. Quibus adducitur, ut labores propter Evangelium susceptos, tribulationes in eo propagando toleratas, insignes quoque gratias a Deo acceptas uberius enumeret magnificamque apostolicae suae vitae imaginem nobis depingat. Quamquam vero non nisi necessitate, ut saluti neophytorum consuleret, cogente suas laudes invitus contexuit, iis tamen modestia humilitasque eius ita offendebatur, ut non tantum multis excusationibus insertis sed etiam infirmitatibus suis relatis earum vim infirmare conaretur. Pro argumentorum varietate sectionem hanc tripartitam esse recte statuimus; primum enim de sua integritate agit (11,1-15), deinde

1. Cfr *S. Aug.* in Ps. 144 n. 7 : « Ecce inventum est, quomodo et te laudare possis et arrogans non sis. Deum in te lauda, non te; non quia tu es talis, sed quia ille fecit te; non quia tu aliquid potes, sed quia potest ille in te et per te ».

de suis laboribus tribulationibusque (11,16-33), demum de donis divinitus acceptis (12,1-10); primo et secundo membris longiorem excusationem praemittit, tertio nonnulla de suis infirmitatibus addit, ita ut singula membra sint bipartita (11,1-6 et 7-15; — 11,16-21 et 22-33; — 12,1-5 et 6-10).

1. *Pauli gloriatio de sua integritate* (11,1-15).

1). *Excusationem gloriationi suae praemittit* (11,1-6).

1. *Utinam sustineretis modicum quid insipientiae meae, sed et supportate me :* 2. *aemulor enim vos Dei aemulatione. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* 3. *Timeo autem, ne sicut serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quae est in Christo.* 4. *Nam si is qui venit, alium Christum praedicat, quem non praedicavimus : aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis : aut aliud evangelium, quod non recepistis : recte pateremini.* 5. *Existimo enim nihil me minus fecisse a magnis apostolis.* 6. *Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia : in omnibus autem manifestati sumus vobis.*

11,1. Ὄφελον ἀνείχεσθέ μου μικρόν τι ἀφροσύνης· ἀλλὰ καὶ ἀνέχεσθέ μου. 2. ζηλῶ γὰρ ὑμᾶς Θεοῦ ζήλῳ· ἡρμοσάμην γὰρ ὑμᾶς ἑνὶ ἀνδρὶ παρθένον ἁγνὴν παραστῆσαι τῷ Χριστῷ, 3. φοβοῦμαι δὲ μήπως, ὡς ὁ ὄφις ἐξηπάτησεν Εὔαν ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ, φθαρῇ τὰ νοήματα ὑμῶν ἀπὸ τῆς ἁπλότητος καὶ τῆς ἁγνότητος τῆς εἰς τὸν Χριστόν. 4. εἰ μὲν γὰρ ὁ ἐρχόμενος ἄλλον Ἰησοῦν κηρύσσει, ὃν οὐκ ἐκηρύξαμεν, ἢ πνεῦμα ἕτερον λαμβάνετε, ὃ οὐκ ἐλάβετε, ἢ εὐαγγέλιον ἕτερον, ὃ οὐκ ἐδέξασθε, καλῶς ἀνέχεσθε· 5. λογίζομαι δὲ μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων. 6. εἰ δὲ καὶ ἰδιώτης τῷ λόγῳ, ἀλλ' οὐ τῇ γνώσει, ἀλλ' ἐν παντὶ φανερώσαντες ἐν πᾶσιν εἰς ὑμᾶς [1].

1. *VV. LL.* — 1. Utrum ὄφελον (ὤφελον) ἀνείχεσθε vel ἠνείχεσθε cum plerisque codd. graec., an cum *Theod.* paucioribusque codd. ὄφελον ἀνέχεσθε legatur, ad sensum nihil refert. — μικρόν τι ἀφροσύνης vel τῆς ἀφροσύνης (*modicum quid insipientiae*) B ℵ D E F G, haud multi minusc.; sed *text rec.* : μικρὸν τῇ ἀφροσύνῃ (paululum relate ad insipientiam) cum K L P et plerisque minusc.; cfr *Comm.* — 3. μήπως (ne forte) est communis lectio, quam sequitur *S. Hier.* in Ezech. 32,17 sqq.; eodem sensu F G, cum paucis minusc. : μή ποτε, at solus D cum omnibus fere Latinis habet nudum μή (*ne*). — φθαρῇ (corrumpatur) nulla particula praemissa B ℵ D F G P, pauci minusc., *Goth. Copt. Arm.*; sed *textus rec.* : οὕτως φθαρῇ (*ita* corrumpatur) cum E K L M, plerisque minusc. et PP., *It. Vulg. Syr.* — ἀπὸ τῆς ἁπλότητος καὶ τῆς ἁγνότητος (a simplicitate et castitate) B ℵ F G, aliqui minusc., *It.* (*S. Aug.* in Ioan. tract. 8,4) *Vulg.* (*Tolet.* etc.) *Syr.* (codd.) *Goth. Aeth.*; ordinem duorum vocabulorum invertunt D E : at *textus rec.* solum ἀπὸ τῆς ἁπλότητος (*a simplicitate*) cum K L M P, plerisque minusc., *Vulg.* (*Clem.* cum plerisque codd.); solum ἀπὸ τῆς ἁγνότητος (a castitate) exprimunt plerique Latini (*A*[ter], *Lucif.*, *S. Aug.* c. Faust. XV. 3; XXII. 49 etc.). Animadverte, verba *et excidant* a sola *Vulg.* exhiberi, a primigenio autem textu aliisque verss. et antiquis Latinis (*A*[tro], *SS. Aug. Hier.* etc.) ignorari; glossema sunt ad constructionem explicandam insertum. — 4. ἄλλον Ἰησοῦν (alium *Iesum*) est communis lectio; minus recte : ἄλλον Χριστόν (*alium Christum*) F G, pauci minusc. cum *It. Vulg.* — ἀνέχεσθε (sustinetis) B D, pauci minusc.; alii omnes ἀνείχεσθε vel ἠνείχεσθε cfr *Comm.* —

Gloriosa quaedam de se ipso dicturus Paulus Corinthiorum veniam precatur (*v.* 1) rationibus cur ita agat additis; in suis enim laudibus enarrandis solam neophytorum, qui seductionis periculo expositi sunt, utilitatem spectat (2-4) gloriandique ius, utpote adversariis tantopere sese iactantibus nulla in re inferior, possidet (5. 6).

Iuxta principium in praecedentis sectionis fine (10,18) enuntiatum stulte agit, qui a Deo non commendatus se ipse commendat; ac revera stultissime egerunt pseudapostoli, qui propriis meritis, quibus Deo probarentur, carentes in aliena regula de alienis laboribus gloriabantur seseque supra omnes extollere non dubitabant. Quam stultitiam ironice Paulus carpit, si suam ipsius gloriationem inchoaturus, ut sibi stulte agendi venia concedatur, neophytos rogat : 1. *utinam sustineretis* (ἀνείχεσθε) *modicum quid insipientiae meae, sed et supportate me* (rectius : *sustinete me* ἀνέχεσθέ μου). Ad prioris membri lectionem versionemque quod attinet, vix quidquam interesse arbitror (quamvis moderni hac de re multum disceptent), utrum *Vulg.* sequamur, an meliorum codd. graec. lectionem reddamus : « utinam sustineretis a me paulum (modicum quid) insipientiae », an iuxta graec. *textum rec.* vertamus : « utinam sustineretis me paululum relate ad insipientiam »; eadem enim idea tribus istis sententiis exprimitur. Maior est in altero membro interpretationis differentia, quum verbum ἀνέχεσθε aut cum *Vulg.* pro imperativo (*sustinete*) aut cum *Chrys.* aliisque Graecis pro indicativo (*sustinetis*) sumi possit. Secundum *Vulg.* enim Apostolus ab optatione ad petitionem transit gradatione non *ad minus*, uti erronee nonnemo asseruit (*Mey. Heinr.*) sed *ad maius*, siquidem optatione, cuius impletio vix speratur (id enim forma grammatica insinuat ὄφελον ἀνείχεσθε, *utinam sustineretis*), profecto plus est petitio, quae impletum iri supponitur (*sustinete*). Secundum Graecos vero Paulus se ipse quasi corrigens optationem superfluam esse indicat, quia iam impleta sit : « videsne, inquit *Chrys.*, prudentiam? Nam dum *utinam* dicit, id eorum arbitrii esse innuit; dum vero affirmat *immo vero et sustinetis*

5. λογίζομαι δέ (existimo *autem*) solus B; lege cum reliquis : λογίζομαι γάρ (*existimo enim*). — εἰ δὲ καί (etsi autem) est communis lectio, quam etiam *A[ter]* et *Vulg.* (*Fuld.*) sequuntur; inter graecos solus D omittit δέ (autem) cum *Vulg.* (*Amiat. Demid. Tol.*); cum *Pel.* demum *Vulg. Clem.* legit *nam et si.* — φανερώσαντες (manifestantes B ℵ F G, unus alterve minusc.; φανερώσαντες ἑαυτούς (manifestantes nosmetipsos) M, pauci minusc., *Goth. Arm.*; rectius *textus rec.* : φανερωθέντες (*manifestati*) cum E K L P, plerisque minusc., *Vulg.* (*Clem.* cum *Tol. Harl.* etc.) *Syr. Copt.*; singularem φανερωθείς (manifestatus) exhibent D, *It.* (*A[ter]*) et *Vulg.* codd. meliores (*Fuld. Amiat. Demid. Flor.* etc.).

me, se eorum benevolentiae confidere atque eos amare et vicissim ab eis amari manifestat ». Utraque explicatio apta est suosque patronos etiam inter modernos cath. et acath. habet[1]; priorem tamen praeferimus cum Latinis antiquioribus iunioribusque longe plerisque, quia illa admissa accuratior exoritur intimiorque nexus cum sequentibus, quibus Apostolus, cur insipientiam suam a neophytis tolerari desideret petatque, exponit. Porro gloriationem, quam inchoaturus est, ironice appellari *insipientiam*, moderni haud pauci censent (cfr *Bisp. Mai.* etc. — *Mey. Heinr.* etc.), ac revera ironiam quandam ipsa expressio (*paululum insipientiae*) prodere videtur, cuius vis clarius perspicitur, si simul consideratur, quam grave vituperium quum adversariorum continuo sese iactantium tum neophytorum illam stultitiam tolerantium approbantiumque contineat : « qui ab adversariis ingentem insipientiae cumulum sustinetis, utinam a me paululum insipientiae sustineretis » (cfr *v.* 19). Neque tamen minus probabilis, quin etiam, si ad usum vocabulorum *insipientiae* et *insipientis* in reliqua hac parte attenditur, forte probabilior est antiquiorum plerorumque sententia, qui istam expressionem non tam ironice, quam ad vulgarem loquendi usum accommode usurpatam esse tenent[2]; omnis enim gloriatio insipientiae cuiusdam speciem prae se fert atque viri iusti quoque gloriatio, quamvis necessaria ac vera sit nec proin insipientiae vituperio subiaceat, ab iis qui eius necessitatem veritatemque non agnoscunt pro insipientia habetur; quoniam igitur fieri potuit, ut nonnulli neophyti a pseudapostolis seducti gloriationem hanc iustos limites transgredi putarent, Paulus eorum opinioni sese quodam modo accommodans suum agendi modum, quamvis sapientissimum, *insipientiam* seque *insipientem, quasi insipientem* etc. ex eorum quasi opinione appellat (cfr *v.* 16 sqq.; 12,6. 11).

In hac sua autem gloriatione se ipsum suumque honorem non quaerit, sed eam a Corinthiis sustineri ob solam sollicitudinem desiderat petitque, qua eorum salutem promovere studens eos ab omni seductionis periculo custodire vult : 2. *aemulor enim vos Dei aemulatione.* Latina versione vis primigenii textus (ζηλῶ γὰρ ὑμᾶς Θεοῦ ζήλῳ)

1. Priorem inter modernos cath. tenent *M Ev. Bisp. Ramb.* etc., inter acath. *Hofm. Holst. Goeb.* etc.; alteram cath. *Mai. L R. Dr.* etc., acath. *Mey. Heinr. Kl Br. Schn.* etc.

2. *Thom.* nec satis recte in his verbis deprehendit exhortationem, ne Corinthii gloriationem Apostolo ad insipientiam reputent, nec expressionem *modicum insipientiae* recte explicat : « dicit *modicum*, inquit, quia si commendaret se sine causa, esset maxima insipientia; et iterum, si commendaret se ex causa omnino urgente, nihil esset ibi insipientiae. Sed quia commendat se, licet ex causa non tamen omnino urgente, quum alio modo posset confutare pseudapostolos, et quia commendat se multum, videtur ibi esse aliquid insipientiae, et hoc est quod dicit : modicum insipientiae ».

non satis clare exprimitur; de zelotypia enim agitur, qua « animi eorum laborant, qui vehementissimo amore erga illos flagrant, quos amant » (*Chrys.*) quaeque definitur « intensus amor non patiens consortium in amato » (*Thom.*); tantopere igitur Paulus neophytos amat, ut eorum cum pseudapostolis commercium, utpote periculi plenum, ferre nequeat. Attamen ut omnem carnalis cuiusdam ac mere naturalis affectus ideam removeat, sese eos *Dei zelotypia* zelare dicit; qua expressione aemulationem suam non tam ad Dei honorem vel secundum Deum vel a Deo vel summam esse significat (cfr *Thom. Est.* etc. — *Heinr.* etc.), quamquam haec omnia connotantur, quam eam ipsius Dei aemulationi similem esse cum illaque intime cohaerere. Sicut enim Dominus olim populum Israel, quem sibi desponsaverat (cfr *Ezech.* 16,8 etc.), zelo magno zelavit, fidelem a periculis sollicite custodiens adulterumque poenis ad se reducens (cfr *Zach.* 1,14 sq.; 8,2 sq. etc.), nunc vero Ecclesiam, quam iuxta promissionem suam (cfr *Os.* 2,19 sq.; *Is.* 54,2 sq. etc.) sibi in Christo desponsavit (*Eph.* 5,25 sqq.), non minore cum zelo zelat, Paulus quoque ecclesiam corinthiam a se fundatam aemulatur; sed similis tantum est eius aemulatio, quia non est sponsus, verum dumtaxat « pronubus nuptiarumque conciliator, per quem ecclesia dona sponsi sui Christi accepit » (*Theod.*) « neque sui sed illius causa, cui eam despondit, zelotypia flagrat » (*Chrys.* cfr *Thom.* etc.).

Id enim ex aemulationis ratione apparet, quam addit : *despondi* (ἡρμοσάμην [1]) *enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo,* 3. *timeo autem, ne* (lege : *ne forte* μήπως), *sicut serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus* (τὰ νοήματα cfr ad 2,11) *vestri* (*et excidant*) *a simplicitate, quae est in Christo* (εἰς Χριστόν *in Christum*). Vera aemulationis causa, timor a seductionis periculo, secundo membro exprimitur, dum in priore timoris fundamentum indicatur; solo igitur commate duo membra separanda sunt. Fundamentum autem timoris constituitur fine sponsalium, quorum Paulus non velut sponsae pater, uti cum *Pel.* aliqui perperam statuerunt (*Prim. Sed. Herv.* etc. — *Mosh. Emmerl.* etc.), sed velut sponsi paranymphus [2] factus est conciliator, quando Corinthios ad fidem

1. Verbum *act.* ἁρμόζειν ab antiquioribus scriptoribus transitive adhibetur de patre filiam suam iuveni despondente; *med.* ἁρμόζεσθαι autem de iuvene sibi puellam despondente; a iunioribus tamen scriptoribus forma medialis etiam priore sensu ita usurpatur, ut medium ad eam personam respiciat, cui despondendi cura commissa est (cfr *Loesner* Observ. ad N. T. ex Philone i. h. l.); atque hunc loquendi usum Paulus sequitur.

2. Varia erant paranymphi (שׁוֹשְׁבִין) munera apud Iudaeos (cfr *Schoetgen* Horae hebr. p. 535 sq.); neque enim tantum sponsam amico quaerebat, sed eam etiam custodiebat eique

adduxit veraque fide et caritate Christo coniunxit ut ei soli adhaererent, i. e. quando eos *uni viro,* Christo, *desponsavit.* Porro sponsalia praeparatio sunt ad nuptias; sponsalium vero, de quibus hic agitur, uti recte monet Chrys., tempus haec aetas est, nuptiae vero in sponsi Christi adventu celebrabuntur; ideo pro paranymphi munere Paulus omni qua potest sollicitudine Corinthiis invigilare ab eisque seductionis periculum avertere debet, ut in sponsi adventu eos *virginem castam* illi *exhibeat.* Omnes quidem Corinthios alloquitur (*vos*), at omnes simul una sunt sponsa, quia unam constituunt ecclesiam, quae casta virgo permanet, quamdiu fidem suam puram illibatamque conservat nec sese adulterinis doctrinis seducere sinit[1]. Animadvertas autem velim, hic non agi de Ecclesia universali (uti *Eph.* 5,27) sed de particulari aliqua ecclesia, quae non tantum in nonnullis sed etiam in omnibus membris, i. e. integra, fidei suae puritatem amittere potest, ut casta virgo non amplius appellari mereatur.

Quod periculum ne corinthiae quoque ecclesiae immineret, Paulus iure merito timuit, quoniam haud pauci neophyti, id quod ex nostra epistola apparet, pseudapostolis fidem habere coeperant, nequedum omnes iam eorum pravitate periculique gravitate perspecta resipuerant (cfr 12,20 sq.). Nihilominus timorem suum non nisi dubitanter enuntiat (φοβοῦμαι μήπως timeo *ne forte*[2]), ne nimio eos percellat terrore; at gravitatem periculi pseudapostolorumque perversitatem clarissime docet comparatione adhibita. Quam ex primi peccati origine desumere voluit, quia primorum parentum unio typus ei est illius unionis, quae Christum inter et Ecclesiam universalem (*Eph.* 5,29 sqq.) singulasque ecclesias particulares intercedit; uti Adam enim typus est Christi (*Rom.* 5,14 etc.), ita Heva « mater viventium » praefigurat Ecclesiam et ecclesias. Deus vero Hevam creaverat puram virginem puramque Adamo desponsaverat; sed *astutia* (πανουργίᾳ

invigilabat sponsalium tempore, ut de ea testimonium reddere posset, internunciumque agebat sponsum inter et sponsam. In nuptiis ipsis virginitatis sponsae custoditae testimonium reddebat, eam sponso adduxit solemnitatibusque praefuit.

1. Iure merito ad huius expressionis elucidationem nonnulli afferunt *Hegesippi* verba testantis, ecclesiam ierosolymitanam toto tempore, quo ei praesidebat Iacobus Iustus, « mansisse *virginem,* propterea quod vanis sermonibus nondum esset corrupta » (*Eus.* H. E. IV. 22); quae suis verbis quasi exponens *Eus.* ipse (H. E. III. 32) dicit « eam mansisse *virginem puram et incorruptam*, quum eo usque in obscuro recessu delituerint, quicumque rectam praedicationis regulam depravare conabantur ». Haud plane recte, opinor, nonnulli cum *Thom.* ecclesiam *virginem* vocari censent, quia in vera fide permaneat, *castam virginem* vero, quia in fide permanens exhibeat puritatem corporis et operis. De sola enim fidei integritate proxime hic agitur.

2. Ad particulam μήπως (vel μήποτε), quam meliores omnes codd. exhibent, attendere nos iubet *Chrys.* monens illam « nec admodum condemnantis esse nec admodum fidentis, sed inter haec duo stantis ».

quae ἁπλότητι simplicitati opponitur cfr 4,2) *serpentis*, vel potius diaboli ipsius, qui serpente velut instrumento usus erat ideoque serpens appellatur [1], seducta non amplius viro sibi desponsato, per quem praeceptum Domini cognoverat, nec ipsi Domino, qui praeceptum dederat, fidem habuit atque a simplicitate puritateque sua defecit. Pura quoque virgo per Paulum Christo desponsata erat ecclesia corinthia, at ipsa quoque nunc in periculo versabatur, ne pseudapostolorum partes serpentis agentium astutia deceptae neophytorum mentes corrumperentur et *a simplicitate sua in Christum*, i. e. a simplici puraque fide, qua in Christum tendere eique velut sponso suo adhaerere debebant, turpiter deficerent [2].

Magnificis sed mendacibus promissionibus serpens astutus Hevam seduxerat (*Gen.* 3,4. 5), iisdemque pseudapostolos usos esse, ex sequente discimur sententia, qua Apostolus timorem suum non esse vanum probat. Acerba enim cum ironia levitatem mobilitatemque Corinthiorum carpit, qui novis advenientibus magistris novaque annuntiantibus ac promittentibus aures praebuerant: 4. *nam si* (εἰ μὲν γὰρ *nam sane si*) *is qui venit* (ὁ ἐρχόμενος qui suis ipsius auspiciis tamquam magister venit, quicumque ille est [3]) *alium Christum* (lege : *Iesum*) *praedicat, quem non praedicavimus, aut* eo praedicante vos *alium Spiritum accipitis, quem* me praedicante *non accepistis, aut aliud Evangelium, quod* a me *non recepistis*, *recte pateremini* (lege : *praeclare sustinebatis* καλῶς ἀνείχεσθε cfr *v.* 1 et *Marc.* 7,9).

Sententiae huius explicationi *Chrys.* praemonet : « magnum periculum imminet altumque praecipitium, si leviter eam praetereamus; aditum enim omnibus haeresibus praebet », si nimirum male intelligatur. Revera prorsus contrarium Paulus docere videtur Galatas alloquens : « Licet nos aut Angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus

1. *Apoc.* 12,9 : « draco ille magnus, *serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas*, qui seducit universum orbem »; 20,2 : « apprehendit draconem, *serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas* ». Nomen *serpentis* (nullo addito adiectivo) satanae tribuitur 12,20. — Haud immerito adnotat *Theod.* : « apposite Apostolus non diabolum sed serpentem commemorat, ut etiam pseudapostolos, sicut serpentem, membra diaboli factos esse insinuet » (cfr *vv.* 14. 15).

2. Melius legi videtur ἀπὸ τῆς ἁπλότητος καὶ τῆς ἁγνότητος (*a simplicitate et puritate*), quum tot insignes testes hanc lectionem tueantur, reliqui autem inter se dissentiant aliis ἀπὸ τῆς ἁπλότητος, aliis ἀπὸ τῆς ἁγνότητος exhibentibus (cfr *VV. LL.*). Sensus quidem haud multum variis istis lectionibus mutatur, attamen notio *simplicitatis* (τῆς ἁπλότητος) addito *puritatis* (τῆς ἁγνότητος) nomine accuratius definitur : a pura vestra simplicitate, qua tamquam virgo sponsa ferebamini in Christum.

3. Latina versio de una persona agi insinuat; at totam classem iudaizantium doctorum Paulus designat, qui in ecclesias ab ipso fundatas sese ingerere solebant. Cfr *Gal.* 5,10 ὁ ταράσσων ὑμᾶς... ὅστις ἐὰν ᾖ « qui conturbat vos... quicumque ille est ».

vobis, anathema sit » (*Gal.* 1,8). Satis magna quidem est interpretum de nostro loco contentio; duae autem sunt illius expositiones communiores, quarum prior auctorum suorum numero ac pondere, altera vero, quamvis a solis fere modernis teneatur, interna sua, opinor, probabilitate se commendat. Iuxta antiquiores enim tantum non omnes (cfr *Chrys. Theod.* etc., *Thom. Lyr.* etc., *Cai. Iust. Est.* etc.) Paulus illud ipsum, quod in epistola ad Gal. anathemate damnat, hic absurdissimum esse dicit, ut hac ratione pseudapostolorum auctoritatem destruat (*Est.*); vel, uti habet *Phot.*: per deductionem ad absurdum dehortatur neophytos, ne ad pseudapostolos accedant. Ne ipos quidem pseudapostolos enim contendisse putant, se alium Iesum praedicare aut alium Spiritum dare aut aliud Evangelium afferre, ac multo minus neophytos alium Iesum etc. agnoscere voluisse; Apostolum igitur ex absurda hypothesi argumentari : « si magister adveniens alium Iesum *praedicaret* a nobis non praedicatum eoque, quem nos praedicavimus, excellentiorem (vel secundum *Phot.*: alium Iesum, quem nos debuimus praedicare sed non praedicavimus), aut si eo praedicante alium Spiritum *acciperetis* eumque praestantiora dona in vos effundentem, quam quem nobis praedicantibus accepistis, aut aliud Evangelium meliora promissa annuntians per eum *reciperetis*, recte *sustineretis* talem magistrum eiusque ferretis auctoritatem; atqui id pseudapostolis ipsis vobisque fatentibus fieri nequit; ergo tale quid ad vestram excusationem afferre non licet » (cfr *Est.* etc.). Qui sensus, quamvis per se omnino sit aptus atque ex Pauli verbis colligi forsitan potuerit [1], minus tamen nobis probatur, quia contextui difficillime adaptari videtur; quomodo enim absurdae istius hypotheseos reiectio (elliptica, nam nec minor nec conclusio syllogismi istius exprimuntur) velut probatio aut confirmatio (εἰ μὲν γάρ *nam* sane si) praecedentis sententiae, qua timorem suum de Corinthiorum seductione expressit, ab Apostolo afferatur, non magis videmus, quam quomodo haec reiectio se-

1. Duobus tamen incommodis haec explicatio laborat. Praeprimis enim Paulum, si istum sensum exprimere voluisset, aliam hypotheticae sententiae formam adhibiturum fuisse arbitror : εἰ ὁ ἐρχόμενος ἄλλον Ἰησοῦν ἐκήρυσσεν, ἢ πνεῦμα ἕτερον ἐλαμβάνετε..., καλῶς ἂν ἀνείχεσθε (cfr ex plurimis exemplis 1 *Cor.* 11,31 : εἰ δὲ ἑαυτοὺς διεκρίνομεν, οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα : si nos ipsos *diiudicaremus*, non iudicaremur). At quoniam particula ἄν in eiusmodi sententiis aliquoties (sed raro) omittitur (cfr *Rom.* 7,7 τὴν ἐπιθυμίαν οὐκ ᾔδειν, εἰ μὴ ὁ νόμος ἔλεγεν κτλ : « concupiscentiam non *cognoram* [pro : cognovissem], nisi lex diceret »; *Ioan.* 9,33; 15,22), atque in protasi quoque interdum (sed raro) praesens indic. usurpatur (cfr *Luc.* 17,6 εἰ ἔχετε πίστιν ὡς κόκκον σινάπεως, ἐλέγετε ἄν... καὶ ὑπήκουσεν ἂν ὑμῖν « si habetis [pro : haberetis] fidem sicut granum sinapis, diceretis... et obediret vobis), non audeo dicere, explicationem illam constructioni nostrae repugnare; idque eo minus, quia moderni quoque plerique, quamvis alteram explicationem praeferant, in apodosi particulam ἄν omissam esse concedunt atque verba καλῶς ἀνείχεσθε vertunt : praeclare *sustineretis*. Similem constructionem optimi codd. habent *Ioan.* 8,39 : εἰ τέκνα τοῦ Ἀβραάμ ἐστε, τὰ ἔργα τοῦ Ἀβραὰμ ἐποιεῖτε « si filii Abrahae *estis* (pro : essetis), opera Abrahae faceretis »; alteram tamen lectionem, quae imperativum in apodosi habet (ποιεῖτε *facite*) utpote contextui magis consonam (cfr *v.* 37) praeferendam duco. — Secundum incommodum usus verbi ἀνέχεσθαι praebet, quod aliis omnibus in locis significat « rem gravem ingratamque sustinere vel tolerare » (cfr *v.* 1. 19 etc.), in hac autem sententia, si explicatio illa admittitur, potius significat « rem bonam ac gratam suscipere ».

quente sententia, quae iterum a particula causali inchoatur (λογίζομαι γάρ, existimo *enim*) probetur aut confirmetur.

Itaque absurdam hypothesin ab Apostolo proponi ac reiici non arbitramur, sed cum plerisque modernis (cfr *Mai. Bisp. L R. Dr. Ramb.* etc.) ironicam reprobationem facilitatis, qua Corinthii pseudapostolorum praedicationem, quamvis a paulina doctrina differret, receperant, hac sententia contineri censemus; simili nimirum modo, quo Dominus Iudaeos propter suas traditiones legem divinam *praeclare* irritasse (καλῶς ἀθετεῖτε *Marc.* 7,9) ironice dicit, Paulus Corinthios pseudapostolicam praedicationem *praeclare* sustinuisse (καλῶς ἀνείχεσθε) ironice dicit [1]. Etenim doctores iudaizantes, etsi perversa sua dogmata Corinthi plane ac diserte nondum propagarant, pro sua tamen astutia in Apostolos Christi sese transfigurantes (*v.* 13), ut neophytorum animos sibi conciliarent et ad novam doctrinam recipiendam praepararent, callide videntur insinuasse, bonam quidem esse Pauli praedicationem, sed non perfectam; de Iesu enim vita ab aliis Apostolis nonnulla doceri scitu necessaria, quae Paulus non docuerat; fideles ab aliis Apostolis institutos praeter Spiritus dona, quae Corinthii iam acceperant, alia quoque praeclariora accepisse; Evangelium demum ab aliis Apostolis annuntiatum alias quoque conditiones ad salutem adipiscendam requisitas proponere, quae in Pauli Evangelio non contineantur. In sententia sua conditionali igitur Paulus non ponit absurdam hypothesin, uti antiquiores censent (si alium Christum *praedicaret*), sed de vero rei statu agit (si alium Christum *praedicat*); sese enim praedicatores esse diversi Iesu, quatenus imago, quam neophyti sibi ex Pauli praedicatione formaverant, mutanda ac perficienda erat, seseque praedicantibus neophytos alterum Spiritum accepturos alterumque Evangelium recepturos esse [2], pseudapostoli procul dubio insinuabant iactabantque. Facilitas vero, qua Corinthii eiusmodi viros sustinuerunt, clarissime probabat, Pauli timorem, ne a simplici sua in Christum fide exciderent, non esse vanum. Summo ergo cum iure eorum mobilitatem ironice perstringens *praeclare* eos egisse dicit istis melioris Evangelii venditatoribus adhaerentes. Vituperium tamen suum ironicum aliquantulum mitigat, quum in apodosi pro praesente ἀνέχεσθε (*sustinetis*), quod exspectatur et a paucis codd. revera exhibetur (cfr *VV. LL.*), imperfectum ἀνείχεσθε (*sustinebatis*) adhibens innuat, nunc non amplius eos istam impudentiam tolerare. Quod vero aliis placet, ἀνείχεσθε hic esse imperfectum hypotheticum (pro ἀνείχεσθε ἂν *sustineretis*), id minus recte dici videtur, quia nulla est ratio, cur duarum constructionum hypotheticarum hic admittatur permixtio et confusio.

1. Hanc explicationem aliqui antiquiores saltem innuunt; cfr *Phot.* apud *Oecum.*: « Quod autem ait καλῶς ἀνείχεσθε (praeclare sustineretis), non est laudantis, sed acerbius arguentis »; *Nat.* etc.

2. Duo verba diversa (ἕτερον πνεῦμα, ὃ οὐκ ἐλάβετε, ἕτερον εὐαγγέλιον, ὃ οὐκ ἐδέξασθε, alium Spiritum, quem non *accepistis*, aliud Evangelium, quod non *recepistis*) Paulus adhibet, quia alio modo Spiritus dona, alio Evangelium datur; Spiritus dona sua largitur prout vult (cfr 1 *Cor.* 12,7. 11) atque ad ea accipienda hominis voluntas non concurrit; Evangelium omnibus offertur, sed eius acceptio liberae hominis voluntati est relicta.

Si vera fuissent, quae pseudapostoli iactabant, se Paulo esse praestantiores apostolos quia perfectius traderent Evangelium, Corinthii recte eos sustinuissent. Quapropter Paulus vituperium suum confirmaturus se illis inferiorem esse negat totius suae gloriationis thema proponens : 5. *Existimo enim, nihil me minus fecisse a magnis apostolis.* Quae versio graeco textui (λογίζομαι γὰρ μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων) non satis consonat, sed ex 12,11 (οὐδὲν γὰρ ὑστέρησα τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων, nihil enim minus *fui* ab iis *qui sunt supra modum apostoli*) ita est corrigenda : *existimo enim nihil me minus fuisse* (*ab*) *iis qui sunt supra modum apostoli,* nisi cum *A^tro^* vertere malueris : « existimo enim, me *in nullo inferiorem fuisse* iis, qui valde sunt apostoli ». Utrum Paulus primarios Apostolos (Petrum Ioannem Iacobum Min.), quos alibi columnas Ecclesiae appellat (*Gal.* 2,9), an adversarios suos iactabundos ac vaniloquos nomine τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων (qui *supra quam valde* sunt apostoli) designet, in controversia est. Priorem sententiam cum *Chrys.* omnes Graeci tenent, omnes antiquiores Latini, qui *Vulg.* versione (*magni* Apostoli) ad eam amplectendam adducebantur, iuniores cath. plerique (*Cai. Est. Lap. Nat. Calm.* etc.), moderni pauci (*M Ev. Ramb.*); eandem antiquiores acath. praetulerunt, ut Petri primatum impugnarent (*Grot. Wolf. Beng.* etc.), et aliqui moderni praeferunt, quamvis polemica illa ratione non ducantur (*Baur. Hilg. Holst. Heinr.* etc.). Verum inde a saec. 16. altera sententia, quam *Gl. ord.* iam commemorat ac praeferre videtur[1], praevalere coepit; eam contextui magis consonare iam monent *Gagn. Iust. Pic.* etc., eamque moderni fere omnes amplectuntur (*Mai. Bisp. LR. Dr.* etc. — *Mey. Kl Br. Goeb. Schn.* etc.), idque iure merito, ni fallor, si debita contextus, uti decet, ratio habetur. Nomen per se quidem in magnos Apostolos quadrare, non plane negamus; fieri enim potuit, ut Pauli adversarii ad eius auctoritatem apostolicam deprimendam Petrum Iacobum Ioannem, a quibus sese esse missos iactabant, *praegrandes* Apostolos (τοὺς ὑπερλίαν ἀποστόλους) vocarent ac Paulus ex eorum quasi ore istud nomen adoptaret; mordacem tamen ironiam potius quam laudem appellatio illa proxime sapit. Accedit, quod in *v.* 4. non minus quam in *v.* 6. de solis adversariis suis Paulus agat et in tota sua gloriatione non veris Apostolis sed pseudapostolis se inferiorem non esse ostendat, in nostra

1. Ita saltem iuxta editionem, quam prae manibus habeo (Antwerpiae 1634); sed quia in editione hac non pauca operi Walafridi Strab. sunt addita, ex mediae autem aetatis scriptoribus, qui omnes magis minusve a Glossa dependent, nullus hanc sententiam commemorat, dubitari potest, an glossa haec primo auctori debeatur.

autem sententia nihil legatur, quo eam de Petro eiusque sociis interpretari cogamur.

Pseudapostolis igitur, qui in immensum gloriantes omnibus se praetulerunt, Apostolus se inferiorem esse negat; una tamen in re ab illis superari se scivit, quare eam statim illis concedit, ut maiore cum vi praestantiam in iis, quae verum Apostolum constituunt, sibi vindicet; simul vero ad neophytorum testimonium provocat, quo sua praestantia demonstretur : 6. *nam et si* (lege : *et si autem* εἰ δὲ καί) *imperitus sermone, sed non scientia; in omnibus autem manifestati sumus vobis* (melius ex graeco : *sed in omni* [sc. re] *manifestati sumus in omnibus relate ad vos*). « De conscientiae veritate, non de humilitate » quadam ficta Paulum *imperitum sermone* (ἰδιώτην τῷ λόγῳ) semetipsum appellasse, recte monet *S. Hier.*; minus recte vero sufficientem linguae graecae scientiam veramque eloquentiam ei defuisse ex his verbis colligit (ad Algas. ep. 121,10; in Gal. 6,1; in Eph. 3,1 etc.), siquidem eum et linguam graecam egregie calluisse et eloquentissimum fuisse, eius epistolae luculentissime testantur (cfr *Introd. spec.* in Nov. Test. p. 390 sqq.). Ignarum potius se dicit ventosae illius ac fucatae eloquentiae, qua adversarii eius gloriabantur, quum sermonis ac sapientiae mundanae sublimitatem verbaque persuasibilia, quibus illi abutebantur, respueret[1] (cfr 1 *Cor.* 2,1. 4). Itaque commenticiam quandam opinatamque praestantiam adversariis concedit, ut sibi *scientiam* (γνῶσιν), primam ac summam genuini Apostoli dotem, vindicet « innuens illos, quo magis de sua eloquentia glorientur, eo magis scientia Dei esse orbatos in eaque vere esse idiotas » (*Theoph.*). Neque vero imperitum sermone at non scientia temere se dicit, sed tota eius agendi ratio manifestata est relate ad Corinthios i. e. apud eos, ita ut assertionem hanc testimonio suo confirmare queant. Pulchre porro ἐν παντί... ἐν πᾶσιν sese manifestatum asserit, quum et singulae eius actiones (ἐν παντί) atque omnes simul (ἐν πᾶσιν) coram oculis Corinthiorum pateant. Minus recte alii secundum mem-

1. Similis dicendi modus apud *Xenoph.* de venat. : « equidem autem idiotes sum..; forsitan igitur verbis non arte compositis (οὐ σεσοφισμένοις) loquar: neque enim illud quaero, sed recta quaero dicere praecepta, quibus bene educati ad virtutem sectandam indigent; nam ad vitam non instituunt verba, sed sententiae rectae ». — Bene *Iust.* : « Existimo Paulum dixisse se imperitum esse sermone, quod eius oratio minime esset fucata aut calamistris ornata, neque inanem verborum apparatum aut peregrina pigmenta prae se ferret, sed simplex et ad docendum accommodata, ut hac ratione obtrectatores suos perstringeret, utpote qui verborum phaleras et nimis elaboratum dicendi genus sectarentur, non tam ut fidei dogmata traderent, quam ut suam eloquentiam dicendique facultatem ostentarent, quum alioquin rerum ac sententiarum inopia laborarent vel certe nihil novi afferrent, quod Corinthii antea ab Apostolo non audissent ».

brum (ἐν πᾶσιν) masculine explicant *inter omnes*, nam quibus manifestatus sit verbis εἰς ὑμᾶς indicatur. Minus recta quoque altera lectio φανερώσαντες esse videtur, nisi cum nonnullis codd. suppleas ἑαυτούς (sed in omnibus *manifestavimus nosmet ipsos* relate ad vos); arctior enim est sensus, si cum plerisque supples αὐτήν (sed in omnibus manifestavimus eam [sc. scientiam nostram] vobis), siquidem ex sequente sententia elucet, Apostolum de integra sua agendi ratione, quae Corinthiis manifesta sit, cogitasse.

2). *Sese Evangelium Corinthiis gratuito praedicasse praedicaturumque esse gloriatur* 11,7-15).

11,7. *Aut numquid peccatum feci, me ipsum humilians, ut vos exaltemini? quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis?* 8. *Alias ecclesias exspoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum.* 9. *Et quum essem apud vos, et egerem, nulli onerosus fui : nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres qui venerunt a Macedonia : et in omnibus sine onere me vobis servavi, et servabo.* 10. *Est veritas Christi in me, quoniam haec gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaiae.* 11. *Quare? Quia non diligo vos? Deus scit.* 12. *Quod autem facio, et faciam : ut amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, ut in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos.* 13. *Nam eiusmodi pseudapostoli, sunt operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi.* 14. *Et non mirum : ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis.* 15. *Non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiae : quorum finis erit secundum opera eorum.*

11,7. ἢ ἁμαρτίαν ἐποίησα ἐμαυτὸν ταπεινῶν, ἵνα ὑμεῖς ὑψωθῆτε, ὅτι δωρεὰν τὸ τοῦ Θεοῦ εὐαγγέλιον εὐηγγελισάμην ὑμῖν; 8. ἄλλας ἐκκλησίας ἐσύλησα λαβὼν ὀψώνιον πρὸς τὴν ὑμῶν διακονίαν, 9. καὶ παρὼν πρὸς ὑμᾶς καὶ ὑστερηθεὶς οὐ κατενάρκησα οὐθενός· τὸ γὰρ ὑστέρημά μου προσανεπλήρωσαν οἱ ἀδελφοὶ ἐλθόντες ἀπὸ Μακεδονίας, καὶ ἐν παντὶ ἀβαρῆ ἐμαυτὸν ὑμῖν ἐτήρησα καὶ τηρήσω. 10. ἔστιν ἀλήθεια Χριστοῦ ἐν ἐμοί, ὅτι ἡ καύχησις αὕτη οὐ φραγήσεται εἰς ἐμὲ ἐν τοῖς κλίμασιν τῆς Ἀχαΐας. 11. διὰ τί; ὅτι οὐκ ἀγαπῶ ὑμᾶς; ὁ Θεὸς οἶδεν. 12. ὃ δὲ ποιῶ, καὶ ποιήσω, ἵνα ἐκκόψω τὴν ἀφορμὴν τῶν θελόντων ἀφορμήν, ἵνα, ἐν ᾧ καυχῶνται, εὑρεθῶσιν καθὼς καὶ ἡμεῖς. 13. οἱ γὰρ τοιοῦτοι ψευδαπόστολοι, ἐργάται δόλιοι, μετασχηματιζόμενοι εἰς ἀποστόλους Χριστοῦ. 14. καὶ οὐ θαῦμα· αὐτὸς γὰρ ὁ σατανᾶς μετασχηματίζεται εἰς ἄγγελον φωτός· 15. οὐ μέγα οὖν, εἰ καὶ οἱ διάκονοι αὐτοῦ μετασχηματίζονται ὡς διάκονοι δικαιοσύνης, ὧν τὸ τέλος ἔσται κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν [1].

Ab integritate, qua Corinthiis Evangelium gratis annuntiaverat, utpote a re manifestissima, gloriationem suam inchoat. Sibi quidem tamquam genuino Christi Apostolo sustentationem a fidelibus, inter

1. *VV. LL.* — 7. ἢ ἁμαρτίαν ἐποίησα (*an* vel *numquid* peccatum feci) est communis lectio, quam inter Latinos *S. Aug.* (de op. mon. 12) exhibet; minus apte : ἢ μὴ ἁμαρτίαν ἐποίησα (*aut numquid* peccatum feci) F G cum plerisque Latinis (*Atro, Pel. Vulg.*). — 14. οὐ θαῦμα (non est *res mira*) B ℵ D F G P R cum paucis minusc.; sed *textus rec.* eodem sensu : οὐ θαυμαστόν (non est mirabile) cum E K L M, plerisque minusc. et PP.

quos laboraret, non tantum accipere sed etiam postulare licere, se tamen, ut praestantiorem acquireret coronam, isto iure Corinthi nec usum nec usurum esse, in priore epistola iam exposuerat (1 *Cor.* 9, 1-18). At aliam viam pseudapostoli tenuerunt; etenim neophytorum sumtibus laute ipsi victitantes (cfr *v.* 20; 1 *Cor.* 9,12) Paulum quod eodem modo non ageret vituperare non verebantur eiusque agendi rationem genuinum Apostolum dedecere, videntur dictitasse. Quapropter iure merito, ut se illis non inferiorem sed longe superiorem esse demonstret, primum Corinthiis in memoriam revocat, quanta cum integritate inter eos versatus sit (7-9), deinde in posterum se eodem modo inter eos acturum esse asserit, ne adversarii sese hac in re ipsi adaequare possint (10-12), quum veri Apostoli non sint sed ministri satanae (13-15).

Quia illa virtus, quam suam gloriam (καύχημα) vita ipsa pretiosiorem vocat (1 *Cor.* 9,15), adversariis ansam obtrectationis invidiaeque praebuerat, sancta cum indignatione interrogat : 7. (*aut*) *numquid peccatum feci me ipsum humilians, ut vos exaltemini* (rectius *S. Aug.* de op. mon. 12 : *exaltaremini*), *quoniam gratis Evangelium Dei annuntiavi vobis?* Ultimum membrum (*quoniam gratis* etc. ὅτι δωρεὰν κτλ), quum a verbo *peccatum feci* (ἁμαρτίαν ἐποίησα) dependeat participiumque *humilians me ipsum* (ταπεινῶν ἐμαυτόν) explicet, solo commate a prioribus seiungatur oportet. Corinthios ipsos quidem alloquitur, at vituperium, quod interrogatione indignabunda continetur, pseudapostolos ferit, qui ut suam agendi rationem excusarent, Evangelium ipsum vile reddi despectuique exponi dicebant, si eius praecones velut vilia mancipia labore manuum victum quotidianum quaerebant. Longe vero aliter Paulus rem considerat ad finem attendens, qui praeconibus Evangelii propositus est; sese enim humiliare, i. e. in viliorem conditionem redigere, quin etiam rebus ad vitam necessariis egere ac fame laborare non recusat, dummodo hoc pacto aliquos ex vili peccati statu ad vitam supranaturalem exaltet in eaque confirmet; « Apostolo enim in angustiis versante Corinthii magis aedificabantur et non scandalizabantur » (*Chrys.*).

Quam cautus vero fuerit, ne quid a Corinthiis suos in usus accipiens Evangelii propagationem impediret (cfr ad 1 *Cor.* 9,12), uberius describit, ut quanto cum iure de gratuita sua praedicatione suaque integritate glorietur clarius doceat. Quamvis enim tanta in egestate degeret, ut aliarum ecclesiarum eleemosynas accipere coactus esset, a divitibus tamen Corinthiis nihil accipere voluit : 8. *alias ecclesias exspoliavi accipiens stipendium ad ministerium vestrum.* Duro deprae-

dandi (ἐσύλησα *exspoliavi*) verbo non tam utitur, « ut magis urgeat et culpabiles ostendat Corinthios » (*Est.* etc., *Bisp.* etc.), siquidem de eorum maiore minoreve culpa hic non agitur[1], quam ut se non nisi invitissimum extremaque necessitate victum aliquid ab aliis accepisse innuat; ab aliorum scilicet facultatibus in suos usus convertendis animus eius tantopere abhorruit, ut alios depraedare sibi ipsi videretur, quotiescumque ab eis eleemosynam, quamvis libenter datam, accipiebat. Neque tamen multa ad profusos sumtus, uti adversarios eius, sed pauca dumtaxat ad necessarios usus sese accepisse vocabulo *stipendii* (ὀψώνιου cfr ad 1 *Cor.* 9,7) insinuat. Ecclesiae autem, quas sese exspoliasse dicit, ut Corinthiis evangelica praedicatione ministrare posset (*ad ministerium vestrum*), procul dubio erant macedonicae (cfr *Phil.* 4,15), quas suis sumptibus Paulum, quum Macedoniam relinquere cogeretur, in Achaiam deduxisse ex Lucae narratione satis colligitur (*Act.* 17,14. sq.). Pauperum igitur Macedonum stipe adiutus Corinthum venerat, ibique ne cui esset oneri ab initio scenofactoriam suam artem exercuerat (*Act.* 18,3); sed praedicatione Evangelii macedonicarumque ecclesiarum, quae persecutionibus premebantur, sollicitudine distentum solo manuum suorum labore vitam sustentare aegre potuisse facile intelligitur, ideoque mirum non est, quod Corinthi quoque ad extremum inopiae iterum venerit. At ne tum quidem quidquam a Corinthiis accepit, sed indigere maluit, usque dum eleemosynis Macedonum rursus sublevaretur : 9. *et quum essem apud vos*, in ecclesiae vestrae fundatione occupatus, *nulli onerosus fui*(οὐ κατενάρκησα οὐθενός[2]); *nam quae mihi deerant* (τὸ γὰρ ὑστέρημά μου nam *inopiam* meam cfr 8.,14) *suppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia*, sc. Silas ac Timotheus (*Act.* 18,5) eleemosynis allatis, ita ut deinceps quotidianae vitae curis non amplius impeditus instarem

1. Indirectum quidem vituperium Corinthiorum hac sententia contineri non negamus, at illud verbo συλᾶν non innuitur, sed ultimo membro ὀψώνιον πρὸς τὴν ὑμῶν διακονίαν. Etenim milites stipendium (ὀψώνιον cfr *Luc.* 3,14; *Rom.* 6,23; 1 *Cor.* 9,7) ab iis accipere solent, quibus militant; Apostolus vero Corinthiis praedicatione sua ministrans ac militans ab aliis stipendium accipere cogebatur : « vobis praedicans, ab aliis alebar » (*Theod.*).

2. Verbum καταναρκᾶν, quod proprie significat *torpere*, transitive iam ab Alexandrinis usurpatur (efficere ut torpeat cfr *Gen.* 32,25. 32; *Iob.* 33,19) atque simili modo a Paulo sensu *gravandi* adhibetur (οὐκ ἠτόνησα οὐδὲ ἐξέλυσα τὴν ὑπομονήν « nec obtudi nec defatigavi patientiam » *Oec. Theoph.*). Alteram vero significationem intransitivam, quam *Oec.* et *Theoph.* proponunt (οὐκ ἠμέλησα ἢ ῥαθυμότερος πρὸς τὸ κήρυγμα γέγονα « nec negligens nec segnior ad praedicationem fui ») nec ad nostrum locum nec ad 12,13. 14 quadrare patet; saepius autem verbum καταναρκᾶν in Novo Test. non legitur. — Vox ἀβαρής (*v.* 9) proxime significat *sine pondere* s. levis; quo sensu autem nostro in loco, in quo solo legitur, adhibeatur, satis apparet, si 1 *Thess.* 2,9 comparatur : « nocte et die laborantes, ne quem vestrum *gravaremus* (πρὸς τὸ μὴ ἐπιβαρῆσαί τινα ὑμῶν).

verbo; *et in omnibus sine onere* (ἀβαρῆ non molestum) *me vobis servavi et servabo.*

Ultimo verbo (*et servabo*) ad ea iam transiit, quae in posterum hac in re Corinthi agere velit. Sicut in priore epistola ius sustentationis a fidelibus accipiendae ac postulandae sibi competere non ideo se demonstrasse dixit, ut deinceps ab eis sustentaretur (1 *Cor*. 9,15), ita nunc quoque se suam agendi rationem mutaturum non esse monet; et sicut ibi magna cum vi se mortem ipsam exinanitioni huius suae gloriae praeferre asseruit, ita hic non minore cum vi illud *et servabo* confirmat: **10.** *est veritas Christi in me, quoniam haec gloriatio non infringetur in me* (οὐ φραγήσεται εἰς ἐμέ) *in regionibus Achaiae.* Christum in ipso habitare ac loqui, Paulo erat persuasum (cfr **13,3**), seque omnia, quae loquitur, in Christo coram Deo loqui non semel asserit (**2,17;12,19**; *Rom.* **9,1** etc.). Quare ut deliberato animo se loqui ostendat, Christum, qui veritate sua in ipso inhabitat, testem adhibet (cfr **1,18**); firmissime enim id sibi proposuit, ut omni qua posset ratione impediret, ne gloriationi integritatis suae via praecluderetur, i. e. ne quis ex ipsius actionibus gloriationem istam vanam ostendere posset. « Metaphora, inquit *Chrys.*, a flumine desumta est »; fama enim integritatis eius quasi flumen sese propagare coeperat; si autem in posterum Corinthiorum dona accepisset, ea velut molem famae suae sese propaganti opposuisset. Neque tamen minus apta est *Theod.* explicatio, qui locutionem τὸ στόμα τινὸς φράσσειν (os alicui obstruere, i. e. ad silentium redigere *Rom.* **3,19**) comparans non tam metaphoram quam metonymiam agnoscit: « gloriatio haec (i. q. os de his glorians) non obstruetur relate ad me », i. e. non fiet, ut obmutescat haec mea gloriatio.

Cuius propositi rationem addens praeprimis calumniam reiicit, quam obtrectatores eius videntur sparsisse, ob suam nimirum a Corinthiis aversionem eum illorum eleemosynas respuere; sed quia toties iam in hac epistola insignem caritatem, qua ecclesiam corinthiam complectebatur, asseruerat ac demonstraverat, calumniae huic non immoratur, sed simplici provocatione ad Dei, qui corda scrutatur, scientiam confutat *infra* (**12,13** sqq.) ad eandem reversurus: **11**. *quare* hanc integritatis meae gloriationem in regionibus Achaiae infringi nolo? *Quia non diligo vos? Deus scit.* Eam deinde rationem affert, qua quidem ab initio, ut sine sumtu poneret Evangelium, non erat permotus, qua vero tunc, ut eundem agendi modum retineret, quam maxime impellebatur. Namque ut eximiam ac plane singularem operis supererogatorii mercedem sibi acquireret, suo sustentationis iuri Corinthi renuntiaverat (cfr ad 1 *Cor*. 9,15 sqq.); eidem autem in

regionibus Achaiae adversariorum suorum causa quoque in posterum renuntiare voluit: 12. *quod autem facio* et hucusque feci, id *et faciam* deinceps, *ut amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, ut in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos.*

Satis obscura nobis est sententia, quia accuratum rerum statum, qui supponitur quique Corinthiis erat cognitus, nonnisi coniecturis magis minusve certis assequimur; quare pro variis, quas statuunt, hypothesibus interpretes in ea construenda et explicanda quam maxime dissentiunt; tres autem sunt praecipuae interpretationes. *Chrys.*, quem *Theoph.* paucique moderni (acath. *Grot. Billr. Rück.* etc.) sequuntur, pseudapostolos quoque, utpote homines divites, Corinthi gratis docuisse ac suam integritatem ostentasse supponit; eos vero Paulum ad Corinthiorum stipendium accipiendum adducere voluisse, ut non tantum sapientia et eloquentia sed etiam integritate sese ei praestare iactarent. Ad constructionem porro quod attinet, duas sententias finales (ἵνα ἐκκόψω... ἵνα εὑρεθῶσιν *ut amputem... ut inveniantur*) inter se parallelas esse eodemque modo a verbo ποιήσω (*faciam*) ita dependere statuunt, ut secunda priorem quasi explicet. Iuxta eos igitur hic exoritur sensus : Etiam in posterum nihil accipiam eo fine, ut (hanc *gloriandi*) occasionem amputem iis, qui (*gloriandi* quamcumque) occasionem quaerunt; (nihil accipiam), ut (adversarii in integritate) in qua gloriantur, inveniantur sicut et nos (i. e. nobis non praestantiores). At non tantum erroneae hypothesi (pseudapostolos gratis praedicasse) haec interpretatio innititur (cfr *v.* 20; 1 *Cor.* 9,12), sed parum recte quoque verba *sicut et nos* (καθὼς καὶ ἡμεῖς) idem esse dicuntur quod *nobis non meliores.*

Antiquiores Latini plerique (cfr *Pel. Prim.* etc., *Herv*[2]. *Thom*[2]. *Lyr. Dion.* etc.), Paulum dicere arbitrantur, se ideo in posterum quoque nihil esse accepturum, ut adversariis omnem accipiendi praetextum abripiat eosque hac ratione ad suae integritatis exemplum imitandum adducat. Haud multum differt multorum modernorum interpretatio, quamvis eam diligentius excoluerint verbisque paulinis accuratius adaptaverint (cfr *Bisp. L R. Dr.* etc. — *Ros. Mey. Heinr. Kl Br.* etc.). Cum *Theod.* enim supponunt, pseudapostolis, quamvis a Corinthiis dona *clam* extorquerent, externam integritatis speciem prae se tulisse atque occasionem quaesivisse, ut Paulum avaritiae incusarent. Verba paulina autem ita construunt, ut secunda sententia finalis (ἵνα εὑρεθῶσιν) a priore (ἵνα ἐκκόψω ἀφορμήν) dependeat ultimumque finem, quem Paulus in pristino agendi modo continuando habuerit, indicet. Hunc ergo inveniunt sensum : In posterum quoque a stipendio accipiendo me abstinebo, ut (adversariis meis) qui occasionem (quamcumque *mei calumniandi*) quaerunt, occasionem (*avaritiae meae incusandae*) amputem, (idque eo fine) ut in qua gloriantur (integritate) inveniantur sicut et nos, i. e. ut a donis accipiendis sese abstinere cogantur atque ad meum exemplum non fictam, sed veram integritatem sectentur. Quae explicatio priori quidem praestat, duobus tamen incommodis laborat. Pseudapostolos enim stipendia occulte accepisse ac nihilominus

de sua integritate aperte esse gloriatos, non tantum temere sed etiam, si 1 *Cor.* 9,12 comparatur, erronee asseritur. Eiusmodi deinde homines, quales Paulus statim (*v.* 13 sqq.) describit, se suo exemplo ad veram integritatem observandam adducturum esse, sperare non potuit, id ergo pro fine frustra sibi proposuisset; multo minus vero pro fine habuit, ut eos ad fictam suam integritatis speciem continuandam provocaret.

Tertiam itaque praeferendam ducimus explicationem, quam *S. Aug.* (de serm. Dom. in monte II. 16) primus innuit, *Herv.* et *Thom.* primo in loco proposuerunt, iuniores plerique et moderni nonnulli, licet in minoribus inter se dissentiant, aliis interpretationibus reiectis tuiti sunt (cfr *Cai. Gagn. Iust. Est. Nat.* etc., *M Ev. Mai.* etc. — *Beng. Flatt Goeb.* etc.). Omnino enim admittatur oportet, pseudapostolos non tantum a neophytis dona aperte accepisse dureque extorsisse (*v.* 20), sed etiam contrariam agendi rationem genuino Apostolo indignam dixisse (cfr ad *v.* 7) Paulumque incusasse, quod falsam integritatis speciem prae se ferret, quum per se quidem nihil a Corinthiis accepisset, per suos autem legatos ab eis pecunias dolose extorsisset (cfr ad 12,16 sqq.). Namque neophytis illius integritatem magis quam suam ipsorum avaritiam probari optime perspiciebant neque sine causa timebant, ne suum lucrum in Evangelii praedicatione sectantes Corinthiis scandalo essent eorumque animos a se averterent : ideo Pauli integritatem velut fictam traducebant eumque ad illum morem, quem ipsi tenebant, adoptandum permovere conabantur, ut eius exemplo deinceps suam avaritiam contegerent excusarentque. Quod videns Apostolus pristinum suum gratis praedicandi morem Corinthi retinere statuit, ne avari sui adversarii in apostolico muneris exercitio sibi similes esse crederentur. Porro sententia ita construatur oportet, ut secundum membrum finale (ἵνα εὑρεθῶσιν *ut inveniantur*) a verbis τῶν θελόντων ἀφορμήν (*eorum qui volunt occasionem*) dependere eaque explicare accuratiusque definire dicatur; quare hac ratione erit exponenda : Pristinum gratis praedicandi morem retinebo, ut amputem occasionem (τὴν ἀφορμήν occasionem scilicet de sustentatione accepta tamquam de privilegio apostolico gloriandi) iis qui occasionem (aliquam ἀφορμήν sine art.) quaerunt (i. e. qui eo tendunt), ut in quo glorientur (sc. in sustentatione accepta) inveniantur sicut et nos; nobis enim stipendium non accipientibus illi suam nobiscum similitudinem iactare non poterunt. Contra quam explicationem obiicitur quidem (cfr *Bisp.* etc. — *Mey.* etc.), Paulum ad hunc sensum exprimendum dicere debuisse : τῶν θελόντων ἀφορμήν, ἵνα ἡμεῖς εὑρεθῶμεν καθὼς καὶ αὐτοί (occasionem quaerunt, ut *nos* inveniamur *sicut et ipsi*); siquidem eum ad suam ipsorum similitudinem accedere adversarii voluerunt. At inanis est obiectio; aptum quidem istum loquendi modum fuisse non plane negamus, aptiorem vero eum fuisse, quem elegit, asserimus. Namque adversarii, quamvis ipsi apostolicam Pauli dignitatem impugnarent, longe maiorem tamen et saniorem ecclesiae corinthiae partem eum pro genuino Apostolo habere non ignorabant, atque optime quoque sciebant, Corinthios plerosque non inquirere, num Paulus similis sit aliis doctoribus, sed num alii doctores simi-

les sint Paulo patri suo in Christo; ideoque pseudapostoli rectissime dicuntur occasionem quaesivisse, ut invenirentur sicut ipse, quamvis Paulus, ut haec similitudo exoriretur, suum ipsius agendi modum mutare debuisset.

Cur vero adversariis mutato pristino agendi consilio occasionem praebere noluerit de sua cum ipso simililititudine gloriandi, Paulus eorum addita descriptione satis clare docet, quippe qua eos sua cum genuinis Apostolis similitudine ad perversos dumtaxat fines attingendos abuti insinuet : 13. *nam eiusmodi* (οἱ γὰρ τοιοῦτοι *isti enim tales*, qui scilicet occasionem quaerunt, ut nobis similes credantur) *pseudoapostoli sunt* [1], *operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi.* Nomine *pseudoapostolorum* homines designari, qui nomen auctoritatemque verorum Apostolorum sine ullo iure sibi arrogant, clarum est et clarius redditur nominibus additis. Verus enim Apostolus, uti recte habet *Erasm.*, eius agit negotium, a quo est missus, pseudapostolus vero, quum ab alio non sit missus sed sibi ipsi suam missionem arrogatam debet, suum ipsius agit negotium suamque ipsius utilitatem quaerit. Quare quamquam *operarii* sunt, quatenus in ecclesiis tamquam doctores agunt, *subdoli* (δόλιοι fraudulenti) tamen operarii sunt, quibus veri Evangelii praedicatio curae non est, sed propriae utilitatis promotio ac privatorum dogmatum errorumque propagatio. Quem finem ut deinde facilius assequantur, *transfigurant se in Apostolos Christi*, eorum vivendi docendique rationem simulantes speciemque pietatis habentes (2 *Tim.* 3,4) sed nullam internam cum eis exhibentes similitudinem. 14. *Et non mirum* cuiquam videbitur, eiusmodi homines speciem Apostolorum genuinorum induere posse, quandoquidem alias quoque transfigurationes easque perniciosiores a Deo permitti videmus; *ipse enim satanas*, princeps ac dux rectorum tenebrarum harum (*Eph.* 6,12), interdum *transfigurat se in angelum lucis*, licet tenebras inter et lucem completissima sit oppositio nec ulla tenebris ad lucem societas (6,14); unde recta conclusione a maiore ad minus consequitur : 15. *non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur* (transfigurent se) *velut ministri iustitiae : quorum finis erit secundum opera eorum.* Boni angeli ob duplicem rationem *angeli lucis* appellantur : quia nimirum coelesti aeternaque luce gloriae fruuntur coelestisque illius lucis, in qua habitant quaque sicut veste sunt induti, quasi fulgorem secum afferunt, quando hominibus apparent (*Luc.*

1. Iuxta *Vulg. Clem.* interpunctionem vocabulo *eiusmodi pseudapostoli* sunt coniungenda, ut subiectum constituant, cui velut praedicatum accedit sunt *operarii subdoli;* attamen *eiusmodi pseudapostoli* non ab aliis pseudapostolis distinguuntur, qui non sint *operarii subdoli.* Rectius igitur sola vox *eiusmodi* (οἱ τοιοῦτοι isti tales) pro subiecto sumitur, cuius praedicatum deinde est : *sunt pseudapostoli*, *operarii subdoli* etc.

2,9; *Matth.* 28,3; *Act.* 12,7 etc.), dum daemones extremis tenebris sunt addicti; et quia tamquam Dei legati ac ministri luce veritatis sanctitatisque illustrant hominum mentes, quas daemones tenebris errorum peccatorumque obnubilare conantur. Duplici quoque ratione satanas in angelum lucis sese transfigurat, interdum quidem sub boni angeli specie aliquibus apparens, ut eis illudat eosque seducat, frequentius vero nonnulla aut apparenter aut etiam vere bona homini suggerens, quibus eum deinceps ad gravia peccata seducat [1]. Iam Pauli adversarii magistrum dominumque suum (satanam) imitantes personam induere conabantur verorum Apostolorum, qui *ministri iustitiae* vocantur quia gratia divina adiuti veri Evangelii praedicatione homines ad veram iustitiam perducunt. Verum pseudapostoli illi externa sua specie incautos homines quidem fallere possunt, Deo tamen cognita sunt opera eorum, ideoque etiam eorum finis operibus eorum respondebit; omnes enim oportebit manifestari ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum (3,10; cfr 1 *Cor.* 3,17; 2 *Petr.* 2,3. 9 etc.).

2. *Pauli gloriatio de laboribus apostolicis susceptis tribulationibusque toleratis* (11,16-33).

1.) *Novam praemittit excusationem* (11,16-21).

11,16. *Iterum dico (ne quis me putet insipientem esse, alioquin velut insipientem accipite me, ut et ego modicum quid glorier),* 17. *quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriae.* 18. *Quoniam multi gloriantur secundum carnem, et ego gloriabor.* 19. *Libenter enim suffertis*

11,16. Πάλιν λέγω, μή τίς με δόξῃ ἄφρονα εἶναι· εἰ δὲ μή γε, κἂν ὡς ἄφρονα δέξασθέ με, ἵνα κἀγὼ μικρόν τι καυχήσωμαι. 17. ὃ λαλῶ, οὐ κατὰ Κύριον λαλῶ, ἀλλ' ὡς ἐν ἀφροσύνῃ, ἐν ταύτῃ τῇ ὑποστάσει τῆς καυχήσεως. 18. ἐπεὶ πολλοὶ καυχῶνται κατὰ τὴν σάρκα, κἀγὼ καυχήσομαι. 19. ἡδέως γὰρ ἀν-

1. Cfr *S. Cypr.* de unit. eccl. 1. « Providere nos convenit et sollicito vigilantes corde insidias subdoli hostis intelligere pariter et cavere, ne qui Christum sapientiam Dei Patris induimus, minus sapere in tuenda salute videamur. Neque enim persecutio sola metuenda est ea, quae subruendis ac deiiciendis servis Dei aperta grassatur impugnatione... Plus metuendus est et cavendus inimicus, quum latenter obrepit, quum per pacis imaginem fallens occultis accessibus serpit; unde et nomen *serpentis* accepit. Ea est eius semper astutia, ea est circumveniendi hominis caeca et latebrosa fallacia. Sic ab initio statim mundi fefellit et verbis mendacibus blandiens rudes animas incauta credulitate decepit. Dominum ipsum tentare conatus, quasi obreperet rursus et falleret, latenter accessit. Intellectus tamen est et retusus, et ideo prostratus, quia agnitus ac detectus. Unde nobis exemplum datum est veteris hominis viam fugere, vestigiis Christi viventis insistere... (At) Christi adventu detectus ac prostratus inimicus, postquam lux gentibus venit,... videns idola derelicta et per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitavit novam fraudem, ut sub ipso christiani nominis titulo fallat incautos. Haereses invenit et schismata quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem. Quos detinere non

insipientes : quum sitis ipsi sapientes. 20. *Sustinetis enim, si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos caedit.* 21. *Secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte; in quo quis audet (in insipientia dico), audeo et ego.*

ἔχεσθε τῶν ἀφρόνων, φρόνιμοι ὄντες· 20. ἀνέχεσθε γὰρ, εἴ τις ὑμᾶς καταδουλοῖ, εἴ τις κατεσθίει, εἴ τις λαμβάνει, εἴ τις ἐπαίρεται, εἴ τις εἰς πρόσωπον ὑμᾶς δέρεῖ. 21. κατὰ ἀτιμίαν λέγω, ὡς ὅτι ἡμεῖς ἠσθενήκαμεν· ἐν ᾧ δ'ἄν τις τολμᾷ, ἐν ἀφροσύνῃ λέγω, τολμῶ κἀγώ [1].

Ab acerbissima pseudapostolorum descriptione ad novam gloriationem transiturus Apostolus pro sua modestia et humilitate alteram praemittendam duxit excusationem, qua priorem suam precationem (*v.* 1) repeteret sed novis simul rationibus ita fulciret, ut neophytos illos, a quibus ad hanc sui commendationem quasi cogebatur (cfr 12,11), haud leviter carperet. Bene *Thom.* relationem, quae priorem inter et hanc intercedit excusationem, iam indicat : « supra Apostolus induxit Corinthios, ut patienter commendationem sustinerent, ostendens, quod hoc faciebat ex zelo, quem habebat ad eos et quod zelus ille erat rationabilis et ordinatus; hic autem ponit aliam rationem, per quam ostendit quod dato, quod insipienter ageret, nihilominus deberent eum supportare : unde in hac ratione procedit ex suppositione stultitiae ». Revera petitionis repetitae, ut a Corinthiis, etsi insipienter loqui videatur, patienter audiatur (16. 17), duo quasi argumenta affert : sese ipse enim commendans exemplum adversariorum

potest in viae veteris caecitate, circumscribit et decipit novi itineris errore. Rapit de ipsa Ecclesia homines; et dum sibi appropinquasse iam lumini atque evasisse saeculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras rursus infundit, ut cum Evangelio Christi et cum observatione eius et lege non stantes sese Christianos vocent, et ambulantes in tenebris habere se lumen existiment, blandiente adversario et fallente, qui secundum Apostoli vocem *transfigurat se velut angelus lucis et ministros suos subornat velut ministros iustitiae*, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub praetextu fidei, antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur ». etc. — Cfr etiam *S. Greg. M.* Moral. XXX. 24 (al. 22.), *Thom.* i. h. l. etc.

1. *VV. LL.* — 17. κατὰ Κύριον (secundum *Dominum*) est communis lectio, quam aliqui boni *Vulg.* codd. (*Amiat. Tol.* etc.) tuentur; paucissimi minusc. legunt κατὰ Θεόν (secundum Deum), quae communior est lectio Latinorum : *It.* (*S. Aug. Ater* etc.) *Vulg. Clem.* (cum *Fuld. Demid.* etc.). — 18. Utrum κατὰ τὴν σάρκα cum B E K L M P et plerisque minusc., an sine artic. κατὰ σάρκα cum ℵ D E G R paucisque minusc. legatur, parum interest, quum sensus vix aut ne vix quidem mutetur. — 21. ἠσθενήκαμεν vel ἠσθενήσαμεν (infirmi fuimus) sine additamento est communis lectio, quam ex Latinis sequuntur *S. Aug.* (Doctr. christ. IV. 7,12) et nonnulli boni codd. *Vulg.* (*Am. Tolet.* etc.); sed D E addunt ἐν τούτῳ τῷ μέρει (*in hac parte*), quam lectionem plerique Latini habent. Latini quoque (praeter *S. Aug.*) in sequentibus verbis ἐν ᾧ δ'ἄν τις (in quo *autem* quis) particulam δέ (*autem*) haud recte omittunt.

suorum sequitur (*v.* 18) remque facit Corinthiis gratam, qui se eiusmodi stultitiam amare sua agendi ratione demonstrent (19-21).

16. *Iterum dico : Ne quis me putet insipientem esse; alioquin* (εἰ δὲ μή γε *si autem non* sc. hoc a vobis obtinebo, ut me pro insipiente non habeatis) *velut insipientem accipite me, ut et ego modicum quid glorier*. Cum *Vulg. Clem.* nonnulli integram sententiam (*ne quis me putet.... quid glorier*) velut parenthesin uncis includunt verbaque *iterum dico* cum sequente *v.* 17. connectunt (*Est.* etc.). Quam constructionem nec necessariam nec satis aptam esse, antiquorum omnium quum Graecorum (*Chrys. Theod.* etc.) tum Latinorum (*S. Aug.* Doctr. Christ. IV. 7,13, *A*[ter], *Pel.* etc., *Herv. Thom.* etc.) explicatio docet, qui omnes verba immediate sequentia (*ne quis me putet* etc.) illa ipsa esse recte censent, quae Paulus se *iterum dicere* asserit. Utique illa ipsa verba, quae *v.* 17. dicuntur, Apostolus hucusque nondum dixerat [1]; petitio vero, ut ipsius insipientiam Corinthii patienter ferant, fere eadem *v.* 1. iam legitur, ac prohibitio quoque, ne quis ipsum pro insipiente habeat, eodem *v.* 1. saltem indirecte est expressa, sive ironice, sive ex adversariorum infirmorumque neophytorum mente et opinione Paulum eo in loco vocem *insipientiae* adhibuisse statuimus (cfr ad *v.* 1). Recte autem ex hac praefatiuncula *Chrys.* colligi monet, Apostolum non nisi invitissimum gloriationem suam continuare; sanae enim mentis virum, qui insipientiae incusationem sustinere ac pro stulto haberi, quam a suis meritis recensendis desistere mavult, vera necessitate ad loquendum impelli, fatendum est.

Itaque si Corinthii externam insipientiae speciem, quam prae se ferre ille quoque quodam modo potest, qui ob iustissimam causam vera sua merita prodit, ab ipsa insipientia illorum, qui sine causa aut ob pravum finem fictas suas laudes decantant, distinguere aut nequeunt aut nolunt, Paulus etiam stultitiae suspicionem non refugit, dummodo id assequatur, ut ea quae dictu censet necessaria a neophytis patienter audiantur. De sola vero externa specie insipientiae agi verba sequentia docent : 17. *quod loquor, non loquor secundum Deum* (lege : *Dominum* Κύριον), *sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriae* (cum *A*[tro] lege : *gloriationis* τῆς καυχήσεως). Oppositio, quae inter duo membra κατὰ Κύριον (*secundum Dominum*) et ὡς ἐν

1. Ad hanc difficultatem eludendam *Est.* prima verba *v.* 16. (*Iterum dico*) cum ultimis *v.* 17 (*in hac substantia gloriae*) connectit atque initium *v.* 17 (*quod loquor* etc.) pro sententia *concessiva* sumens hunc sensum invenit : « Iterum dicere aggredior, quae ad laudem meam spectant, tametsi ea, quae dicam, dicturus non sim quasi secundum Deum ». Quam constructionem et explicationem nec graecae nec latinae grammaticae consentire nec aptum praebere sensum, evidens est.

ἀφροσύνῃ (*quasi in inspientia* i. e. similis insipienti) adest, omnino postulat, ut particula comparativa ὡς ante priorem quoque expressionem suppleatur (οὐ ὡς κατὰ Κύριον i. e. non similis ei qui loquitur secundum Dominum). Porro ultimum membrum (ἐν ταύτῃ τῇ ὑποστάσει τῆς καυχήσεως), si vocabulo ὑποστάσεως cum omnibus Graecis (*Chrys. Theod.* etc.) et latino interprete significationem *argumenti* vel *materiae* attribuimus, cum duobus primis sententiae vocabulis connectatur oportet : Quod in hac materia (in hoc argumento) gloriationis loquor, id non loquor quasi secundum Dominum, qui discipulos suos suam humilitatem imitari (*Matth.* 19,20) et a propris laudibus abstinere (*Luc.* 17,10) iussit, sed quasi insipiens. Hinc satis iam patet, Apostolum non negare, se secundum Dominum in sua gloriatione loqui, sed id unum asserere, gloriationem suam secundum externam illius formam similem esse gloriationi hominis insipientis atque Domini praecepta negligentis. Quem genuinum esse verborum sensum clarius elucet, si Paulum in sententia immediate praecedente prohibuisse attenditur, ne quis ipsum pro insipiente habeat. Haud immerito igitur *Chrys.* « gloriatio, inquit, *per se* secundum Dominum non est, sed ab intentione efficitur, ut talis (i. e. secundum Dominum) sit; ideo dixit : *quod loquor,* non causam, sed verba reprehendens; etenim scopus ac finis adeo eximius erat, ut et verbis ornamentum afferret ». At ne ipsa quidem verba absolute reprehenduntur, sed similia tantum dicuntur verbis viri non secundum Dominum ideoque insipienter loquentis.

Ceterum communi, quam exposuimus, interpretationi nescio annon praeferenda sit nonnullorum modernorum (cfr *Mai. L R* etc. — *Mey. Heinr. Goeb.* etc.) explicatio, qui vocabulum ὑποστάσεως hic *fiduciam* significare censent (cfr ad 9,4) et ultimum membrum cum immediate praecedentibus verbis coniungere malunt : « Quod loquor, non loquor (quasi) secundum Dominum, sed quasi in insipientia in hac (tanta) fiducia gloriationis ». Insipientes scilicet magna cum fiducia opinatas suas laudes iactant; atque magnam fiduciam Paulus quoque in sequente sua gloriatione prae se fert, ita ut ratione istius fiduciae possit insipientiae accusari. Clarius, si haec interpretatio admittitur, apparet, eum nequaquam de rebus ipsis, quas dicturus est, sed de sola externa forma, qua illas dicturus est, agere nec proin ullo modo hanc sententiam ita explicari posse, ut Apostolus suam inspirationem negare videatur. A Spiritu impulsus etiam laudes suas celebrat, quamvis in fiducia, quam ipsam quoque impulsus ac directus a Spiritu S. prodit, aliquis eum insipienti similem dicere queat.

Ironice dein duas rationes affert, quibus ad gloriationem continuandam moveatur, atque primam ex adversariorum suorum agendi modo desumit, quo quasi provocatus sit : 18. *quoniam multi gloriantur secundum carnem, et ego gloriabor.* Quinam illi *multi* essent, opus non erat dicere ; *secundum carnem* autem gloriabantur, uti cum *Chrys.*

tantum non omnes cath. interpretes tenent, quatenus « externas res, nobilitatem, opes, eruditionem, circumcisionem, hebraeos avos, aliorum existimationem » iactabant (cfr ad 5,16) atque in eiusmodi rebus mere naturalibus fiduciam suam ponebant (cfr *Phil.* 3,4 sqq.). Quod vero *Cai.* consentientibus nonnullis modernis acath. (*Rück. Mey. de W.* etc.) *secundum carnem* hic idem esse censet quod « secundum carnalem affectum », id vel ideo admitti nequit, quia in altero membro (*et ego gloriabor*) appositio illa necessario est supplenda, Paulus autem dicere non potest, se secundum carnalem et pravum affectum esse gloriaturum; adversarios potius imitatus externis istis rebus sese non minus quam illos praeditum esse gloriatur (*v.* 22), ut statim deinde ad maiora et sublimiora sua dona transeat.

Porro ad adversarios imitandos Paulus eo magis, uti mordaci iterum cum ironia addit, stimulabatur, quia Corinthios pro sua sapientia istam insipientiam tantopere amare vidit[1]: **19.** *libenter enim suffertis* (ἀνέχεσθε sustinetis cfr *v.* 1) *insipientes, quum sitis ipsi sapientes.* "Procul dubio sapientis est tolerare insipientes; Corinthios vero ad tam altum sapientiae gradum ascendisse quasi ridens monet, ut libenter (ἡδέως cum voluptate) eos sustineant; quare iure sperat, suam quoque insipientiam eis gratam iucundamque fore. Quam ironiam continuans exemplis ostendit, ad quam perfectam sapientiam pervenerint : **20.** *sustinetis enim, si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos caedit.* « Vide, quantae servilitatis Corinthios accuset et quam abiecte illi sese submiserint » (*Theoph.* cfr *Chrys.*); sed vide quoque, quam perversi homines pseudapostoli fuerint, quam imperiosi (*in servitutem redigit*), quam avari (*devorat*), quam subdoli (*accipit*), quam superbi (*extollitur*), quam protervi et violenti (*in faciem caedit*). Primum membrum (*si quis vos in servitutem redigit*) antiquiores haud pauci de servitute Legis mosaicae (cfr *Gal.* 2,4; 4,1 sqq.; 5,1 etc.) intelligunt (cfr *Pel. Prim. Herv. Thom. Cai.* etc.); quae explicatio apta esset, si Paulus non tam de servitute, in quam iam redacti erant Corinthii, quam de servitute, ad quam pseudapostoli eos deducere voluerunt, hic loqueretur; at neophytis corinthiis eo usque iugum Legis nondum fuisse impositum ex nostra epistola, si cum ep. Gal. comparatur, rite colligitur. Quare rectius de tyrannica potestate, qua pseudapostoli neophytos tractabant, ut eos

1. Memores simus oportet in hoc, uti in similibus locis, regulae *S. Aug.* (ep. ad Paulin. 149,20), quam iam alibi allegavimus (cfr ad 1 *Cor.* 1,7) : « Scripturae mos est ita loqui de parte tamquam de toto; sicut Corinthios in primis epistolae suae partibus ita laudat Apostolus, tamquam omnes laudabiles sint, quum essent laudabiles quidam eorum, et postea in nonnullis ipsius epistolae partibus ita reprehendit, tamquam omnes culpabiles essent propter quosdam qui tales erant ».

ad sua dogmata adducerent, suaque placita eis pro legibus imponebant, expressio explicatur; velut domini fidei eorum (cfr 1,24) agebant, et quum dispensatores mysteriorum Christi non essent, pro arbitratu quid credere deberent asseclis suis imponebant. Altero membro (*si quis devorat*) insatiabilem quandam ac simul crudelem avaritiam notari, clarum est (cfr *Marc.* 12,40; *Luc.* 20,47); ad avaritiam tertium quoque pertinet (*si quis accipit*), sed dolosum fraudulentumque modum connotat, quo Evangelium cauponantes (2,17; 4,2) sibi neophytos conciliare studebant, ut eorum opibus potirentur (cfr 12,16; *Rom.* 16,18). Quartum (*si quis extollitur*) superbiam procul dubio designat iudaizantium, qui tamquam semen Abrahae Ethnicochristianos despiciebant eosque pro inferioris cuiusdam classis fidelibus habebant. Quintum demum (*si quis in faciem vos caedit*) summum tyranniae gradum hyperbolice indicat; pseudapostolos enim, quamvis protervi violentique essent, eo usque esse progressos, ut alicui etiam ex abiectissimis suis assectatoribus alapas ducerent, vix aut ne vix quidem credi potest.

Quam diversus agendi modus erat Paulo; neque enim tamquam dominus ac tyrannus, sed tamquam pater semper tractaverat neophytos non dominans eorum fidei (1,24) sed sese impendens ac superimpendens pro animabus eorum (12,15); sollicitissimus de eorum salute (7,12 etc.) sine sumtu Evangelium posuerat (1 Cor. 9,1 sqq.) non quaerens eorum bona, sed eos ipsos (12,14); alienus ab omni astutia nec adulterans verbum Domini (4,3). Sicut igitur ad priorem gloriationem concessione quadam transiit adversariis commenticiam quandam praestantiam ultro dans (cfr ad *v.* 6), ita nunc quoque (sed acerbiore modo) omnibus illis rebus, quas Corinthii a pseudapostolis libenter sustinent, sese inferiorem esse concedit, in aliis vero se non minus quam adversarios gloriari audere asserit: 21. *secundum ignobilitatem* (ἀτιμίαν ignominiam) *dico, quasi* (adde: *quod* ὡς ὅτι) *nos infirmi fuerimus* (*in hac parte* [1]); *in quo quis* (lege: *in quocumque autem* aliquis ἐν ᾧ δ' ἄν τις) *audet — in insipientia dico — audeo et ego.* Cum Graecis (*Chrys. Theod.* etc.) etiam multi Latini (cfr *Thom. Cai. Iust. Est.* etc.) prima verba (κατὰ ἀτιμίαν λέγω) praecedenti sententiae ita adnectunt, ut ultimi membri hyperbolen mitiget: « Haec (in faciem vos caedit) dicebat, non quod eorum ora verberarent, sed quod eos dedecore afficiebant, quare adiecit: *secundum ignominiam* (vestram) *dico;* nec enim mitius vobiscum agitur, quam cum iis,

1. Additamentum ἐν τούτῳ τῷ μέρει (*in hac parte*) genuinum quidem non est, at optimum est glossema, quod explicationis gratia iam pridem est insertum; intelligatur autem oportet de modo, quo pseudapostoli Corinthios tractare solebant.

qui alapis caeduntur » (*Chrys.*); at reliqua deinde verba quomodo explicanda sint, difficile esse dictu Graeci fatentur. Rectius igitur *Vulg.* interpunctionem retinemus, ut Paulus non de Corinthiorum sed de sua ipsius ignominia loquatur. Ironiam enim semper continuans ait : Cum nostra ignominia fatemur, nos omnibus illis in rebus infirmos fuisse, ita ut vos nec in servitutem redigere nec vestra bona devorare etc. ausi simus. Acerbitatem tamen sermonis minuit particula ὡς (*quasi*) particulae ὅτι (*quod*) praemissa, qua se istis rebus infirmum fuisse non ex sua ipsius sed ex adversariorum opinione dici insinuat; ac rectissime latinus interpres, quum particulam ὅτι (*quod*) omitteret, coniunctivum (fuerimus) ad hunc sensum exprimendum particulae *quasi* addidit. Pseudapostoli vero, quamquam neophytos tam dure tractare non verebantur, de hoc tamen agendi modo palam gloriari non audebant, sed de aliis rebus gloriabantur, quae reprehensione non erant dignae; at de illis Paulus quoque gloriari potest : *in quocumque autem quis audet* sc. gloriari, *audeo et ego*, quamvis id, uti iterum addit, per se insipiens esse videatur — *in insipientia dico.* « Vide, inquit *Chrys.*, quomodo rursus refugiat ac deprecatione et praemunitione utatur, etsi permulta iam similia dixit... Audaciam enim et insipientiam appellat aliquid magni de se praedicare etiam urgente necessitate; quo nimirum nos doceat rem huiusmodi summopere fugere ». Ceterum quo sensu se hic *in insipientia dicere* asserat, ex iis quae diximus satis apparet (cfr ad **v. 1. 16** sq.).

2.) *Quanto adversarios superet, laboribus tribulationibusque enumeratis ostendit* (**11,22-33**).

11,22. *Hebraei sunt, et ego : Israelitae sunt, et ego : semen Abrahae sunt, et ego :* 23. *ministri Christi sunt (ut minus sapiens dico), plus ego : in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* 24. *A Iudaeis quinquies, quadragenas, una minus, accepi.* 25. *Ter virgis caesus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui,* 26. *in itineribus saepe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus :* 27. *in labore et aerumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in*

11,22. Ἑβραῖοί εἰσιν; κἀγώ· Ἰσραηλῖταί εἰσιν; κἀγώ· σπέρμα Ἀβραάμ εἰσιν; κἀγώ. 23. διάκονοι Χριστοῦ εἰσίν; παραφρονῶν λαλῶ, ὑπὲρ ἐγώ, ἐν κόποις περισσοτέρως, ἐν φυλακαῖς περισσοτέρως, ἐν πληγαῖς ὑπερβαλλόντως, ἐν θανάτοις πολλάκις· 24. ὑπὸ Ἰουδαίων πεντάκις τεσσαράκοντα παρὰ μίαν ἔλαβον, 25. τρὶς ἐραβδίσθην, ἅπαξ ἐλιθάσθην, τρὶς ἐναυάγησα, νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα, 26. ὁδοιπορίαις πολλάκις, κινδύνοις ποταμῶν, κινδύνοις λῃστῶν, κινδύνοις ἐκ γένους, κινδύνοις ἐξ ἐθνῶν, κινδύνοις ἐν πόλει, κινδύνοις ἐν ἐρημίᾳ, κινδύνοις ἐν θαλάσσῃ, κινδύνοις ἐν ψευδαδέλφοις, 27. κόπῳ καὶ μόχθῳ, ἐν ἀγρυπνίαις πολλάκις, ἐν λιμῷ καὶ δίψει, ἐν νηστείαις πολλάκις, ἐν ψύχει

ieiuniis multis, in frigore et nuditate : 28. *praeter illa quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum.* 29. *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* 30. *Si gloriari oportet : quae infirmitatis meae sunt, gloriabor.* 31. *Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in saecula, scit quod non mentior.* 32. *Damasci praepositus gentis Aretae regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet :* 33. *et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, et sic effugi manus eius.*

καὶ γυμνότητι. 28. χωρὶς τῶν παρεκτὸς ἡ ἐπίστασίς μοι ἡ καθ' ἡμέραν, ἡ μέριμνα πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν. 29. τίς ἀσθενεῖ, καὶ οὐκ ἀσθενῶ; τίς σκανδαλίζεται, καὶ οὐκ ἐγὼ πυροῦμαι; 30. εἰ καυχᾶσθαι δεῖ, τὰ τῆς ἀσθενείας μου καυχήσομαι. 31. ὁ Θεὸς καὶ Πατὴρ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ οἶδεν, ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ὅτι οὐ ψεύδομαι. 32. ἐν Δαμασκῷ ἐθνάρχης Ἀρέτα τοῦ βασιλέως ἐφρούρει τὴν πόλιν Δαμασκηνῶν πιάσαι με, 33. καὶ διὰ θυρίδος ἐν σαργάνῃ ἐχαλάσθην διὰ τοῦ τείχους καὶ ἐξέφυγον τὰς χεῖρας αὐτοῦ [1].

Duo privilegia pseudapostoli iudaizantes maxime iactabant, originem suam iudaicam et apostolicam suam dignitatem; sibi enim, utpote semini Abrahae, Evangelium quasi iure proprio competere seseque specialissimo modo ministros Christi esse gloriabantur. Iam vero in quibus audent illi, Paulus quoque audet : origine iudaica igitur se illis parem esse asserit (*v.* 22), sese autem potius quam illos esse ministrum Christi etiam demonstrat. At argumenta sua, uti *Theod.* iam monet, ex miraculis a se patratis, mortuorum resuscitatione, aegrorum sanatione, eiectione daemonum non desumit neque ex innumeris ecclesiis a se fundatis, sed ex vexationibus tribulationibusque in Evangelii propagatione toleratis (23-27) atque ex continuis laboribus, quos in ecclesiarum administratione sustinet (28. 29). Etenim in infirmitate sua dumtaxat gloriari vult (30. 31);

1. *VV. LL.* — 23. παραφρονῶν λαλῶ (delirans *loquor*) B ℵ K L M P, plerique minusc., *Syr.* (codd.) *Copt. Arm.*; sed παραφρονῶν λέγω (delirans *dico*) D E F G cum omnibus Latinis, *Syr.* (codd.) *Goth.* — ἐν κόποις περισσοτέρως κτλ. in ordine trium primorum membrorum variant codd.; sed attende, pro lectione *Vulg.* : in laboribus plur*imis* a *Tert.* (Scorp. 15) *S. Aug.* (Doctr. christ. IV. 7) aliisque legi : in laboribus plur*imum*, rectius autem adhiberi comparativum : *abundantius.* — 27. κόπῳ (labore) nulla praepositione praemissa B ℵ D E F G et *Goeth.*; sed *textus rec.* : ἐν κόπῳ (*in* labore) cum K L M P, omnibus minusc., *It. Vulg.* etc. — 28. ἡ ἐπίστασίς μοι (incursus in me *S. Aug.* l. c.) B ℵ F G, pauci minusc.; ἡ ἐπίστασίς μου (*instantia mea*) D E cum *Atro* et *Vulg.*; demum ἡ ἐπισύστασίς μου (concursus in me?) K L M P, plerique minusc. et PP.; cfr *Comm.* — 31. τοῦ Κυρίου (*Domini*) pronomine ἡμῶν omisso B ℵ F G K L, haud pauci minusc., *Vulg.* (codd. *Amiat.* etc.) *Syr.* (codd.) *Goth.*; pronomen addunt D E M P, plerique minusc. *It.* (*S. Aug.* etc.), *Vulg.* (*Clem.* cum. *Fuld. Demid.* etc.) *Syr.* (codd.) *Copt. Arm.* — Simili modo differunt codd. et verss. in addendo aut non addendo nomine Χριστοῦ ad nomen Ἰησοῦ. — πιάσαι με (comprehendere me) participio θέλων non addito inter Graecos soli B D cum *It. Vulg. Syr.* (codd.) etc.; sed reliqui Graeci : πιάσαι με θέλων (comprehendere me volens) cum *Syr.* (codd.) *Copt. Aeth.*

quare infirmitatis huius insigni exemplo hanc gloriationis partem concludit (32. 33).

A naturali dono, quod magni quidem faciebant pseudapostoli, initium capit, sed brevissime illud, utpote consideratione indignum, absolvit : 22. *Hebraei sunt, et ego; Israelitae sunt, et ego; semen Abrahae sunt, et ego.* Utrum in hac sententia et in sequentis principio quatuor priora membra cum *Vulg.* enuntiative, an cum multis iunioribus codd. graecis et latinis interrogative (Hebraei sunt? Israelitae sunt? Semen Abrahae sunt? Ministri Christi sunt?) legantur, parum interest; maiorem tamen vim forma interrogativa sermoni tribuit clariusque prodit, de adversariorum assertionibus agi. Tribus enim nominibus honorificis ad opinatum suum privilegium amplificandum augendumque usi videntur, atque Apostolus eos imitatur; revera tribus diversis rationibus Iudaeos designant. Nam *Hebraeorum* nomine hic nec omnes posteri Heber, unius ex Abrahae maioribus (*Gen.* 11,18 sqq.), uti cum *Chrys.* nonnulli censent, comprehenduntur[1], nec Iudaei palaestinenses, qui hebraica (syrochaldaica) lingua utebantur, Hellenistis graece loquentibus opponuntur (uti *Act.* 6,1 etc.), id quod alii coniecerunt (cfr *Herv. Thom. Est.* etc.), siquidem Paulus Tarsensis Hellenistis potius quam palaestinensibus Iudaeis accenseatur oportet, sed Iudaeorum natio ab aliis populis gentibusque distinguitur. Honorificentius est *Israelitarum* nomen, quia omnes filii *Israel* (Iacob) populum illum constituunt, quem Deus sibi in peculium esse voluerat (*Exod.* 19,5) cuique summa privilegia contulerat (cfr *Rom.* 9,4 sq.). Honorificentissimum demum est nomen *seminis Abrahae*, quia Abrahae seminique eius factae erant promissiones messianicae (*Gal.* 3, 16 etc.). Primo igitur nomine natio, altero religio, tertio ius proprium ad haereditatem messianicam (cfr *Rom.* 15,8) innuuntur.

In his autem, quae omnibus Iudaeis erant communia, Paulus adversariis suis aequalis est; « sed in recte factis, inquit *Theod.*, quae a voluntate dependent, se superiorem esse ostendit » et demonstrat : 23. *ministri Christi sunt — ut minus sapiens dico* (rectius : *delirans loquor* παραφρονῶν λαλῶ) — *plus ego* (ὑπὲρ ἐγώ *S. Aug.* : super ego); *in laboribus plurimis* (*S. Aug.* : plurimum, sed rectius ex graec. περισσοτέρως *abundantius*), *in carceribus abundantius* (περισσοτέρως), *in plagis supra modum* (ὑπερβαλλόντως immodice s. profusissime),

1. Cfr *Introd. gener.* in U. T. libr. sacr. p. 234, ubi ostendimus, *Hebraeorum* nomen ab *Heber* non derivari, sed primum Abrahamum vocatum esse a Chanaanitis עִבְרִי (Hebraeus *Gen.* 14,3 iuxta Alex. ὁ περάτης) utpote advena ex terra trans Euphratem sita. Ibidem testimonia quoque attulimus, quibus nomine hoc nationem gentemque Iudaeorum ab aliis nationibus gentibusque distingui apparet.

in mortibus frequenter. Quoniam adversarios suos, pseudapostolos, ministros satanae, qui sese in ministros iustitiae transfigurant (*v*. 13 sqq.), nec pro veris ministris Christi agnoscere nec huius ministerii ratione se cum illis comparare potuit, moderni nonnulli acath. illud *plus ego* (ὑπὲρ ἐγώ) ita explicant, ut maiorem sibi dignitatem attribuere videatur (« si illi ministri Christi sunt, ego aliquid plus sum quam minister Christi »), atque parenthesin (delirans loquor) ex adversariorum mente insertam censent, qui assertionem hanc audientes, quum dignitate ministri Christi maior non sit, delirare Apostolum iudicare debuerint (cfr *Mey.*). Quam explicationem, quamvis apta esse videatur, longius quaesitam superfluamque esse arbitramur, quum nulla sit ratio, cur a communiore antiquorum et modernorum interpretatione recedamus. Per rhetoricam enim figuram quandam Paulus adversarios suos esse ministros Christi dat, ut se eos hac ratione superare demonstret, vel ut habet *Chrys*. « eorum assertionem, non suum iudicium ponit ». Quid eorum assertio valeret, iam dixerat, nec amplius in quaestionem vocat, utrum vere dicant annon; sed sicuti in praecedentibus membris, ita hic quoque ad nudam eorum gloriationem attendit, ut suam opponat : Faciamus eos esse, uti ipsi asserunt, ministros Christi, ego tamen plus quam illi (ὑπὲρ sc. αὐτοὺς ἐγώ supra illos ego) Christi minister sum. Qua in explicatione aptius adnectitur demonstratio, quae in primis maxime membris veram comparationem institui insinuat (cfr comparativos περισσοτέρως, ὑπερβαλλόντως). Parenthesin autem (delirans loquor) eodem modo, quo saepius, inserit (cfr ad *v*. 1), quia haec gloriatio adversariis eorumque asseclis a viro deliro proficisci videbatur.

Ad probationem deinde veniens longa ac vivida descriptione praeprimis molestias, vexationes, tribulationes recenset, quas in propagatione Evangelii perpessus est (23-27); paucas dumtaxat earum S. Lucas in Actibus attigit, quum Pauli vitam accurate describere ei non esset propositum, sed initia Ecclesiae inter Iudaeos et ethnicos enarrare vellet. Probe animadvertamus oportet, Apostolum omnia, quae hic enumerat, haud multorum annorum spatio sustinuisse; anno enim 34. ad fidem conversus per triennium in Arabiam se recepit, ex qua Damascum reversus illud periculum subiit, quod in fine huius sectionis recenset (*v*. 32 sqq.); a. 43. deinde a Barnaba Antiochiam arcessitus, ut cum eo in Evangelio propagando laboraret, circa a. 45. primam expeditionem apostolicam suscepit atque ab illo tempore usque ad a. 58., quo hanc epistolam scripsit, multa haec ingentiaque mala pertulit. Profecto si sese a gratia adiutum abundantius

omnibus aliis Apostolis laborasse dixit (1 *Cor.* 15,10), etiam sese omnes alios tribulationibus superasse dicere potuit vere « spectaculum factus mundo, Angelis et hominibus (1 *Cor.* 4,9); quanto magis igitur pseudapostoli disparuerunt, qui omnibus periculis evitatis in ecclesias iam fundatas irruperunt, ut sua sola commoda quaererent!

Itaque thesin suam, se plus esse ministrum Christi, quam adversarii sibi hanc dignitatem etiam in exaggeratissima gloriatione adscribere possint, « argumentis, quae vere testantur pectus apostolicum » (*Erasm.*) demonstrare aggreditur: *in laboribus abundantius* (ἐν κόποις περισσοτέρως). Praepositio ἐν (*in*), hebraico בְּ respondens, hic est instrument., quare eam *infra* (*v.* 26) omittit, ut enumerationem solo dativo instrument. continuet, sed *v.* 27 iterum eam resumit; κόποι autem sunt molestiae, quas cum labore apostolico coniunctas innumeras perferre coactus erat. Laboribus adiungit *carceres*, in quos adversariis frequentius coniectus est, *plagas*, quas ὑπερβαλλόντως (supra omnem modum), ut adversarii in comparationem venire non possint, accepit, *mortes*, i. e. mortis pericula, quae saepe (πολλάκις) subiit. Unam solam captivitatem ante nostram epistolam conscriptam refert *S. Lucas* (*Act.* 16,23); septies eum in vincula esse coniectum *S. Clem. Rom.* testatur (I *Cor.* 5) procul dubio vincula, quae ab Ierosolymis Caesaream usque et Romam tulit (*Act.* 22,23 sqq.) ultimamque eius ante martyrium captivitatem romanam simul complectens. Plagarum porro et mortis periculorum ipse nonnulla exempla parenthetice addit: 24. *a Iudaeis quinquies quadragenas una minus accepi;* 25. *ter virgis caesus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui.*

Lex (*Deut.* 25.3), quum impiis plagas infligi iuberet, quadragenarium earum numerum excedere prohibuerat, « ne foede laceratus ante iudicum oculos abiret frater »; quapropter Pharisaei, ne Legem laederent, plus undequadraginta plagas dandas non esse statuerant, ne forte in numerando errantes numerum praescriptum transgrederentur; ad finem vero, quem legislator in numero definiendo habuerat, non attenderunt; tam crudelis enim erat flagellatio, ut haud semel rei ante iudicum oculos dilacerati morerentur, quamvis plagarum numerus non excederetur [1]. Nullam

1. De flagellationis ritu haec in Mischna traduntur (cfr *Schoettgen* Horae hebr. in h. l.): « Quomodo flagellatio ista procedere debet? Duabus manibus reus ad columnam alligatur et minister synagogae vestes ipsius aperit (sive scindat sive rumpat parum interest) donec pectus eius nudum appareat. Lapis vero a tergo ipsius positus est, hunc minister ascendit; in manu ipsius est lorum vitulinum duplex, quod dein in alia quatuor dividitur, et duo lora asinina, quae extendi et retrahi possunt; manubrium lori palmare est, et latitudo palmaris, longitudo vero ea, ut ad os ventris perveniat. Qui autem percutit, tertiam partem plagarum pectori, tertiam dextero et tertiam sinistro humero infligit. Is qui verberatur,

ex quinque iudaicis flagellationibus Lucas refert, unam tamen ex tribus ethnicis; Philippis enim Paulus a magistratibus virgis caedi iussus est una cum Silvano (*Act.* 16,22); cur in duabus aliis occasionibus ad suam civis romani dignitatem, ut turpem poenam [1] a se averteret, non provocaverit (id quod Ierosolymis postea fecit *Act.* 22,25 cfr 16,37) ignoramus. Lapidationem, in qua pro mortuo extra civitatem tractus et relictus est, teste Luca Lystris in prima sua expeditione apostolica perpessus est (*Act.* 14,18); tria naufragia Lucas iterum silentio praetermittit, siquidem illud, quod refert (*Act.* 27,41 sqq), tribus fere annis post scriptam epistolam nostram accidit. Quidnam demum verbis νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα (noctem diemque in fundo fui) significare Paulus voluerit, in controversia est. Aliquorum opinionem eum Lystris aut Cyzici in carcere, qui ob suam profunditatem βυθός (abyssus) vocatus sit, noctem diemque in coeno et obscuritate, uti olim Ieremiam (*Ierem.* 38,6 sqq.), dura tormenta sustinuisse, *Ven. Beda* (Quaest. lib. 3. *M.* 93,456) et *Theoph.* commemorant, sed merito improbant; *Bedam* (l. c.) sequentes Latini haud pauci (*Haym. Herv. Thom. Lyr* [1]. *Est. Nat.* etc.) eum miraculo quodam in profundo maris, uti Ionam in ventre piscis, a Deo esse conservatum opinantur; quam sententiam *Chrys.* iam parum probabilem iure dixit, quia de miraculis in se factis Apostolus hic non loquatur. Cum *Chrys.* igitur aliisque Graecis et cum *A^tro^ Prim.* aliisque Latinis consentientes moderni plerique recte tenent, eum « scapha dissoluta totam noctem et diem huc et illuc a fluctibus esse iactatum, donec per aliam navem casu advenientem salvaretur » (cfr *Theod.* etc.). A tribus aliis naufragiis autem hoc distinguit, quia illa prope terram, hoc in alto mari, ubi maius erat pereundi periculum, acciderunt.

Quibus vitae discriminum exemplis narratis enumerationem *v.* 23. inchoatam parenthesique (*vv.* 24. 25) interruptam continuat aliis quae subiit periculis recensitis : 26. (*in*) *itineribus saepe*, *periculis fluminum*, *periculis latronum*, *periculis ex genere* (i. e. ex parte Iudaeorum infidelium), *periculis ex gentibus*, *periculis in civitate*, *periculis in solitudine*, *periculis in mari*, *periculis in falsis fratribus* (ψευδαδέλφοις i. e. Christianis iudaizantibus). Tres maiores expeditiones apostolicae atque duo praeterea itinera ierosolymitana in Actibus commemorantur; quibus itinera arabicum (*Gal.* 1,17), illyricum (*Rom.* 15,9), secundum achaicum (cfr 13, 1 etc.) accedunt a Luca

neque stat neque sedet, sed inclinatur, et is qui verberat flagellum una manu sed totis viribus agit. Lector autem interea legit *Deut.* 28,58, 59 (Et si non observabis omnia verba Legis istius etc.), deinde *Deut.* 29,8 (Et observabitis verba foederis huius etc) atque concludit verbis *Ps.* 78 (77), 38 (Et ille erit misericors etc) ac principium lectionis repetit ». Cfr *Morin.* de sacram. poenit, p. 231. — Ceterum Iudaei varias rationes afferunt, cur undequadraginta tantum plagas in flagellatione dent, sed eam, quam diximus, Maimonides tradit cfr *Surenhus.* Tract. *Maccoth.* IV. p. 269 sqq.

1. Cfr *Cic.* in Verr. V. 66. Facinus est vinciri civem romanum, scelus verberari.

praetermissa, qui procul dubio multa alia minora quoque silentio praeteriit. Quae omnia multas gravesque molestias secum attulisse facile intelligitur, si vel ad solam Pauli indigentiam attenditur; neque tamen ulla earum in Actibus fit mentio, atque omnia quoque pericula, quae Apostolus aut in fluminibus traiiciendis aut ex parte latronum aut in solitudine aut in mari aut ex falsorum fratrum impugnationibus (cfr tamen *Act.* 15,2 sqq. cum *Gal.* 2,4) subiit, Lucas omittit solis persecutionibus narratis, quibus Iudaei increduli et ethnici in civitatibus Asiae, Macedoniae, Achaiae Pauli praedicationem impedire conabantur, quum hae solae ad eius finem, i. e. ad illustranda initia Ecclesiae inter ethnicos fundatae, directe inservirent. Quae vita Apostoli gentium scribi posset, si quis etiam privatas eius res nobis conservasset eaque, quae breviter ac summatim hic et similibus in locis (6,4 sqq.; 1 *Cor.* 4,9 sqq. etc) innuuntur, accurate tradidisset! Verum quanta animi magnitudo et fortitudo in Apostolo fuerit, qui divina gratia corroboratus tot ac tanta sustinuit, etiam nudus iam hic tribulationum periculorumque catalogus docet.

Neque tamen finita est enumeratio; sequuntur enim molestiae, quae maxime ex eius paupertate exoriebantur, 27. (*in*) *labore et aerumna* (κόπῳ καὶ μόχθῳ), *in vigiliis multis* (πολλάκις *S. Aug.* rectius : *saepius*), *in fame et siti, in ieiuniis multis* (πολλάκις *S. Aug.* iterum : *saepius*), *in frigore et nuditate.* Propter suam enim egestatem Paulus labore manuum duro ac molesto quotidianum victum in itineribus sibi acquirere cogebatur; « neque gratis manducavit panem ab aliquo, sed *in labore ac fatigatione* (ἐν κόπῳ καὶ μόχθῳ) *nocte* et die laborans, ne quem neophytorum gravaret » (2 *Thess.* 3,8; cfr 1 *Thess.* 2,9), atque docendo etiam noctes interdum impendere debuit, ut per diem alia sua negotia perageret (cfr *Act.* 20, 31). Nihilominus ea, quae ad victum vestitumque sunt necessaria, ei non raro defuerunt; ut fame et siti, frigore ac nuditate premeretur. Quibus nondum contentus voluntaria ieiunia saepe servavit, ut uberiores gratias a Deo impetrans plura et maiora ad divinam gloriam sustinere et efficere posset; quin νηστείαις enim, quum λιμῷ καὶ δίψει adiungantur, ieiunia voluntarie ac sine necessitate servata intelligenda sint, nemo prudens dubitat (cfr *Theod.* etc.).

Quae hucusque enumeravit, labores fuerunt, molestiae ac tribulationes cum Evangelio propagatione coniunctae; quibus aliae accedebant difficultates ex ecclesiarum fundatarum administratione exortae : 28. *praeter illa quae extrinsecus sunt* (χωρὶς τῶν παρεκτός praeter ea, quae insuper accidunt) *instantia mea quotidiana* (*S. Aug.* : incursus in

me quotidianus), *sollicitudo omnium ecclesiarum*. Prima verba χωρὶς τῶν παρεκτὸς graeci interpretes praecedenti enumerationi adiiciunt; iuxta eos enim iis additis longiorem enumerationem, quam facere potuit Paulus quasi abrupit, ut se « plura praetermisisse quam enumerasse » (*Chrys.*) significaret. At abruptae enumerationi nova membra asyndete addi nequeunt; quare cum *Vulg.* interprete verbis illis alteram quasi enumerationis partem inchoari arbitramur, cum Graecis autem adverbio παρεκτός eum sensum attribuimus, qui solus ei competit (*praeterea* vel *insuper*). Nusquam enim ista vox, quae a profanis scriptoribus non adhibetur, in Novo Test. (*Matth.* 5,32;19,9; *Act.* 26,29 et h. l.) aut in alexandrina versione (*Deut.* 1,36 i. q. זוּלָתִי etc.) idem est quod *extrinsecus*, nec in sequentibus versibus de solis internis molestiis agitur, quae externis opponantur. Ad illas potius molestias, quas in propagatione Evangelii toleratas *praeterea* enumerare potuit, Paulus eas addit, quas ecclesiarum fundatarum administratio secum affert; inter quas primum locum tenet ἡ ἐπίστασίς μοι ἡ καθ' ἡμέραν vel ἡ ἐπισύστασίς μου ἡ καθ' ἡμέραν. Patres graeci, qui secundam lectionem sequuntur, vocabulo ἐπισυστάσεως hostilem incursionem significari volunt, nec dubium est, quin haec significatio ei competat (cfr *Num.* 16,40; 26,9 ἐν τῇ ἐπισυστάσει Κυρίου in rebellione, Kore sc. eiusque asseclarum, contra Dominum); expressionem igitur de tumultibus intelligunt, quos Iudaei ethnicique contra Paulum excitabant (*Chrys.*), aut de accusationibus, quibus eum coram synedriis ethnicisque tribunalibus persequebantur (*Theod.*). Sed ista tam frequentia non erant, ut *quotidiana* vocari potuerint (hyperbolae autem in hac enumeratione non erat locus), et si fuissent, hic apte non adderentur, quia periculis recensitis iam continentur. Alii vocabulum de neophytorum consilii solatiive causa ad Paulum accedentium concursu interpretantur; qui sensus a *S. Aug.* iam expressus (*incursus in me quotidianus*) aptissimus procul dubio est, siquidem quotidiana neophytorum frequentia, qui difficultates tribulationesque suas omnes cum Apostolo communicabant, inter eius molestias enumerari meruit; dubium vero est, num haec significatio voci ἐπισυστάσεως competat; competit tamen voci ἐπιστάσεως (cfr 2 *Mach.* 6,3 ἡ ἐπίστασις τῆς κακίας *Vulg.* malorum incursio), quae ob antiquiorum quoque codd. auctoritatem hoc in loco legatur oportet (cfr VV. LL.)[1]. Minus apta est significatio a *Vulg.* expressa (*instantia mea quotidiana*), quamvis

1. Eadem lectionis incertitudo, quae hic, etiam in unico altero N. T. loco habetur, in quo voces ἐπίστασις aut ἐπισύστασις leguntur (*Act.* 24,12), ubi de tumultuantium concursu agitur.

ἐπίστασις sensu assiduae curae aliquoties a profanis scriptoribus adhibeatur[1]; altero enim membro (*sollicitudo omnium ecclesiarum*) continua indefessaque diligentia, qua Paulus ecclesiis invigilat, sufficienter indicatur. Iuxta nostram vero explicationem, quae veteri versioni latinae apprime congruit et a modernis plerisque tenetur (cfr *Bisp. Mai.* etc.), assidua cura, qua Apostolus privatas res singulorum fidelium ad se accurrentium tractat, a sollicitudine distinguitur, qua publico bono ecclesiarum consulit.

Duobus deinde exemplis, quas et quantas molestias ipsi afferat ecclesiarum administratio, illustrat : 29. *quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur et ego non uror?* Apostolico suo muneri sibi non satisfecisse videbatur, si ingentibus suis laboribus ac tribulationibus innumeros tantum filios per Evangelium in Christo genuerat, sed genitos velut nutrix fovere, velut pater educare, velut magister docere non cessavit; neque integris solum ecclesiis suam sollicitudinem impendebat epistolis scriptis aut discipulis missis continuisque suis ipsius itineribus, quibus identidem eas visitabat, sed singulis quoque neophytis continuo invigilavit « nocte et die unumquemque cum lacrymis monere non cessans » (*Act.* 20,31); « quanto enim maior caritas, inquit *S. Aug.* (in Ps. 98. n. 13) nostra verba explicans, tanto maiores sunt plagae de peccatis alienis » et etiam de alienis infirmitatibus. Omnibus omnia factus infirmis quoque infirmus factus est, ut infirmos lucrifaceret (1 *Cor.* 9,22), neque attendens, utrum magnus an parvus esset qui infirmus erat, eius infirmitates velut suas reputabat ac sentiebat. Multo magis vero affligebatur, si quem ex fratribus scandalizari vidit; neque tantum sancta quadam ira exardescebat animus eius in illum, qui conscientiam fratris infirmi percutiens eum ad peccandum aedificare audebat (cfr 1 *Cor.* 8,11 sqq.), sed etiam summo dolore, quasi igne, cruciabatur ob damnum fratri infirmo illatum. Attendere nos iubet *Chrys.*, ipso *urendi* verbo Apostolum dolorem ingentem exprimere voluisse; reliquas enim tribulationes, quamvis graves, internam eius pacem ac laetitiam non turbasse aut minuisse, ea vero, quae in infirmorum fratrum scandalo patiebatur, animum eius sauciasse et discruciasse : « ac si ipse universa esset Ecclesia, in singulis fratribus (scandalizatis) quasi parturientis dolores acutissimos perferebat ».

1. Latinam vocem *instantia* hic assiduam attentionem curamque significare, duo alii loci testantur, in quibus solis praeter nostrum vulgatus interpres eam adhibuit : nam *Iudith* 4,9 respondet graeco ἐκτένεια (intentio assidua) et *Eph.* 6,18 graeco προσκαρτέρησις (perseverantia s. assidua patientia). Quod igitur alii volunt, significari *molem negotiorum alicui incumbentium* (*Iust. Lap. Pic.*), id latinus saltem interpres exprimere noluit.

30. *Si gloriari oportet, quae infirmitatis sunt gloriabor;* 31. *Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in saecula*[1], *scit quod non mentior.* Ad thesin, quam sibi demonstrandam proposuit, sese sc. ratione ministerii Christi putatam pseudapostolorum dignitatem longe superare, omnia ea, quae inde a *v.* 23. gloriabundus attulit, vix ac ne vix quidem pertinere videbantur, quia omnia eum infirmum esse hominem potius quam fortem Christi ministrum demonstrabant; tot quoque tantaque erant, ut ea cuncta ab uno homine paucorum annorum spatio tolerata esse vix credi posset. Quapropter non sine ratione in fine huius gloriationis non tantum omnia veritati esse consona iureiurando confirmat, sed etiam se ea, quamvis solius sint infirmitatis suae documenta, consulto attulisse monet; neque enim inanem mendacemque adversariorum suorum iactationem imitari voluit, qui commenticiam suam sapientiam virtutemque fictis argumentis demonstrare conabantur. Neque mirum, quod quamvis ad gloriationem fuerit coactus ea sola, quae infirmitatis sunt (τὰ τῆς ἀσθενείας), attulerit eaque velut apostolici sui ministerii notam propriam ac peculiarem proposuerit (cfr *Chrys.*). Namque fructus, quos praedicatio eius tulerat, ante omnium erant oculos : Evangelium ab Ierusalem et regionibus circumiacentibus usque ad Illyriam propagatum, innumeri fere ethnici et Iudaei ad fidem adducti, quam plurimae ecclesiae in provinciis Galatiae, Asiae, Macedoniae, Achaiae fundatae; suam igitur ipsius infirmitatem demonstrans simul etiam virtutem divinam demonstravit, qua adiutus et corroboratus difficultatibus omnibus istis superatis praestantissimos illos fructus produxerat; quando enim infirmabatur, tunc potens erat (12,10), quia Deus eum de omnibus obstaculis triumphum agere fecit in Christo odorem notitiae suae per eum manifestans in omni loco (2,14).

Quod ut confirmet, illud infirmitatis suae documentum affert, a quo apostolicum suum munus quasi inchoavit : 32. *Damasci praepositus gentis Aretae regis* (ὁ ἐθνάρχης 'Αρέτα τοῦ βασιλέως) *custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet*; 33. *et per fenestram in sporta dimissus sum* (cum *A*[tro] *Fuld.* etc. rectius : *demissus sum* ἐχαλάσθην) *per murum et* (*sic*)[2] *effugi manus eius.* Quin a Paulo hic eadem fuga commemoretur, quam Lucas quoque narrat

1. Doxologiam, quae iuxta *Vulg.* ad genetivum *Domini N. I. Chr.* pertinere videtur, ad nominativum *Deus et Pater* pertinere, graecus textus docet : ὁ Θεὸς καὶ Πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν 'I. Χρ., ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας.

2. Particulam *sic* cum Graecis *A*[tcr] quoque et nonnulli *Vulg.* codd. (*Amiat.* etc.) praetermittunt.

(*Act.* 9,23 sqq.), nemini est dubium nisi nonnullis modernis rationalistis, qui ut Actuum auctoritatem destruant ubique difficultates non tam inveniunt quam fingunt. Una dumtaxat in re duae relationes differunt[1] : iuxta Paulum enim portae civitatis ab ethnarcha regis Aretae[2], iuxta Lucam a Iudaeis custodiebantur. Verum evidens esse puto, regis arabici praefectum, nisi a Iudaeis Paulo infensis fuisset incitatus, rationem cur eum comprehenderet non habiturum fuisse, nec Iudaeos, nisi praefectum civitatis instigassent, portas custodire potuisse; una igitur relatione alteram complentes ambas facillime conciliamus. Miro autem hoc modo fugere Paulus coactus est, quando tertio post suam conversionem anno e solitudine arabica redux « multo magis convalescebat et confundebat Iudaeos qui erant Damasci affirmans quoniam hic est Christus » (*Act.* 9,22), in ipsis ergo praedicationis suae evangelicae initiis. Quae temporis ratio videtur fuisse causa, cur huius fugae, qua *infirmitas* eius probabatur, specialem mentionem facere illamque longae *infirmitatum* suarum enumerationis clausulam esse voluerit. Tempore enim omnium prima fuerat, atque in illa praesagium quoddam habuerat cunctarum tribulationum ac persecutionum, quas ab eo tempore ob Christi Evangelium a Iudaeis et ab ethnicis sustinere debuerat.

Contra antiquorum omnium sententiam, quibuscum *vv.* 30.31 ad praecedentem enumerationem retulimus, pauci moderni acath. aut utrumque versum aut saltem *v.* 31. ad sequentem narrationem pertinere volunt, ac deinde tantam in nexu explicando inveniunt difficultatem, ut aliqui *vv.* 32. 33 spurios declarare non dubitent (*Holst. Balj.* etc.). Sed huic difficultati, quae erroneo supposito innititur, immorari operae pretium non est; paucas potius lineas ex pulcherrima peroratione excerpere malumus, qua *Chrys.* suam huius pericopae explanationem terminat. Pauli laboribus enumeratis ita pergit : « Sic autem rem consideres velim : omnia passus est, ut aliorum mala solveret : naufragium subiit, ut orbis terrarum naufragium sedaret; noctem et diem in profundo maris fuit, ut homines ex erroris profundo extraheret; in labore versatus est, ut laborantes recrearet; plagas sustinuit, ut iis, quibus diabo-

1. Quod enim Paulus addit, se διὰ θυρίδος (*per fenestram* vel rectius per ostiolum, quod sc. in solo turris muro superstructi eique prosilientis patebat) demissum esse, id inter differentias non magis enumerari meretur, quam quod Lucas voce σπυρίδος (canistrum contextum) Paulus voce σαργάνης (canistrum e funibus contextum) utatur.

2. Ultimis Tiberii annis Aretas rex Arabiae Herodi Antipae, qui ut Herodiadem duceret primam suam uxorem Aretae filiam repudiarat, bellum intulerat eumque devicerat. Antipas autem Romanos in auxilium vocavit atque Tiberius Vitellium Syriae legatum misit, qui Arabes repelleret; sed antequam Vitellius exercitum coegerat, Tiberius mortuus est (16. Mart. 37). Quo nuntio allato Vitellius exercitum dimisit et Romam profectus est; qua bona occasione, ut videtur, Aretas usus Damascum aliasque provinciae Syriae partes sibi subiecit (cfr *Fl. Ios.*. Antiqu. XVIII. 5). Ab eo anno usque ad Neronis imperium Damascus in Arabum potestate permansisse videtur; etenim nummi quidem conservati sunt Damasci tempore Augusti et Tiberii atque alii tempore Neronis eiusque successorum percussi, sed nulli qui ad imperia Caii et Claudii pertineant.

lus vulnera inflixerat, mederetur; in carcere commoratus est, ut eos qui in vinculis ac tenebris sedebant, in lucem educeret; in mortibus frequenter, ut acerbis nos mortibus liberaret; quinquies quadragenas una minus accepit, ut eos, qui haec perpetrabant, a daemonis verberibus eximeret; virgis caesus est, ut eos sub Christi virgam et pedum adduceret; in solitudine erat, ut eos a solitudine extraheret; in itineribus, ut errantes reprimeret viamque coeli aperiret; in urbibus periclitatus est, ut supernam civitatem ostenderet; in fame et siti erat, ut a graviore fame vindicaret; in nuditate, ut indecore se gerentes stola Christi indueret; in vulgi incursione, ut a daemonum impetu ac molestia abduceret; ustus est, ut ignita diaboli tela exstingueret; per fenestram e muro demissus est, ut humi stratos e terra in altum adduceret... Martyr semel moritur, at beatus ille vir in uno corpore unaque anima tot pericula tamque gravia sustinuit, ut vel adamantinum pectus turbare possent; ea, quae sancti omnes in tot corporibus pertulerunt, hic cuncta in uno tulit; atque in universum orbem tamquam in stadium ingressus et contra omnes concertans, ita fortiter stabat. Norat enim daemones, qui adversus eum decertabant. Unde etiam ab ipsis statim initiis virtus eius enituit, atque ab ipsis carceribus ad metam usque idem semper mansit suique similis; quin etiam, quum a palma iam non longe abesset, acrius ad eam anhelabat. Quod vero mirabile est, tot tantaque faciens ac patiens summam modestiam retinebat. Nam quum sua recte facta enarrare coactus esset, celeriter omnia percurrit; atqui sexcenta volumina implevisset, si singula quae dixit amplificare voluisset, si ecclesias, quarum sollicitudinem gerebat, enumerasset, si carceres et ea quae in illis praestitit recensuisset, si alias aerumnas tribulationesque enarrasset; sed noluit » etc.

3. *Pauli gloriatio de donis divinitus acceptis* (12,1-10).

1.) *De suis visionibus gloriari se posse exemplo allato demonstrat* (12,1-5).

12,1. ***Si gloriari oportet** (non expedit quidem)* : ***veniam autem ad visiones et revelationes Domini.*** 2. *Scio hominem in **Christo ante annos** quatuordecim (sive in **corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit) raptum** huiusmodi **usque ad tertium coelum.*** 3. ***Et scio** huiusmodi **hominem (sive in corpore, sive extra** corpus **nescio, Deus scit),*** 4. ***quoniam** raptus est **in paradisum : et audivit** arcana **verba, quae non licet homini loqui.*** 5. ***Pro** huiusmodi **gloriabor : pro** me autem **nihil gloriabor nisi in infirmitatibus** meis.*

12.1. Καυχᾶσθαι δεῖ; οὐ συμφέρον μὲν, ἐλεύσομαι δὲ καὶ εἰς ὀπτασίας καὶ ἀποκαλύψεις Κυρίου. 2. οἶδα ἄνθρωπον ἐν Χριστῷ πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων, εἴτε ἐν σώματι οὐκ οἶδα, εἴτε χωρὶς τοῦ σώματος οὐκ οἶδα, ὁ Θεὸς οἶδεν, ἁρπαγέντα τὸν τοιοῦτον ἕως τρίτου οὐρανοῦ. 3. καὶ οἶδα τὸν τοιοῦτον ἄνθρωπον, εἴτε ἐν σώματι εἴτε χωρὶς τοῦ σώματος, ὁ Θεὸς οἶδεν, 4. ὅτι ἡρπάγη εἰς τὸν παράδεισον καὶ ἤκουσεν ἄῤῥητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. 5. ὑπὲρ τοῦ τοιούτου καυχήσομαι, ὑπὲρ δὲ ἐμοῦ οὐ καυχήσομαι, εἰ μὴ ἐν ταῖς ἀσθενείαις [1].

1. *VV. LL.* 1. — Magna est in hoc versu varietas lectionum, quas omnes referre non iuvat. Antiquiores melioresque codd. secuti moderni critici (*Lachm. Tisch. Treg. WH.*) eam lectionem praeferunt, quam ex B adscripsimus; solam particulam *καί* (*et*) ante *εἰς ὀπτασίας* recte delent, quia eam praeter B omnes testes ignorant. Cum hac lectione *Vulg.* fere consentit in eo tantum discedens, quod primis vocabulis καυχᾶσθει δεῖ (*gloriari oportet*) coniunctionem εἰ (*si*) praemittat cum admodum paucis

De integritate, qua apostolicum munus exercuerat, et de tribulationibus, quas ob Evangelium pertulerat, gloriatus B. Paulus duo tractaverat capita, quibus eum adversariis suis longe praestare nemo negare potuit; multo magis autem extraordinariis gratiis a Deo acceptis illos superavit; quae tertium constituunt gloriationis eius argumentum. In praecedente epistola praeclaram illam visionem, qua in itinere damasceno ad fidem conversus et ad Evangelium praedicandum vocatus est, velut primum testimonium iam attulit, quo se genuinum esse Apostolum demonstraret (cfr ad 1 *Cor.* 9,1; 15,8); coniici autem licet, pseudapostolos extraordinariam illam vocationem in dubium vocasse visionemque illam esse commenticiam probare voluisse. Necessitate igitur quadam coactus de visionibus revelationibusque suis loquitur, humilitate tamen modestiaque retentus, quamvis plura earum exempla sese afferre velle innuat (*v.* 1), unam solam, sed praecipuam visionem paucis absolvit (2-4), quia in infirmitatibus suis gloriari mavult (*v.* 5).

Simili modo, quo in primae et secundae sectionum praefatiunculis (11,1 sqq. 15 sqq.), etiam hic sibi invito ac repugnanti gloriationem extorqueri monet : 1. *si gloriari oportet, non expedit quidem*[1], *veniam autem ad visiones et revelationes Domini;* vel iuxta meliorem lectionem graecam : *Gloriari oportet? non expedit quidem, veniam autem ad visiones et revelationes Domini.* Cum *A^tro* antiquiores Latini prima verba *si gloriari oportet* ad fugam trahunt in praecedente sectione commemoratam (*Haym. Herv.* etc.); at cum Graecis et iunioribus Latinis (*Thom.* etc.) ab illis nova sectio inchoetur oportet : adversariorum calumniis inchoatam gloriationem continuare cogitur, licet eam per se utilem non esse sciat, « quia qui gloriatur de bono recepto, incidit in periculum amittendi quod accepit » (*Thom.*);

iunioribus codd. graecis; sed hac particula constructio quidem aliquantulum impeditur, sed sententiae sensus non mutatur, dummodo in graeco textu duo prima vocabula (καυχᾶσθαι δεῖ) maiore interpunctione a sequentibus separes; plerique punctum in superiore linea ponunt (δεῖ·), cum *Lachm.* autem signum interrogationis praefero (δεῖ;). Cum Patribus graecis et plerisque iunioribus codd. *textus rec.* sententiam ita legit : καυχᾶσθαι δὴ οὐ συμφέρει μοι· ἐλεύσομαι γὰρ εἰς ὀπτασίας κτλ. (gloriari *sane* non expedit mihi ; veniam *enim* ad visiones etc.). — 3. χωρὶς τοῦ σώματος, ὁ Θεὸς οἶδεν (extra corpus, Deus scit) solus B ; reliqui codd. graeci et verss. omnes : χωρὶς τοῦ σώματος οὐκ οἶδα, ὁ Θεὸς οἶδεν (*extra corpus, nescio, Deus scit*). Pro χωρὶς tamen in hoc versu aliqui codd. exhibent ἐκτός. — 5. ἐν ταῖς ἀσθενείαις (in infirmitatibus) pronomine non addito B D pauci minusc., *Syr. Copt. Arm.*; sed ἐν ἀσθενείαις μου (*in infirmitatibus meis* ℵ E F G K L M P, plerique minusc., et B, *It., Vulg. Goth. Aeth.*

1. *Vulg. Clem.* verba *non expedit quidem* haud satis recte pro parenthesi habet; particulae *quidem* (μὲν) sequens *autem* (δέ) respondet; apodosis vero sententiae hypotheticae a particula adversativa inchoari nequit.

postquam autem infirmitates iam commemoravit, ad alterum gloriationis genus, ad visiones et revelationes transit.

Iuxta *A*[tri] sententiam, quae in *Gl. int.* transumta a multis est recepta, *visionum* et *revelationum* ea est ratio, ut « revelatio visionem includat; nam aliquando videntur aliqua, quorum intellectus et significatio est occulta videnti, et tunc est *visio* solum, sicut fuit visio Pharaonis et Nabuchodonosor; sed quando cum visione habetur significatio intellectus eorum quae videntur, tunc est *revelatio* » (*Thom.* cfr *Herv. Lomb. Lyr.* etc., *Cai. Est. Iust*[1]. *Nat. Pic.* etc., *M Ev. Bisp. L R.* etc). Quae explicatio parum nobis probatur, quia eiusmodi visiones, quarum sensus non intelligebatur, a Paulo inter insignia dona Dei, de quibus gloriatur, vix enumerari potuerunt; uti enim *S. Aug.* (c. Adim. Man. 28,2) monet tres visionum species distinguens : « non est propheta veri Dei et summi, qui oblata divinitus visa vel solo corpore, vel etiam illa parte spiritus videt, qua corporum capiuntur imagines, *et mente non videt* »; nam « sine tertio visionis genere, quo secundum mentis intelligentiam intellecta conspiciuntur veritas et sapientia, duo alia genera vel infructuosa sunt vel etiam in errorem mittunt ». Haud dissimilem sententiam *Theoph.* proponere videtur, si revelationem visioni praestare dicit, quia « haec dumtaxat videre faciat, illa vero aliquid altius denudet ». Iuxta alios visio non est nisi una ex revelationis speciebus (*Iust* [2].), aut revelatio habetur, ubi verbis res divinae manifestantur (*Mai.*), vel ubi intellectus immediate sine ulla imagine illustratur veritate (*Dr.*) etc. At ex veterum prophetarum libris satis superque constat, usum vocis *visionis* latissime patere, ut omnis generis revelationes comprehendat[1]; quare hoc quoque in loco visiones et revelationes re non differre sed duo nomina esse arbitramur eiusdem doni divini, quod quidem revelatio vocatur, si ex parte Dei dantis, visio autem, si ex parte hominis accipientis consideratur : Paulus *vidit* quaecumque Deus ei *revelavit*, sicut prophetae quoque non tantum ea, quae aut sensibus eorum externis aut sensui eorum interno obiecta erant, sed etiam eas species intelligibiles, quae immediate eorum mentibus impressae sunt, se *vidisse* dicunt; quare etiam (*infra v.* 7) solo vocabulo *revelationes* omnia comprehendit.

Ex omnibus porro, quas multas magnasque habuit (*v.* 7), visionibus revelationibusque unam solam pro modestia ac humilitate sua affert : 2. *scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi*

1. Cfr quae de visionibus prophetarum disseruimus in *Introd. spec.* in ll. Vet. Test. p. 290 sqq. Alexandrini quidem hebr. מַרְאָה eiusque synonyma plerumque reddunt graeca voce ὁράσεως, sed aliquoties etiam voce ὀπτασίας, qua Paulus hic utitur (cfr *Dan.* 9,23; 10, 1 etc.); Paulus ipse (vel si mavis, Lucas) eandem vocem adhibet de Domini apparitione in itinere damasceno, in quo non tantum Dominum *vidit*, sed etiam loquentem *audivit* (*Act.* 26,19).

(τὸν τοιοῦτον talem) *usque ad tertium coelum*. Quin hic *homo in Christo*, i. e. Christo per fidem ac baptismum insertus Christique membrum factus, sit ipse Apostolus, nemini est dubium, qui ad contextum attenderit; de alterius enim hominis visione hic gloriari non potuit; cur vero tertia persona de se ipso loquatur, ex *v*. 5. patebit. Porro visionis tempus accurate definit non tam, « ut significet, se, qui rem tamdiu tacitam et occultam tenuerat, ne nunc quidem eam manifestaturum fuisse, nisi maxima necessitas ipsum impulisset » (*Est*. cfr *Chrys. Theod*. etc., *Pel. Prim*. etc.), quam ut historicam visionis veritatem apertius asserat; ob eandem enim causam et in huius et in sequentis sententiae principio se *scire* non sine emphasi quadam dicit. Quum a. 58. epistola nostra sit scripta, visio a. 44. accidit, illo igitur anno, quo una cum Barnaba ab Antiochenis Ierosolyma est missus, ut eleemosynas fratribus in Iudaea habitantibus afferret (*Act*. 11,27 sqq.; 12,25)[1].

Num visio haec eadem sit, quam in oratione ad Iudaeos habita commemorat (*Act*. 22,17 sqq.), cum certitudine definiri nequit. Ex itinere eleemosynarum causa suscepto Antiochiam reversus Spiritu S. iubente cum Barnaba primam expeditionem apostolicam in Cyprum insulam atque meridionales partes Asiae Min. ingressus est primasque ecclesias inter gentes fundavit (*Act*. 13,1 sqq.); iam vero in visione, quam *Act*. 22. narrat, in exstasin raptus audivit Dominum dicentem sibi : « Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te »; temporis igitur rationes si considerantur, improbabile non omnino est, eum de eadem exstasi et hoc in loco et *Act*. 22. loqui. Ad chronologiam vero nec *Chrys*., qui « in primordiis » vitae suae christianae Paulum hanc visionem habuisse putat, nec *Thom. Lyr*. etc. satis attenderunt, qui « in illo triduo, quo post prostrationem suam a Domino stetit neque videns neque manducans neque bibens » (*Act*. 9,9) illam ponunt; a conversione enim Pauli usque ad hanc scriptam epistolam saltem viginti quatuor anni effluxere, atque Tiberii mortem inter et Neronis imperium erronee *Lyra* dumtaxat duodecim et *Thom*. (Claudii regno omisso) quatuor tantum annos numerant. Sed a vero iuniores quoque nonnulli aberrant, qui *Gal*. 1,12 aut 2,2 huc trahunt; in priore enim loco de primo post conversionem tempore agi, contextus docet (*Gal*. 1,15 sqq.), in altero autem de concilio apostolico agitur, quod ad a. 51. pertinet.

A. 44. igitur (fortasse in templo ierosolymitano orans) Paulus *raptus est*, i. e. divina quadam vi subito ad extraordinariam quandam divinarum rerum contemplationem elevatus est seu exstasin aliquam passus est; « raptus enim, inquit *Thom*., est mentis elevatio ab eo, quod est secundum naturam, in id quod est supra naturam, vi superioris naturae ». Ita autem raptus est, ut sese ignorare atque solum Deum scire dicat, *utrum in corpore fuerit an extra corpus*. In errore *S. Athanasium* versari arbitramur, si Apostolum id scivisse quidem sed ob

1. Cfr *Introd. spec*. in ll. Novi Test. p. 341.

modestiam manifestare noluisse censet, quia is qui se raptum esse sciat, etiam quomodo raptus fuerit procul dubio sciat[1]; omnino aliud enim est rem aliquam scire, atque aliud eius modum scire. Uberrime de horum verborum sensu *S. Aug.* (de Gen. ad lit. XII. 1-5) disserit atque velut probabiliora haec statuit, quae ab eo *S. Thom.* (Summ. theol. II. 2. qu. 175. a. 6) cum approbatione transumsit : « Restat ergo fortasse, ut quoniam mentiri non posset Apostolus, qui tanta cura egit, ut discerneret quid sciret et quid nesciret, hoc ipsum eum intelligamus ignorasse, utrum quando in tertium coelum raptus est, in corpore fuerit, quomodo est anima in corpore, quum corpus vivere dicitur sive vigilantis sive dormientis sive in exstasi a sensibus corporis alienati, an omnino de corpore exierit, ut mortuum corpus iaceret, donec peracta illa demonstratione membris mortuis anima redderetur, et non quasi dormiens evigilaret, aut exstasi alienatus denuo rediret in sensus, sed mortuus omnino revivisceret. Proinde quod vidit raptus usque in tertium coelum, quod etiam se scire confirmat, proprie vidit, non imaginaliter. Sed quia ipsa a corpore alienata, utrum omnino corpus reliquerit, an secundum modum quendam viventis corporis ibi anima fuerit, sed mens eius ad videnda vel audienda ineffabilia illius visionis abrepta sit, hoc incertum est : ideo forsitan dixit : sive in corpore sive extra corpus, nescio, Deus scit »[2]. Iuxta hanc sententiam, quae communior est (cfr *Lyr.* etc., *Cai. Iust. Est. Nat.* etc., *Mai. Bisp.* etc.), Paulus scivit quidem, se secundum solam animam esse raptum, ignoravit vero, utrum per solam contemplationem an per essentiam suam quoque anima in coelum esset translata, seu si mavis, ignoravit, quae toto raptus illius tempore animae suae ad suum corpus fuisset relatio, utrum nimirum tamquam forma cum illo coniuncta mansisset, an ab illo ad tempus separata

1. *S. Athan.* (c. Arian. orat. III. 47. M. 26,424), postquam Eliseum assumtionem Eliae vidisse quidem, sed filiis prophetarum non manifestasse (4 *Reg.* 2,12 sqq.) retulit, in hunc modum pergit : « Multo igitur magis Paulus, ipse raptus, noverat etiam quomodo raptus esset. Namque id ipsi Eliae minime latuit, et si quis eum hac de re interrogasset, potuisset utique narrare, quomodo esset assumtus. Attamen Paulus se nescire dicit ob duas, ut equidem arbitror, causas : primum, uti ipse dixit, ne quis ob visionum excellentiam eum esse putaret maiorem, quam eum esse videret; deinde quoniam Salvator se nescire dixerat (*Marc.* 13,32), idem illum decebat dicere, ne servus supra dominum ac discipulus supra magistrum esse videretur ». Quae omnia num recte sint dicta, vehementer dubito.

2. Cfr etiam *S. Aug.* lib. de videndo Deo (ad Paulinam ep. 147) 13,31 : « Potest humana mens divinitus rapi ex hac vita ad angelicam vitam, antequam per istam communem mortem carne solvatur. Sic enim raptus est qui audivit illic ineffabilia verba, quae non licet homini loqui : ubi usque adeo facta est ab huius vitae sensibus quaedam intentionis aversio, ut sive in corpore, sive extra corpus fuerit, id est, utrum, sicut solet in vehementiore exstasi, mens ab hac vita in illam vitam fuerit alienata, manente corporis vinculo, an omnino resolutio facta fuerit, qualis in plena morte contingit, nescire se diceret ».

illud velut mortuum reliquisset. Haud improbabilis tamen, licet *Aug.* et *Thom.* eam improbent, est altera quoque sententia, quam cum *Chrys.* alii tenent[1], Paulum nimirum ignorasse, utrum secundum solam suam animam corpore in terra remanente, an secundum animam et corpus esset in coelum translatus (cfr *Pic. M Ev. L R.* etc.). Illud certum est, de visione mere intellectuali agi, in qua corpus eiusque sensus nullam omnino habuerunt partem, ita ut Paulus ne sciret quidem, essetne eo tempore corpore praeditus, annon. Ideo vero eum ignorantiam suam de visionis modo profiteri arbitramur, ut visionis suae sublimitatem clarius manifestet[2]; ac profecto omnino diversa fuit ab illa, qua oculis corporis in itinere damasceno Dominum resuscitatum ita conspexit, ut sese testibus resurrectionis adnumerare potuerit (cfr 1 *Cor.* 15,8), illamque etiam certo modo superavit. Eandem enim sublimitatem alia quoque verba produnt, quibus raptus sui terminum designat : *in tertium coelum;* illis enim aliquid sublime significari certum est, licet quid proprie significetur cum certitudine definire nequeamus, siquidem nec quibus de coelis sermo sit nec quis sit coelorum numerus satis constat.

1. Graeci in his verbis explicandis ieiuni sunt; *Chrys.* nihil de eis tradit, *Theod.* sententiam dumtaxat unam commemorat, quam non approbat, tertio coelo tertiam partem distantiae significari, quae coelum a terra separat; *Dam.* (de fide orthod. II. 6) tres coelos intelligit aerem, firmamentum, habitationem beatorum; *Oec.* silet; *Theoph.* demum aerem nominat, firmamentum, ac tertium coelum, quod in principio cum terra creatum sit; analogice autem dici censet primum coelum finem ac terminum ethicae, quando aliquis mores suos recte formaverit, secundum coelum philosophiam naturalem, quando aliquis completam universi mundi scientiam possideat, tertium autem scientiam theologiae, quando aliquis per contemplationem usque ad terminum cognitionis rerum divinarum et eorum, quae (per se) rationem superant, pervenerit; Paulum igitur usque ad ea,

1. *S. Chrys.* : « Quid igitur? itane anima ac mens rapta est, ut corpus mortuum remanserit? an corpus quoque raptum est? Id dicere non possumus; nam quia Paulus ipse, qui raptus est et cui tot tantisque arcanis frui licebat, id ignoravit, multo magis nobis idem ignotum est ».

2. *Claudian. Mamert.* (De statu animae II. 12,10) ex his Pauli verbis animam hominis esse incorpoream ac sine corpore exsistere posse haud incongrue colligit : « Nempe is qui, (num in corpore) seu cum corpore sit raptus, incertus est, incorporeum tamen (se) esse et corpus se habere certus est. Qui si non sine corpore raptus est, corpus cum illo raptum est, non est tamen ipse quod corpus, cum quo raptum est corpus. Si sine corpore, multo magis intelligitur, non esse corpus quod potest esse sine corpore. Scio, inquit, hominem raptum, sed sive in corpore sive extra corpus nescio; quod tale est, ac si diceret : raptum me scio, sed cum corporene an sine corpore nescio. Ergo etsi cum corpore raptus es, rapi tamen sine corpore potuisti; incorporeus igitur es etiam in corpore, si potuisti rapi sine corpore. Quippe incorporeum corpori, salva sua substantia, vivificandi eiusdem causa miscetur; ut autem corpus sine corpore sit, statuta rerum lege non sinitur ».

quae iuxta Trinitatem sunt loca raptum esse. Uberiores Latini sunt in tribus coelis explicandis; Patrum Latinorum vestigia sequentes interpretes media aetate triplici modo verba nostra exponunt, quum tres coelos infra animam, tres in anima, tres supra animam distinguant (cfr *Gl ord. Lomb. Thom.* etc.). Primo nomine cum *Dam.* consentientes tres coelos significant, quorum mentio fit in Scripturis, aereum (aves coeli, nubes coeli etc.), sidereum (stellae coeli, luminaria in firmamento), empyreum (habitatio Dei, angelorum, beatorum); « et hoc modo dicitur quod Apostolus erat raptus usque ad videndum ea, quae sunt in coelo empyreo » ac proinde ad contemplandam divinam essentiam, cuius visione beati fruuntur. Altero nomine tres visionis supranaturalis species designant, corporalem, qua conspiciuntur et intelliguntur corporalia signa (scriptura in pariete a Daniele visa et explicata), imaginariam, qua corporum similitudines conspiciuntur et intelliguntur (linteum coelitus demissum, quod Petrus vidit cuiusque significationem accepit), intellectualem, qua rerum naturae in se ipsis cognoscuntur; atque iuxta hunc modum Paulus ita alienatus a sensibus et supra omnia corporalia elevatus fuit, ut videret intelligibilia nuda et pura eo modo, quo a puris spiritibus conspiciuntur, ac ipsum quoque Deum per essentiam. Tertio demum nomine iuxta tres angelorum hierarchias, in quas novem eorum chori distribuuntur, tres diversos immediatae visionis Dei aeternaeque beatitudinis gradus designant, et « hoc modo raptus fuit Paulus, ut videret Deum ita clare, sicut vident eum angeli superioris et primae hierarchiae, qui immediate in ipso Deo recipiunt illuminationes cognoscuntque divina mysteria » (cfr *Thom.*). Ad quos explicationis modos quod attinet, secundus, etiamsi a *S. Aug.* (de Gen. ad lit. XII. 28 etc.) est propositus atque a *Theoph.* analogica explicatione haud multum dissentit, teneri vix ac ne vix quidem potest, quia usui loquendi Scripturae non consentit; nusquam enim visio, quamvis supranaturalis, coelum appellatur ac multo minus iuxta tres scientiae species tres coelos cum *Theoph.* distinguere licet. Utrum vero primus an tertius modus sit praeferendus, difficile est dictu; ipsum hebraicum nomen שָׁמַיִם pluralitatem quandam coelorum indicat; « num autem septem coeli sint [quam sententiam iuniores rabbini tenent quamque moderni acath. nonnulli Paulo temere attribuunt [2]], an quis in genere eorum definitus sit numerus, Scripturae in ecclesiis Dei receptae non explicant [explicant autem aliqui libri apocryphi nullius auctoritatis]; de coelis tantum loquuntur, sive hac voce orbes planetarum, ut vocant Graeci, sive aliquid occultius innuere volunt » (*Orig.* c. Cels. VI. 21). Aeque apte igitur nonnulli cum *Dam.* et prima Latinorum sententia duos coelos materiales intelligunt, per quos transiens Paulus raptus sit ad angelorum beatorumque sedem (*Cai. Iust. Est.* etc., *Bisp. M Ev.* etc.), et alii cum tertia sententia in ipsa beatorum

1. Interdum rabbini duos, interdum septem distinguunt, quorum nomina sunt haec : velum (וילון), expansum (רָקִיעַ), nubes (שְׁחָקִים), habitaculum (זבול), habitatio (מָעוֹן), sedes fixa (מָכוֹן), thesaurus (עֲרָבוֹת). Paulus igitur usque ad nubes pervenisset!

sede varias quasi regiones, alias aliis superiores, distinguunt (cfr *Eph.* 4,10; *Hebr.* 9,24 et 4,14), ad quarum supremam Paulus se viderit raptum (*Mai. L R.* etc.).

2. Altera est quaestio, num Paulus in tertium coelum ita sit raptus, ut Deum intueretur, sicuti est, ea nimirum visione, qua animae beatae Deum immediate vident. Praeter *Theoph.*, qui eam analogica sua explicatione videtur affirmare (*cfr supra*), graeci interpretes eam diserte non tractant; indirecte tamen eam a *Chrys.* et *Theod.* negari arbitramur, quia prior Paulum ideo in coelum raptum censet, ne reliquis Apostolis, qui cum *Christo* erant conversati eiusque gloriam in monte Tabor erant intuiti, inferior crederetur, et alter de solis sanctorum choreis a Paulo in raptu visis loquitur. Diligentius quaestionem Latini tractant; cum *S. Aug.*, qui saepius eam affirmat (de Gen. ad lit. XII. 28; de vid. Deo 13,31), omnes mediae aetatis interpretes consentiunt (*Haym. Herv. Hugo Vict.* in 2 Cor. qu. 35, *Lomb. Lyr. Dion.*) ac prae ceteris *Thom.* non in Comm. tantum, sed etiam in aliis operibus eam tenet atque a difficultatibus vindicare studet (Summ. theol. I. qu. 12. a. 11 ad 2; II. 2 qu. 175. a. 5; de verit. qu. 10. a. 11. ad 1 etc.). Iuniores vero, quamvis affirmantem sententiam probabilitate sua non carere fateantur, in negantem tamen magis inclinant eamque probabiliorem habent, quoniam Deum ab homine vivente visum esse ac videri posse Scripturae negent (cfr 1 *Tim.* 6,16; 1 *Ioan.* 4,12; *Exod.* 33,20 etc.) atque alii Patres nostrum locum interpretantes Paulum Dei essentiam non vidisse teneant[1] (cfr *Iust. Est. Lap. Nat. Pic.* etc.). Ex hoc praeclariorum interpretum dissensu satis apparet, ex nostro loco ipso nihil de hac quaestione definiri posse; quare eam in medio relinquere consultius est, et cum *Theod.* dicamus : « horum certitudinem is novit, qui ea contemplatus est; nos vero ad reliqua interpretanda pergamus ».

Sed nova difficultas ex sequentibus exoritur, quum Paulus pergat : 3. *et scio huiusmodi hominem* (τὸν τοιοῦτον ἄνθρωπον istum talem hominem), — *sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit,* — 4. *quoniam raptus est in paradisum, et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui.* Utrum enim Apostolus de eodem raptu, de quo in praecedente sententia, an de altero loquatur, dissentiunt interpretes, atque inter illos, qui unicum raptum admittunt, alii nominibus tertii coeli et paradisi eundem locum designari putant, alii diversum. Duas

1. Quid valeant argumenta ex epistolis apostolicis desumta, in earum explicatione videbimus. Plane infirmum est argumentum ex Patribus, prout proponitur. Neque enim *Tert.* (c. Prax. 14) et *S. Greg. Naz.* (or. 34; nunc or. 28,20) a Iust. allegati, nec *S. Ambr.* (de fide ad Grat. V. 19,235) aut *S. Greg. M.* (Moral. XVIII. 38 nunc 54.89; in Ezech. hom. 8,20) ab Estio allegati, nec *S. Greg. M.* (Moral. XVIII. 5 nunc 7) a Lap. allegatus ulla ratione cum illa nostri loci explicatione, quam *SS. Aug.* et *Thom.* sequuntur, pugnant, sed facillime cum illa concilientur. Neque tamen negare volo, alios fortassis apud Patres inveniri textus, qui aliam nostri loci interpretationem supponunt (uti *Ps. Dion. Areop.* de coel. hier. 4 etc.); sed hisce rem non definiri clarum est.

diversas visiones antiqui Latini statuunt (*A[ter] Pel. Prim. S. Greg. M.* Moral. XVIII. 7, *Haym. Herv.*); unicum raptum sed duas eius quasi stationes cum haud paucis antiquis Graecis (*Clem. Alex.* Strom. V. 12; *Orig.* in ep. ad Rom. X. 43; *Oec. Theoph.*) et Latinis (*S. Hier.* in Ezech. 28,13 etc.) etiam moderni multi tenent (*Bisp. L R.* etc. — *Mey.* etc.); eundem demum raptus terminum duobus nominibus ita designari, ut Paulus et ad altissimam scientiam, qua praediti sunt, qui cum Deo ipso (in tertio coelo) commorantur, et ad summam beatitudinem, qua (in paradiso Domini *Apoc.* 2,7) beati fruuntur, elevatus sit, cum *S. Aug.* (De Gen. ad lit. XII. 34) et *S. Ambr.* (De fide V. 19,235) iuniores ac moderni alii censent (*Lomb. Thom. Lyr. Dion.* etc., *Cai. Iust. Est. Lap. Nat.* etc., *Mai. M Ev.* etc.). Quam tertiam sententiam praeferendam ducimus; si enim duas visiones Paulus distinguere voluisset, secundae non minus quam priori definitionem temporis addidisset atque etiam aliquid saltem de iis, quae in priore viderat aut audierat, indicasset. Recte igitur prima sententia hodie vix non ab omnibus respuitur, sed secundam non maiore probabilitate commendari censeo. Cur enim duas eiusdem raptus stationes indicare voluerit, non intelligitur, nisi quis forte cum modernis acath. (*Mey. Kloep. Heinr.* etc.) admiserit, Paulum rabbinorum figmenta secutum nomine tertii coeli locum intra visibilis creationis terminos situm designasse, ex quo ei transitus aut conspectus in sedes beatorum patuerit. Neque magis iuxta hanc sententiam intelligitur, cur Paulus bis dixerit, se nescire utrum in corpore an extra corpus fuerit; eum enim in ipso raptu aut in priore illa, quae admittitur, statione corpus aut resumsisse aut deposuisse, nemini in mentem venire potuit. Iuxta secundam igitur sententiam plane superflua et otiosa est illa repetitio, quae iuxta tertiam, quam sequimur, explicationem ad gaudiorum, quibus Apostolus frui licuit, spiritualitatem manifestandam inservit : uti in supranaturali illa cognitione, ita in supranaturali illa fruitione corpus eiusque sensus nullam omnino habuisse partem, Paulus verba sua repetens exprimere voluit.

Porro sese testatur *audisse verba arcana* (ῥήματα ἄῤῥητα effata ineffabilia), *quae non licet homini loqui* (ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι). De sermone *auribus* audito non agi, clarum est, quia utrum in corpore an extra corpus fuisset, ignoravit; spiritualem ergo perceptionem hic verbo *audiendi* uti alibi verbo *videndi*, indicat, simili modo, quo prophetae de sua divinae revelationis perceptione verbis illis promiscue utuntur[1] : « dicit autem *audivit* pro *vidit*, quia illa consi-

1. Cfr *Introd. spec.* in II. ss. Vet. Test. II. p. 292.

deratio fuit secundum interiorem actum animae, in quo idem est auditus ac visus;... dicitur autem consideratio illa visio, in quantum Deus videtur, et auditio, in quantum homo instruitur de divinis in ea » (*Thom.*). Effata ineffabilia (*verba arcana*) igitur res ipsae sunt, quas Paulus illo in raptu percepit, easque vocat ineffabiles, quas proloqui fas non sit homini, ut earum sublimitatem manifestet. Duplici modo sententiam relativam explicari posse, prout dativus *homini* (ἀνθρώπῳ) ad verbum *licet* (ἐξόν) aut ad infinitivum *loqui* (λαλῆσαι) trahatur, monent antiqui interpretes (quae homo loqui non permittitur, aut : quae ad hominem loqui non est permissum); sed utraque constructio ad eundem fere sensum reducitur; siquidem sententia relativa Paulus adiectivum ἄῤῥητα explicans Deum sibi soli manifestationem istarum rerum reservasse docet, ita ut homini, quocum illas communicavit, illas propagare fas non sit. Quare etiam frustra antiquitus iam nonnulli inquisiverunt, quaenam verba illa arcana essent[1], et iuniores ac moderni ab inutilibus hac de re coniecturis non satis se abstinuerunt (cfr *Est. Lap.* etc. — *Ew. Kloep. Mey.* ed. 6. p. 366 n. etc.); quibus non immorabimur, nam « eorum certitudinem is solus novit, qui ea contemplatus est » (*Theod.*).

In huius raptus descriptione persona tertia ita erat usus, ut eum qui elevatus erat a se ipso quasi distingueret; ipse enim in hac visione nihil egerat, neque de illa, uti de suis laboribus, dicere potuit : non ego, sed gratia Dei mecum (cfr ad 1 *Cor.* 15,8), sed integra soli gratiae debebatur; hinc eandem distinctionem retinens pergit : 5. *pro huiusmodi* (ὑπὲρ τοῦ τοιούτου pro isto tali sc. homine) *gloriabor; pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis.* In semetipso ergo duas personas distinguit, unam quae sine ullis suis meritis cumulatur summis Dei beneficiis, alteram quam multis infirmitatibus subiacere quotidiana experientia edoctus est. Pro prima utique gloriari potest ac vult, quia haec gloriatio immediate ac directe solum Deum attingit, qui solus gratia sua in hac visione egit; verum pro se, i. e. pro altera, quam in se distinguit, persona gloriari non vult, quatenus laboribus fructum aliquem produxerit, sed quatenus illo fructu, qui ipse quoque gratiae divinae debeatur, non obstante multis quas patitur tribulationibus infirmum instrumentum in manu Dei esse demonstretur (cfr 11,30).

1. Huic inquisitioni nonnulla apocrypha originem debent, quae Patres commemorant : Ἀναβατικὸν Παύλου (*S. Epiph.* haer. 38,2 etc.), Apocalypsis Pauli (*S. Aug.* in Ioan. tract. 98,8) etc. Cfr *Introd. gener.* in ll. ss. U. T. p. 227.

2.) *Licet habeat, in quibus glorietur, in infirmitatibus suis gloriari mavult* (12,6-10).

12,6. *Nam et si voluero gloriari, non ero insipiens : veritatem enim dicam : parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me. 7. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae angelus satanae, qui me colaphizet. 8. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me : 9. et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. 10. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo : quum enim infirmor, tunc potens sum.*

12,6. ἐὰν γὰρ θελήσω καυχήσασθαι, οὐκ ἔσομαι ἄφρων· ἀλήθειαν γὰρ ἐρῶ· φείδομαι δέ, μή τις εἰς ἐμὲ λογίσηται ὑπὲρ ὃ βλέπει με ἢ ἀκούει ἐξ ἐμοῦ· 7. καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων, διὸ ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκί, ἄγγελος σατανᾶ, ἵνα με κολαφίζῃ, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι. 8. ὑπὲρ τούτου τρὶς τὸν Κύριον παρεκάλεσα, ἵνα ἀποστῇ ἀπ' ἐμοῦ. 9. καὶ εἴρηκέν μοι· Ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου· ἡ γὰρ δύναμις ἐν ἀσθενείᾳ τελεῖται. ἥδιστα οὖν μᾶλλον καυχήσομαι ἐν ταῖς ἀσθενείαις μου, ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ ἡ δύναμις τοῦ Χριστοῦ. 10. διὸ εὐδοκῶ ἐν ἀσθενείαις, ἐν ὕβρεσιν, ἐν ἀνάγκαις, ἐν διωγμοῖς καὶ στενοχωρίαις ὑπὲρ Χριστοῦ· ὅταν γὰρ ἀσθενῶ, τότε δυνατός εἰμι[1].

Apostolus, quamvis de visionibus, utpote veris, iure gloriari possit, de iis tamen gloriari recusat, quia non secundum extraordinaria illa

1. *VV. LL.* — 6. ἐὰν γάρ (nam si) est communis lectio, pro qua solus P cum *Arm.* : ἐὰν γὰρ καί (nam si et, aut *It. Vulg.* : nam et si), et solus K cum *Goth.* : εἰ δὲ καί (si autem et). — ἢ ἀκούει ἐξ ἐμοῦ (aut audit ex me) pronomine τὶ omisso B ℵ F G, pauci minusc., meliores *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat. Demid. Tolet Harl.* etc.) *Syr.* (codd.) *Copt. Arm. Aeth.*; sed vix minus apte *textus rec.* : ἢ ἀκούει τι ἐξ ἐμοῦ (*aut audit aliquid ex me*) cum D E K L P, plerisque minusc., *It. Vulg.* (*Clem.*) *Syr.* (codd.) *Goth.* — 7. διὸ ἵνα μή (ideo ne) B ℵ A F G cum uno alterove minusc. Quae lectio, licet quomodocumque tolerari possit, si praecedentia verba (καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων) ad *v.* 6. trahuntur, parum aptum tamen praebet sensum; quare auctoritate codd. illorum non obstante nudum ἵνα μή (omissa particula διό) legatur oportet cum D E K L P, omnibus fere minusc. omnibusque verss. — σατανᾶ (*Satanae*) B ℵ A D F G, paucissimi minusc., *It. Vulg. Copt.*: sed *textus rec.* legit σατᾶν cum E K L P plerisque minusc. et PP.; quae lectio retineri potest, dummodo ne σατᾶν nominativus esse credatur ac velut adiect. aut appositio ad ἄγγελος trahatur (angelus adversarius); nusquam enim in Novo Test. σατᾶν velut nomen appellativum adhibetur, sed semper est nomen principis daemoniorum (etiam *Matth.* 16,28; *Marc.* 8,33). — ἵνα με κολαφίζῃ, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι (ut me colaphizet, ne extollar) B K L P, fere omnes minusc., *It.* (SS. *Cypr. Hil. Aler* etc.) *Syr. Copt. Arm. Goth.*; sed repetita verba ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι (ne extollar) omittunt ℵ A D E F G, unus alterve minusc., *Vulg. Aeth.*; cfr *Comment.* — 9. ἡ γὰρ δύναμις (*virtus enim*) nullo pronomine addito B ℵ A D F G, pauci minusc., *It. Vulg. Goth. Arm. Aeth.*; sed *textus rec.* : ἡ γὰρ δύναμίς μου (virtus enim *mea*) cum E K L P, plerisque minusc., *Syr. Copt.*; cfr *Comment.* — 10. ἐν ἀσθενείαις (in infirmitatibus) nullo pronomine addito est communis lectio, quam etiam meliores codd. *Vulg.* tuentur (*Fuld. Amiat. Demid. Harl.*); soli F G legunt ἐν ἀσθενείαις μου (in infirmitatibus *meis*) cum *Vulg. Clem.*

dona, sed secundum labores et praedicationes suas diiudicari vult (*v.*6). Ac revera magna quadam calamitate, qua Deus eum continuo premi voluit, iam provisum est, ne revelationum magnitudine intumesceret (7-9); quapropter de infirmitatibus potius gloriatur, quibus auxilium divinum meretur (9. 10.).

6. *Nam* (*et*) *si voluero gloriari, non ero insipiens; veritatem enim dicam; parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me aut* (*aliquid*) *audit ex me.* In praecedente sententia asserens, sese pro se in infirmitatibus esse gloriaturum, satis clare insinuavit, se etiam de suis visionibus, quibus a Deo dignatus est, gloriari posse; quam sententiam omissam ex eo probat, quod de iis glorians insipientiae incusari nequeat, siquidem nihil, quod veritati non consonet, sit prolaturus. Aenigmaticam igitur istam duarum personarum distinctionem hic relinquit, ac se ipsum visionem illam sublimem (*v.* 2 sqq.) habuisse clare enuntiat. Quamvis autem, si plures visiones esset relaturus, adversariis suis insipientibus, qui opinatas et commenticias suas ipsorum laudes iactant, non foret similis, ab iis proponendis tamen se abstinet[1], ne propter eiusmodi gratias gratis datas magni habeatur. Optime quidem scit, praesentiam corporis suam infirmam sermonemque suum contemtibilem adversariis suis videri (10,10); nihilominus ex iis solis diiudicari desiderat, quae in ipso manifesta sunt: ex actionibus suis, quae omnibus notae cognitaeque sunt, et ex praedicatione sua aliisque suis verbis, quae ab omnibus audiuntur; certus enim est, neophytos, quorum animi praeiudiciis non sunt occupati, hac ratione iustum de ipso bonumque iudicium esse facturos, ita ut nulla sit ratio, cur suas ipse laudes praedicet.

Quemadmodum vero ab aliis supra id, quod ipsum esse vident, aestimari non vult, ita timendum quoque ei non est, ne ipse ob visiones suas superbiat; licet enim in tertium coelum et paradisum raptus angelis beatisque similis esse videatur, gravi tamen calamitate, qua Deo volente semper premitur, se in mortali infirmoque corpore adhuc degere admonetur: 7. *et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis* (*meae*), *angelus satanae, qui me colaphizet* (iuxta graec. cum *A*[co] adde: *ne extollar* ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι cfr *VV. LL.*). Ab initio sententiae Paulus consuetum verborum ordinem invertit coniunctione finali postposita (τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, sublimitate revelationum *ne* extollar), ut lectoris attentionem ad visionis, quam antea retulit (2-4), excelsitatem revocet.

1. Uti ad graecum φείδομαι, ita ad latinum *parco* ex contextu infinit. καυχᾶσθαι, *gloriari* suppleatur necesse est: φείδομαι τοῦ καυχᾶσθαι *parco iactare* i. e. abstineo gloriari.

quippe ex qua superbiae tentatio exoriri posse videatur. Ad quod periculum avertendum ei *data* est calamitas quaedam, quam duabus metaphoris designat : σκόλοψ τῇ σαρκί (*spina carni infixa*), ἄγγελος σατανᾶ ἵνα με κολαφίζῃ (*angelus satanae, qui me colaphizet*, i. e. pugnis caedat). A quo data sit, diserte quidem non dicitur, sed ex fine colligitur, eam a Deo esse datam : « neque enim, inquit *S. Aug.*, diabolus agebat, ne magnitudine revelationum Paulus extolleretur et ut virtus eius perficeretur, sed Deus; ab illo igitur traditus erat iustus colaphizandus angelo satanae, qui per eum tradebat et iniustos ipsi satanae »; divina igitur providentia permisit et ordinavit, ut Paulus calamitate quadam premeretur, qua superbiae periculum ab eo removeretur, ita ut humanae imbecillitatis pondere fastus arrogantiae impediretur.

1.) Calamitas, qua Apostolus premebatur, Corinthiis probabiliter cognita erat, ut metaphoricam eius descriptionem intelligerent; nobis vero incognita est, quare antiquitus iam inde a Patrum tempore tres huius loci explicationes datae sunt, quibus nonnulli iuniores quartam addiderunt; alii enim corporis morbum quendam, alii tribulationes ab adversariis excitatas, alii stimulos carnis ad libidinem excitantes, alii continuam vitae ante conversionem actae memoriam intellexerunt. De quibus sententiis ut iudicare possimus, verba ipsa, quibus Paulus utitur, antea perpendamus oportet. Graecum vocabulum σκόλοψ (ἅπ. λεγ. in Novo Test.), quod hoc in loco a latino interprete *stimulus*, alibi rectius *tribulus* (i. q. spinae *Eccli.* 43,19 [21] cfr *Gen.* 3,18) redditur, omnem quidem rem acuminatam (palus praeacutus, sudes, spina etc.) significat; sed hic de stimulo, quo aliquis incitatur (κέντρον 1 *Cor.* 15,56 etc.), non esse sermonem, sed de re, qua aliquis dolore afficitur, ex contextu constat. Apud Alexandrinos semper *spinam* significat [1], atque hanc significationem, quae Paulo ex versione alex. notissima erat, hic retinendam censemus; *spina* autem *carni* infixa inhaerensque (σκόλοψ τῇ σαρκί) acerbum dolorem vix tolerandum provocat. Cui priori altera metaphora accedit velut appositio : *angelus satanae qui colaphizat.* Sicuti venti et ignis urens vocantur *Dei angeli et ministri*, quatenus ei obediunt eiusque mandata exsequuntur (*Ps.* 103,4; *Hebr.* 1,7), ita calamitas, quae metaphora *spinae carni* inhaerentis indicatur, *angelus* vocatur *satanae*, cuius voluntati proxime obedit, quum Deus, ut altiorem suum finem attingat, id permittat; at dolorem quoque magnum hac metaphora exprimi non tantum ex eo patet, quod satanas, hostis generis humani, eam calamitatem infligere dicitur, sed maxime ex eo, quod angelus satanae Paulum

1. Σκόλοψ respondet hebr. שִׂכִּים (*Num.* 33,55, ubi minus recte *S. Hier.* : clavi in oculis, pro spinae in oculis), aut סִירִים (*Os.* 2,6 [8]) aut סִלּוֹן (*Ezech.* 28,24), quibus vocabulis hebraicis significatio *spinae* competit.

colaphizare i. e. pugnis caedere dicitur[1]; recte porro *Oec.*, monet Apostolum non dixisse ἵνα με κολαφίσῃ (Aor. coni.) sed ἵνα με κολαφίζῃ (Praes. coni.), ut continuum esse dolorem insinuaret.

2.) Dolorem ergo eumque magnum continuumque metaphorae proxime indicant, atque earum significatione prorsus neglecta ad solum finem, quem in calamitate ista permittenda Deus habuit, illi attendunt, qui Apostolum de motibus libidinosis ac de stimulo carnalis tentationis loqui volunt; quin enim eiusmodi tentationes, etiamsi gratia divina adiutus homo illas vincat, eius humilitatem nutriant eumque ne superbiat prohibeant, dubium non est. Sententia haec a nullo graeco Patre aut interprete commemoratur; qui enim *S. Iren.* (c. haer. V. 3,1) huc trahunt, locum non videntur legisse, siquidem ne verbulo quidem, quae Pauli infirmitas intelligenda sit, innuit. Maiore cum iure inter huius sententiae fautores aliqui latini Patres *SS. Hier., Aug., Gregor. M.* allegantur; attamen duorum priorum testimonia sunt dubia[2] eoque minus afferenda, quia de morbo hic agi alibi claris verbis enuntiant, etiamsi id pro certo non doceant; solus igitur ex Patribus remanet *S. Gregor. M.* (Moral. VIII. 29 etc.). Inter antiquos interpretes latinos primus hanc de tentationibus sententiam *Prim.* affert, sed eam improbat; *Sed.* eam cum duabus aliis explicationibus ultimo in loco proponit, *Haym.* eam veriorem censet, *Herv. Lomb.* eam velut ab aliis traditam (« ut quidam dicunt ») recensent, *Thom. Lyr. Dion.*, postquam « ad literam » de morbo agi dixerunt, eam secundo in loco addunt; solus inter illius aetatis interpretes *H Car.* eam absolute tenet simul fabulam apocrypham de Thecla virgine pulcherrima, quae itinerum Pauli fuerit socia, addens et ad spuriam S. Hier. epistolam provocans; iunioribus vero multis et modernis probatur (*Est. Lap. Tir. Nat. Pic. M Ev. Bisp. Dr.* etc.). Quos « temere loqui parumque cordate id scribere, quod vix ulli bono theologo probari possit » nimia quidem cum severitate *Iust.* dicit; merito

1. Parum recte nonnulli percussionem aliquam, « quae plus ruboris ac pudoris, quam doloris causet » verbo κολαφίζειν significari volunt (*Pic.* etc.); nam κολαφίζειν proprie est *pugnis caedere*, atque a *Matth.* 26.67 a verbo ῥαπίζειν (palma faciem alicuius percutere, s. alapam dare cfr *Matth.* 5,39) distinguitur : *et colaphis eum ceciderunt*, alii autem *palmas in faciem eius dederunt* (καὶ ἐκολάφισαν αὐτόν, οἱ δὲ ἐράπισαν).

2. *S. Hier.* tribus in epistolis hanc explicationem proponere dicitur (cfr *Est.*) : ad Eustoch. ep. 22,5, ad Rust. ep. 125,7, ad Demetriad. ep. 130,4 ; sed in duabus ultimis nullo vestigio indicatur, eum de nostro loco cogitasse, quum 1 *Cor.* 9.27 et *Rom.* 7,24 diserte alleget, in quibus de corpore animae subiiciendo agitur; in prima autem ad eosdem duos textus paulinos respicit, sed eum simul de nostro loco cogitasse, cum aliqua forte probabilitate ex una expressione (« ob *aculeos* carnis ») coniici (sed non probari) potest. — Unus tantum locus *S. Aug.* (in Ps. 58 serm. 2,5) allegari solet, qui ita se habet : « Apostolus doctor gentium accepit stimulum carnis, a quo colaphizaretur. Quis nostrum hoc dicere auderet, nisi ille confiteri non erubesceret? Si enim dixerimus, hoc non passum fuisse Paulum, quum ei quasi honorem deferimus, eum mendacem facimus. Sed quia verax est, oportet ut credamus datum esse illi angelum satanae, ne magnitudine revelationum extolleretur ». Ex solo verbo *erubescere* concluditur, S. Augustinum turpes tentationes isto loco paulino indicatas vidisse; at nonne aptissime S. Doctor hoc verbo uti potuit, si indicare voluit, Paulum quodam modo potestati ipsius satanae fuisse traditum ac subiectum? Priusquam clariora testimonia afferuntur, nec *Hier.* nec *Aug.* inter fautores istius sententiae recensere licet.

tamen miraberis, quod tot praeclari interpretes iuniores explicationem praetulerint, quae, nisi a genuino suo sensu verba detorqueantur, sacro textui adaptari nequit nec Patrum antiquorumque interpretum auctoritate commendatur. Contra hanc explicationem id quoque a nonnullis obiicitur, quod Paulus donum continentiae sibi attribuat (1 *Cor.* 7,7) ac proin de tentationibus libidinosis conqueri non potuerit; at quamquam hanc obiectionem nullam esse libenter fatemur (donum continentiae enim tentationes omnes non excludit), alio tamen ex capite explicatio haec, etiamsi sacro textui magis congrueret, nobis non probaretur; neque enim nobis persuademus, Paulum in hac sua pseudapostolorum impugnatione *occultis* suis tentationibus commemoratis novam calumniarum ansam illis praebere voluisse; aut eum his allatis dicere potuisse : *gloriabor* vel placeo mihi in infirmitatibus; num quis enim de tentationibus libidinosis gloriari potest? Quare omni verisimilitudine hanc explicationem destitui censemus.

Ad finem quoque a Deo in permittenda calamitate intentum potius quam ad Pauli verba pauci illi moderni attendunt, qui Apostolum de memoria pristinae suae vitae crudelitatisque, qua Christianos ante conversionem persecutus erat, loqui volunt (cfr *Wahl* etc.). Procul dubio ista memoria humilitati eius nutriendae inserviebat (cfr 1 *Cor.* 15,9); sed ea, quae ignorans in incredulitate egerat, sibi a misericordissimo Deo esse remissa non ignoravit (1 *Tim.* 1,13); spina igitur carni inhaerens memoria illa apte vocari non potuit, quum semper esset coniuncta cum memoria summi beneficii, quod a Deo acceperat.

3) Verbis Pauli accuratius duae aliae sententiae inhaerent; inter Graecos praevaluit explicatio, quae Paulum de tribulationibus externis loqui tenet, sed alii ad secundam metaphoram magis attendentes (*angelus satanae, qui colaphizet*) ipsos adversarios designari putarunt (*Chrys. Dam. Theoph.*), alii priorem considerantes (*spina carni infixa*) ipsas tribulationes ac persecutiones intellexerunt (*Theod. Oec.*), cum quibus ultimis *A*[ter] sentire videtur (« iniuriis pressus non potuit extolli »); eandem explicationem primo in loco exhibent *Pel. Prim. Sed. Herv. Lomb.*, atque reliquis praeferunt *Salm. Iust. Ramb.* At nec adversarii nec tribulationes externae ab illis inflictae metaphora spinae carni inhaerentis apte designantur; praeterea de calamitate loquitur Paulus sibi soli propria (*datus est mihi stimulus*), eiusmodi externae autem tribulationes omnibus Apostolis erant communes (cfr 1 *Cor.* 4,9 sqq.), quin etiam eas cum munere apostolico ita esse coniunctas scivit (4,7 sqq.; 6,4 sqq.), ut earum remotionem a Deo petere non potuisse videatur. Quamvis igitur non omni probabilitate haec explicatio careat, probabilior tamen est alia, quae de morbo quodam agi censet.

Quam ex Graecis praeter *S. Basil. M.* (Reg. fusius tract. 55,4) et *S. Gregor. Naz.* (Or. 43,52), qui suum ipsius morbum quendam τὸν δεδομένον ἡμῖν παρὰ Θεοῦ σκόλοπα appellat (cfr *Nicet.* in hunc S. Greg. loc.), etiam *Chrys.* semel saltem aperte proponit, quamvis alibi eam argumento parum effi-

caci impugnet[1]; ceterum eam inter Graecos satis propagatam fuisse, ex *Oec.* et *Theoph.* commentariis apparet, licet ipsi quoque eam reiiciant. Ex Patribus latinis eam saltem tamquam probabilem tradunt *S. Hier* (in Gal. 4,14) et maxime *S. Aug.*[2]; secundo loco eam proponunt *Pel. Prim. Sed. Herv. Lomb.*; literalem eam censent *Thom. Lyr. Dion.* eamque solam sine ulla haesitatione *Cai.* exponit; deinde eclipsin patitur, sed nostro tempore iterum a nonnullis cath. (*Mai. LR.* etc.) et multis acath. est recepta, idque iure merito. Inutiliter quidem a nonnullis inquiritur, quis ille morbus vel dolor fuerit (nonnulli apud *Chrys.* : cephalargia, *Nicet.* in S. Greg. explic. : podagra, *Thom.* : morbus iliacus, moderni aliqui : epilepsia etc.), sed quin chronicus quidam morbus permolestus, quo Paulus in propagando Evangelio impediebatur seseque adhuc in infirmo corpore degere semper admonebatur, nostro in loco designetur, vix dubium esse puto, quum nulla explicatio verbis adhibitis melius congruat. Apte enim spinae carni infixae assimilatur, neque minus recte angelus satanae colaphizans appellatur, quia eum Deo permittente sibi a diabolo esse immissum Apostolus sciebat; ac profecto de sublimibus suis visionibus superbire non potuit, quamdiu corpus suum potestati diaboli quodam modo subiectum esse recordabatur.

Calamitas illa, quaecumque fuit, tanta erat, ut celeri Evangelii propagationi obesse videretur Apostolusque eius cessationem a Deo precibus efflagitaret : 8. *propter quod* (ὑπὲρ τούτου sc. ἀγγέλου σατανᾶ « hunc, sc. angelum satanae, quod attinet ») *ter Dominum rogavi, ut discederet a me* angelus ille. Ternario numero indefinitum significari censent nonnulli (« *ter* i. e. saepe » *Chrys.* etc.); sed cur id admittatur, nulla suppetit ratio; tertia enim vice oranti datum est divinum responsum, cui acquievit : 9. *et dixit mihi* (sc. Dominus sive externe ei apparens sive interne ei sese manifestans, ut de divina huius responsi origine dubitare non posset) : *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* Ea igitur ratione, qua Paulus desideravit, Dominus eius precationem non exaudivit nec angelum

1. *S. Chrys.* de laud. Pauli hom. 6 (M. 50,505); sed cfr in 2 Cor. hom. 26 : « nonnulli eum capitis dolorem a diabolo ei inflictum designare censent: quod absit! Neque enim Pauli corpus manibus diaboli traditum est, siquidem diabolus ipse Pauli mandatis subiiciebatur, qui ei leges et terminos praescripsit, quando ei fornicatorem in interitum carnis tradidit (1 Cor. 5,5) ». Sed si in ipsum Christum diabolo permissum est potestatem quandam exercere (*Matth.* 4,5. 8 et par.; *Luc.* 22,3. 53; *Ioan.* 13,2. 27), cur in Paulum furere ei permitti non potuit?

2. *S. Aug.* certam de hoc loco sententiam sibi non videtur efformasse (cfr de nat. et grat. 27,31 « nescio quem stimulum carnis »); ideo in Ps. 98 n. 3 non nisi dubitanter eam proponit (« aliquem forte dolorem corporis »), sed sine haesitatione eam tradit in Ps. 130 n. 7 : « Ne extolleretur tamquam iuvenis, colaphizabatur tamquam puer. Et a quo? Ab angelo satanae. Quid est hoc? Dolore quodam corporis traditur exagitatus vehementer; dolores autem corporum plerumque immittuntur ab angelis satanae; sed hoc non possunt nisi permissi: nam et Iob sanctus sic probatus est » etc.

satanae ab eo colaphizando cessare iussit; sed gratia sua ita eum corroboratum iri promittens, ut finem, ob quem calamitatis cessationem petierat, illa tolerata cum maiore merito attingeret, perfectiore modo eum exaudivit, « non ad voluntatem sed ad salutem », uti dicere solet *S. Aug.*[1]; nam « bonus Dominus saepe non tribuit, quod volumus, ut tribuat quod mallemus » (*Thom.*). Parum recte, opinor, *Chrys.* non gratiam internam corroborantem sed gratiam quandam gratis datam intelligit : « Sufficit tibi, quod mortuos resuscitas, caecos sanas, leprosos mundas, alia miracula edis : noli insuper poscere, ut a periculis immunis sis, tranquille degas, sine molestiis munere apostolico fungaris ». Nullo enim modo huic explicationi consonat ratio, qua Dominus ipse negativum suum responsum confirmat : *nam virtus in infirmitate perficitur*. Cum *S. Aug.* (c. duas epp. Pelag. III. 7,18; de grat. Christi. 12,13) haud pauci antiquiores Latini (*Prim. Sed. Herv. Lomb. Thom. Lyr.* etc.) ad graecum textum non attendentes de virtute sensu ethico sermonem esse putarunt[2]; quae explicatio graeco textu excluditur, quum ἡ δύναμις (vis, potentia etc.) eam significationem non admittat (cfr ad 1 *Cor.* 2,5;4,19 sqq.). Multo clarius excluderetur, si lectio graeci textus rec. ἡ δύναμίς μου (*virtus mea*) esset praeferenda (cfr *VV. LL.*); sive vero pronomen additur, sive omittitur, sensus vix mutatur, siquidem de virtute seu potentia agitur, quam Christus cum servis suis communicat quaeque in infirmo homine totam suam vim exserit perfecteque sese manifestat (cfr ad 4,7) ideoque cum iis, qui suis viribus non confidunt sed infirmitatem suam humiliter agnoscunt, liberalius communicatur.

Quo divino responso corroboratus concludit Apostolus : *libenter igitur gloriabor* (vel iuxta graecum : ἥδιστα οὖν μᾶλλον καυχήσομαι *A*^ter^

1. *S. Aug.* in ep. Ioan. ad Parth. tract. 6,7. « Sed discernamus exauditiones Dei; invenimus enim quosdam non exauditos ad voluntatem, exauditos ad salutem, et rursus quosdam exauditos ad voluntatem et non exauditos ad salutem. Hoc discernite, hoc tenete exemplum eius, qui non est exauditus ad voluntatem, sed exauditus ad salutem. Audi Apostolum Paulum : nam ipsam exauditionem ac salutem ostendit illi Deus. Sufficit tibi, inquit, gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Rogasti, clamasti, ter clamasti; ipsum semel quod clamasti audivi, non averti aures meas a te; novi quid faciam; tu vis auferri medicamentum quo ureris; ego novi infirmitatem, qua gravaris. Ergo iste ad salutem exauditus est, ad voluntatem non est exauditus » etc. cfr in Ps. 21. enarr. 2. n. 4; in Ps. 130 n. 7; in Ps. 144. n. 22; serm. 354,7 etc.

2. Hanc explicationem ita exponit *Thom.* : « Virtus perficitur in infirmitate dupliciter, materialiter et occasionaliter. Si accipitur materialiter, tunc sensus est : infirmitas est materia virtutis exercendae quum humilitatis, tum patientiae, tum temperantiae, quatenus ex infirmitate debilitatur fomes et temperatus efficitur homo. Si vero accipitur occasionaliter, tunc sensus est : infirmitas est occasio perveniendi ad perfectam virtutem, quia homo sciens se esse infirmum magis sollicitatur ad resistendum, et ex hoc quod magis resistit et pugnat. efficitur exercitatior et per consequens fortior ».

accuratius : *libentissime igitur magis* [lege : *potius*] *gloriabor*) *in infirmitatibus meis, ut inhabitet* (ἐπισκηνώσῃ tabernaculum suum figat) *in me virtus Christi*. Adverbium μᾶλλον nec cum superlativo ἥδιστα coniungi potest, nec ad verba ἐν ἀσθενείαις μου pertinet, ac si sensus sit : de infirmitatibus meis libentius gloriabor quam de ulla alia re (*Est.*), sed ad *v.* 8. respicit. Divino enim responso accepto Apostolus de infirmitatibus suis potius libentissime gloriatur, quam earum cessationem a Deo efflagitare vult; nam eas agnoscens de iisque glorians id sese obtenturum confidit, ut virtus Christi in ipso perficiatur, quin etiam in ipso quasi tabernaculum suum figat continuoque habitet.

Quare non mirum, quod gloriationem suam sublimi hac sententia terminet : 10. *propter quod* (διό) *placeo mihi* (εὐδοκῶ delector) *in infirmitatibus* (*meis*), *in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo : quum enim infirmor, tunc potens sum*. « Perspicisne animi prudentiam? Molestiis liberari cupiebat; quum autem a Deo audivit hoc fieri non oportere, non modo contristatus non est, quod voti compos non esset factus, sed etiam voluptate repletus est; ideo dicit : placeo mihi ac laetor cupioque contumeliis affici, vexari, opprimi pro Christo » (*Chrys.*). Haud multum interest, utrum appositio *pro Christo* cum quatuor ultimis substantivis (*in contumeliis... angustiis*), quibus primum (*infirmitatibus*) accuratius definitur (cfr 6,4. sq.), an cum verbo (*placeo mihi*) connectatur; uterque sensus enim aptus est contextuique congruit (propter Christum laetor in contumeliis etc., aut : laetor in contumeliis propter Christum toleratis). Ultima demum sententia (*quum enim infirmor, tunc potens sum*) novam rationem affert, cur in infirmitatibus suis propter Christum laetetur; experientia enim edoctus scit, se eo magis divina gratia corroborari confortarique, quo magis suam ipsius infirmitatem sentit agnoscitque, ac proinde sese summo cum iure responso divino (*v.* 9) acquiescere.

§ 3. *Partis polemicae conclusio* (12,11-13,10).

Gloriationem suam terminaturus Paulus ad neophytos se iterum convertit, de iisque praeprimis conqueritur, quod ipsum ut sese commendaret coegerint, quum ab iis, qui apostolicae suae vitae testes fuerint, commendari debuerit (12,11-18); deinde eis annuntiat, se tamquam severum iudicem eorum, qui corrigi noluerint, venturum esse (12,19-13,10).

I. *Corinthiorum silentio Paulus sese ipsum commendare coactus est* (12,11-18).

12,11. ***Factus sum insipiens, vos me coegistis. Ego enim a vobis debui commendari : nihil enim minus fui ab iis qui sunt supra modum apostoli : tametsi nihil sum : 12. signa tamen apostolatus mei facta sunt super vos, in omni patientia, in signis, et prodigiis, et virtutibus. 13. Quid est enim, quod minus habuistis prae ceteris ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos? Donate mihi hanc iniuriam. 14. Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos : et non ero gravis vobis. Non enim quaero quae vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. 15. Ego autem libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris : licet plus vos diligens, minus diligar.***

16. ***Sed esto : ego vos non gravavi : sed quum essem astutus, dolo vos cepi. 17. Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumveni vos? 18. Rogavi Titum, et misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumvenit? nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne iisdem vestigiis?***

12,11. Γέγονα ἄφρων· ὑμεῖς με ἠναγκάσατε. ἐγὼ γὰρ ὤφειλον ὑφ᾽ ὑμῶν συνίστασθαι· οὐδὲν γάρ τι ὑστέρησα τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων, εἰ καὶ οὐδέν εἰμι. 12. τὰ μὲν σημεῖα τοῦ ἀποστόλου κατειργάσθη ἐν ὑμῖν ἐν πάσῃ ὑπομονῇ, σημείοις τε καὶ τέρασιν καὶ δυνάμεσιν. 13. τί γάρ ἐστιν ὃ ἡσσώθητε ὑπὲρ τὰς λοιπὰς ἐκκλησίας, εἰ μὴ ὅτι αὐτὸς ἐγὼ οὐ κατενάρκησα ὑμῶν; χαρίσασθέ μοι τὴν ἀδικίαν ταύτην. 14. Ἰδοὺ τρίτον τοῦτο ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς καὶ οὐ καταναρκήσω· οὐ γὰρ ζητῶ τὰ ὑμῶν, ἀλλὰ ὑμᾶς. οὐ γὰρ ὀφείλει τὰ τέκνα τοῖς γονεῦσιν θησαυρίζειν, ἀλλ᾽ οἱ γονεῖς τοῖς τέκνοις. 15. ἐγὼ δὲ ἥδιστα δαπανήσω καὶ ἐκδαπανηθήσομαι ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, εἰ περισσοτέρως ὑμᾶς ἀγαπῶν ἧσσον ἀγαπῶμαι

16. Ἔστω δέ, ἐγὼ οὐ κατεβάρησα ὑμᾶς· ἀλλὰ ὑπάρχων πανοῦργος δόλῳ ὑμᾶς ἔλαβον. 17. μή τινα ὧν ἀπέσταλκα πρὸς ὑμᾶς, δι᾽ αὐτοῦ ἐπλεονέκτησα ὑμᾶς; 18. παρεκάλεσα Τίτον καὶ συναπέστειλα τὸν ἀδελφόν· μή τι ἐπλεονέκτησεν ὑμᾶς Τίτος; οὐ τῷ αὐτῷ πνεύματι περιεπατήσαμεν; οὐ τοῖς αὐτοῖς ἴχνεσιν; [1]

1. *VV. LL.* — 11. ἄφρων (*insipiens*) sine additam. B ℵ A D E F G K, aliqui minusc., *It. Vulg. Copt. Arm. Aeth.*; sed *textus rec.* : ἄφρων καυχώμενος (insipiens gloriando) cum L P, plerisque minusc., et PP., *Syr. Goth.*; est inutile glossema. — οὐδὲν γάρ τι solus B; vocula τὶ cum reliquis testibus omittatur oportet. — 12. τὰ μὲν σημεῖα (signa *quidem* vel *sane*) est communis lectio graeca ac plerique ab his verbis novam sententiam inchoant; sed pauci minusc. legunt τὰ μέντοι σημεῖα (signa tamen) consentientibus *It.* et *Vulg.*, ac demum F G legentes ἀλλὰ τὰ μὲν σημεῖα (signa tamen quidem) innuunt, hanc sententiam velut apodosin praecedenti esse addendam : εἰ καὶ οὐδέν εἰμι, ἀλλὰ τὰ μὲν etc. (cfr *Marc.* 14,29) : etsi nihil sum, signa tamen etc. cfr *infra*. Adnotemus oportet pro *signa tamen apostolatus mei*, quae est lectio *Vulg. Clem.*, omnino legendum esse *signa tamen Apostoli* (τὰ μὲν σημεῖα τοῦ ἀποστόλου), uti cum *Atro* meliores codd. *Vulg.* (*Fuld. Amiat. Harl.* etc.) legunt. — σημείοις (signis) nulla praepositione praemissa B ℵ A D F G, aliqui minusc., *It. Vulg.* (codd. *Fuld. Amiat. Tol.* etc.), *Syr.* (codd.) *Arm. Aeth.*; sed *textus rec.* repetit praepositionem : ἐν σημείοις (*in signis*) cum E K L P, plerisque minusc., *Vulg.* (*Clem.*) *Copt.* — 13. Pro ἡσσώθητε (B ℵ D), quae forma non est usitata, cum aliis testibus lege ἡττήθητε. — 14. τρίτον τοῦτο (*tertio hoc*) B ℵ A F G, haud pauci minusc., *It.Vulg. Syr. Copt. Goth. Arm.*; omisso pronomine τοῦτο *textus rec.* legit nudum τρίτον (tertio) cum K L P et plerisque minusc. — καταναρκήσω (gravabo) nullo pronomine addito B ℵ A, pauci minusc., *Aeth.*; cum reliquis omnibus lege : καταναρκήσω ὑμῶν (gravabo *vos* vel : *gravis ero vobis*). — 15. εἰ περισσοτέρως (si plus) B ℵ A F G, unus alterve minusc.; cum

Quantopere Paulum de suis rebus praeclare gestis donisque divinitus acceptis gloriari piguerit quamque invitus ad suam ipsius commendationem accesserit, continuae quas gloriationibus suis praemittit inseritque excusationes satis demonstrant; nihilominus polemicam hanc epistolae partem terminare non vult, antequam denuo sese non nisi necessitate coactum haec dixisse ita asseruerit, ut simul ad Corinthiorum testimonium provocaverit iisque continuum suum amorem persuaserit. Sese ipsum enim commendare coactus est, quia Corinthii eum contra pseudapostolorum calumnias non defenderant, quamvis eum genuinum esse Apostolum manifestis signis cognovissent (*v.* **11**); de una utique rė eos iure conqueri posse ironice concedit, quod nimirum nihil ab eis acceperit (*v.* **12**); at eadem cum integritate in proximo suo adventu se inter eos conversaturum esse promittit de solis eorum animabus sollicitum (**14. 15**); neque enim per se nec per legatos suos nec aperte nec occulte eum sua commoda apud eos quaesivisse non ignorant (**16-18**).

Ad omnia igitur, quae inde a **11,1** gloriabundus de se praedicaverat, respiciens cum admiratione quadam exclamat: **11.** *factus sum insipiens! vos me coegistis*, ut memet ipsum commendarem; *ego enim a vobis debui commendari.* Primorum verborum duritiem nonnulli inserta particula (factus sum *quasi* insipiens) mitigare arbitrarie conantur (*Est. Nat.* etc.); neque recte, quum contextus obstet, *Oec*[2]. ea interrogative legenda esse censet. Clarissime iam saepius Paulus se gloriantem insipienter non agere indicaverat (**11,16**; **12,6**), quare eius exclamationem etiam hic non licet proprio sensu sumere, id quod vult *Chrys.* (cfr etiam *Oec*[1]. *Theoph.*), qui eius modestiam admiratur; sed exclamátio eius aut ironica est (*Mai. Bisp.* etc.) aut, si mavis, ex adversariorum mente dicta (vobis videor insipiens esse factus *Thom. Iust.* etc.). Corinthiorum autem vitio accidit, ut Paulus hanc insipientiae speciem apud omnes, qui rerum statum ignorabant, prae se ferre coactus esset; quia enim adversariorum eius calumniae a neophytis, uti decuit, non erant repulsae, suam ipse defensionem suscipere debuit. Atque rationem addit, cur sese a Corinthiis defendi commendarique iure exspectaverit: *nihil enim minus fui* eo nimirum tempore, quo apud vos versatus sum, (*ab*) *iis, qui sunt supra modum apostoli, tametsi nihil sum.* Eodem modo, quo supra (cfr ad **11,5**), hic quoque nomine τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων (eorum qui magis quam

reliquis lege: εἰ καὶ περισσοτέρως (*etsi plus*). Ceterum prior lectio retineri potest, si participio ἀγαπῶν (diligens) cum ℵ A unoque vel altero minusc. substituis verbum finitum ἀγαπῶ (diligo) ac dein totam sententiam interrogative legis (si plus vos diligo, minus diligor?).

valde sunt apostoli) genuinos Apostolos columnasque Ecclesiae (Petrum, Ioannem, Iacobum Min.) designari, antiquiores et iuniores plerique tenent; ac profecto per se nihil obstat, quominus Paulus primariis Apostolis inferiorem se esse neget (cfr 1 *Cor.* 15,10). Attamen nomen ipsum ad designandos veros Apostolos parum videtur accommodatum; Corinthii quoque non alios Apostolos sed pseudapostolos laudibus celebrasse accusantur atque de his solis in praecedente gloriatione agitur; quare hic quoque pseudapostolos sarcastice designari moderni plerique rectius tenent. Illis autem se non inferiorem fuisse per litoten dicit, se longe superiorem fuisse significans; quam ob causam etiam pro sua humilitate, uti plerumque (cfr 1 *Cor.* 15,8 sq. etc.), se nihil esse addit[1] adversarios suos, qui se supra omnem modum apostolos esse ipsi iactabant, haud leviter pungens.

Ut argumentum suum compleat, se illis inferiorem non fuisse probat ad modum, quo ecclesia corinthia fundata sit, provocans: 12. *signa tamen* (lege : *quidem* vel *sane* μέν [2]) *apostolatus mei* (cum *Fuld.* etc. iuxta graec. τοῦ ἀποστόλου lege : *Apostoli*) *facta sunt super vos* (ἐν ὑμῖν *A*[ter] : in vobis, rectius : *inter vos*) *in omni patientia*, (*in*) *signis et prodigiis et virtutibus*. Σημεῖα τοῦ ἀποστόλου (i. e. *signa Apostoli* sc. genuini) notae sunt, quibus aliquis genuinus Apostolus cognoscitur atque a fictis discernitur; inter quas primum locum *patientia omnimoda* (πάσῃ ὑπομονῇ) obtinet, illa nimirum virtus animi, qua qui praeditus est, ne summis quidem calamitatibus a mandatis divinis exsequendis retrahitur. « Vide, inquit *Chrys.*, quid primum collocet, scilicet patientiam; forti enim animo omnia perferre Apostoli est »; revera eam velut notam, qua veri ministri Dei, vel potius operarii evangelici (nam de his solis ibi agitur), sese commendent, supra iam nominaverat et explicaverat (cfr ad 6,4), ac quantam et quam praeclaram patientiam ipse exhibuisset, in longo tribulationum suarum catalogo (11,23 sqq.) satis superque exposuerat. Alii tamen

1. Simili modo, quo *Vulg. Clem.*, etiam Graeci (*Chrys. Theod.* etc.) haec verba (*etsi nihil sum*) ad sequentem sententiam trahunt : *etsi nihil sum, signa* (*tamen*) *Apostoli inter vos facta sunt*. Quem nexum admittere non dubitarem, si cum *Vulg. Clem.* legere liceret : « signa tamen apostolatus *mei* inter vos facta sunt »; at hanc lectionem alii testes et ipsi meliores *Vulg.* codd. ignorant (cfr *VV. LL.*). Minus aptus autem hic nexus esse videtur, si Paulus in protasi de se directe prima persona loquitur (etsi nihil *sum*), in apodosi autem se ipsum indirecte tantum indicat et generalem quandam sententiam speciali opponit. Melius igitur verba ista praecedenti versui adduntur.

2. Particulae μέν hoc in loco nec δέ nec alia particula adversativa respondet; sed uti aliis in locis (cfr *Col.* 2,23; *Rom.* 10,1 etc.) ex contextu alia sententia, quae opponatur, mente suppleatur oportet : signa quidem Apostoli genuini inter vos facta sunt, sed ad ea non attendistis, vel alii alio modo : sed me verum esse Apostolum non cognovistis. Latinum *tamen*, si haec sententia a priore separatur, in similem sensum trahi potest.

verbis ἐν πάσῃ ὑπομονῇ (*in omni patientia*) non tam primam veri Apostoli notam, quam difficiles temporis rationes innui putant, quibus non perterritus Apostolus reliqua muneris sui signa exhibeat; patientiam enim omnibus Christianis necessariam ésse ac proin notam Apostoli non constituere obiiciunt (cfr *Bisp. Mai. Dr.* etc. — *Mey. Heinr. Kl Br.* etc.). Sed distinguamus oportet; de patientia qualicumque Apostolus non loquitur, sed de eximio singularique eius gradu, qui summis difficultatibus non superatur singularemque gratiam, qua Deus Apostolos suos corroborat et ad Evangelium medios inter eius hostes propagandum aptos reddit, clarissime manifestat. Ceterum eodem cum iure, quo patientia, utpote virtus omnibus Christianis necessaria, negatur esse Apostoli genuini nota, miracula patrata quoque, quae secundo in loco afferuntur, Apostoli nota esse negari possunt, quia Dominus omnes *qui crediderint* signa haec esse secutura promisit (*Marc.* 16,17). Tribus vocabulis, quibus secunda Apostoli nota indicatur, non diversae miraculorum species sed eadem opera extraordinaria tribus diversis rationibus designantur (cfr *Hebr.* 2,4; 2 *Thess.* 2,9; *Rom.* 15,19 etc.) : σημεῖα (*signa*) enim, quae vox hic arctiore sensu quam in principio sententiae sumitur, miracula vocantur, quia divinae revelationi demonstrandae inserviunt hominibusque a Deo missis fidem auctoritatemque conciliant; τέρατα (*prodigia*), quia praeter ordinarias naturae vires legesque fiunt vel eas superant ideoque hominum attentionem admirationemque excitant; δυνάμεις (*virtutes*), quia extraordinariam potentiam eamque divinam supponunt; primo igitur nomine finis, altero natura, tertio causa miraculorum indicari videntur[1]. In *Act.* 18,1-17 Lucas initia ecclesiae corinthiae describens miracula Corinthi a Paulo patrata non commemorat; ex nostro ergo loco, quum Paulus *inter eos* (ἐν ὑμῖν) se illa patrasse asserat, Actuum narratio compleatur necesse est.

Alterum argumentum addit, quo se a Corinthiis commendari debuisse ostendat; neque enim dumtaxat eum genuinum Apostolum esse certis signis cognoverant, sed per eum eadem quoque, atque aliae ecclesiae, beneficia acceperant, ita ut aliis una sola re, uti ironice monet, inferiores sint; ab eo enim eadem ratione, qua aliae

1. Tribus nominibus eandem rem designari recte monuit *Oec.*; nonnulli tamen satis arbitrarie tres species miraculorum distingui volunt; ex gr. *Thom.* : « Quia miracula fiunt ex magna virtute, sc. divina, dicuntur *virtutes*; *signum* vero refertur ad minus miraculum, *prodigium* autem ad maximum; vel dicit *signa* quantum ad miracula facta de praesenti, *prodigia* quantum ad miracula facta de futuris; vel *signa et prodigia* dicit miracula, quae fiunt contra naturam (caeci illuminatio, mortui resuscitatio), *virtutes* vero quae sunt secundum naturam sed non eo modo quo natura facit (infirmi sanatio impositione manuum) » etc.

ecclesiae, non sunt gravatae. 13. *Quid est enim, quod minus habuistis (prae) ceteris ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos? donate mihi hanc iniuriam.* Sententia haec praecedenti confirmandae inservire nequit, quamvis nonnulli id sentiant; beneficia enim a Corinthiis accepta non demonstrant, signa ac prodigia Corinthi esse facta; praecedenti potius parallela est unaque cum illa Paulum iure sperasse docet fore, ut a neophytis laudaretur. Ad calumniam autem, uti patet, pseudapostolorum alludit, quod ob minorem suum Corinthiorum amorem ab illis sustentationem accipere renuerit, quamvis eam ab aliis acceperit (cfr ad 11,10 sq.), atque ironice fingit, Corinthios integritatem, qua ab eis gravandis abstinuerit, velut iniuriam sibi factam considerare; hinc ironica illa veniae petitio (cfr *Thom.* etc.). Neque enim proprio sensu haec verba esse sumenda, id quod *Chrys.* supponit, satis ex eo elucet, quod istius iniuriae eum non poeniteat nec eam vitandam sibi proponat; seposita enim ironia cum magna caritate pergit : 14. *ecce tertio hoc* (τρίτον τοῦτο hac tertia vice s. nunc tertia vice) *paratus sum venire ad vos : et non ero gravis vobis; non enim quaero quae vestra sunt, sed vos.* Iuxta verborum collocationem numerus (τρίτον τοῦτο) cum verbo finito (ἑτοίμως ἔχω) cohaerere videtur; quare nonnulli censent, Paulum ter quidem iter corinthium praeparasse, sed duo tantum itinera corinthia fecisse, illud nimirum, quo ex Macedonia et Athenis adveniens Corinthiis prima vice Evangelium attulit (*Act.* 18,1), atque alterum, quod nunc se facturum promittit et Lucas factum esse innuit (*Act.* 20,2)[1]. At licet Lucas duo tantum itinera commemoret, tria tamen Paulum fecisse certum est; atque nostro in versu collocatione verborum non obstante numerum (τρίτον τοῦτο) non ad verbum finitum sed ad infinitivum (ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς) pertinere evidenter ex 13,1 elucet (*ecce tertio hoc venio ad vos*); ac profecto praeparatione sua Paulus Corinthiis gravis esse non potuit, sed itinere suscepto. Itaque recte *Chrys.* verba nostra ita interpretatur : « Nolite putare me ideo, quia a vobis nihil accipio, ad vos non esse venturum; verum et secunda vice iam veni et tertia vice ad vos proficisci paro, nec tamen vobis oneri ero ».

In tertio igitur itinere, ad quod suscipiendum se iam parat, eadem cum integritate, qua in duobus prioribus, inter eos se conversaturum

1. Cum *Gl. interl.* fere omnes antiqui Latini hanc sententiam tenent (*Haym. Herv. Lomb. Thom. Lyr.* etc.) et haud pauci iuniores *Est. Lap. Nat.* etc.), quorum omnium praecipuum argumentum est, quod Lucas de duobus tantum itineribus loquatur. At ex Lucae silentio firmum argumentum desumi non posse, catalogus tribulationum Pauli (11,23 sqq.), miracula corinthia praetermissa (*v.* 12) aliaque bene multa evidentissime demonstrant; erronee supponitur, Lucam integram Pauli vitam narrare voluisse.

esse annuntiat (cfr 11,10; 1 *Cor.* 9,15 sqq.) : *non gravabo vos* (οὐ καταναρκήσω ὑμῶν). Neque tamen quia ab eis nihil sit accepturus, eos minus, quam alias ecclesias, diligere censendus est; nam propter solum eorum profectum suis ipsius commodis neglectis ita agit : *non enim quaero quae vestra sunt,* bona nimirum vestra temporalia, *sed vos,* animas vestras (*v.* 15); in filiorum enim suorum numero eos habet (1 *Cor.* 4,15), erga quos optimi patris partes agere tenetur : *nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* Quae in verba egregie *Thom.* : « dicendum est, quod ex praecepto tenentur filii ministrare et subvenire parentibus in necessitatibus, non autem congregare et thesaurizare illis. Nam thesaurizatio et congregatio fit in posterum; sed videmus, quod secundum naturam filii succedunt parentibus et non in contrario, nisi in aliquo tristi eventu; et ideo naturaliter amor parentum est in hoc, ut congregent filiis; et hoc modo loquitur Apostolus »[1]. Sicut autem proprio prioris membri sensu Apostolus filios parentum necessitatibus subvenire debere non negat, ita etiam translato sensu id non negat, quod multis argumentis alibi demonstravit, operariis evangelicis scilicet ius sustentationis a fidelibus accipiendae competere (1 *Cor.* 9,7 sqq.); sed pseudapostolos indirecte carpit, quibus Evangelium occasio erat thesaurizandi (cfr 11,20). Bonum ergo patrem, qui pinguem haereditatem filiis parare studet, imitatus Paulus id unum sibi proposuit, ut filios, quos in Christo genuit, thesauris spiritualibus repleret gratuita Evangelii praedicatione, atque ipsis patribus naturalibus, uti recte monet *Theod.*, se aliquid plus facturum esse profitetur : 15. *ego autem libentissime impendam* quaecumque habeo, *et superimpendar ipse* (ἐκδαπανηθήσομαι plane integreque impendar, vires meas omnes ipsamque meam vitam absumam) *pro animabus vestris, licet plus vos diligens minus diligar.* Quanta magnanimitas, quum summum illis bonum omni qua potest ratione suisque summis discriminibus despectis tradere studeat, nec quidquam ab illis sibi rependi exspectet.

Ultimi membri : εἰ καὶ περισσοτέρως ὑμᾶς ἀγαπῶν ἧσσον ἀγαπῶμαι (cfr *VV. LL.*), satis arbitrarias expositiones nonnulli antiquiores et iuniores proponunt (cfr *Herv. Lomb. Thom.* etc. *Est. Nat.* etc.). Arbitrarie enim Paulum sese

1. Cfr *S. Thom.* Summ. theol. II. 2. qu. 101. a. 2. ad 2. : « quia pater habet rationem principii, filius autem habet rationem a principio exsistentis, ideo patri per se convenit, ut subveniat filio, et propter hoc non solum ad horam debet ei subvenire, sed ad totam suam vitam, quod est thesaurizare. Sed quod filius aliquid conferat patri, hoc est per accidens ratione alicuius necessitatis instantis, in qua tenetur ei subvenire, non autem thesaurizare quasi in longinquum; quia naturaliter non parentes filiorum, sed filii parentum sunt successores ».

cum pseudapostolis aut etiam alias ecclesias cum corinthia comparare supponunt, siquidem supplere volunt : « licet ego plus (quam pseudapostoli) vos diligens minus tamen (quam pseudapostoli) a vobis diligar », aut : « licet ego vos plus (quam alias ecclesias) diligens minus tamen a vobis (quam ab aliis) diligar ». Neque minus arbitrarie supponitur, duobus comparativis aequalitatem solam amoris negari : « licet vos me *non tantum* diligatis, *quantum* ego vos ». Etenim suae caritati Corinthios eandem caritatem non rependere, Paulus iam dudum expertus erat (cfr 6,10 sq.), neque maxima sua sollicitudine, qua eorum profectum promovere studuerat, eorum erga se amorem augere potuerat; immo vero eius sollicitudine crescente eorum amor decrevisse videbatur. Verum ideo pro eorum animabus sese totum impendere non cessat, atque etiam paratus est ad idem praestandum, *etsi futurum sit, ut quo magis ipse eos diligat* amoremque suum maiore sollicitudine manifestet, *eo minus ab iis diligatur.* Ante comparativos nimirum, qui inter se respondent, pronomina ὅσῳ... τοσούτῳ (*quo... eo*), uti saepius, suppleantur opportet.

Avaritiae calumniam Paulo gravissimam fuisse ex eo, opinor, clare discimus, quod identidem ad eam refellendam suamque integritatem asserendam revertitur; adversarii eius autem, quum eum per se ipsum a Corinthiis nihil accepisse inter omnes constaret, eum simul astutiae accusarant eumque dolo per emissarios suos neophytis aliquid extorquere insinuarant. Quam ultimam calumniam, utpote nimis absurdam, paucis interrogationibus refellit, postquam illam nudis verbis proposuit : 16. *Sed esto : ego vos non gravavi, sed quum essem astutus* (πανοῦργος cfr 4,2; 11,3) *dolo vos cepi.* Ex adversariorum persona quodammodo loquitur; licet enim prima persona utatur, ex ore quasi eorum sumit verba, quibus calumniam sparserant : « esto (i. e. concedamus) eum ipsum vos non gravasse, sed pro sua astutia *per suos emissarios* dolo vos cepit », i. e. velut piscator in sua retia fraudibus vos traxit, ut vos exspoliaret. De legatis agi, quos Apostolo ipsi opposuerint, clarum est et sequente interrogatione extra dubium ponitur : 17. *numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumveni vos*[1]*?* Plurali, quo utitur, eum plures legatos iam Corinthum misisse, docemur, atque ex 1 *Cor.* 16,10 scimus inter eos Timotheum fuisse, cuius hic mentionem facere apte non potuit, quia eum in epistola hac scribenda sibi associavit (1,1); ex reliquis autem solum Titum nominat, qui ultimus

1. In sententia graeca habetur anacoluthum : μή τινα ὧν ἀπέσταλκα πρὸς ὑμᾶς, δι' αὐτοῦ ἐπλεονέκτησα ὑμᾶς; (*num quem* eorum quos misi, *per eum* circumveni vos?). Forte scribere voluit : μή τινα ὧν ἀπέσταλκα πρὸς ὑμᾶς παρεκάλεσα πλεονεκτεῖν ὑμᾶς; constructionem autem mutavit, quia Corinthii non tam de iis, quae ipse fieri iusserat, quam de iis, quae discipuli revera egerant, iudicare potuerunt.

ante hanc epistolam scriptam Corinthum venerat. 18. *Rogavi Titum et misi cum illo fratrem; numquid Titus vos circumvenit? nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne iisdem vestigiis?* De Titi itinere agi, ex quo redux Paulo bonos nuntios attulit (2,13; 7,6 sqq.), luce clarius est, etsi illis in locis cum altero fratre Corinthum venisse non dicitur; binos enim Paulus Domini exemplum secutus discipulos suos mittere solebat, uti ipse quoque semper aut unum aut plures comites itinerum habuit. Quo autem cum iure aliqui coniiciant, Paulum de Titi missione ad eleemosynarum opus urgendum (8,6. sqq.) hic sermonem facere (*Heinr.*), plane non video. Ultimis demum duabus interrogationibus et interna et externa similitudo indicatur; eodem, quo Apostolus, spiritu legati eius ducuntur eandemque, quam ipse, agendi rationem tenent.

2. *Finis defensionis Pauli aedificatio et correctio Corinthiorum erat* (12,19-13,10).

Tribus membris haec conclusionis pars absolvitur. Ne neophyti sese Apostolorum iudices constitutos esse putent, Paulus praeprimis se omnia haec ad eorum aedificationem correctionemque scripsisse monet (12,19-21); velut severum iudicem enim eorum, qui corrigi nolint, se adventurum esse annuntiat (13,1-6), sperat autem fore, ut potentia divinitus sibi data uti non cogatur (13,7-10).

1.) *Corinthios non constituit iudices suos sed omnia ad eorum correctionem scripsit* (12,19-21).

12,19. *Olim putatis, quod excusemus nos apud vos? Coram Deo in Christo loquimur: omnia autem, carissimi, propter aedificationem vestram.* 20. *Timeo enim, ne forte, quum venero, non quales volo inveniam vos: et ego inveniar a vobis, qualem non vultis: ne forte contentiones, aemulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos:* 21. *ne iterum, quum venero, humiliet me Deus apud vos: et lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt, et non egerunt poenitentiam super immunditiis, et fornicatione, et impudicitia, quam gesserunt.*

12,19. Πάλαι δοκεῖτε, ὅτι ὑμῖν ἀπολογούμεθα· κατέναντι Θεοῦ ἐν Χριστῷ λαλοῦμεν· τὰ δὲ πάντα, ἀγαπητοί, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν οἰκοδομῆς. 20. φοβοῦμαι γάρ, μήπως ἐλθὼν οὐχ οἵους θέλω εὕρω ὑμᾶς, κἀγὼ εὑρεθῶ ὑμῖν οἷον οὐ θέλετε· μήπως ἔρεις, ζῆλος, θυμοί, ἐριθεῖαι, καταλαλιαί, ψιθυρισμοί, φυσιώσεις, ἀκαταστασίαι· 21. μὴ πάλιν ἐλθόντος μου ταπεινώσει με ὁ Θεός μου πρὸς ὑμᾶς, καὶ πενθήσω πολλοὺς τῶν προημαρτηκότων καὶ μὴ μετανοησάντων ἐπὶ τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ πορνείᾳ καὶ ἀσελγείᾳ ᾗ ἔπραξαν [1].

1. *VV. LL.* — 19. πάλαι (*olim*, seu iam pridem) B ℵ B F G, haud multi minusc. *It. Vulg.*; sed *textus rec.*: πάλιν (iterum) cum D E K L P, plerisque minusc., *Syr. Copt. Goth. Arm.*; prior lectio ob antiquiorum codd. consensum a criticis (*Lachm. Tisch. Treg. W H.*) praefertur et aptiore sensu quoque se commendat. — 20. ἔρεις (*conten-*

In adversariorum suorum oppugnatione Paulus Corinthios ita interdum erat allocutus, ut aliquis putare potuerit, illum coram eorum tribunali causam suam agere eosque velut iudices suos considerare (10,7; 11,1 etc.); at hac in terra Apostoli iudicem non habent (1 *Cor.* 4,3 sqq.) nec filiis iudicium de suis patribus, a quibus in Christo geniti sunt, competit. Erroneam ergo, quam sibi efformare potuerant neophyti, opinionem Paulus reiiciens se solum Deum iudicem suum agnoscere insinuat, sed se haec ad eorum aedificationem scripsisse monet (*v.*19); quamnam vero aedificationem intelligat, enumeratis vitiis, quae emendanda sint, indicat (20. 21).

19. *Olim* (πάλαι rectius : *dudum*) *putatis, quod excusemus nos apud vos; coram Deo in Christo loquimur, omnia autem ad vestram aedificationem.* Particula πάλαι (olim, antea) interdum de tempore proxime praeterito usurpatur (cfr *Marc.* 15,44 *text. rec.*), neque alio modo hic sumi potest, quare melius *dudum* quam *olim* vertitur, nisi particulam *olim* etiam de tempore proxime prareterito interpretari velis; recte *Thom.* iam explicat « ab initio huius epistolae ». Primum huius sententiae membrum *Vulg. Clem.* pro interrogatione habet; sed si interrogative legitur, primae voci (πάλαι *dudum*) tota vis tribuitur, neque tamen Paulus id premere vult, quod neophyti *dudum* se esse iudices Apostolorum putent, sed quod *se ipsos* esse iudices constitutos arbitrentur, coram quibus Apostolus sese defendere et excusare debeat. Melius igitur enuntiative legitur [1], atque praecipua vis verbis *apud vos* (ὑμῖν) inest. Erroneam deinde opinionem altero membro reiicit et corrigit : non apud vos nos excusamus, sed *coram Deo*, quem solum iudicem agnoscimus, *in Christo* tamquam membra et ministri Christi *loquimur*, *omnia autem ad vestram aedificationem* dicta esse volumus. Cum *Theod.* quidem antiquioribusque Latinis (*Lomb. Thom.* etc.) iuniores quoque nonnulli Paulum duplici iuramento (*coram Deo in Christo*) veritatem eorum, quae dixit, confirmare putant (*Est. Iust. Lap.* etc.); at nec sufficiens aderat ratio, cur hoc in loco tanto cum pondere suam sinceritatem iterum asse-

tiones) B D F F G K L P, plerique minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Goth.*; sed ἔρις (*contentio*) ℵ A, nonnulli minusc., *Syr.* (codd.) *Arm.*; haud recte secundam lectionem a *Tisch. WH.* praeferri censeo. — ζῆλος (aemulatio) B A D F G, pauci minusc., *Syr.* (codd.) *Arm. Goth.*; praefero pluralem ζῆλοι (*aemulationes*) cum ℵ E K L P, plerisque minusc.. *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Copt.* — 21. ὁ Θεός μου (Deus *meus*) est communis lectio codd. graec. et verss.; cur soli Latini pronomen (meus) praetermittere voluerint, difficile est dictu.

1. Aliter se res habet, si pro πάλαι cum *textu rec.* legis πάλιν (*iterum*); haec enim lectio interrogationem fere necessariam reddit. At hucusque Paulus ne verbulo quidem indicavit, Corinthios sese velut iudices considerare, quare hic particulam πάλιν adhibere non potuit

reret, nec satis intelligitur, quomodo secundum membrum, si nihil praeter duplex iuramentum continet, cum primo et cum tertio apte connectatur.

Ultimum membrum (*omnia propter vestram aedificationem*) diligentius exponens rationem explanat, qua adductus est, ut totam hanc defensionem, quamvis solum Deum iudicem habeat, Corinthiis scriberet. Suum enim ad eos adventum praeparaturus eos, ne in virga venire cogeretur (1 *Cor.* 4,21), ad removendas pristinorum delictorum reliquias permovere voluit : 20. *timeo enim, ne forte, quum venero, non quales volo inveniam vos, et ego inveniar a vobis, qualem non vultis.* Permolesta dicturus asperitatem sermonis mitigat (cfr *Chrys.*), neque velut severus iudex sed velut bonus pater dicere incipit, non asserens aut vituperans, sed solum timorem manifestans, neque ea quae timet accurate definiens sed cum caritate leniter innuens. Timet enim, ne eos non tales inventurus sit, quales eos esse desiderat, correctos nimirum planeque liberos ab omnibus illis maxime vitiis, quae in priore epistola acerbius duriusque vituperare debuit; timet quoque, ne ipse ab illis inveniatur, qualem eum esse nolunt, severum sc. iudicem, qui virga sit usurus. Duo huius sententiae membra thema constituunt sequentis expositionis : secundum enim inde a 13,1 explanatur, prius autem duabus sententiis proxime sequentibus, quae primae sunt parallelae eademque plane ratione, qua illa, a verbo φοβοῦμαι dependent (*timeo ne forte..., ne forte..., ne...*), uberius definitiusque exponitur.

Praeprimis enim timet, ne vestigia reliquiaeque schismatum, quae in priore epistola impugnaverat, etiam nunc apud eos remaneant : *timeo... ne forte contentiones, aemulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones (sint inter vos).* Ultima tria vocabula (*sint inter vos*) interpres latinus ad complendam sententiam addidit; in primigenio textu verbum deest, sed ex praecedente εὑρεθῶ (*inveniar*) hic facile suppletur εὑρεθῶσιν (*inveniantur*). De Corinthiorum schismatis eorumque reliquiis agi duo priora nomina (ἔρεις ζῆλοι *contentiones aemulationes* vel iuxta alteram lectionem : ἔρις ζῆλος) manifestant, quia illis Paulus antea neophytorum studium partium designaverat (1 *Cor.* 1,11; 3,3). Reliquis porro nominibus illa vitia notantur, quae aut ex schismatis exoriri aut cum iis fere semper coniungi solent : θυμοὶ ἐριθεῖαι, *animositates* et *dissensiones* (vel iuxta *Gal.* 5,20, ubi quatuor nostra prima nomina eodem ordine leguntur : *irae* et *rixae*) : ubi enim partium est studium factionesque inter se pugnant, fieri non potest, ut ibi continui irae impetus continuaeque altercationes desint; neque deerunt καταλαλιαί nec ψιθυρισμοί, *detrac-*

tiones, susurrationes, quibus adversariorum fama in aperto et in occulto laeditur, neque deerunt φυσιώσεις *inflationes*, quum unus pro uno infletur adversus alterum (cfr 1 *Cor.* 4,6. 18), nec ἀκαταστασίαι *seditiones*, quibus internus externusque ecclesiae ordo perturbatur.

Multo magis vero timet, ne alterius vitii, sc. libidinis, reliquiis in tertio suo adventu contristetur; quem maiorem timoris gradum grammatica constructione innuit, pro particula μήπως (*ne forte*) nudum μή (*ne*) adhibens eique pro coni. aor. addens futur. indic. (μὴ ταπεινώσει) : *timeo*... 21. *ne iterum* (sicut in secundo meo adventu corinthio cfr ad 2,1), *quum venero, humiliet me Deus* (meus), *et lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt et non egerunt poenitentiam super immunditia et fornicatione et impudicitia, quam gesserunt.* « Considera, inquit *Chrys.*, apostolicam virtutem viri, qui nullius peccati sibi conscius, de alienis peccatis contristatur aliorumque delictis humiliatur ». Revera humiliationem *suam* vocat neophytorum iniquitatem, quippe qua plenum fructum quem exspectaverat sua praedicatione non esse productum edoceatur; se autem *a Deo suo* (ὁ Θεός μου cfr *VV. LL.*) humiliari dicit, quia in hac humiliatione a Deo permissa insigne videt divinae bonitatis beneficium, quo ipse in virtute promoveatur. Porro iniquitas, qua ne iterum in suo adventu humilietur timet, pervicacia est, qua multos neophytos de suis libidinis peccatis poenitentiam agere eaque vitare nolle praevidet. Quantopere in civitate illa cultui Aphroditae deditissima etiam Christiani ad libidinem fuerint proclives, Apostoli epistolae testantur : in prima iam, quae hodie deperdita est, fratrum, qui fornicationi essent dediti, societatem vitari iusserat (1 *Cor.* 5,9 sqq.), et in secunda gravissimis argumentis hoc vitium fugiendum esse monuerat (1 *Cor.* 6,12 sqq.), ne adveniens lugere (i. e. lugens punire) cogeretur *multos ex eis, qui ante peccaverunt* (πολλοὺς τῶν προημαρτηκότων qui libidini indulserant, non ante suam ad fidem vocationem, uti nonnulli explicant, sed vocati et baptizati ante priorem epistolam scriptam, qua gravitas istius peccati demonstrabatur) *et* illius epistolae minis non obstantibus (cfr 1 *Cor.* 6,9 sqq.) hucusque *non egerunt poenitentiam super immunditia sua.* Timet igitur, ne pauci tantum ex iis, quos prior epistola ad poenitentiam agendam non adduxit quique etiam hoc momento, quo novam epistolam scribit, in luxuriae peccatis perseverant, nova hac epistola convertantur, multi vero in eodem peccati statu sint perseveraturi, ita ut in adventu eos velut pertinaces gravibus poenis coercere, licet reluctans et lugens, cogatur. *S. Aug.* (c. Parmen. ep. III. 2,14) Paulum « potius eos *divino flagello* coercendos minari censet, quam per illam correptionem, ut

ceteri ab eorum coniunctione se contineant »; sed de poenarum genere verba Pauli nihil docent. Porro tria libidinis nomina ita distingui possunt, ut primum (ἀκαθαρσία *immunditia*) sit generale omnesque libidinis species complectatur, alterum (πορνεία *fornicatio*) illam speciem designet, quae Corinthi commùnior erat, tertium demum (ἀσέλγεια *impudicitia*) graviora peccata significet; ἀσέλγεια enim est id quod effrenis protervaque libido.

Participium μετανοησάντων haud pauci moderni sensu futuri exacti ita sumunt, ut Paulus de iis loquatur, qui antea quidem peccaverunt (part. perf. προημαρτηκότων) sed ante suum adventum poenitentiam non egerint (part. aor. μὴ μετανοησάντων). Quae explicatio erronea est, quia non multos dumtaxat ex iis quos in peccatis permanere inveniet, sed omnes punire debeat; itaque participio aor. sensus praeteriti est relinquendus, uti *Vulg.* recte sua versione indicat. Quoniam verbum μετανοεῖν in Novo Test. non coniungitur cum praepos. ἐπί (sed ἀπό vel ἐκ), aliqui (*Bisp.* etc. — *Mey.* etc.) ultimum membrum (ἐπὶ τῇ ἀκαθαρσίᾳ κτλ) a verbo πενθήσω (*lugeam*) dependere volunt (ne lugeam multos propter immunditiam etc.). Quae constructio nec satis apta est, quia verbum πενθήσω iam suum obiectum secum habet (πολλούς), nec necessaria quia μετανοεῖν ab Alexandrinis haud raro cum praepos. ἐπί coniungitur (*Am.* 7,3; *Ioel* 2,13; *Ioa.* 3,10 etc.) ita ut nihil obstet, quominus Paulus, qui hoc solo in loco verbum μετανοεῖν adhibet, hanc constructionem praetulisse dicatur.

2.) *Severus iudex adveniet illis, qui corrigi nolunt* (13,1-6).

13,1. *Ecce tertio hoc venio ad vos : in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.* 2. *Praedixi et praedico, ut praesens, et nunc absens, iis qui ante peccaverunt, et ceteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam.* 3. *An experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis?* 4. *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate : sed vivit ex virtute Dei. Nam et nos infirmi sumus in illo : sed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis.* 5. *Vosmet ipsos tentate si estis in fide : ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmet ipsos, quia Christus Iesus in vobis est? nisi forte reprobi estis.* 6. *Spero autem quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi.*

13,1. Τρίτον τοῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς· ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων καὶ τριῶν σταθήσεται πᾶν ῥῆμα. 2. προείρηκα καὶ προλέγω, ὡς παρὼν τὸ δεύτερον καὶ ἀπὼν νῦν, τοῖς προημαρτηκόσιν καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσιν, ὅτι ἐὰν ἔλθω εἰς τὸ πάλιν οὐ φείσομαι· 3. ἐπεὶ δοκιμὴν ζητεῖτε τοῦ ἐν ἐμοὶ λαλοῦντος Χριστοῦ, ὃς εἰς ὑμᾶς οὐκ ἀσθενεῖ, ἀλλὰ δυνατεῖ ἐν ὑμῖν. 4. καὶ γὰρ ἐσταυρώθη ἐξ ἀσθενείας, ἀλλὰ ζῇ ἐκ δυνάμεως Θεοῦ· καὶ γὰρ καὶ ἡμεῖς ἀσθενοῦμεν ἐν αὐτῷ, ἀλλὰ ζήσομεν σὺν αὐτῷ ἐκ δυνάμεως Θεοῦ. 5. ἑαυτοὺς πειράζετε, εἰ ἐστὲ ἐν τῇ πίστει, ἑαυτοὺς δοκιμάζετε· ἢ οὐκ ἐπιγινώσκετε ἑαυτούς, ὅτι Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν ὑμῖν; εἰ μήτι ἀδόκιμοί ἐστε. 6. ἐλπίζω δὲ ὅτι γνώσεσθε, ὅτι ἡμεῖς οὐκ ἐσμὲν ἀδόκιμοι[1].

1. *VV. LL.* — 1. τρίτον (tertio) vocabulo ἰδού non praemisso est communis lectio graeca; sed illud praemittunt A, aliqui minusc., *It. Vulg. Aeth.* — Ante ἐπὶ στόματος (*in ore*) ℵ cum uno alterove minusc., *Syr. Arm.* praemittit particulam ἵνα (ut). — καὶ τριῶν (*et* trium) est communis lectio codd. graec. et verss. cfr *Deut.* 19,15; sed ℵ cum paucissimis minusc., *It. Vulg.* legit : ἢ τριῶν (*vel* trium) cfr Matth. 18,16; 1 *Tim.*

Quam longe Paulus abfuerit ut Corinthios suos iudices constitueret, clarissime haec sectio docet, in qua alteram partem sententiae superioris exponit (12,20 timeo ne forte quum venero... *et ego inveniar a vobis, qualem non vultis*). Tamquam iudex enim adveniet (*v.* 1) et quidem tamquam iudex severus peccatorum impoenitentium, quia ab eis quasi sit provocatus (2-4); ut se ipsos igitur antea iam examinent, eos exhortatur, quia ipse suam auctoritatem exercebit (5. 6).

In prioribus suis itineribus corinthiis Apostolus velut iudex non advenerat; in primo ecclesiam fundaverat, in secundo deinde vitia quidem invenerat, ut de haud prospero neophytorum profectu tristis esset (cfr 2,1), sed diu non esse commoratus videtur, ut iudicium agere non potuerit, sese autem illud in proximo adventu acturum esse annuntiaverit (*ad v.* 2). Tertia igitur nunc vice iudex adveniet : 1. (*ecce*) *tertio hoc venio ad vos; in ore duorum vel* (graece καί, *etiam*[1]) *trium testium stabit omne verbum*. Iuxta Legem mosaicam (*Deut.* 19,15),

5,19. — 2. ὡς παρὼν τὸ δεύτερον (ut praesens *secunda vice*) est communis lectio, quam etiam antiqui PP. latini et codd. Vulg. tuentur : sicut praesens *secundo* (*S. Aug.* c. ep. Parm. III. 1,3; 2,14), ut praesens *secundo adventu* (*A^{ter}*), ut praesens *bis* (codd. *Fuld. Demid. Tolet.* etc., consentientibus comment. *Lomb. Thom.* etc.); sed lectionem *bis* iuniores codd. mutarunt in *vobis* et *Vulg. Clem.* eam praetermisit. — καὶ ἀπὼν νῦν (et absens nunc) nullo verbo addito B ℵ A D F G, haud multi minusc., *It.* (*S. Aug.* ll. cc. etc.) *Vulg. Aeth.*; sed καὶ ἀπὼν νῦν γράφω (et absens nunc *scribo*) E K L P, plerique minusc., *It.* (*A^{ter}*), *Syr. Arm. Goth.* — 3. ἐπεί (quia) B ℵ A D E K L P, omnes minusc., *It.* (*S. Aug.* c. ep. Parm. III. 2,14; *S. Ambr.* in Ps. 118) *Syr. Copt. Goth.*; eundem sensum exprimunt F G suo ὅτι (quia), atque prior lectio omnino retineatur oportet, quamvis *SS. Aug.* et *Ambr.* interdum cum *Vulg.* consentientes legant *an*, aut aliqui graeci PP. interdum habeant εἰ vel ἤ etc. — 4. καὶ γὰρ ἐσταυρώθη (etenim crucifixus est) B ℵ D F G K P, pauci minusc., *Copt. Aeth.*; sed *textus rec.* καὶ γὰρ εἰ ἐσταυρώθη (*nam etsi crucifixus est*) A E L, plerique minusc., *It. Vulg. Syr. Arm. Goth.*; non obstante codd. praecipuorum auctoritate secundam lectionem ob verss. testimonium praeferimus. — καὶ γὰρ καὶ ἡμεῖς ἀσθενοῦμεν (*nam et nos infirmi sumus*) B ℵ A D E L P, plerique minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Goth.*; solum γάρ omittunt F G, *Syr.* (codd.) *Arm.*; sed καὶ γὰρ εἰ ἡμεῖς (nam etsi nos) K et aliqui codd. *Vulg.* (*Tol.* etc.). — Ad ultimum ἐκ δυνάμεως Θεοῦ (*ex virtute Dei*) cum omnibus fere testibus addatur oportet εἰς ὑμᾶς (*in vos*; vel cum *Vulg.* minus apte : *in vobis*). — 5. ἐν ὑμῖν (in vobis) verbo non addito B D, paucissimi minusc., *Aeth.*; sed *textus rec.* : ἐν ὑμῖν ἐστίν (*in vobis est*) cum reliquis testibus. Cur *Tisch. WH.* verbum ἐστίν omiserint, ignoro.

1. Sensum graecae lectionis (δύο μαρτύρων καὶ τριῶν) non esse, ut ad duorum testimonia accedere trium aliorum testimonia debeant, clarum est; Alexandrini *enim*, quos Paulus sequitur, quum hebr. אוֹ particula καί redderent, legem mutare et pro duobus vel tribus testibus in posterum quinque requisitos dicere profecto noluerunt. Particula καί hic significationem latinae particulae *etiam* (in ore duorum, *etiam* trium, si nimirum maior hic numerus haberi potest testium, stat omne verbum, i. e. omnis accusatio rata stabilitaque censetur); sensu igitur graecus textus et latina versio non differunt, licet dici nequeat, particulam καί pro ἤ esse adhibitam.

quam Timotheus quoque observare iussus est (1 *Tim.* 5,19) atque Dominus ipse quodam modo iam in Ecclesia stabiliverat (*Matth.* 18,16), in iudiciis unus solus testis fidem non faciebat; ut reus alicuius facinoris convinceretur, saltem duo aut, si plures idonei aderant, tres testes inter se consentientes requirebantur. Quam legem allegans Paulus se verum ac proprium iudicium iuxta eius praescripta acturum esse manifeste declarat ac simul monet, se non de peccatis occultis, sed de peccatis publicis aut notoriis, quae legitimo testium numero probari possint, iudicaturum esse. Bene igitur *Erasm.* hanc sententiam amplificat : « Hic erit tertius meus ad vos adventus; in hunc se quisque praeparet. Neque enim amplius connivebo (cfr *v.* 2), sed iuxta ius strictum et exactum res agetur. Quisquis delatus fuerit, is duorum aut trium hominum testimonio vel absolvetur vel damnabitur ».

Praeeunte Chrys. reliqui Graeci (*Theod. Dam. Theoph. Oec.*) et aliqui ex melioribus interpretibus latinis (*Haym. Herv*[2]. *Est. Nat*[2]. *Mai. LR*[2]. — *Rück. Olsh.* etc.) Paulum duorum triumve testium nomine non duos tresve homines sed tropice duos tresve suos adventus corinthios intellexisse volunt : « sicut scriptum est, coram duobus tribusve testibus omnem controversiam dirimi, ita tribus meis adventibus omne verbum, quod minatus sum vobis, statuetur stabilieturque adversus vos, nisi resipueritis » (*Theoph.*). Quae explicatio, quomodo tot egregiis interpretibus probari potuerit, equidem non intelligo. Praeprimis enim ne levissima quidem ratio adest, cur sensus proprius, qui planus est et apertus, relinquatur, ut metaphora inusitatissima admittatur. Deinde iuxta hanc explicationem Paulus sola illa crimina punire posset, quae aut in ecclesiae corinthiae fundatione (primo adventu) aut saltem in secundo suo adventu adesse iam vidisset, omnia illa vero impunita praetermittere deberet, quae post secundum suum adventum (ante et post epistolas suas scriptas) commissa essent, quia haec omnia uno tantum teste (tertio adventu) probarentur. Difficultatem augent, qui, quum Paulum Corinthum ter venisse negent, primo adventui unam duasve epistolas addunt, quibus Corinthum spiritu advenerit, aut ipsam itineris praeparationem, quamvis illud ingressus non sit, in testium numero collocant.

Neque tantum ad iudicium agendum adveniet, sed ad severum iudicium agendum, sicut illud antea iam annuntiavit et nunc iterum annuntiat : 2. *praedixi et praedico, ut praesens* (cum A[tro] adde : *in secundo adventu*) *et nunc absens, iis, qui ante peccaverunt, et ceteris omnibus, quoniam, si venero iterum, non parcam.* Latinum textum *Vulg. Clem.* completum non esse diximus (cfr *VV. LL.*); antiquiores vero Latini (*Lomb. Thom.* etc.), qui in suis codd. legerunt : *ut praesens bis et nunc absens*, quid de hac lectione facerent, non satis

sciverunt, quare mirum non est, quod iuniores librarii illud *bis* in *vobis* transmutarent. At τὸ δεύτερον est i. q. *secundo*, uti *S. Aug.* legit, referturque ad secundum Pauli iter corinthium, uti *A*[ter] sua versione recte indicavit. Itaque in secundo suo adventu Paulus *praesens praedixit* et *nunc absens* per literas suas *praedicit se in proximo adventu non parsurum esse*, i. e. se non lenitate ac mansuetudine sed secundum iustitiae rigorem cum iis esse acturum; hoc porro in secundo suo adventu praedixit *iis, qui ante* (illum adventum) *peccaverunt*, et nunc suis literis praedicit *reliquis omnibus*, qui post secundum suum adventum iisdem, quibus priores, vitiis sese dare coeperant. Plana igitur et clara est sententia, dummodo tria Pauli itinera corinthia, quae *v.* 1. extra omne prudens dubium ponit, admittantur. Contortam vero explicationem admittere coguntur, qui Paulum bis tantum Corinthi fuisse statuunt; explicant enim : « praedixi (sc. in priore epistola) et (nunc) praedico, ac si secunda vice praesens adessem, quamvis nunc absens sim, me in novo itinere lenitate non esse usurum » (cfr *Est.* etc. — *Heinr.* etc.). Sed ut taceamus, secundum participium (καὶ ἀπὼν νῦν), quum particula copulativa (καί) priori adnectatur, per sententiam concessivam hic non posse exponi, etiam numerus (τὸ δεύτερον) esset ineptus; etenim prioribus quoque epistolis, opinor, Paulus quamvis absens tamquam praesens cum Corinthiis locutus est; ergo iuxta istam explicationem dicere debuit : « quasi *tertia* (vel potius *quarta*) vice praesens ». Prima enim vice in primo itinere praesens fuerat; iterum in prima epistola (deperdita) et tertio in secunda (nostra priore) epistola scribenda; nunc ergo quarta vice praesens illis adesse dicendus esset iuxta hanc explicationem.

Tamquam severus autem iudex in tertio suo itinere venire vult, quia a corinthiis peccatoribus quasi provocatus est, ut apostolicam suam auctoritatem exerceat, siquidem de ea dubitare videntur : 3. *an experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus* (melius iuxta graecum : *quandoquidem experimentum quaeritis loquentis in me Christi*), *qui in vobis* (εἰς ὑμᾶς *in vos*) *non infirmatur, sed potens est in vobis* (ἐν ὑμῖν). Latinam lectionem *Est.* recte monet a graeca non differre, « nisi quod interrogatio vehementiorem reddat orationem, quomodo si praeceptor (provocatus) discipulis dicat : An vultis experiri me esse praeceptorem vestrum, qui possim vos castigare? » Revera Corinthii illi, qui Apostoli sui monitis ac minis spretis neglectisque peccare non cessarunt nec delictorum commissorum poenitentiam egerunt, eum quodammodo coegerunt, ut experimento probaret demonstraretque (cfr ad 2,9), Christum in ipso loqui, i. e. sua monita minasque suas a Christo Domino proficisci, quippe a quo

apostolicam auctoritatem potestatemque accepisset quique per ipsum divinam suam potestatem exerceret. Verum haud sine periculo eiusmodi provocationem esse docet sententia relativa addita : Christus enim non infirmus est contra Corinthios, sed potens inter eos, potentiamque suam non tantum signis miraculisque (12,12) sed gravibus quoque poenis (1 *Cor.* 11,30) inter eos iam manifestavit.

Iamvero sese ipsum quoque, non obstante sua infirmitate apparente, potentem esse Paulus demonstrat sese ipsum ratione infirmitatis ac potentiae cum Christo comparans : 4. *nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei; nam et nos infirmi sumus in illo, sed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis* (εἰς ὑμᾶς *in vos*). Duae sententiae causales, quae iisdem particulis (καὶ γάρ *nam et*) inchoantur, inter se sunt parallelae duplicemque rationem afferunt, qua Paulus suam potentiam demonstrat; parum apte enim nonnulli moderni (*Bisp.* etc. — *Mey.* etc.) secunda sententia, quae de Pauli infirmitate et potenti vita agit, priorem de Christi infirmitate et potentia demonstrari censent; eiusmodi enim argumentum ex effectu ad causam in hac materia vix quidquam haberet roboris, nec quid sibi vellet in hoc contextu, intelligeretur. Paulus igitur, quum per Christum in ipso loquentem potens sit, praeprimis illius potentiam asserit, ut suam probet. Atqui Christus, quamvis forma servi accepta in similitudinem hominum infirmorum factus ex infirmitate naturae assumtae crucifixus sit, nunc tamen secundum eandem naturam infirmam ex virtute Dei ad novam vitam resuscitatus vivit et regnat in aeternum summaque potestate potitur. Huius porro infirmitatis et potentiae Christi suo modo etiam Apostoli participes sunt; etenim ipsi quoque in Christo et propter Christum semper eius mortificationem circumferentes et propter eum in mortem traditi (4,10. 11) infirmi esse apparent. At qui infirmo assimilati sunt Christo, ii etiam resuscitato ac potenti assimilentur oportet; in mortem traditi sunt propter Christum, ut etiam vita ac potentia Christi manifestetur in eorum carne mortali, ut igitur ex eadem virtute Dei, ex qua vivit et regnat Christus, et ipsi vivant et regnent.

Itaque integrum argumentum, quod duabus sententiis parallelis Paulus exponit, est hoc : Sicut Christus in sua passione infirmus apparuit, sed virtute Dei resuscitatus sedet tamquam iudex ad dexteram Patris, ita Apostoli quoque, in quibus Christus resuscitatus loquitur, multa quidem propter illum patientes infirmi apparent, sed virtute Dei cum Christo corroborati vivunt potentesque sunt potestatemque suam exercent in Christianos. Eadem ratione, qua supra (4,10 sqq.), Paulus de vita futura, qua post mortem Apostoli potientur, non

loquitur, sed de apostolica eorum vita ac potestate in hac terra; futuro tamen tempore (*vivemus* cum eo ex virtute Dei in vos) utitur, quia de proximo suo itinere corinthio cogitat, in quo apostolicam suam auctoritatem contra neophytos impoenitentes manifestaturus sit. Ab hac communi Graecorum Latinorumque explicatione nonnulli moderni recedunt, qui Paulum eatenus sese infirmum dicere arbitrantur, quatenus hucusque erga Corinthios indulgentem se exhibuerit et a potestatis suae usu abstinuerit (cfr *Bisp. Mai. LR.* etc. — *Mey. Heinr. Goeb.* etc.). Quae sententia, si ad *v.* 9. attenditur, ubi infirmitas eodem modo usui potestatis opponi videtur, per se quidem inepta non est, completo tamen duarum sententiarum parallelismo excluditur; namque sicut in secundis membris de eadem nova vita potente agitur, ita in prioribus de eadem infirmitate, quae tribulationibus sese manifestat, agi dicendum est.

Sibi ergo caveant Corinthii, ne Apostolum impoenitentia provocantes experimentum Christi in eo viventis potestatemque suam exercentis quaerant; sese ipsos potius examinent explorentque, num ipsi in fide viva stantes Christum in semet ipsis inhabitantem deprehendant, ita ut severum Apostoli iudicium eis non sit timendum : 5. *vosmet ipsos tentate, si estis in fide; ipsi* (ipsos) *vos probate : annon cognoscitis vosmet ipsos, quia Christus Iesus in vobis est? nisi forte reprobi* (ἀδόκιμοι non probati) *estis.* Ad verba synonyma πειράζειν (*tentare*) et δοκιμάζειν (*probare*), quae explorandi examinandique significationem habent, *A*[ler] recte adnotat : « omnis probatio est tentatio, sed non omnis tentatio est probatio »; prioris enim verbi (*tentare*) significatio universalior est, nec quis futurus sit explorationis exitus, bonusne an malus, indicat; alterum vero (*probare*) exitum fore faustum insinuat: gravior ergo admonitio (*tentate*) mitigatur leniore (*probate*), quum spes exprimatur fore, ut Corinthii examine facto sese *in fide esse* inveniant. Atque clarius haec spes altero membro exprimitur, siquidem insinuat, nullam esse rationem, cur ab hoc examine abhorreant; eos enim ad cognitionem adducet, Christum in ipsis inhabitare et operari, nisi forte sint Christiani « *non probati* », i. e. non sinceri, in quibus utique Christus inhabitare nequeat.

Iuxta *Chrys.*, quem praeter Graecos (*Phot. Oec. Theoph.*) iuniores quoque Latini haud pauci (*Gagn. Est*[2]. *Nat. Pic. M Ev. Dr.* etc.) sequuntur, Corinthii sese tentare iubentur, num in eis sit fides, quae dicitur miraculorum (cfr ad 1 *Cor.* 12,9); at ex eo, quod aliquis fide miraculorum sit praeditus, nondum sequitur Christum in eo inhabitare, sicut ex eo, quod aliquis fide miraculorum careat, non sequitur,

Christum in eo non habitare; fides viva enim sine miraculis, ac fides mortua cum miraculis esse potest. Neque recte *Thom*[1]. (cfr *Lyr*[1]. etc. *Lap*. etc.) solum habitum fidei, qui etiam in peccatoribus esse potest, intelligit; nam per huiusmodi fidem, uti recte monet *Est*., non continuo Christus in nobis esse dicitur. Intelligenda potius est fides formata, quae per caritatem operatur; licet enim certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, sine speciali revelatione scire nequeamus, num fidem illam formatam possideamus, ad certitudinem tamen coniecturalem ac moralem, quae actualem excludat formidinem, de nostro gratiae statu pervenire possumus, atque aptissime Apostolus Corinthios exhortatur, ut se ipsos tentent ac probent, num in fide viva sint ac proin Christus in ipsis habitet (cfr *Thom*[2]. *Lyr*[2]. *Salm. Iust. Est*[1]. *Mai. Bisp*. etc.). Eiusmodi autem solam coniecturalem certitudinem hic esse intelligendam verba *tentare* et *probare* satis docent; quare absurdissime antiquiores protestantes hoc loco abusi sunt asserentes, singulos Christianos fide divina posse ac debere credere, peccata sibi esse remissa. Quod vero ad adversariorum obiectionem eludendam aliqui catholici responderunt, Apostolum hic non loqui de Christo in singulis fidelibus inhabitante, sed de inhabitatione Christi in ecclesia particulari Corinthiorum, id toto contextu reprobatur; neque enim de tota illa ecclesia, sed de singulis fidelibus Apostolus sese iudicaturum esse annuntiat atque singulos ad hoc iudicium accurato examine sese praeparare iubet.

Apostolus autem, quamquam fore sperat, ut Corinthii sese in fide esse examine instituto inveniant, ultimo tamen membro (*nisi forte non probati estis*) se timere insinuat, ne res aliter se habeat; at de se ipso idem non timet; Corinthii enim, quisquis examinis, quod de se ipsis instituent, erit exitus, sine ullo dubio experientur, Paulum in non probatorum numero non inveniri : 6. *spero autem quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi* (non probati ἀδόκιμοι). « Minaciter, inquit *Theod*., hoc dicit tamquam potestatem spiritualem eis ostensurus ». Vocem ἀδόκιμος non plane idem significare, ubi de Corinthiis et de Apostolo praedicatur, planum est; Corinthii enim sese tamquam genuinos Christianos probare debent, Paulus autem tamquam genuinum Apostolum; illi igitur erunt probati, si in fide viva degere deprehenduntur, hic autem, si potestatem apostolicam exercere invenietur. Recte ergo *Est*. hanc sententiam exponit : « spero vos experientia esse cognituros, quod nos non sumus viles ac potestate destituti; faciam, ut agnoscatis meam potestatem nec eam contemni patiar ».

3.) *Sperat fore, ut apostolica sua potestate contra Corinthios uti non cogatur* (13,7-10).

13,7. Oramus autem Deum ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis : nos autem ut reprobi simus. 8. Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. 9. Gaudemus enim, quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc et oramus vestram consummationem. 10. Ideo haec absens scribo, ut non praesens durius agam, secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem, et non in destructionem.

13,7. Εὐχόμεθα δὲ πρὸς τὸν Θεὸν μὴ ποιῆσαι ὑμᾶς κακὸν μηδέν, οὐχ ἵνα ἡμεῖς δόκιμοι φανῶμεν, ἀλλ' ἵνα ὑμεῖς τὸ καλὸν ποιῆτε, ἡμεῖς δὲ ὡς ἀδόκιμοι ὦμεν. 8. οὐ γὰρ δυνάμεθά τι κατὰ τῆς ἀληθείας, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς ἀληθείας. 9. χαίρομεν γὰρ ὅταν ἡμεῖς ἀσθενῶμεν, ὑμεῖς δὲ δυνατοὶ ἦτε· τοῦτο καὶ εὐχόμεθα, τὴν ὑμῶν κατάρτισιν. 10. διὰ τοῦτο ταῦτα ἀπὼν γράφω, ἵνα παρὼν μὴ ἀποτόμως χρήσωμαι κατὰ τὴν ἐξουσίαν, ἣν ὁ Κύριος ἔδωκέν μοι εἰς οἰκοδομὴν καὶ οὐκ εἰς καθαίρεσιν [1].

Gravi comminatione, qua in praecedente sectione neophytos terruerat, Paulus hanc partem terminare noluit, sed ad eius initium (10,1 sq.) respiciens id unice se expetere addit, ut Corinthum adveniens nihil inveniat, quo ad potestatem suam exercendam provocetur. Itaque terminans Deum rogat, ut gratia sua Corinthios a malo avertat, quoniam eos omnibus bonis abundare, quam suam ipsius potestatem manifestam fieri malit (7-9), atque eam quoque ob causam hac epistola eos ad poenitentiam agendam exhortatur, ne praesens durius in eos agere debeat (*v.* 10).

Magnam quidem se a Deo accepisse potestatem Apostolus sibi conscius est paratusque est ad eam sine ulla haesitatione exercendam, si opus fuerit; at ab ea manifestanda libentius abstinet ideoque vota facit, ut eam exercere non cogatur : 7. *oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis, nos autem ut reprobi* (non probati ἀδόκιμοι) *simus.* Ad constructionem latinae sententiae quod attinet, verbum *oramus* in principio secundi membri post particulam *non* mente repetatur oportet (oramus, ut nihil mali faciatis, non oramus, ut nos probati

1. *VV. LL.* — 7. εὐχόμεθα (*oramus*) B ℵ A D F G P, haud multi minusc., *It. Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Arm. Aeth.*; vix minus apte *textus rec.* : εὔχομαι (oro) cum E K P, plerisque minusc., *Syr.* (codd.) *Goth.* — 9. χαίρομεν γὰρ ὅταν (gaudemus enim *quando*) est communis lectio codd. graec. et verss., quam etiam antiqua latina versio (*A*ler, *Pel. Prim.* etc. : gaudemus enim *quum*) et meliores codd. *Vulg.* exprimunt (*Fuld. Amiat.* etc. : gaudemus enim *quando*). Pro ὅταν duo quidem codd. legunt ὅτε, at nullus exhibet ὅτι (*quoniam*). — τοῦτο καὶ εὐχόμεθα (*hoc et oramus*) B ℵ A D F G L, pauci minusc., *It. Vulg. Copt. Arm. Aeth.*; minus apte *textus rec.* : τοῦτο δὲ καὶ εὐχόμεθα (hoc *autem* et oramus) cum E K L, plerisque minusc., *Syr.* (codd.), neque rectius nonnulli alii codd. *gr.* et *Syr.* : τοῦτο γὰρ καὶ εὐχόμεθα (hoc *enim* et oramus).

appareamus » etc.). Eandem constructionem graecus quoque textus admittit, quamvis primum membrum accusativo cum infin. (εὐχόμεθα... μὴ ποιῆσαι ὑμᾶς κακὸν μηδέν) exprimatur, reliqua tria particula ἵνα (*ut*) introducantur (οὐχ [εὐχόμεθα] ἵνα ἡμεῖς δόκιμοι φανῶμεν κτλ); nam verbum εὔχεσθαι utraque hac constructione id quod expetitur indicare potest. Rogat igitur Deum, ut Corinthii gratiis adiuti et corroborati [1] a peccatis sese abstineant; minime vero desiderat ac precatur, ut illis male agentibus occasionem inveniat potestatis suae exercendae atque hac ratione probatus appareat, sed potius ut illis semper bene agentibus ipse occasione potestatis exercendae privatus tamquam homo appareat, qui auctoritate careat; « ubi enim nulla est culpa, inquit *Thom.*, omnes sumus pares et unus non habet potestatem iudicandi super alios; magis ergo vult Apostolus, ut sint boni, quam ut subiaceant potestati iudicii sui ».

Sensus hic tam planus est ac manifestus, ut ab omnibus antiquioribus et iunioribus ac plerisque modernis tradatur; pauci tamen moderni (acath. *Mey. Heinr. Schn.* etc.) solo primo membro, quod accusativo c. inf. exprimitur, obiectum, tribus reliquis membris, quae particula ἵνα introducuntur, finem precationis indicari censent atque hunc sententiae sensum esse volunt: « rogamus Deum, ut a peccatis abstineatis, idque rogamus non nostra causa sc. non eo fine, ut nos (si male non agitis) tanquam probati, i. e. boni ac sinceri *magistri*, inveniamur, sed vestra causa sc. eo fine, ut vos bene agentes *probati, i. e. sinceri Christiani*, inveniamini, nos vero *probatione iudiciariae potestatis* carentes velut homines nullius auctoritatis habeamur ». Quam contra explicationem id meritissimo obiicitur, quod vox δόκιμος duabus diversis rationibus sine ulla necessitate intelligatur, siquidem in secundo membro de *magistri* probatione, quae ex discipulorum bona vita cognoscatur, in quarto autem de *iudicis* probatione, quam iudiciariae potestatis exercitium manifestet, agi supponit; peccat autem etiam

1. Ex hac Pauli sententia *S. Aug.* (de corr. et gr. 2) necessitatem gratiae egregie deducit: Apostoli enim verbis allatis ita pergit: « Quis hoc audiat et non evigilet atque fateatur a Domino Deo nobis esse, ut declinemus a malo et faciamus bonum? Quandoquidem non ait Apostolus: monemus, docemus, hortamur, increpamus, sed ait: oramus ad Deum ne quid faciatis mali, sed quod bonum est faciatis. Et tamen etiam loquebatur eis et faciebat illa omnia quae commemoravi: monebat, docebat, hortabatur, increpabat: sed sciebat haec omnia non valere, quae plantando et rigando faciebat in aperto, nisi eum pro illis exaudiret orantem, qui dat incrementum in occulto ». At solam quoque gratiam non sufficere ad malum vitandum, bene ibidem S. Doctor addit, cuius sensum ita explanat *Thom.*: « notandum est secundum *Aug.*, quod ad vitandum peccatum necessaria sunt duo, sc. liberum arbitrium et gratia Dei. Si enim liberum arbitrium non esset necessarium, numquam darentur homini praecepta nec prohibitiones nec exhortationes: frustra etiam darentur poenae. Gratia etiam est necessaria, quia nisi Deus omnes regeret per gratiam suam, non posset homo stare. Et ideo Apostolus ostendens utrumque esse necessarium, et orat Deum pro gratia obtinenda et monet, ut per liberum arbitrium recedant a malo et faciant bonum ».

in eo, quod tertio membro, ne plane superfluum vel etiam absurdum esse videatur (quid enim sibi vult : « oro Deum ne male agatis, idque oro eo fine, ut bene agatis »?), iterum notionem probationis (sc. *discipulorum*) temere inserat. — Haud minus longe alii iuniores ac moderni (acath. *Grot. Billr. Ew. Hofm.* etc.) aberrant a vero, qui in primo membro verba ποιεῖν κακόν id quod *malum* vel *iniuriam inferre* significare volunt (cfr *Act.* 9,13), ut sensus sit : « rogo Deum, ne iniuriam (sc. poenam) cuiquam inferre cogar ». Licet enim verbum ποιεῖν duplicem accusativum interdum admittat (ποιεῖν τινά τι aliquem aliqua re afficere *Matth.* 27,22; *Marc.* 15,12 pro consueto ποιεῖν τινί τι), quo tamen sensu expressio κακὸν ποιεῖν explicetur oporteat, altero membro opposito (ἵνα τὸ καλὸν ποιῆτε *ut bonum faciatis*) extra dubium ponitur; inepte quoque poena ab Apostolo vel a Deo correctionis causa irrogata κακόν (malum s. iniuria) appellaretur.

Porro mirum non esse, quod Corinthiis bene agentibus Apostolus non probatus inveniatur ac nihilominus eos bene agere desideret, duabus sequentibus sententiis (8.9), quae inter se parallelae ambae *v.* 7. confirmando inserviunt, accuratius explicatur. Atque primum quidem manifestum est, Paulum suam iudicis vindicisque potestatem non posse probare, si neophyti bene agant : 8. *non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate.* Illam hic censemus intelligi *veritatem*, quam per Christum factam et in Evangelio manifestatam (*Ioan.* 1,17; 14,6) illi verbo et opere profitentur, qui in fide viva degunt ideoque Christum in se inhabitare gloriari possunt (*v.* 5). Ad hanc enim evangelicam veritatem et vindicandam et promovendam Apostoli constituti sunt iudices ac vindices; unde evidens est, eos iudiciariam potestatem suam contra illos exercere non posse, qui in evangelica fide firmi stantes eam bona sua vita exprimunt, sed contra illos solos, qui ore eam profitentes opere vitaque eam negant; secus enim potestatem suam non ad aedificationem sed ad destructionem accepisse viderentur (*v.* 10).

A qua explicatione, quae plerorumque modernorum est (cfr *Mai L H.* etc.), solo fere loquendi modo multi antiquiores differunt, quibus *veritas* hic idem est quod *pietas* s. *vitae innocentia* : « veritatis nomine nunc intelligit pietatem (τὴν εὐσέβειαν), quia impiorum vita est factitia ac spuria; si quis ergo vere ac pie (ἀληθῶς καὶ εὐσεβῶς) vivat, supplicium ei, etiamsi velimus, inferre nequimus; non enim cooperatur Deus; siquidem nihil adversus veritatem seu pietatem possumus, sed pro ea, ut illos, qui iuxta eam non vivant, ad eam sequendam poenis cogamus » (*Phot.* apud *Oecum.*; cfr *Theod. A*ter *Pel.* etc., *Herv. Lomb.* etc.. *Cai. Iust. Est.* etc.). Longius alii antiquiores recedunt, qui veritatem interpretantur iustitiam in iudiciis obser-

vandam: « potestas ideo nobis a Deo est concessa, ut sententiam veram et iustam, non autem veritati repugnantem feramus » (*Chrys.* cfr *Theoph. Thom. Lyr.* etc. *Lap. Nat.* etc.); at haec explicatio priori quidem membro congruit (non possumus iuxta potestatem nobis commissam quidquam contra id quod iustum aequumque est, iudicare, ergo nihil contra eos, qui bene vivunt, statuere), aegre autem alteri adaptatur (possumus pro veritate, i. e. ad veritatem promovendam), nisi una ex prioribus explicationibus addatur.

Secundo in loco rationem addit, cur Deum oret, ut Corinthii bene agant, etsi ipse illis bene agentibus velut homo nullius auctoritatis esse videatur: 9. *gaudemus enim, quoniam* (lege : *quando* cfr *VV. LL.* ὅταν) *nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc et oramus vestram consummationem.* Quamquam nimirum Corinthi ab adversariis suis contemnebatur conspuebaturque ac velut homo arrogans, qui verbis sese iactaret, re autem nec potestatem haberet nec eam praesens exercere auderet, traducebatur (10,9 etc.), tanta tamen Paulus neophytorum caritate ardebat, ut sui suaeque famae prorsus oblitus ad eorum profectum solum attenderet; hinc etiam gaudebat, quando ipse occasione potestatis exercendae privatus *infirmus* non tam erat, quam apparebat, quatenus potestatem quam divinitus accepisse gloriabatur probare non potuit, dummodo neophyti ex virtute Dei *potentes* essent, i. e. christiana vita ita pollerent, ut iudiciariae Apostolorum potestati plane subtracti esse viderentur; qui enim bene agit, non habet cur timeat potestatem ac Dei minister ei est dumtaxat in bonum (*Rom.* 13,3. sq.). Ideo etiam Apostolus Deum precatur, ut neophyti bene agant, ipse vero non probatus appareat, quin etiam precatur, ut *perfecti* sint, ne umquam iudicis vindicisque munere inter eos fungi possit. « Hoc vere paterni animi est, discipulorum salutem suae gloriae praeferre; hoc animi ab inanis gloriae studio remotissimi » (*Chrys.*), at hoc etiam omnibus iis, qui in animarum ministerio sunt occupati, quam maxime est necessarium. Qui enim non tam ad fidelium salutem, quam ad suam ipsius gloriam suaque commoda attendit, is nec verus Apostolorum imitator est nec laborum suorum fructum sperare potest. A plerisque in ultimo membro pronomen τοῦτο (*hoc*) a verbo εὐχόμεθα (*oramus*) dependere atque appositione τὴν ὑμῶν κατάρτισιν (*vestram perfectionem*) explicari censetur; (hoc, sc. vestram perfectionem quoque, a Deo petimus); aptius tamen, ni fallor, ne oratio abruptior sit ac pronomen otiose insertum esse videatur, illud adverbialiter pro διὰ τοῦτο (*ideo*) poni dicitur a nonnullis antiquioribus (cfr *Thom.* etc.).

Perorationi tandem imponit finem scopo polemicae huius partis ite-

rum (cfr 12,19) indicato. Si suam gloriam quaesivisset, Paulus, ut adversariorum calumniam, quod absens per literas neophytos terreret, praesens vero infirmus esset (10,1. 9 sqq.), efficacius refutaret, non amplius per literas cum Corinthiis egisset, sed nulla adhibita praeparatione adveniens potestatem suam cum severitate exercuisset; at calumniam illam despicit atque ad naturam potestatis sibi commissae attendens solam salutem perfectionemque neophytorum quaerit : **10.** *ideo haec* (quae durius in hac parte dicta esse censentur (*absens scribo, ut non* (ne) *praesens durius* (ἀποτόμως [ἀπο-τέμνω] quasi ad vivum resecans) *agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem et non in destructionem.* Sunt qui pronomine ταῦτα (*haec*) integram epistolam designari putent, dum alii ea sola comprehendi velint, quae inde a 12,20 dicta sunt; at recte *Chrys.* iam monet, tertiam epistolae partem (inde a 10,1) intelligendam esse; quin enim hac sententia Paulus ad ea alludat, a quibus adversariorum impugnationem inchoavit (cfr 10,1 sq. 8 sqq.), non est dubium. Haud sine ratione porro eandem naturae potestatis suae descriptionem (cfr ad 10,8) hic repetit, quia ex ea totus eius agendi modus explicatur; neque enim satis recte ultima verba (*secundum potestatem* etc.) cum solo membro finali (*ne praesens durius agam*) connectuntur, quandoquidem ad integram sententiam potius pertinent (*absens haec scribo, ne praesens durius agam*). Ea scilicet est natura totius potestatis ecclesiasticae, ut ad aedificationem regni Dei hac in terra inservire debeat, atque iudiciaria quoque potestas, de qua hic agitur, eundem finem habet; illa igitur abuteretur, qui ubi mansuetudine ac lenitate peccatorem corrigere potest, duritie eum frangeret. Verum dure tractandi sunt, qui lenitate corrigi nequeunt, namque eorum poena etiam aedificationi inservit; « uno enim vel duobus punitis universus coetus utilitatem capit » (*Theod.*).

EPILOGUS EPISTOLAE

(13,11-13).

13,11. *De cetero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum.* 12. *Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti.* 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi et caritas Dei, et consummatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.*

13,11. Λοιπόν, ἀδελφοί, χαίρετε, καταρτίζεσθε, παρακαλεῖσθε, τὸ αὐτὸ φρονεῖτε, εἰρηνεύετε, καὶ ὁ Θεὸς τῆς ἀγάπης καὶ εἰρήνης ἔσται μεθ' ὑμῶν. 12. Ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν ἁγίῳ φιλήματι· ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ ἅγιοι πάντες. 13. Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ καὶ ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ κοινωνία τοῦ ἁγίου Πνεύματος μετὰ πάντων ὑμῶν [1].

Quoniam paucis hebdomadis postquam hanc epistolam exaravit Corinthum erat venturus, Corinthii autem interea per Titum sociosque eius de eius rebus certiores reddebantur, Paulus brevissimo epilogo epistolam ita terminat, ut « acerbiore oratione praetermissa utilem admonitionem addat » (*Theod.*), qua benigniore modo priora sua monita recapitulat : 11. *de cetero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini* (παρακαλεῖσθε *A*[ter] : consolationem percipite), *idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum.* Quia pro munere suo *cooperator gaudii* fidelium erat (cfr ad 1,24 sqq.), neophytis in suo adventu tristitiam afferre noluit, sed eorum gaudium spirituale augere; quare etiam nunc iam, quamvis gravibus suis increpationibus nonnullos contristaverat, omnes ad gaudendum in Domino (*Phil.* 3,1; 4,4) exhortatur. Aliqui iuniores graecum χαίρετε hic idem quod *valete* significare volunt (*Er. Cai. Iust.* etc. — *Beza Stier* etc.), sed nusquam verbum χαίρειν hoc sensu a Paulo adhibetur, qui gaudium inter prae-

1. *VV. LL.* — 12. τῆς ἀγάπης καὶ εἰρήνης (dilectionis et pacis) hoc ordine B ℵ A K P, plerique minusc., *Vulg.* (codd. *Amiat. Demid. Tol.* etc.) *Syr. Copt. Aeth.*; ordinem invertunt : τῆς εἰρήνης καὶ (τῆς) ἀγάπης (*pacis et* dilectionis) D E L, haud multi minusc., *It. Vulg.* (*Clem.* cum *Fuld.* et plerisque) *Goth. Arm.* — 13. τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ (*Domini Iesu*) solus B, adde cum reliquis Χριστοῦ (*Christi*); quin etiam praeferenda est completa formula τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ (*Domini nostri Iesu Christi*) cum haud paucis minusc., et *omnibus* verss. — μετὰ πάντων ὑμῶν (cum omnibus vobis) omisso Ἀμήν (Amen) B ℵ A F G, paucissimi minusc., reliqui testes addunt Ἀμήν.

cipuos fructus spiritus enumerat (*Gal.* 5,22) fidelesque semper ob magna quae in Christo sortiti sunt bona gaudere vult (1 *Thess.* 5,16).

Attamen ut omnes gaudere possent, praeprimis requirebatur, ut ii, qui vituperari meruerant, peccatorum poenitentiam agerent atque perfecti esse studerent; unde alterum monitum : *perfecti estote* vel potius *perficiamini* (καταρτίζεσθε); quod bene explicat *Chrys.* « perfecti efficiamini (τέλεοι γίνεσθε) eaque quae vobis desunt supplete ». Alii vero, ne gauderent, multis, quibus ecclesia corinthia perturbabatur, tribulationibus periculisque impediebantur, eosque tertio suo monito Apostolus sese consolari iubet (παρακαλεῖσθε consolationem percipite vel consolamini vos). Haec verbi παρακαλεῖν interpretatio, quae Paulum ad epistolae exordium respicere supponit (cfr ad 1,4. 7), ab omnibus Graecis traditur (*Chrys. Theod.* etc.), antiquae versioni latinae consonat, atque a plerisque iunioribus modernisque merito praefertur (cfr *Cai. Iust. Est.* etc., *Mai.* etc. — *Mey. Kl. Br.* etc.). Minus apta videtur altera explicatio, quam *Vulg.* sua versione (*exhortamini* sc. vos invicem) expressit. Ultima duo monita illud vitium exstirpari iubent, ex quo velut ex fonte pleraque mala ecclesiae corinthiae profluxerant, ita ut verum gaudium in ea locum non inveniret : *idem sapite* (cfr ad 1 Cor. 1,10), *pacem habete* inter vos; id quod utique fieri nequit, nisi omnes perfecti sint in eodem sensu et in eadem sententia. Ad duo haec ultima monita respicit promissio, quae eis additur : *et Deus pacis et dilectionis* (fraternae) *erit vobiscum;* « neque enim monet tantum et hortatur, sed etiam bona optat ac precatur; si enim haec feceritis, inquit, i. e. si idem sentiatis ac pacem colatis, Deus quoque vobiscum erit; siquidem Deus pacis et caritatis est atque his rebus gaudet et oblectatur » (*Chrys.*). Cum eis autem erit Deus ad eos adiuvandos et in omni bono promovendos.

Paucis deinde verbis sequuntur salutationes : 12. *salutate invicem in osculo sancto; salutant vos omnes sancti,* sc. fratres illius ecclesiae omnes, in qua Paulus hanc epistolam scripsit (reliqua cfr ad 1 *Cor.* 16, 20); ac demum sollemniore benedictione, quam ulla alia, haec gravissima epistola concluditur : 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, et caritas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.* Eximium hoc est SS. Trinitatis testimonium recteque monet *Thom.*, omnia Christianis necessaria his verbis contineri : « gratiam Christi, qua iustificamur et salvamur, caritatem Dei Patris, qua ei unimur, communicationem Spiritus S. divina nobis dona distribuentis ». Haud minus egregie *A[ter]* « Trinitatis hic, inquit, complexio est et unitas potestatis, quia totius salutis perfectio est. Dilectio

enim Dei misit nobis Salvatorem Iesum, cuius gratia salvati sumus. Ut possideamus hanc gratiam salutis, communicatio facit Spiritus S.: hic enim dilectos a Deo et salvatos gratia Christi tuetur; ut trium perfectio consummatio sit hominis in salutem ». A secunda persona incipit, quae naturam nostram assumens morteque sua pro nobis satisfaciens auctor est omnis gratiae, qua iustificamur et sanctificamur; sed Patris caritas quasi ultimus istius gratiae est fons, quia Pater sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum haberet vitam aeternam; cunctae autem gratiae communicantur per Spiritum S., quippe qui et gratiarum gratum facientium (*Gal.* 5,22) et gratiarum gratis datarum (1 Cor. 12,4) est distributor (cfr *Thom. Iust. Est.* etc.). In tertio igitur membro genetivum eodem modo, quo in duobus prioribus, subiectivum esse arbitramur; recta tamen quoque, licet minus concinna, Graecorum est explicatio, qui in tertio membro genetivum obiectivum esse censent: « Filii gratiam more solito eis apprecatur;... velut interrogatus vero, undenam Filii gratia advenisset, respondet: Ex Patris gratia; et quid effecisset, interrogatus respondet: Communionem S. Spiritus, i. e. participationem eius et acceptionem, quo sanctificamur, quum eo adveniente eius participes reddimur » (*Oec. Theoph.*).

Summa cum diligentia Patres hunc locum contra Antitrinitarios exponunt; *Chrys.* eum urget, ut Spiritum S. natura aequalem Patri et Filio doceat; *Theod.* alios quoque textus conferens in Trinitate externarum actionum divisionem non esse ostendit, quum ea, quae hic Patri aut Filio aut Spiritui appropriantur, alibi aliis personis interdum approprientur; *Prim.* obiectioni Arianorum, quod Pater Filio sit maior, quia ante eum nominari soleat, nostram sententiam opponit, in qua Filius primo in loco nominatur. Quibus addamus, Paulum optima haec bona omnibus Corinthiis apprecari, ne iis quidem exceptis, a quibus gravissimas iniurias erat perpessus; puram igitur sanctamque caritatem omnibus exhibens se aspera illa ac dura, quae dicere debuerat, non sua causa dixisse, sed nihil in tota epistola quaesivisse demonstrat, quam maiorem Dei gloriam animarumque curae suae commissarum salutem.

EPISTOLA AD GALATAS.

PROLEGOMENA.

1. *Quae fuerint ecclesiarum Galatiae initia* [1].

1. — Galatia, regio fertilis media fere in Asia Min. ita sita, ut a septemtrione Bithyniam et Paphlagoniam, ab Oriente Pontum, ab Occidente Phrygiam et a meridie Cappadociam et Lycaoniam attingeret, nomen suum a Gallis traxit, qui Κελτοί, Καλτοί, etiam Γαλάται a Graecis nominabantur (cfr *Amm. Marc.* Rer. gest. XV. 9,3). Etenim celticae quaedam tribus[2], quae iam pridem sedibus suis in Gallia relictis in Illyria et Pannonia consederant, post Alexandri M. mortem Hellespontum transgressi a Nicomede, Bithyniae rege, cui auxilium in bello contra fratrem eius attulerant, Phrygiae quadam parte donati sunt, ibique sedes suas fixerunt (c. a. 278.); unde illa Phrygiae pars *Galatia* vel ob Graecos Gallis permixtos *Graecogallia* appellari coepta est. Tres tribus, quae regionem occuparant, Trocmi in parte orientali, cuius caput Tavium, Tolistoboii in parte occidentali, cuius caput

1. Cfr meam *Introduct. special.* in Novi Test. libr. p. 415 sqq. (*Compend. Introd.* in U. T. libr. p. 544 sq.).

2. Quoniam *S. Hier.* (in Gal. Prooem. in libr. II.), qui satis diu Treviris commoratus est et iter per Galatiam instituit, « Galatas excepto graeco sermone, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam, eandem paene quam Treviros habuisse » asserit, inter acath. interpretes aliqui Galatis germanicam originem asserere aut saltem tribum Tectosagorum germanicam fuisse voluerunt, ut epistolam nostram ad Germanos scriptam esse gloriari possent. At infirmum est argumentum, quo sententiam suam fulciunt; neque enim *S. Hier.*, qui nec Trevirorum nec Galatarum linguam addidicerat, testimonium sufficit, ut eandem utriusque gentis linguam fuisse dicamus, neque quidquam efficeretur, si id demonstraretur, quia Treviri ipsi testibus *Caesare* et *Hirtio* (De bello gall. III. 11; VIII. 45) ac *Tacito* (Germ. 26) non fuerunt Germani, sed Galli. Quodsi praeterea nomina ducum Galatarum (Lotarios, Leonnarios, Deiotarus etc.) germanica esse dicuntur, de eorum origine, quum ex celtica quoque lingua etymologice explicari possint, nobis non constare recte respondetur. Iure merito igitur opinio haec de germanica Galatarum origine a recentissimis acath. inter fabulas amandatur (cfr *Grimm* in Stud. u. Krit. 1876 p. 208 sqq.; *Meyer-Sieffert* Handb. über den Br. an die Gal. 1886. p. 5 sq. etc.).

Pessinus, Tectosagi in parte intermedia, cuius caput Ancyra, continuis suis incursionibus terror erant vicinarum provinciarum ac totius Asiae Min., donec ab Attalo I., Pergami rege, magna clade devicti (a. 225.) atque a Romanis prorsus subiecti sunt (a. 189.). Ab eo tempore fideles semper fuerunt Romanorum socii; eorum princeps, Deiotarus, quum Pompeium in bello pontico contra Mithridatem adiuvisset, regio titulo ornatus nonnullisque provinciis donatus est; eius successor, Amyntas, ab Antonio et Augusto partes Lycaoniae, Pisidiae, Pamphyliae ipsamque Isauriam accepit, ut potentissimus esset rex Asiae. Post eius autem mortem violentam Romani regnum eius in provinciae formam redigere satius duxerunt (a. 24. a. Chr.), quae nomine Galatiae retento pro capite Ancyram habuit, at praeter Galatiam proprie dictam etiam Pisidiam, Lycaoniam, Isauriam nonnullasque Phrygiae partes complectebatur, quin etiam paullo postea (a. 7. p. Chr.) maiore Paphlagoniae parte aucta est.

Duplici igitur sensu tempore apostolico nomen *Galatiae* usurpabatur, unde quaestio exorta est, utrum *ecclesiae Galatiae*, quibus epistola nostra inscribitur, in Galatia proprie dicta, i. e. in ea Asiae Min. regione, quam tres tribus celticae incolebant, an in provincia Galatia ac maxime quidem in Lycaoniae Pisidiae ac Pamphyliae partibus regno Amyntae additis sitae fuerint. Patres et antiquiores interpretes, quum duplicem nominis sensum aut ignorarent aut negligerent, hac de re non loquuntur; moderni vero interpretes, qui eam attingunt, longe plerique Galatiam proprie dictam intelligendam esse censent; nihilominus probabiliorem censemus alteram sententiam, quae nomine ecclesiarum Galatiae in hac epistola illas designari tenet, quas Paulus ac Barnabas in prima expeditione apostolica Antiochiae Pisidiae universaque in Lycaonia, i. e. in romana provincia Galatia, fundarunt (*Act.* 14,1 sqq.).

Namque — *a.*) ex *Gal.* 2,5 (« quibus neque ad horam cessimus, ut veritas Evangelii *permaneat apud vos* ») rite colligitur, *ante* concilium apostolicum, de quo ibi agitur, Evangelium ad Galatas pervenisse ecclesiasque Galatiae esse fundatas; is enim est verborum sensus obvius, a quo cur recedatur nulla adest ratio; atqui in Galatiam proprie dictam, quam Lucas *galaticam regionem* vocat (*Act.* 16,6), Paulus prima vice in secundo suo itinere *post* concilium suscepto pervenit. — *b.*) Porro epistola nostra de Barnaba ita loquitur, ut eum Galatis non tantum notum sed virum quoque magnae auctoritatis fuisse appareat (*Gal.* 2,1. 9. 13); atqui in primo quidem itinere, in quo ecclesias Pisidiae et Lycaoniae fundavit, sed nec in secundo nec in tertio, in quibus « galaticam regionem » pertransiit, Paulus Barnabam socium habuit et adiutorem. — *c.*) Omnibus interpretibus fatentibus epistola docet, Paulum diutinum tempus in *ecclesiis Galatiae* fundandis posuisse atque ibidem magnam *carnis infirmitatem* esse passum, qua neophyti ab

Evangelio accipiendo absterreri potuerunt (*Gal.* 4,13). Atqui Lucas Paulum « galaticam regionem » *pertransiisse* tantum dicit eiusque narratio longiorem commorationem omnino videtur excludere (*Act.* 16,6; 18,23); nihil quoque de infirmitate refert, quam Paulus ibi passus sit, atque temere interpretes eum nescio quo morbo ibi laborasse fingunt (cfr ad 4,13); in Pisidia vero et Lycaonia Paulus cum Barnaba diu commoratus gravissimam carnis infirmitatem sustinuit, saepius ex civitatibus eiectus, semel lapidatus, atque pro mortuo extra urbem tractus (*Act.* 13,13-14,22 cfr 13,50; 14,5 sq. 18 sq.); prima ibi accepit stigmata Domini Iesu, quibus gloriabatur (*Gal.* 6,17). — *d.*) Confirmationis gratia haec adde : Paulus romano loquendi modo adoptato nominibus Asiae Achaiae Macedoniae, antiquiore eorum significatione non attenta, semper romanas provincias suae aetatis designat; ergo nomen Galatiae eodem modo ab eo usurpari recte asseritur. Lucas deinde ecclesiarum illarum paulinarum, quibus Apostolus epistolas scripsit, historiam accuratius referre solet (philippensis *Act.* 16,12-40; thessalonicensis *Act.* 17,1-10; corinthiae *Act.* 18,1-18; ephesiae *Act.* 19,1-40); atque solas Galatiae ecclesias silentio praeteriisset, si Galatia proprie dicta esset intelligenda.

Contra nostram sententiam id unum urgeri solet, quod in Scripturis Galatiae nomen strictiore sensu semper usurpetur. At si paulinas epistolas excipis (*Gal.* 1,2; 1 *Cor.* 16,1; 2 *Tim.* 4,10), in *toto* Novo Test. nomen Galatiae *semel* tantum reperitur (1 *Petr.* 1,1), atque ibi quoque de provincia Galatia rectius quam de antiquo Deiotari regno intelligitur, siquidem reliqua quoque nomina a Petro ibi adhibita provincias romanas designant. Quodsi Lucas vero *galaticam regionem* (γαλατικὴν χώραν) appellat Galatiam proprie dictam, profecto non sequitur, *Galatiae* (Γαλατία) nomen apud Paulum et Petrum eandem solam regionem designare. Addunt quidem nonnulli, neophytorum, quibus Paulus scribit, indolem suadere, ut Galatas proprie dictos intelligamus; levitatis enim ab Apostolo accusantur (*Gal.* 1,6) atque idem vitium in Celtis Gallisque ab antiquis scriptoribus vituperatur (*Caes.* Bell. gall. IV. 5 etc.); sed illud vitium Celtis non ita erat proprium, ut in aliis gentibus non inveniretur aut inveniatur; Lystreni, opinor, quibus nostram epistolam etiam destinatam arbitramur, satis evidens levitatis suae argumentum dederunt, quum Paulum, cui velut deo sacrificia offerre voluerant, paucis diebus post lapidarent (*Act.* 14,10-19). Stultos quoque Galatas ab Apostolo dici (*Gal.* 3,1) atque Gallos stultos indocilesque a S. Hilario Pict. appellari monet *S. Hier.* (in Gal. 3,1); sed quam parum stulti eo sensu, quem vult S. Hier., Galatae fuerint, nostra epistola evidentissime docet, et quam iniuste (absit invidia verbo) Galli stultitiae incusati sint, demonstratione non indiget.

2. — In prima igitur Pauli ac Barnabae expeditione, quam satis copiose Lucas narrat (*Act.* 13,14-14,25), fundatae sunt in meridionalibus romanae provinciae Galatiae partibus ecclesiae illae, quibus nostra epistola est scripta. Non obstantibus Iudaeorum incredulorum

continuis persecutionibus brevi tempore Antiochiae in Pisidia, Iconii, Lystrae, Derbae in Lycaonia et per totam illam regionem florentissimae exortae sunt ecclesiae, quibus Paulus et Barnabas, antequam eas reliquerunt, presbyteros praefecerunt (*Act.* 14,22). Ubique autem iudaici proselyti, qui circumcisionem non acceperant (προσήλυτοι σεβόμενοι *Vulg.* colentes advenae), et gentiles Iudaeis in Evangelio recipiendo promptiores erant (*Act.* 13,43. 45 sqq.; 14,1), immo Lystrae et Derbae Iudaeorum conversorum non fit mentio, in civitatum autem circuitu Iudaeos multos habitasse non est probabile. Ex Iudaeis igitur et ethnicis illae ecclesiae ita coaluerunt, ut ethnicorum conversorum numerus longe praevaleret. Similia ex epistola nostra colligimus; neophyti enim, quibus scribitur, Paulum prima vice advenientem, non obstante infirmitate carnis eius, magno cum gaudio sicut angelum Dei, immo sicut ipsum Christum, receperant tantaque promptitudine se ei dederant, ut oculos suos, si necesse esset, dare parati essent (4,13 sqq.); ante conversionem suam ethnici plerique fuerant, Deum ignorantes iisque qui natura non sunt dii servientes (4,8); quoniam tamen Legem mosaicam Scripturasque cognovisse supponuntur, siquidem ex Scripturis Paulus multa argumenta desumit, plerosque proselytos portae fuisse iure admittimus.

In secundo suo itinere, quod post concilium apostolicum una cum Silvano suscepit, Paulus illas ecclesias « quae confirmabantur fide et abundabant numero quotidie », iterum perambulabat illisque tradebat « custodire dogmata, quae erant decreta ab Apostolis et senioribus, qui erant Ierosolymis » (*Act.* 16,4. 5). Interea enim controversia de legalium observatione erat exorta, ac Paulus Antiochiae Syriae iam expertus erat, iudaizantes nonnullos doctores nihil non moliri, ut ethnicos conversos ad Legis mosaicae observationem circumcisionemque adducerent. Quare decreto concilii apost. promulgato neophytos contra illorum conatus praemunivit gravissimis verbis eos admonens : si quis evangelizaverit vobis praeter id quod accepistis anathema sit (*Gal.* 1,9.). Neque tamen diu ista vice in meridionalibus provinciae partibus videtur remansisse, sed assumto Timotheo Lystreno eoque circumciso propter Iudaeos, qui erant in illis locis, per Phrygiam et Galatiam proprie dictam iter suum persecutus a Spiritu S. in Europam ductus est (*Act.* 16,1 sqq.). Aliquot annis postea in tertio suo itinere easdem ecclesias procul dubio iterum visitavit, licet diserta earum mentio in Actibus (18,23; 19,1) non fiat; inter socios istius tamen itineris praeter Timotheum habuit Caium Derbeum, quem ecclesias istas pertransiens videtur secum duxisse (*Act.* 20,4). At ante hoc tertium iter nostra epistola probabiliter iam est scripta.

Qui cum communiore sententia *ecclesias Galatiae* in pristino Deiotari regno (Galatia proprie dicta) quaerendas esse censet, is illarum fundationem secundo itineri apostolico Pauli adscribat oportet, atque admittere debet, eum diuturno morbo (*infirmitate carnis*), quem Lucas silentio praeterierit, in galatica retentum regione Evangelium inter illius incolas propagasse. Quis vero ecclesiarum status fuerit, ex sola nostra epistola eo modo, quem supra indicavimus, definiet, epistolamque ipsam ipso tertii itineris tempore scriptam esse dicet; bis enim Apostolum in ecclesiis Galatiae, antequam eis scriberet, adfuisse constat (4,13).

2. *Quae epistolae ad Galatas sit origo et indoles*[1].

1. — Primis Ecclesiae temporibus quaestio de Legis antiquae ad novam relatione non paucas nec parvas creavit difficultates. Diserte quidem Dominus Apostolos omnibus omnino hominibus Evangelium praedicare iusserat (*Matth.* 28,19; *Marc.* 16,15 etc.); utrum vero ethnici ante baptismum populo electo circumcisione essent inserendi an promissionum Abrahae eiusque semini factarum etiam non circumcisi sola fide viva in ipsum participes fierent, diserte non docuerat. Quapropter quando Petrus singulari revelatione eruditus primos ethnicos non circumcisos baptizari iusserat et in Ecclesiam receperat, mirati sunt Iudaeochristiani, « quod et gentibus Deus poenitentiam dedisset ad vitam » (*Act.* 10,1-11,18). Illo quidem tempore quieverunt divinae dispensationi extraordinariae, ut videtur, Cornelii familiaeque eius admissionem adscribentes; resuscitata tamen est quaestio, quando Antiochiae integra ecclesia est exorta, quae ethnicis non circumcisis Legemque mosaicam non observantibus constabat, et Paulus cum Barnaba in primo itinere suo multos ethnicos proselytosque iudaicos ad fidem Evangelii adduxerant neque eis circumcisionem Legemque imposuerant. Illis enim Antiochiam reversis Iudaeochristiani ierosolymitani quidam eo advenerunt atque docuerunt, ethnicos neophytos non posse salvari nisi secundum morem Moysi circumciderentur (*Act.* 15,1). Qua doctrina quum non parva provocata esset ecclesiae antiochenae peturbatio, Paulus cum Barnaba aliisque fratribus Ierosolyma sunt missi de hac quaestione alios Apostolos consulturi; sollemnique decreto definitum est, ethnicos non circumcisos ad baptismum esse admittendos admissosque ad Legem observandam non teneri; Ethnicochristiani tamen, ut cum Iudaeochristianis in unum corpus citius faciliusque coalescerent, nonnulla quae Iudaeis odiosissima

1 Cfr *Introd. special.* in Novi Test. libr. s. p. 385 sqq. 422 sqq. (*Compend. Introd.* in U. T. libr. p. 535 sq. 545 sq.)

erant (idolothyta, sanguinem, suffocatum, matrimonia inter consanguineos), vitare sunt iussi (*Act.* 15,2-29; cfr *Gal.* 2,1 sqq.).

2. — Quo decreto integram litem non esse terminatam, brevi postea apparuit; neque id admodum mirum est. Ethnicochristianos quidem Lege mosaica non teneri definitum erat, Iudaeochristianorum vero quae ad eam esset relatio, diserte non erat expressum; salutem Ethnicochristianis non posse negari, ex decreto clare elucebat, sed paresne essent Iudaeochristianis omnibusque, quibus illi, iuribus fruerentur, aeque clarum non erat. Quin etiam decretum iudaizantibus argumentum praebere videbatur, quo Ethnicochristianos inferiorem gradum in Ecclesia tenere contenderent; quatuor enim praecepta Ethnicochristianis imposita iisdem consonabant, quae Iudaei proselytis suis, qui circumcidi nolebant ideoque in synagogas quidem admittebantur sed pro veris membris populi electi non habebantur, (proselytis portae) imponebant; unde opinio exoriri potuit, neophytos non circumcisos similem in Ecclesia gradum occupare nec perfectos esse Christianos. Quam mitigatam iudaismi formam immediate post concilium apostolicum a iudaizantibus illis teneri videmus, quorum causa Petrus aliique Iudaeochristiani a familiari sua cum Ethnicochristianis conversatione sese retrahebant (*Gal.* 2,11 sqq.). Neque enim illos neophytis non circumcisis salutem negasse, sed eos indignos proclamasse, quibuscum Petrus aliique Christiani circumcisi familiariter viverent, apostrophe Pauli docet, qui de solorum ethnicorum liberatione a Lege non loquitur, sed longe ulterius progressus Legem post mortem Christi nihil iam prodesse atque etiam pro Iudaeochristianis abrogatam esse asserit. Quae utique legitima consectaria decreti apostolici erant, quod ethnicos conversos, etiamsi non circumciderentur, non velut « hospites et advenas » sed velut « concives (συμπολίτας) sanctorum et domesticos Dei » in Ecclesiam admiserat intermediumque parietem, quo Iudaei ab ethnicis separabantur, Legem scilicet, morte Christi sublatum esse insinuarat (cfr *Eph.* 2,13 sqq.). Sed legitimam hanc consequentiam iudaizantes nec viderunt nec videre voluerunt; primorum potius Apostolorum, qui Ierosolymis ritus mosaicos observare non cessarant, auctoritatem praetendentes et privilegia Iudaeorum promissionesque Abrahae seminique eius datas iactantes verbum Dei cauponare conabantur, merae doctrinae Christi aquam antiquae Legis admiscentes. Apostolicum decretum igitur nec impugnantes nec in dubium vocantes neophytis non circumcisis salutem non negabant, sed maiorem eos assecuturos esse perfectionem, si circumcisioni sese subiicerent, dictitantes indirecto quodam modo eis denuo iugum antiquum imponere volebant.

3. — Qua nova erroris sui forma antiochenam ecclesiam haud leviter perturbassent, nisi Paulus praesens eorum conatibus fortiter restitisset Petrumque, qui dumtaxat ad Iudaeochristianorum palaestinensium scandalum vitandum cum ethnicis conversis familiariter agere cessaverat, ad agendi rationem mutandam gravibus suis verbis permovisset. Antiochiae autem repulsi iudaizantes victas manus non dederunt, sed callidiore modo conatus suos persequentes ab eo tempore ecclesiis a Paulo fundatis eo absente perversa sua dogmata instillare studuerunt. Quod praevidens Apostolus in secundo itinere, quum Galatiae ecclesiis decretum apostolicum promulgasset, eas contra novum iudaizantium evangelium, quo Evangelium Christi convertere volebant, monitis suis praemunivit (1,9). Verum haud dudum postquam inde erat profectus, adversarii eius illis in regionibus apparuerunt, ut Galatas, qui « ex auditu fidei Spiritum acceperant » et « spiritu coeperant », « carne consummarent » i. e. circumcisione impertita ad perfectionem adducerent (3,2 sq.), Pauli doctrinam non velut erroneam reiicientes, sed velut mancam, cui aliquid addendum esset, calumniantes (2,6).

Neque fucatis carebant argumentis, quibus errorem suum simplicibus fidelibus persuaderent. Ante omnia enim exemplum primariorum Apostolorum eis proposuerunt, qui Iesum semper secuti ab eoque edocti iudaicos ritus ipsi observarent et in ecclesiis palaestinensibus observari vellent; Pauli igitur auctoritati auctoritatem columnarum Ecclesiae opposuerunt; Paulum enim diu post Christi mortem ad fidem conversum, quum ab hominibus doctrinam missionemque suam accepisset, non esse nisi secundarium Apostolum. Neophytos quoque, qui ab eo essent admissi, perfectis Christianis adnumerari non posse iactabant, nisi circumcisione recepta sese societate primariorum Apostolorun dignos reddidissent; Legem ergo, licet ad salutem adipiscendam necessaria non esset, utilissimam tamen esse, quandoquidem per eam filii Abrahae, cui datae essent promissiones, constituerentur (cfr 1,11 sqq.; 2,1 sqq.; 3,6 sqq. etc.). Ne vero iugum, quod ne ipsi Iudaei ferre poterant, neophytis imponerent, videntur addidisse, solam circumcisionem sufficere neque aliorum praeceptorum mosaicorum observantiam requiri (cfr 5,1 sqq.). Immo ad ipsius Pauli exemplum provocare non dubitarunt, quippe qui Lystrae Timotheum, quando eum itineris socium assumsit, circumcidens, satis clare insinuasset, virum non circumcisum dignum non esse, qui in continua Apostolorum societate degeret cum eisque Evangelium propagaret (cfr 5,11).

Fallacibus eiusmodi argumentis ecclesiarum Galatiae fideles a pau-

cissimis dumtaxat annis ad fidem adductos seduci potuisse, facile intelligitur; Pauli enim doctrinam addubitare quasi coacti erant, quamprimum eius apostolicam auctoritatem addubitare coeperant. Nihilominus finem suum pseudapostoli nondum attigerant nequedum Galatas ad circumcisionem adduxerant, quando subintroductorum fratrum machinationes periculumque ecclesiis Galatiae imminens Paulus rescivit. Quis eum de his rebus certiorem fecerit, ignoramus, at quam grave illud discrimen habuerit, epistola nostra, qua illud avertere voluit, evidenter demonstrat. Neque enim inter paulinas alia invenietur, quae tantam animi commotionem, immo concitationem, prodat; quare dubium quoque non est, quin tristibus illis nuntiis vix allatis eam scripserit.

4. — Pro rei natura in illa scribenda eum sibi proposuit finem, ut adversariorum argumentis refutatis neophytos a magno, in quo versabantur, periculo defenderet et in bona via, in qua bene currere inceperant, retineret. Quapropter duo ei erant praestanda; apostolicam enim suam auctoritatem suaeque doctrinae cum aliorum Apostolorum praedicatione conformitatem a iudaizantium calumniis vindicare refutatisque eorum sophismatis intrinsecam veritatem dogmatis de iustificatione per fidem vivam in Christum adipiscenda demonstrare debuit. Unde duae praecipuae partes huius epistolae: in *priore*, quam *apologeticam* appellare licet (1,11-2,21), auctoritatem apostolicam suam vindicat suamque doctrinam cum aliorum Apostolorum praedicatione consonare ostendit; in *altera*, quae dogmatica est, vel potius *polemico dogmatica* (3,1-4,31), argutias adversariorum refellens Legem ad iustificationem nihil conferre maxime ex Scripturis ostendit. Quibus *tertiam* partem addit *paraeneticam* (5,1-6,10), in qua ex doctrina proposita sequelas practicas nonnullas deducit et monita quaedam specialia tradit.

Pro more conspectum summorum capitum hoc in loco proponimus, accuratam singularum partium structuram in commentario explicaturi[1].

Exordium (1,1-10) inscriptione constat, in qua argumentum quum apologeticum tum dogmaticum innuitur, et increpatione Galatarum eorumque seductorum.

Pars prima apologetica (1,11-2,21) de Pauli auctoritate vere apostolica eiusque cum reliquis Apostolis consensu.

1. Ut *apostolicam suam auctoritatem* vindicet, Apostolus se nec doctrinam nec missionem ab hominibus accepisse ostendit ex vitae suae historia (1,11-24);

1 Cfr *Introduct. spec.* in Novi Test. libros p. 424-429, et *Analyses* librorum Novi Test. p. 107-114.

2. deinde *suum cum reliquis Apostolis consensum* ut demonstret, ea narrat, quae Ierosolymis in concilio apostolico et Antiochiae in sua controversia cum Petro acta sunt (2,1-21).

Pars altera polemico dogmatica (3,1-4,31) de Legis ad benedictiones Abrahae adipiscendas inutilitate. Quae probatur

1. Galatarum experientia, qui dona Spiritus S. acceperant Legem non observantes (3,1-7);
2. Scripturarum doctrina, qua teste promissiones Abrahae seminique eius datae nulla ratione dependent a Lege postea data (3,8-4,20),
3. typica interpretatione historiae duorum filiorum Abrahae (4,21-31).

Pars tertia paraenetica (5,1-6,10).

1. Conclusiones practicas ex doctrina proposita deducit (5,1-25),
2. et monita quaedam specialia addit (5,26-6,10).

Epilogus (6,11-18) perversa pseudapostolorum motiva patefacit atque epistolae argumentum paucis comprehendit.

5. — Si ad argumentum solum attenderimus, epistolam ad Romanos nostrae vicinissimam esse recte dicemus; iustificationem enim salutemque non Legis mosaicae operibus, sed viva fide in Christum redemtorem adipiscendam esse, Paulus in utraque demonstrat; at diverso plane modo thema hoc in utraque tractat. Namque Romanis, quorum ecclesia ab eo non erat fundata nec speciali eius curae commissa, doctrinam illam, quam de iustificationis nobis per Christi mortem acquisitae et per fidem vivam applicandae universalitate et gratuitate ultimis maxime annis contra iudaizantes semper defenderat, integram accurate exponit explicatque eo solo fine ductus, ut maiore cum fructu in proximo suo adventu inter eos laborare eisque gratiae aliquid spiritualis impertire posset; doctoris igitur tantum partes agit, ac longe maior epistolae ad Rom. pars dissertationi dogmaticae quam epistolae similior est. Verum alia erat causa Galatarum; eorum enim ecclesias, quas tanta cum cura maximas inter difficultates fundaverat excolueratque ac velut apostolatus sui inter gentes primitias consideravit, perversis iudaizantium machinationibus in extremum paene discrimen vidit adductas, ac summopere ei erat timendum, ne neophyti iugo antiquorum rituum sese subiicientes omnes eius labores irritos redderent ipsique perirent. Quapropter ut periculum istud avertat, non tam positive (uti in ep. ad Rom.) Evangelium efficax esse ad salutem praestandam, quam negative Legem ad iustificationem nihil conferre ostendit, neque tam dogmatice quam polemice nos Christi morte a Lege liberatos esse demonstrat. Unde factum est, ut epistola nostra paene tota (id quod *Chrys.* monuit) multa vehementia et indignatione sit referta; at summa animi commotione, qua eam scriptam esse le-

genti facile apparet, non obstante Apostolus in ipsa argumentatione magna utitur moderatione, sive auctoritatem suam apostolicam defendit sive legis inutilitatem demonstrat. Quare haud immerito *Theod. Mopsu.* (Tract. in Gal. 1,1. Spicil. Solesm. I. 51.) admiratione dignam dicit Pauli prudentiam, qui sua firmans nullo in loco se ipsum obtrudat, sed sub specie referentis universa simpliciter et clare exponat.

6. — Quo tempore et quo in loco eam scripserit, incertum est ac Patrum aetate in controversia iam erat. *Marcion* eam omnium paulinarum primam esse censuit (cfr *S. Epiph:* haer. 42,9); eam epistola ad Rom. antiquiorem ac proin ante tertii paulini itineris finem scriptam *Chrys.* coniecit (Arg. in ep. ad Rom.); a quo haud longe *Victorin.* recessit, si consentientibus haud paucorum codd. inscriptionibus eam Ephesi, ergo tertii itineris tempore, datam esse retulit; *Theod.* tamen cum *Hier. Euth.* etc., subscriptionibus aliorum codd. consentientibus, eam primae captivitati romanae attribuerunt. Similis est modernorum interpretum dissensus; omnium paulinarum recentissimam eam pauci acath. dicunt nullo argumento allato (*Schr. Koehl.*); cum S. Hier. et Theod. eam priori captivitati romanæ iterum attribuunt pauci cath. qui mentionem romanorum vinculorum fieri (6,17) censent (*Patrizi* in Act. 18,11; *Palmieri*). Quam opinionem erroneam esse facile apparet[1], atque communiori sententiae, quae cum Victorino epistolam nostram Ephesi initio triennii, quod in tertio itinere Paulus ibi peregit, scriptam esse tenet, omnino esset acquiescendum, si Paulum nomine Galatiae solas antiquas sedes trium tribuum celticarum designasse constaret. Clarissime enim ex nostra epistola elucet, Apostolum antequam eam scriberet bis iam illa in regione praedicasse (4,13); neque minus clarum est, ab ultima eius praedicatione galatica usque ad epistolam scriptam multum temporis non effluxisse (1,6); Actuum porro relatione constat, eum galaticam regionem, i. e. trium celticarum tribuum sedem, in secundo itinere prima vice attigisse, in tertio iterum peragrasse ac deinde per triennium Ephesi consedisse (*Act.* 14,6; 18,23; 19,1 sqq.); quapropter, si regionis galaticae ecclesiis scripta est, dubitare vix licet, quin c. a. 56. Epheso data sit.

Attamen eam ecclesiis, quas in meridionalibus romanae provinciae

1. Ierosolymis festo pentecostes a. 59. Paulus in vincula coniectus biennio Caesareae peracto non nisi verno tempore a. 62. Romam pervenit; a. 55. autem tertium iter ingressus secunda vice galaticam regionem peragrarat. Quam temporis rationem qui consideraverit, numquam concedet, epistolam ad Gal. in captivitate romana esse scriptam. Quomodo enim Paulus, si a sex saltem vel septem annis Galatas non amplius viderat, conqueri potuit, quod *tam cito* a vera fide deficere coepissent (cfr 1,6). Porro Paulum *vinculorum* suorum mentionem facere, non plane negamus (cfr ad 6,17); at eum de *romanis* vinculis loqui, quo argumento probabile redditur? Profecto codd. istorum auctoritas tanta non est, ut rem definiat, praesertim quum haud minor sit numerus eorum, qui Ephesum nominant.

Galatiae partibus Paulus in primo itinere iam fundavit et promulgato apostolico decreto in secundo itinere confirmavit, destinatam esse allatis argumentis supra (p. 360 sq.) ostendimus; quia autem scripta est haud diu postquam secunda vice ecclesias illas visitavit, eam secundi itineris tempori rectius attribuimus. Cui sententiae indoles epistolae ipsa favet. Quae enim Ierosolymis de Titi circumcisione acta sunt, quae deinde a Paulo columnisque ecclesiarum eodem tempore sunt stabilita, quae demum paullo post Antiochiae in Petri Paulique controversia acciderunt (2,1-21), ea omnia tam vividis coloribus depinguntur, ut ex recenti memoria hausta recte dicantur. Neque ullo modo nobis persuademus, Paulum ibi ea referre, quae iam quatuor immo quinque annis antea gesta sunt; atqui id admittere coguntur, qui Ephesi epistolam scriptam esse dicunt; concilium enim apostolicum a 51. celebratum est ac brevi postea Petrus Antiochiam venit; Ephesum autem in tertio itinere Paulus ante finem a. 55. pervenire non potuit. Tertio igitur itinere epistola nostra antiquior est, nec quidquam in tota legitur, quo eam secundi itineris tempori adscribere prohibeamur. Utrum vero scripta sit, antequam Paulus divina visione invitatus Troade in Macedoniam traiecerit, an eo tempore, quo in Macedonia Philippensium Thessalonicensiumque ecclesias fundavit, an demum biennio illo, quod Corinthi peregit, idoneis argumentis non definitur. Fieri enim potuit, ut Apostolus Troade iam per Lucam, qui ibi se ei socium adiunxit, de iudaizantium irruptione in ecclesias Galatiae Galatarumque periculo certior redderetur; vix autem auditis illis nuntiis quin commotissimam nostram epistolam scripserit, nemo dubitabit, qui eam umquam perlegerit. Quare non video, quid certi Marcioni opponatur, qui eam omnium paulinarum primam esse dixit. Nihilominus propter Patrum catholicorumque interpretum auctoritatem, qui unanimi fere consensu epistolas ad Thessal. nostra antiquiores esse tenent (cfr *Introd. spec.* in N. T. libr. p. 382 sq.), Corinthi Paulum periculum ecclesiarum Galatiae rescivisse eique occurrisse dicere malumus. Quoniam post epistolas Thessalonicensibus scriptas Silvanum, qui in secundo itinere Pauli socius in ecclesiis Galatiae visitandis fuerat cum eoque in illis decretum apostolicum promulgaverat (*Act.* 15,40; 16,4), non amplius in eius comitatu invenimus, coniicere licet, per eum epistolam Galatis esse transmissam; eius enim auctoritas, quum a primariis Apostolis ad decretum ierosolymitanum Antiochenis promulgandum esset electus (*Act.* 15,22), ad iudaizantium arrogantiam confutandam haud levis erat. Revera aliquot annis postea, quando S. Petrus « electis advenis Ponti, *Galatiae*, Cappado-

ciae, Asiae et Bithyniae » priorem suam epistolam misit, Silvanus illis in regionibus magna auctoritate pollebat (1 *Petr.* 5,12).

7. — Authentia et integritas epistolae ad Gal. historicis documentis extra dubium ponuntur. Exeunte saec. 2. eam integram in omnibus ecclesiis pro paulina et canonica Scriptura esse receptam a nullo negatur nec negari potest, siquidem fidem ecclesiae ROMANAE *Fragmentum Murat.* (lin. 52), GALLICANAE *S. Iren.* (c. haer. III. 6. 7 et passim), AFRICANAE *Tertull.* (de praescr. 6. 23 et passim), ACHAICAE *S. Athenag.* (Leg. pro Christi. 16), ALEXANDRINAE *Clem. Alex.* (Strom. III. 15 et passim), SYRIACAE versio Peschito demonstrant. Porro medio saec. 2. a *S. Iustino M.* iam adhibita est (Cohort. ad Graec. 5, cfr *Gal.* 4,12 et 5,20 sq.; c. Tryph. 94 sqq. cfr *Gal.* 3,13) atque eodem tempore eam haeretici *Marcion* (cfr *Tert.* c. Marc. V. 2 sqq.; *S. Epiph.* haer. 42,9 etc.) et *Valentinus* (cfr *Tert.* de praescr. 23; *S. Iren.* c. haer. I. 3,5) in suo Scripturarum canone habuerunt. Quin etiam exeunte saec. 1. et ineunte saec. 2. a Patribus apostolicis ad eam eadem ratione, qua ad reliquos Novi Test. libros, haud obscure alluditur[1]. Tota deinde epistolae indoles apertissime Paulum auctorem prodit, ut is, qui illud negaverit, se ipsum ineptum demonstret, qui vera a falsis discernat (cfr *Windischm.* Comment. p. 2). Mirum ergo non est, quod eius authentia ab ipsis Neotubingianis sit admissa, atque inter recentissimos tantum « criticos » pauci inveniantur, qui epistola nostra reiecta sibi inter suos nomen famamque acquirere studeant.

Iam pridem quidem *Bruno Bauer* (Kritik der paulin. Briefe. Leipzig 1850-53) Paulo omnes epistolas, quae eius nomine feruntur, abiudicare conatus est, sed placitorum suorum probatores non invenit, usque dum ultimis hic annis nonnulli « critici » Hollandiae et Germaniae etiam quatuor illas epistolas (Rom., 1. 2. Cor., Gal.), quarum authentiam Neotubingiani agnoverant, e medio removendas censerent, quia secus origines Christianismi apte explicari nequirent. Iuxta aliquos (*Allard Pierson* de bergrede en andere synoptische fragmentem. Amsterdam 1878 p. 98 sqq.; *Pierson* et *S. A. Naber* Verisimilia. Amsterdam 1886 p. 26 sqq.) nostra epistola, aeque atque aliae, multis fragmentis constat, quae inter Iudaeos « pneumaticos » exorta postea a Paulo, episcopo quodam christiano, retractata atque in variarum epistolarum formam sunt conflata. Alter (*A. D.*

1. *S. Clem. Rom.* 1. Cor. 5. (Petrus et Paulus « *columnae* maximae » cfr *Gal.* 2,9); 19. (Christus « pro nobis sanguinem suum dedit in voluntate Dei » cfr *Gal.* 1,4; 2,20); 2 *Cor.* 2 (cfr *Gal.* 4,27). — *S. Ignat. M.* ad Philadelph. 1 (« episcopus οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδὲ δι' ἀνθρώπων cfr *Gal.* 1,1); ad Magn. 8. 10. vocabula ἰουδαΐζειν, κατὰ ἰουδαϊσμὸν ζῆν saepius usurpantur, quae in sola nostra epistola leguntur (*Gal.* 1,13; 2,14). — *S. Polyc.* ad Philipp. 3. (cfr *Gal.* 4,26); 5. (cfr *Gal.* 6,7); etc.

Loman Quaestiones paulinae. Theol. Tijdschr. Leyden 1882 sqq.) epistolas ad Rom. Cor. Gal. non nisi post a. 120. exortas atque versus finem saec. 2. post Marcionis et S. Iustini aetatem in hodiernam formam redactas esse censet; testimonia historica enim ei nihil valent ac, si opus est, Marcionem et Iustinum a Paulo dependere negans suum Pseudopaulum a Marcione et Iustino dependere asserit. Recentissimi sunt *Rud. Steck* (Der Galaterbrief nach seiner Echtheit untersucht. Berlin 1888) et *Dan. Voelter*, professor Amstelodam. (Die Composition der vier paulin. Hauptbriefe Tübingen 1890. Der Galaterbrief p. 89-172), qui « internis rationibus » unitatem et genuinitatem nostrae epistolae impugnare conantur. Neotubingiani quatuor paulinas epistolas admiserant, ut narrationis Actuum auctoritatem facilius convellere possent; recentissimi « critici » Actuum (non eorum quidem, quos in canone habemus, sed eorum, quos ex S. Lucae libro ad arbitrium sibi componunt) auctoritate historicam epistolae nostrae partem destruere volunt, ac similiter novam quandam ad Rom. epistolam sibi fingunt, qua nostrae epistolae doctrinam evertant. Singulas eorum obiectiones refutare operae pretium non est; unam alteramve dumtaxat in commentario perpendimus; quid pleraeque valeant, facile apparet, si duas primas, quas *Voelter* (l. c. p. 120-123) contra historicam narrationem affert, examinaveris. Iuxta *Gal.* 1,15 Deum Paulum ex utero matris segregavit (ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας μητρός μου); quae verba Voelter exorta dicit ex *Rom.* 1,1 (ἀφωρισμένος) et ex 1 *Cor.* 15,8 (ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι); itaque docetur, ex eo, quod Paulus velut abortivus ante tempus debitum natus sit, apparere eum ad singulare munus a Deo esse electum. Porro Paulus se Evangelium didicisse asserit per revelationem Iesu Christi (δι' ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ *Gal.* 1,12) : at id nullo modo fieri potuisse, nos docet Voelter; Pauli enim Evangelium fundamentum habuisse historicum, vitam nimirum, doctrinam, mortem, resurrectionem personae historicae; iam vero historica facta non posse tradi nisi per homines, qui eorum testes fuerunt; auctorem igitur epistolae, ut suum Paulum exaltaret, impossibilia retulisse. Quis eiusmodi ineptiis immorari velit?

3. *Quibus subsidiis criticis et exegeticis usi simus.*

CRITICIS commentariis iam recensitis (cfr p. 10) hic addi potuit *Petri Corssen* Epistula ad Galatas ad fidem optimorum codicum *Vulgatae* recognita. Berolini 1885 (*Corss.*).

Ad EXEGETICOS vero quod attinet, PATRES GRAECOS ET LATINOS eosdem, quos in epistolis ad Cor. explicandis, consuluimus (l. c.) excepto *S. Cyrillo Alex.*, cuius expositionis vix superest fragmentum certum; eis autem accedunt ex Graecis unus, *Theodorus Mopsuest.* (*Mopsu.*), cuius tractatus latine (S. Hilario Pict. erronee inscriptos) primus Card. Pitra edidit (Spicileg. Solesm. I. p. 49 sqq.), ex Latinis tres : *Marii Victorini Afri* (*Vict.*) libri duo in ep. ad Gal. (*M.* 8,1145 sqq.), *S. Hieronymi* (*Hier.*) Commen-

tariorum in ep. ad Gal. libri tres (*M.* 26,507 sqq.), *S. Augustini* (*Aug.*) epistolae ad Gal. expositionis liber unus (*M.* 35,2105 sqq.).

Eosdem quoque ex AETATIS MEDIAE et RECENTIORIS interpretibus, quos antea, adhibuimus; ex MODERNIS autem hi nobis praesto fuerunt : FRIEDR. WINDISCHMANN (*Wind.*) Erklaerung des Br. an die Gal. (Mainz 1843), *I. M Evilly* (*M Ev.*) An exposition of the epistles of S. Paul. Ed. 3. (Dublin 1875; Ed. 1. 1856), *Aug. Bisping* (*Bisp.*) Erkl. des 2. Br. an die Kor. u. des Br. an die Galat. Ed. 2. (Münster 1863; Ed. 1. 1855), FR. REITHMAYR (*Reithm*). Commentar zum Br. an die Gal. (München 1865), *Loch Reischl* (*L R*) Die hl. Schr. des N. T. erklaert. Ed. 3. (Regensburg 1885. Ed. 1. 1866), *P. Drach* (*Dr.*) Les épîtres de S. Paul (Paris 1871), *Dom. Palmieri* S. I. (*Palm.*) Commentarius in ep. ad Gal. (Galopiae 1886), *P. Rambaud* (*Ramb.*) Les épîtres de S. Paul. II. (Paris 1888), *Al. Schaefer* (*Schaef.*) Die BB. des N. T. erklaert. I. Briefe Pauli an die Thess. und an die Gal. (Münster 1890).

EX MODERNIS ACATH. consuluimus I. B. LIGHTFOOT (*Lightf.*) St. Paul's Epistle to the Galat. (Ed. 4. London 1874), *O. Schmoller* (*Schm.*) Der Br. Pauli an die Gal. (Ed. 3. Bielefeld 1875. Lange's Bibelwerk. N. T. VIII.), *F. A. Philippi* (*Ph.*) Erkl. des Br. Pauli an die Gal. (Gütersloh 1884), H. A. W. MEYER et FR. SIEFFERT (*Mey. Sieff.* vel *Sieff.*) Handbuch über den Br. an die Gal. Ed. 7. neubearbeitet von F. Sieffert (Göttingen 1886), *O. Zoeckler* (*Z.*) Die Briefe Pauli an die Thessal. Gal. (Noerdlingen 1887. Strack u. Zoeckler Kurzgef. Komment. Neues Test. III.), *Siegfr. Goebel* (*Goeb.*) Der Br. Pauli an die Gal. (Gotha 1887).

COMMENTARIUS.

EXORDIUM EPISTOLAE (1,1-10).

Sicuti reliqua fere paulinarum epistolarum exordia hoc quoque duobus membris constat, sed non plane iisdem; longiorem enim *inscriptionem* (1,1-5), quae epistolae argumentum et indolem innuit, ea quae exspectatur gratiarum actio de beneficiis, quae Deus Galatiae ecclesiis contulerit, non sequitur, sed vehemens neophytorum eorumque seductorum *increpatio* (1,6-10).

1. *Inscriptio* (1,1-5).

1,1. *Paulus, apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis : 2. et qui mecum sunt omnes fratres, ecclesiis Galatiae. 3. Gratia vobis et pax a Deo Patre, et Domino nostro Iesu Christo, 4. qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam, secundum voluntatem Dei et Patris nostri, 5. cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.*

1,1. Παῦλος ἀπόστολος οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων οὐδὲ δι' ἀνθρώπου, ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ Πατρὸς τοῦ ἐγείραντος αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, 2. καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ πάντες ἀδελφοί, ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Γαλατίας. 3. χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς καὶ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, 4. τοῦ δόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, ὅπως ἐξέληται ἡμᾶς ἐκ τοῦ αἰῶνος τοῦ ἐνεστῶτος πονηροῦ, κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν, 5. ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν [1].

1. *VV. LL.* — 1. οὐδὲ δι' ἀνθρώπου (*neque per hominem*) communis est ac certa lectio codd. et verss.; pauci tantum minusc. et aliqui interdum, si verba ex memoria allegant, PP. pluralem habent : οὐδὲ δι' ἀνθρώπων (neque per homines). — 3. ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς καὶ Κυρίου ἡμῶν Ἰ. Χρ. (*a Deo Patre et Domino nostro I. Chr.*) B D E F G K L, plerique minusc., *It.* (*SS. Aug. Ambr.* etc.) *Vulg.* (*Clem.* cum *Amiat.* et plerisque) *Syr. Arm. Goth.*; sed pronomine ἡμῶν transposito : ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰ. Χρ. (a Deo *patre nostro* et Domino I. Chr.) ℵ A P, haud pauci minusc., *It.* (*A*[ler])

Quam commotus de Galatarum periculo quamque ad illud avertendum sollicitus Pauli animus in hac epistola scribenda fuerit, ex inscriptione iam apparet. Longiores quidem ac sollemniores inscriptiones aliis quoque in epistolis nonnullis leguntur (cfr *Rom.* 1,1-7; *Tit.* 1,1-4); at ab omnibus nostra longissime discrepat quum apologetica et polemica sua indole, tum eo maxime quod epistolae argumento iam praeludat. Namque ut neophytos contra iudaizantium errores, eorum detectis fallaciis, praemuniret, Apostolus dignitatem suam vere apostolicam vindicare Legemque mosaicam ad iustificationem adipiscendam inutilem demonstrare sibi proposuit; atqui hoc suum propositum primis statim verbis manifestat, quum nomini suo assertionem divinae originis apostolatus sui (1. 2.), atque gratiae apprecationi assertionem redemtionis nostrae per Christum factae addat (3-5), quippe quam negare debeant, quicumque per Legem iustitiam quaerunt; « si enim per Legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est » (2,21).

Prooemio, inquit *Theod.*, adversariorum calumniam statim redarguit Apostolus a divina muneris, quo fungitur, origine exorsus : 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis,* 2. *et qui mecum sunt omnes fratres, ecclesiis Galatiae.* Latiore illo sensu, quo omnibus Evangelii praeconibus interdum tribuitur (cfr ad 1 Cor. 12,28 p. 386.), nomen *apostoli* hic non usurpari, sed eadem ratione, qua in reliquis epistolarum inscriptionibus (*Rom.* 1,1 etc.), strictissimo sensu, quo solis Duodecim proxime competit, quos Dominus velut resurrectionis suae testes praeordinatos iurisdictione universali donoque infallibilitatis ad Evangelium suum propagandum per se ipse immediate instruxit (*Act.* 1,21 sq.; 10,41; *Matth.* 28,16 etc.), esse intelligendum, descriptio originis muneris huius clare docet. Contra iudaizantes enim, qui, ut eius doctrinam facilius convellerent, aut omnem ei negabant auctoritatem aut ad summum secundariis operariis, qui a genuinis Apostolis edocti et missi essent, eum adnumerari posse calumniabantur, Paulus apostolicam dignitatem immediate a Christo et Deo, nullo interveniente homine, sibi collatam esse per negationem et per positionem asserit : *Apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum et Deum Pa-*

Vulg. (codd. *Fuld. Demid.* etc.) *Copt.* Quae altera lectio librariis videtur deberi usitatiorem formulam (cfr *Rom.* 1,7; 1 *Cor.* 1,3 etc.) retinentibus. — 4. ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν (pro peccatis) B cum plerisque minusc., quos sequitur *textus rec.*; sed sensu vix ac ne vix quidem mutato : περὶ τῶν ἁμαρτιῶν legunt ℵ A D E F G K L P cum haud paucis minusc.

trem. « Dividit illud, inquit *Mopsu.*, ut ostendat ipsa multitudine orationis, nullo modo illos verum dixisse »; id quidem recte, dummodo tautologiam otiosam hac multitudine orationis non contineri addatur. A qua sententia haud longe videntur abesse, qui duo membra negativa ad solam numeri diversitatem attendentes ita interpretantur, ut Paulus sese aut a toto Apostolorum collegio aut ab uno ex praecipuis Apostolis (Petro vel Ioanne etc.) missum esse neget (cfr *Thom. Cai. Est. Pic*[1]. etc. — *Beng. Ros.* etc.). Accuratius alii diversam praepositionum significationem urgent, quum priore (ἀπό *ab*) remotior causa principalis et efficiens, altera (διά c. genet., *per*) proxima causa instrumentalis indicetur, ita ut omnis humana causalitas, sive remota sive proxima, sive principalis sive secundaria, excludatur. Quem in sensum egregie *Chrys.* : « quod dicit *non ab hominibus*, id omnibus (genuinis operariis evangelicis) est commune, siquidem Evangelii praedicatio originem radicemque habet coelestem (cfr *Rom.* 10,15); sed quod addit *neque per hominem*, id Apostolorum proprium est; neque enim (Christus) per homines sed per se ipsum eos vocaverat »[1]. Vere divinam igitur missionem Paulus priore membro sibi iam attribuit; quia vero secundarii quoque operarii (Barnabas, Silvanus etc.) divinitus missi recte dicuntur omnisque potestas in Ecclesia a Deo est, ideo altero membro missionem immediate divinam, qua sola primariis Apostolis par factus est et aequalis, sibi attribuit (cfr *Lap. Wind. Bisp. Reithm. Palm. Schaef.* etc. — *Mey. Sieff. Schm.* etc.). Unde a vero eos aberrare patet, qui *Act.* 13,1 ita interpretantur, ut Saulus et Barnabas Antiochiae impositione manuum *Apostoli* creati dicantur (*Patr.* in Act. 13; de Evang. III. 51,10); ac profecto de apostolatu, qui per homines conferri nullo modo potest (cfr *Palm.*), ibi non agitur, sed iuxta communem fere catholicorum interpretum sententiam de dignitate episcopali (cfr *Introd. spec.* in N. T. p. 365. *n.* 2). Sicuti enim extraordinaria et immediate divina Pauli ad fidem conversio non impedivit, quominus per ordinarium medium a Christo institutum in Ecclesiam recipi debuerit baptizatus per Ana-

1. Haud recte quidem *Hier.* haec contra Petrum ac reliquos Apostolos a Paulo (saltem oblique et obscure) dici coniicit; ista vero coniectura praetermissa nostram explicationem insinuans melius hunc in modum pergit : « Quatuor genera apostolorum sunt : unum quod neque ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem, *aliud quod a Deo quidem sed per hominem*, tertium quod ab homine non a Deo, quartum quod neque a Deo neque per hominem neque ab homine sed a semetipso. De primo genere potest esse Isaias ceterique prophetae et ipse Paulus, qui neque per hominem neque ab hominibus sed a Deo Patre et Christo missus est; *de secundo Iosue filius Nave, qui a Deo quidem est apostolus constitutus, sed per hominem Moysen;* tertium genus est, quum hominum favore et studio aliquis ordinatur, ut nunc videmus multos non Dei iudicio sed redemto vulgi favore in sacerdotium subrogari; quartum est pseudapostolorum ».

niam, ita immediate divina Apostolatus collatio non obfuit, quominus per ordinarium medium a Christo institutum inter ordinarios Ecclesiae ministros reciperetur episcopus consecratus.

Negativo porro asserto positivum ita respondet, ut per chiasmum duo membra media et duo extrema inter se opponantur : non per hominem sed per Iesum Christum, non ab hominibus sed per Deum Patrem. Cui constructioni procul dubio debetur, quod in secundo membro negante (δι' ἀνθρώπου *per hominem*) singularis sit adhibitus, ut accuratior sit oppositio; quum enim nomen *homo* indeterminate (ἀνθρώπου sine art.) adhibeatur, haud minus apte per se pluralis (*per homines*), quem aliqui codd. legunt, usurpari potuit; quod vero aliqui singularem adhibitum esse coniiciunt, ne quis Petri saltem ministerio Paulum Apostolum a Deo constitutum esse suspicaretur (cfr *Reithm. Palm.* etc.), id sufficiente caret fundamento. Hominibus autem Iesum Christum opponens Apostolus eum non esse merum hominem docet, sed Deum eum esse insinuat, id quod clarius indicat, quum eadem ratione ad Christum et ad Deum Patrem originem apostolatus sui referat. Propter oppositionem, quae inter duo extrema membra habetur, exspectari quidem potuit, ut in affirmante eadem, quae in negante, praepositio adhiberetur (οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων... ἀλλὰ... ἀπό Θεοῦ Πατρός, non *ab* hominibus sed *a* Deo Patre); at quia immediatam apostolatus sui originem esse divinam primis verbis (*per Iesum Chr.*) Paulus iam asseruit, ultimam quoque eius radicem divinam esse diserte enuntiare superfluum erat. Quare Christum et Deum Patrem, qui unus Deus sunt, una formula comprehendere maluit, qua immediatam causalitatem proxime significans Deum doceret unicum sui muneris auctorem esse. Indirecte tamen Patrem causam remotam et efficientem esse innuit, quum nomen eius non nudum ponat sed addat : *qui suscitavit eum a mortuis;* Christi enim mortui resuscitationem Patri attribuens Patri quoque deberi indicat, quod per Christum ad apostolatum vocari potuerit. Id recte iam monet *Vict. :* « Utique ne diceretur : Quomodo per Christum didicisti [rectius : missus es], qui Christum non secutus es, et Christus mortuus est? addidit, quod resuscitaverit Deus Christum a mortuis : ergo Christus me docuit [misit], qui resuscitatus est a mortuis, resuscitatus autem Dei Patris virtute » (cfr *Reithm. Palm.* etc.).

Quae huic explicationi nonnulli addunt, Apostolos debuisse esse resurrectionis testes immediatos (*Wind. Bisp.*), aut Christi resurrectionem, utpote nostrae resurrectionis futurae pignus, redemtionis consummationem esse (*Schaef.*), aut eam fundamentum esse praedicationis apostolicae etc.,

ea vera quidem sunt, sed a Pauli fine hoc in loco aliena. Longius a nostra explicatione antiquiores et recentiores Latini plerique recedunt (*Herv. Lomb. Thom.* etc., *Cai. Est. Lap.* etc.), qui Paulum praestantiam quandam reliquorum Apostolorum sibi vindicare putant, quatenus reliqui a Christo mortali vocati sint, ipse solus a glorificato Domino. Praeclarum quidem huius sententiae auctorem allegant *Aug.*, qui haec i. h. v. tradit : « Qui ab hominibus mittitur, mendax est; qui per hominem mittitur, potest esse verax, quia et Deus verax potest per hominem mittere; qui ergo neque ab hominibus neque per hominem sed per Deum mittitur, ab illo verax est, qui etiam per hominem missos veraces facit. Priores ergo Apostoli veraces, qui non ab hominibus sed a Deo *per hominem* missi sunt, per Iesum Christum scilicet adhuc mortalem : verax etiam novissimus Apostolus, qui per Iesum Christum *totum iam Deum* post resurrectionem eius missus est »[1]. Verum is Pauli in hac epistola non fuit finis, ut primariis Apostolis sese praeferret; si vero in eo, quod solus per glorificatum Christum esset missus, specialem quandam praerogativam vidisset eamque exprimere voluisset, appositionem illam ad nomen Iesu Christi traxisset eoque fere modo scribere debuisset, quo Marcion teste *Hier.* nostrum locum (omissis verbis καὶ Θεοῦ Πατρός) legit : διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἐγείραντος αὑτὸν ἐκ νεκρῶν (per Iesum Christum, qui *sese* resuscitavit a mortuis)[2]. Porro ad Apostoli finem etiam Graeci non satis attendunt, qui Christi resuscitationis mentionem fieri volunt, ut summi beneficii, quod Christus nobis contulisset, commonefieremus (*Chrys. Oec. Theoph.*), nec multi acath. moderni, qui verba adiecta dicunt aut ad Dei potentiam (*Olsh.*) vel maiestatem manifestandam (*Math.*) aut ad redemtionem Deo velut auctori attribuendam (*de W.*) aut ad fidem nostram in Iesum Dei Filium et Deum patrem nostrum excitandam (*Wies.*) etc.

' Quoniam Iesus Christus nostro in loco hominibus opponitur sed ei ac Deo Patri missio Pauli eadem ratione adscribitur, Patres multi ex his verbis divinitatem Christi recte colligunt. Atque Latini quidem magis ad oppositionem illam attendunt : « ex quo approbatur, quod Dominus noster Iesus Christus Deus sit, dum Apostolus, quia a Christo ad praedicationem Evan-

1. Ultima verba, quoniam ambigua videbantur, S. Doctor (Retract. I. 24) ita explanat : « Propter immortalitatem dictum est *totum iam Deum*, quam post resurrectionem habere coepit, non propter divinitatem semper immortalem, a qua numquam recessit, in qua totus Deus erat etiam quum moriturus adhuc erat... Proinde propter immortalitatem iam nunc *non homo* Christus Deus : propter substantiam vero naturae humanae, in qua ascendit in coelum, etiam nunc mediator Dei et hominum homo Christus Iesus (1 *Tim.* 2,5), quoniam sic veniet, quomodo eum viderant, qui viderunt euntem in coelum ». Qua explanatione non obstante expressio aliquid miri videtur retinere.

2. Plerumque in Novo Test. resuscitatio Christi Patri attribuitur (*Act.* 2,32; 3,13. 15 etc. *Rom.* 8,11; 1 *Cor.* 6,14 etc.); contra Anomoeos autem, qui nostro aliisque illis locis ad Filii inferioritatem demonstrandam abutebantur, *Chrys* cum aliis (cfr A^ter *Hier.* etc.) ad *Ioan.* 2, 19 et 10,18 recte provocant monentque eadem ratione, qua Pater alia, quae facit Filius, facere dicitur, eum etiam Filium resuscitasse dici « partim honoris gratia, qui Patri debetur, partim ob auditorum imbecillitatem ».

gelii missus est, negat se missum esse ab homine » (*Hier.* cfr *Vict. A*ter etc.); qua in explicatione *Orig.* sequi videntur, cuius explicationem *Pamph.* (Apolog. pro Orig. *M.* 14,1297 sqq.) conservavit : « Manifeste datur intelligi, quia non erat (merus) homo Christus Iesus, sed erat divina natura. Non enim si homo (tantum) esset, dixisset Paulus hoc quod ait : *Paulus Apostolus non ab hominibus neque per hominem;* si enim homo (tantum) fuit Iesus et per ipsum assumtus est in apostolatum Paulus, utique per hominem factus erat Apostolus... Sed manifeste separat ab humana natura Iesum per haec verba; neque enim sufficit ei dixisse : *neque per hominem*, sed adiecit dicens : *sed per Iesum Christum;* quem utique quia sciebat excellentioris esse naturae, propterea se dixit non assumtum esse per hominem ». Exorto tamen arianismo contra haereticos, qui Filio in Scripturis praepositione διά inferiorem dumtaxat (sc. instrumentalem) causalitatem attribui asserebant (cfr ad 1 *Cor.* 8,6 p. 227), reliqui Graeci eandem operationem Patri et Filio praepositione διά attribui nominique Filii priorem locum assignari urgent. « Observa, inquit *Theoph.*, hic praepositionem διά Patri praepositam ac Filium primo in loco nominatum, propter haereticos his in rebus curiosiores ». Fusius *Chrys.* : « Si sola Patris mentione facta dixisset *per quem*, fortassis commento reperto dixissent hanc particulam *per quem* Patri congruere, quia Filii opera ad eum referantur; at nunc simul et Filii et Patris faciens mentionem et utrique nomini particulam (διά) praefigens commento isti locum non relinquit. Neque enim id facit, ut ea quae Filio sunt propria ad Patrem referat, sed ut hac particula nullum naturae discrimen innui ostendat. Quid porro hic dicturi sunt isti, qui ex baptismo aliquem gradum inferiorem commenti sunt, quia baptizemur in nomine Patris et Filii et Spiritus S.? Nam si ideo inferior est Filius, quia post Patrem nominatur, quid dicturi sunt, quum hoc in loco Apostolus a Christo exorsus ad Patrem veniat? » etc. (cfr *Theod. Oec.* etc.).

Quemadmodum in aliis epistolis, in hac quoque scribenda Paulus socios habere voluit; neque tamen ullum ex suis discipulis nominavit, sed cunctos simul nominibus eorum tacitis posuit : *et qui mecum sunt omnes fratres.* Quoniam vero omnes fideles nomine *fratrum* saepissime designantur, quin etiam interdum ab Apostolis aliisque ecclesiarum superioribus distingui videntur (*Act.* 11,1 etc.), aliqui hic quoque omnia illius ecclesiae, in qua epistola scribitur, membra designata vident (cfr *Chrys.* etc.). Attamen quia non dicit *omnes fratres*, sed *omnes qui mecum sunt fratres*, qua expressione alibi cooperatores suos ab ecclesiae, in qua versatur, membris distinguit (*Phil.* 4,22), eum solos itineris socios intellexisse cum plerisque rectius dicemus; eorum autem nomina praetermittit, quia Galatis, quos paucis hebdomadis aut mensibus antea cum iisdem visitaverat, cognita erant. Cum emphasi porro quadam *omnium* fratrum mentionem fieri Patres monent, « quia necessaria erat auctoritas plurimorum » (*Hier.*):

« accusaverant enim Paulum, quod solus haec praedicaret novamque dogmatum rationem inveheret; quam calumniam ut refelleret simulque se multos eiusdem sententiae socios habere declararet, adiungit sibi *fratres omnes*, significans se ex illorum sententia scribere quae scribit » (*Chrys.* cfr *Theoph. Oec.*); « quamvis sufficeret auctoritas eius, ne posset refutari, tamen ut gravet factum illorum, quo a prima fide destiterant, multos secum accensos ad errorem illorum arguendum designat; facile enim poterit quis intelligere errare se, si a multis se videat reprehendi » (*A*^ter^ cfr *Vict. Pel. Prim.* etc.).

Demum etiam in appellatione *ecclesiis Galatiae* polemica quaedam ratio sese manifestat. Parum recte quidem in plurali *ecclesiis* accusationem *Theoph.* detegit : « quia dissidebant inter se, inquiens, istos iure multas vocat ecclesias »; epistola enim nostra est encyclica quaedam omnibus illis destinata ecclesiis, quas Paulus in meridionalibus romanae provinciae Galatiae civitatibus fundarat, quibusque singulis presbyteros, i. e. episcopos, praefecerat (*Act.* 14,22), ut coetus essent inter se distincti et aequales neque omnes eadem ratione, qua achaici a Corintho (cfr 2 *Cor.* 1,1), ab una civitatis ecclesia magis minusve dependerent. Recte autem in nudo nomine vituperium *Chrys.* latere ait : « nam hoc erat animi moesti suumque dolorem manifestantis, quod eos non a caritate neque propriis nominibus honorifice appellaret sed a sola congregatione ». Quae explicans *Oec.* : « considera, inquit, indignationis manifestationem; neque enim dixit, ut solet, *dilectis* aut *sanctificatis* aut *ecclesiis Dei* sed *Galatiae* »; revera alia inscriptio paulina non est, in qua nomini ecclesiae epitheton quoddam ornans non addatur. Quodsi *Wind.* obiicit, etiam in epistolis ad *Thess.* nudum nomen poni, non satis attendit illas inscribi « ecclesiae Thessalonicensium *in Deo Patre et Domino Iesu Christo* »; « magna autem est dignitas, inquit *Chrys.*, cui nihil est aequale, si ecclesia est in Deo Patre et in Iesu Christo ».

Sequitur pro more apprecatio gratiae pacisque, i. e. omnium beneficiorum supranaturalium, quibus fideles ad vitam vere christianam agendam capaces redduntur quorumque fructus iam hac in terra pax illa est animi, quam mundus dare nequit, Dominus vero discipulis suis reliquit : 3. *Gratia vobis et pax a Deo Patre et Domino nostro Iesu Christo;* quae formula a consueta, quam alibi explicavimus (cfr ad 1 *Cor.* 1,3), in eo solo differt, quod ex optimorum testium auctoritate (cfr *VV. LL.*) pronomen ἡμῶν (*nostro*) non nomini Πατρός, uti alibi, sed nomini Κυρίου addatur; unde nullum est dubium, quin prima SS. Trinitatis persona hic secundum proprietatem, quatenus ab aeterno Filium genuit, Pater appelletur. Itaque etiam nomen *Patris*

consueta in formula (a *Patre nostro* et Domino Iesu Chr.), quamvis ibi secundum appropriationem intelligi possit, proprie usurpatum rectius dicitur[1].

Sicuti autem primis inscriptionis verbis primum, quod sibi ab adversariorum calumniis vindicandum proposuit, argumentum, dignitatem sc. suam vere apostolicam, asseruit, ita huic apprecationi fundamentum alterius sui argumenti de Legis ad iustitiam obtinendam inutilitate addere voluit, iustificatos nos innuens per Dominum nostrum Iesum Christum, 4, *qui dedit semet ipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam, secundum voluntatem Dei et Patris nostri.* « Ostendit, inquit *Theod.*, Legis oeconomiam non potuisse a peccatis liberare, sed Christum Dominum, qui pro nobis mortem subiit, genus humanum a peccati debitis liberasse »; atque *Thom.* : « ex hoc manifeste arguit Apostolus contra eos, quod, si mors Christi est sufficiens causa salutis nostrae et in sacramentis Novi Test., quae efficaciam habent ex passione Christi, confertur gratia, superfluum est cum Novo Test. servare legalia, quibus gratia non confertur nec salus acquiritur ». Brachylogice, uti plerumque, Christus *semet ipsum dedisse* (τοῦ δόντος ἑαυτόν vel *tradidisse* τοῦ παραδόντος 2,20) dicitur, quum sua sponte intelligatur, eum sese *in mortem* dedisse velut oblationem et hostiam Deo (*Eph.* 5,2) pretiumque redemtionis nostrae (1 *Tim.* 2,6). Libertatem porro Christi hic innui *Chrys.* ait, ne alibi legentes, Patrem Filium unigenitum dedisse (*Ioan.* 3,16), Filium servili more Patri servire arbitremur, sed ut intelligamus, hoc quod Filius fecit Patris quoque fuisse placitum. Quod Patris placitum recte hic quoque indicari censet, quum Filius sese *secundum voluntatem Dei et Patris nostri* dedisse dicatur. Sunt quidem, qui ultima haec verba cum immediate praecedentibus, quibus finis mortis Christi describitur (*ut eriperet nos* etc.), coniungere malint; sed aptior est nexus, quem cum *Chrys.* plerique Patres graeci et latini retinent[2]. « Neque Filius dedit se pro peccatis nostris absque

1. Contra argutulos Anomoeos, qui simili modo, quo iam *Euseb. Caes.* (de eccl. theol. II. 17. M. 24, 937), inter ὁ Θεός (*Deus* cum art.) et Θεός (*Deus* sine art.) in Scripturis ita distinguebant, ut prius nomen, quod verum et proprium Deum (τὸν ἐπὶ πάντων Θεόν *Eus. Caes.* l. c. « Deus qui supra omnia est ») significet, soli Patri competat, alterum, quod nescio quam inferiorem conditionem denotet, Filio tribui possit, *Chrys.* nostrum locum urget : « Ex hoc loco iterum facile capiuntur haeretici. Nam qui Ioannem in Evangelio (1,1 καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος) dicunt ideo nomen Dei sine articulo posuisse, ut Filii divinitatem paterna minorem induceret, itemque Paulum, quum Filium ἐν μορφῇ Θεοῦ (*Phil.* 2,6 in forma Dei) fuisse dicit, non de Patre esse locutum asserunt, quia ibi quoque nomen Dei articulo careat, quid hic dicturi sunt, quum ipse Paulus sic loquatur, non ἀπὸ τοῦ Θεοῦ sed ἀπὸ Θεοῦ Πατρός? »

2. Hunc verborum nexum *S. Clem. Rom.* (1 Cor. 49) iam praetulisse videtur : « Propter

voluntate Patris, neque Pater tradidit Filium sine Filii voluntate » (*Hier.*); « Christus Dominus ergo non solum salutem nostram procuravit, sed etiam Patrem habuit comprobantem; ideo subiunxit *secundum voluntatem Patris;* ubique Patrem cum Filio coniungit, docens ei quoque placere, ut nos non secundum Legem sed secundum Evangelium vivamus » (*Theod.* cfr *Oec. Theoph.; Vict. Aug. A^ter* etc.; similiter iuniores ac moderni plerique).

Morti dein sese Christus tradidisse dicitur *pro peccatis nostris* (ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν) aut *propter peccata nostra* (περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν), i. e. eo fine, ut vicaria sua morte pro nobis satisfaciens ea deleret. Utrum ὑπέρ an περί legamus, parum interesse diximus (cfr *VI. LL.*); in eiusmodi enim sententiis ambae praepositiones inter se vicinissimae causam impellentem significant; quare uti in hoc, ita in similibus locis, a graecis librariis saepe sunt inter se permutatae et a latino interprete ambae eadem voce *pro* redduntur[1]. Cum primo hoc fine mortis Christi alter est connexus : *ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam.* Expressione τοῦ αἰῶνος τοῦ ἐνεστῶτος pauci moderni (*Bisp.* — *Mey.*) a communi omnium antiquorum explicatione deviantes tempus iamiam adventurum, i. e. aetatem illam, quae secundum Christi adventum praecedat ac periculis malisque plurimis plena futura sit (*Matth.* 24,8 sqq.), designari volunt; at falso. Neque enim tantum erronee supponunt, Paulum Christum iudicem iam suo tempore adventurum credidisse (cfr ad 1 *Cor.* 7,26 p. 200), sed etiam participio ἐνεστώς indebitam significationem attribuunt; ubique enim in Novo Test. (*Rom.* 8,38; 1 *Cor.* 3,22; 7,26; *Hebr.* 9,9; saepius praeter nostrum locum non legitur) idem est quod latinum *praesens* atque futuro opponitur. Quare ὁ αἰὼν ὁ ἐνεστώς (saeculum *praesens*) idem est quod alibi οὗτος ὁ αἰών (*hoc* saeculum) aut etiam, quia « non tam saeculum ipsum, quod die ac nocte annis currit et mensibus, quam ὁμονύμως ea quae in saeculo fiunt » (*Hier.*) in considerationem veniunt, οὗτος ὁ κόσμος (1 *Cor.* 1,20 etc. *hic mundus*) vel etiam ὁ αἰὼν τοῦ κόσμου τούτου (*Eph.* 2,2 *sae-*

caritatem, quam habuit erga nos, sanguinem suum dedit pro nobis Iesus Christus Dominus noster *in voluntate* (ἐν θελήματι i. q. κατὰ θέλημα secundum voluntatem) Patris, et carnem pro carne nostra et animam pro animabus nostris. »

1. Ea tamen a modernis statuitur differentia, ut ὑπέρ adhibeatur, si de peccatoribus, quorum locum tenens Christus passus est, περί autem de peccatis ponatur, quae Christus morte sua abstulit; cfr 1 *Petr.* 3, 18 Χριστὸς ἅπαξ περὶ ἁμαρτιῶν ἔπαθεν, δίκαιος ὑπὲρ ἀδίκων (Christus semel *pro* peccatis mortuus est, iustus *pro* iniustis). At codicum lectiones tam incertas in plerisque locis esse arbitror, ut aliquid certi vix statui posse videatur; procul dubio περί in simili sententia (*Hebr.* 5,3) de personis usurpatur, atque ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ab omnibus codd., ut videtur, legitur 1 *Cor.* 15, 3. Ceterum *vicariae* mortis Christi demonstratio ab istis praepositionibus nequaquam dependet (cfr ad 3,13).

culum huius mundi) appellatur (cfr ad 1 *Cor.* 1,20 p. 41). Quod *praesens saeculum* vocatur *nequam* (πονηρός quam vocem antiqua versio *malignus* cfr *Aug.* A^{ter} aut *malus* cfr *Vict. Hier.* reddiderat) non tantum, quia multas res adversas in eo sustinere debemus (*Hier.*), neque tantum « propter malignos homines qui in eo sunt » (*Aug.*), neque tantum quia in eo peccatum locum habet (*Theod.* etc.), sed maxime quia in eo etiam nunc post Christi adventum satanas (deus huius saeculi 2 *Cor.* 4,4; princeps huius mundi *Ioan.* 12,14) dominium suum retinet omnibus iis, qui gratiam Christi recipere nolunt, dominans aliosque sibi denuo subiicere studens; quia igitur, uti scribit *Ioan.*, mundus totus in maligno (ἐν τῷ πονηρῷ i. e. in diabolo) est positus, i. e. eius dominio subiectus (1 *Ioan.* 5,19), ita ut, si quis diligit mundum (istum τὸν κόσμον), non sit caritas Patris in eo, quoniam omne quod est in mundo (isto ἐν τῷ κόσμῳ) concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae (*Ioan.* 2,15 sq.). Itaque ut ex mundo eiusque principis potestate ac dura servitute nos eripiens capaces nos redderet aeternae salutis obtinendae, Christus pro nobis mortem subiens mundum eiusque principem devicit. Bene adnotat *Mopsu.* ipsis verbis difficultatem nostrae redemtionis insinuari : « nam illud ἐξέληται (*eriperet*) dixit, ut hoc non alium quemvis, nec Legem nec prophetas, potuisse indicaret; nam vox *eriperet* fere violentiam quandam, neque tamen violentiam sed virtutem salvatoris connotat ». Egregie integram sententiam *Hier.* amplificat : « Dedit se Filius, ut iniustitiam, quae erat in nobis, iustitia ipse subverteret; tradidit se sapientia, ut insipientiam expugnaret; sanctitas et fortitudo se obtulit, ut spurcitiam infirmitatemque deleret. Atque ita non tantum in futuro saeculo iuxta promissam spem qua credimus, sed etiam hic de praesenti saeculo nos liberavit, dum commortui Christo transfiguramur in novitatem sensus et non sumus de hoc mundo, a quo merito non amamur » (cfr *Ioan.* 15,18 sq.; 1 Ioan. 3,1. 13 etc.).

Ad quae magna beneficia morte Christi nobis secundum Dei voluntatem collata respiciens Paulus facere non potest, quin commoto animo infinitam misericordiam caritatemque divinam celebrans Deo honorem, quem novis suis placitis iudaizantes ei eripiunt, restituat augeatque; quapropter a consueto more deflectens ipsam inscriptionem doxologia terminat : 5. *cui est gloria in saecula saeculorum; amen.* Graecus textus, quem A^{ter} sequitur, verbum (*est*) non habet, ac revera optat. *sit* aptius quam indicat. *est* suppleri videtur; attendatur quoque oportet, in graeco nomen δόξα articulo esse munitum : ἡ δόξα igitur, i. e. gloria illa, quae ob tanta beneficia Deo debetur

sed a iudaizantibus ei negatur, ei sit in aeternum. Ceterum saepius Apostolus, ubi divina beneficia commemorat, in doxologiam (*Eph.* 3,20 sq. etc.) aut gratiarum actionem (1 *Cor.* 15,57 etc.) prorumpit.

2. *Increpatio* (1,6-10).

1,6. ***Miror quod sic tam cito transferimini, ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud evangelium : 7. quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant, et volunt convertere evangelium Christi. 8. Sed licet nos, aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. 9. Sicut praediximus, et nunc iterum dico : Si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit. 10. Modo enim hominibus suadeo? an Deo? An quaero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.***

1,6. Θαυμάζω ὅτι οὕτως ταχέως μετατίθεσθε ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς ἐν χάριτι Χριστοῦ εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον, 7. ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο, εἰ μή τινές εἰσιν οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς καὶ θέλοντες μεταστρέψαι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ. 8. ἀλλὰ καὶ ἐὰν ἡμεῖς ἢ ἄγγελος ἐξ οὐρανοῦ ὑμῖν εὐαγγελίζηται παρ' ὃ εὐηγγελισάμεθα ὑμῖν, ἀνάθεμα ἔστω. 9. ὡς προειρήκαμεν καὶ ἄρτι πάλιν λέγω· Εἴ τις ὑμᾶς εὐαγγελίζεται παρ' ὃ παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω. 10. ἄρτι γὰρ ἀνθρώπους πείθω, ἢ τὸν Θεόν; ἢ ζητῶ ἀνθρώποις ἀρέσκειν; εἰ ἔτι ἀνθρώποις ἤρεσκον, Χριστοῦ δοῦλος οὐκ ἂν ἤμην [1].

In priore sua ad Cor. epistola Apostolus haud levia vituperare debuit, nihilominus increpationibus suis captationem quandam praemisit benevolentiae laudatis eorum profectibus, quibus aliis ecclesiis non essent inferiores; verum a magnis beneficiis, quae Christi passione nobis secundum Patris voluntatem collata sunt, oculos suos ad praesentem ecclesiarum Galatiae conditionem convertens, quasi nihil,

1. *VV. LL.* — 6. οὕτως ταχέως (*tam* cito, vel : *sic* cito) est communis lectio; sed adv. οὕτως omittitur a F G et paucis minusc.; duplici versione (*sic tam cito*) redditur a *Vulg. Clem.* praeeuntibus nonnullis PP. latinis; at ***Tert. Hier.*** aliique rectius legunt solum *tam cito.* — ἐν χάριτι Χριστοῦ (in gratia Christi) quoque est communis lectio; variatio tamen quaedam habetur in nomine Χριστοῦ, quum pauci codd. legant Ἰησοῦ Χριστοῦ, alii Θεοῦ, alii illud plane omittant. Maioris momenti est, quod inde a ***Tert.*** (c. Marc. V. 2) plerique Latini legant : ***in gratiam Christi;*** attamen ***Hier.***, uti ex eius explicatione apparet, legit ***in gratia Christi,*** quam lectionem ***Fuld.*** retinuit, eundemque sensum etiam *A^ler* exprimit : ***per gratiam Christi.*** — 8. ὑμῖν εὐαγγελίζηται (vobis evangelizet) B H; transposito pronomine εὐαγγελίζηται ὑμῖν (***evangelizet vobis***) A D E K L P, plerique minusc., ***It. Vulg. Syr. Copt.*** etc.; haud recte pronomen ὑμῖν omittunt ℵ F G cum nonnullis PP. gr. et lat. Praeterea adnota pro εὐαγγελίζηται (evangelizet), quae est communis lectio, legi εὐαγγελίσηται (evangelizaverit) ab ℵ A et nonnullis PP. graecis; quam lectionem ***Tisch.*** et ***WH.*** haud recte receperunt. — 9. προειρήκαμεν (***praediximus***) iterum est communis lectio; sed singularem προείρηκα (praedixi) exhibent ℵ, pauci minusc., ***Syr.*** (codd.) ***Copt. Aeth.*** — 10. εἰ ἔτι (***si adhuc***) B ℵ A D F G, pauci minusc., ***It. Vulg. Copt. Arm.***; sed ***textus rec.*** : εἰ γὰρ ἔτι (***nam*** si adhuc) cum E K L P, plerisque minusc. et ***Syr.***

de quo Deo gratias agere possit, in iis deprehendat, statim haud sine reprehensione stuporem suum de repentina neophytorum mutatione deque levitate, qua pseudapostolis fidem habuerant, exprimit (6. 7) seductoribusque eorum, qui doctrinam diversam praedicent, anathema dicere non veretur (8. 9), quum non hominibus sed soli Deo placere velit (*v.* 10).

Galatae olim Evangelio studiosissime recepto (4,13 sqq.) fructuum passionis Christi baptismo participes facti et ex dura principis huius saeculi servitute egressi donis Spiritus S. erant ditati (3,2); paucis hebdomadis vel mensibus antea Apostolus eorum ecclesias in florentissimo statu, quum confirmarentur fide et abundarent numero quotidie (*Act.* 16,5), reliquerat, quum subito ei nuntius de gravissimo periculo, in quod levitate sua sese proiecerant, est allatus. Hinc intelligitur, quomodo exclamare quasi coactus fuerit : 6. *miror, quod* (*sic*) *tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam* (lege : *in gratia*) *Christi, in aliud Evangelium.* « Conveniens, inquit *Mopsu.*, principium novitati factorum : sic enim posuit *miror,* quasi res accidisset, quae numquam fieri credebatur »; at recte quoque *Chrys.* laudem quandam isto verbo innui monet : « Quum ait *miror,* non tantum verecundiam illis ingerit, quod post tantam munificentiam, post tantam condonationem tantamque exhibitam caritatem ultro ad servitutis iugum revertantur, verum simul quam bene egregieque de iis existimaverit ostendit; etenim si eos de vulgarium hominum numero esse credidisset, de eo quod accidit non esset miratus ». Culpam vero eorum variis modis aggravat, inchoatam eorum defectionem liberam esse ac temerariam insinuans (*tam cito transferimini*) altissimoque termino a quo (*ab eo qui vocavit vos* etc.) vilem infelicemque terminum opponens ad quem (*in aliud evangelium* etc.) defecerint vel potius deficiant; rem enim eo tempore, quo scripsit, nondum esse terminatam adhibito praesente tempore (μετατίθεσθε *transferimini*) docet. Porro verbum ipsum (μετατίθεσθαι *transferri*) acerbo cum vituperio, ac si de inanimatis rebus, quae ipsae nihil agunt, sermo esset, *Mopsu.* usurpatum arbitratur; at forma verbi hic non passiva est sed media, ita ut libertatem, qua Galatae seductorum suorum placitis obsequuntur, potius innuat (vos transferri patimini)[1]; de iis enim,

1. Magno in errore versatos esse antiquiores nonnullos Latinos, quum verbo *transferri* (ac si Paulus latine scripsisset) ad nomen *Galatarum*, quod *translatos* significari putarunt, ab Apostolo alludi dixerunt, opus non est monere; in errorem a *S. Hier.* inducti sunt, qui ad h. v. adnotat : « *Galatia* in nostra lingua *translationem* significat »; nomen sc. ab hebr. גָּלוּת (abductio in exsilium) perperam derivavit. Gravior est moderni cuiusdam error, qui adnotat : « à cette expression (*transferimini*) correspond le mot hébreu *Galal*,

qui seducti quidem sed liberi a sua religione desciscunt, ab Alexandrinis iam adhibetur (2 *Mach.* 7,24). Adverbiis οὕτως ταχέως (*tam cito*) proxime quidem festinatio, qua Galatae egerunt aguntque, castigatur, sed levitas quoque temeritasque, qua rebus mature non consideratis agunt, connotatur (cfr 2 *Thess.* 2,2; 1 *Tim.* 5,22). Ad tempus, quo Galatae fidem receperant, Paulum hac expressione respicere, nonnulli cum *Hier.* censent (tam cito post conversionem vestram); contra quae *Chrys.* iam recte monet, excusationi potius quam accusationi brevitatem temporis, quod ab eorum conversione effluxit, inservire atque Galatas praetendere potuisse, sibi in fide confirmari per temporis brevitatem nondum licuisse. Rectius igitur alii cum *Chrys.* tempus, a quo pseudapostoli in Galatiam advenerunt, connotari dicunt aut etiam secundum iter, quo Paulus Galatas iterum visitavit eosque in via fidei bene currere ac in fide quotidie confirmari vidit (5,7; *Act.* 16,5); vix enim erat profectus, quum de pseudapostolorum adventu et de inchoata neophytorum defectione certior iam est factus.

Deficere autem coeperunt *ab eo qui eos vocavit in gratia Christi,* i. e. a Deo Patre, qui propter gratiam, qua Christus ei acceptus fuit nobisque omnia dona supranaturalia meruit (cfr *Tolet.* ad *Rom.* 5,15), eos ad fidem non tantum invitavit sed etiam adduxit. Vocatio ad fidem Deo Patri a Paulo appropriari solet (1,15; *Rom.* 8,29 sq.; 1 *Cor.* 1,9; 1 *Thess.* 2,12; 2 *Thess.* 2,14 etc.), nusquam Christo; quapropter in graecis verbis (ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς ἐν χάριτι Χριστοῦ) construendis et interpretandis a vero aberrant, qui cum versionis *Syr.* interprete et *Hier.* genetivum Χριστοῦ cum participio καλέσαντος ita connectunt, ut hic exoriatur sensus : « miror quod tam cito transferimini *a Christo Iesu, qui vos vocavit in gratia* » (*Hier.* cfr *Erasm. Gagn*[2]. *Lap.* etc.), licet istam constructionem per se admitti posse non negemus. Longius aberrant, qui Paulum sibi ipsi vocationem adscribere volunt (a me, qui vobis Evangelium annuntiavi, ad pseudapostolos); *vocationem* enim fidelium Apostolis Scripturae non attribuunt, quia sola Evangelii praedicatio nondum est vocatio completa ad fidem sed eius conditio aut instrumentum quoddam. Si cum *Vulg.* legimus *in gratiam Christi,* iis verbis finem vocationis designari dicendum est, ita ut nomine *gratiae Christi* omnia dona supranaturalia comprehendantur, quae Christus nobis meruit[1] : « qui vos

rouler, qui peint très bien la légèreté des *Galates* » (*Ramb.*). S. Hier., quem allegat, de verbo גָּלַל non cogitavit, sed de verbo גָּלָה.

1. *Aug.* pro *in gratiam Christi* legit *in gloriam Christi:* quam lectionem explicans « vigilanter, inquit, quum dixisset *transferimini ab eo qui vos vocavit,* adiunxit *in glo-*

vocavit in participationem aeterni boni, quam habemus per Christum » (*Thom.*), vel « ad gratuitam participationem beneficiorum Christi, ut eius meritis iusti essetis » (*Nat.*). Ob testium criticorum tamen auctoritatem (cfr *VV. LL.*) graeca lectio ἐν χάριτι Χριστοῦ (*Fuld.* : in gratia Christi, *A^ter* : per gratiam Christi) retineatur oportet, qua causa meritoria vocationis nostrae indicatur[1]; nam « per meritum Christi nobis gratuito applicatum vocamur » (*Est*[2].), aut si mavis, « in gratia Christi, in quo omnis plenitudo gratiarum invenitur et ex cuius plenitudine omnes accipimus, vocatio nostra radicem suam habet » (cfr *Thom.* ad *Rom.* 5,15). Itaque « ipsa quidem vocatio, inquit *Chrys.*, Patris est, vocationis autem causa est Filii, nam ipse est, qui nos reconciliavit gratuitaque dona nobis promeruit ».

Sequitur terminus, ad quem Galatae deficere coeperunt : *in aliud* (ἕτερον) *evangelium*, 7. *quod non est aliud* (ἄλλο), *nisi sunt aliqui qui vos conturbant et volunt convertere* (μεταστρέψαι) *Evangelium Christi.* Duo termini (a quo et ad quem) inconcinne expressi videntur, quum *Deus qui vocavit* et *aliud* (vel potius *diversum* ἕτερον) *Evangelium* inter se opponantur. Quapropter multi in priore membro aliquid aequivalens Evangelio intelligi debere cum *Chrys.* arbitrantur; Paulum vero non dixisse *ab Evangelio meo* censent, sed *a Deo qui vos vocavit*, ut magis terreret Galatas, qui Lege recepta a Deo se non recedere credidissent. Verum orationem esse concinnam apparet attendentibus, expressionem *diversum evangelium* a Paulo ita explicari, ut non tam duo evangélia, quam eorum auctores (Deus et pseudapostoli) inter se opponantur. *In diversum evangelium* quidem Paulus Galatas deficere dicit illo nomine usus, quo adversarii novam suam doctrinam condecoraverunt; nisi enim se Evangelium praedicare simulassent, a neophytis non essent auditi, ac nisi evangelium suum a paulino diversum eoque plenius perfectiusque dictitassent, eos ad suas partes allicere non potuissent. Attamen quid nomine isto lateat, Apostolus manifestat : *diversum* quod praetenditur evangelium non *est aliud* (ἄλλο) aliquod Evangelium, quod praeter Evangelium vobis

riam Christi, quam volebant illi evacuare, quasi frustra venerit Christus, si iam circumcisio carnis atque huiusmodi opera Legis tantum valebant, ut per illa homines salvi fierent. » Sed alius testis non est, qui huic lectioni patrocinetur.

1. Eundem sensum latinae lectioni (*in gratiam Chr.*) attribui posse *Palm.* censet : « quod enim propter meritum alicuius alteri praestamus, *in gratiam* illius huic praestamus ». *In gratiam Christi* igitur esset idem quod *propter Christum.* Nescio, num cui haec explicatio probetur; eam usui loquendi Scripturarum respondere certe nemo dixerit. Hodierna lectio latina negligentiae potius librariorum debetur, qui frequenter *in c. acc.* pro *in c. abl.* posuerunt (cfr *Kaulen* Handb. zur Vulg. p. 207).

a me annuntiatum exsistat, *nisi* (i. e. tantummodo) *sunt aliqui* qui *vos perturbant et volunt convertere* (μεταστρέψαι evertere vel pervertere et corrumpere) *Evangelium Christi*. Cuius sententiae sensus est : id quod diversum evangelium vocatur eatenus tantum adest, quatenus inter vos aliqui inveniuntur perturbatores, qui se ipsos quaerentes Evangelium Christi cauponantur (cfr ad 2 *Cor*. 2,27) ; in sola pseudapostolorum perversitate diversum istud evangelium consistit, atque Galatae a Deo, qui eos in gratia Christi ad fidem vocavit, transferri sese patiuntur ad pseudapostolos. Quos, uti saepe adversarios suos haereticosque (2,12; 1 *Cor*. 4,18; 15,12; 2 *Cor*. 3,1), pronomine indeterminato (τινές aliqui) contemtim designat ac velut perturbatores Evangeliique eversores describit. Egregie quidem adnotat *Aug*. « non, quemadmodum Galatas conturbant, ita convertunt etiam Evangelium Christi, quia manet firmissimum; sed tamen convertere volunt, qui a spiritualibus ad carnalia revocant intentionem credentium; illis enim ad ista conversis manet Evangelium non conversum »; rectius tamen *Hier*. sensum latinae vocis *convertere* simul explicat : « volunt Evangelium commutare, conturbare, convertere, sed non valent, quia huius naturae est, ut non possit aliud esse quam verum est. Omnis qui Evangelium interpretatur alio spiritu et mente, quam scriptum est, credentes turbat et convertit Evangelium Dei, ut id quod in facie est, post tergum faciat, et ea quae post tergum sunt, vertat in faciem ». *Chrys*. porro levissima iam mutatione Evangelium subverti monet : « unum dumtaxat aut alterum praeceptum induxerant (pseudapostoli), circumcisionem et dierum observationem; verum ut ostenderet, quod pusillum quiddam perperam admixtum totum corrumpat, Evangelium subverti dixit. Quemadmodum enim in moneta regia, qui paullum aliquid amputat de impressa imagine, totum numisma reddit adulterinum, ita quisquis sanae fidei vel minimam particulam subvertit, totam corrumpit ab hoc initio semper ad deteriora procedens ».

Quo in v. 7. pronomen relativum (ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο *quod* non est aliud) sit referendum et qua ratione ea quae sequuntur (εἰ μή τινές εἰσιν κτλ. *nisi sunt aliqui* etc.) prioribus sint adnectenda, in controversia est. Explicationem secuti sumus, quam ***Mopsu***. innuit : « ne videatur, inquiens, concedere *diversum evangelium* esse, addit : *quod* (sc. diversum evangelium) *non est aliud*. Quare igitur dicis *diversum? nisi sunt aliqui qui vos conturbant et volunt convertere Evangelium Christi*, defectionem a vero Evangelio vocans *diversum evangelium* ». Quam explicationem inter modernos praeter aliquos cath. (*LR. Schaef*. etc.) multi acath. (cfr *Mey Sieff. Schm. Lightf. Ph. Goeb*. etc.) approbant. Vicina est altera, quae modernis cath. plerisque probatur (cfr *Wind. Bisp. Dr. Palm*. etc.) : « *quod* diversum evangelium *non est aliud* (i. e. in alia re non est situm) *nisi* (in eo, quod) *sunt aliqui qui vos perturbant* ». Utraque explicatio recte pronomen relativum ad integram expressionem ἕτερον εὐαγγέλιον

(*diversum evangelium*) refert, differentiam significationis inter ἕτερον (diversum) et ἄλλο (aliud) retinet, particula εἰ μή (*nisi*) sententiam relativam continuari admittit; secunda tamen scriptum esse supponit : ὃ οὐκ ἔστιν (vel οὐδὲν ἐστιν) ἄλλο, εἰ μὴ ὅτι εἰσίν τινες κτλ.

Sed ab antiquioribus fere omnibus (*Chrys. Theod.* etc., *Vict. Aug.* etc.,*Herv. Lomb. Thom.* etc.) et a iunioribus modernisque haud paucis (*Est. Nat. Pic.* etc., *Reithm. M Ev.* etc.) altera proponitur, quae universo suo sensu a nostra non multum recedit, constructione autem prorsus differt; nam pronomen ad solum nomen εὐαγγέλιον refert et a particula exceptiva εἰ μή (*nisi*), cui adversativam significationem (i. q. ἀλλά *sed*) attribuit, novam sententiam exorditur. « Quoniam, inquit *Chrys.*, illi errorem suum appellabant evangelium, etiam ipsum nomen impugnat dicens : *in aliud evangelium, quod non est aliud*; pulchre dictum, nam aliud non exsistit » (οὐ γὰρ ἔστιν ἄλλο); uberius clariusque *Theod.* : « hoc autem relicto Evangelio aliud non invenietis; neque enim Dominus alia per nos, alia per alios Apostolos praedicat, nam idem praedicamus, quotquot sumus veritatis amatores. Verum qui contraria sentiunt, nihil vobis tradunt divini, sed conantur corrumpere divina ». Attamen Paulus si id solum asserere voluisset, aliud Evangelium non exsistere, aliam constructionem clariorem elegisset (ex. gr. εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον οὐκ ὄντος ἄλλου, in diversum evangelium, quum aliud non sit); perperam quoque particula εἰ μή idem quod ἀλλά significare admittitur, quamvis non negemus, exceptivam particulam interdum ad adversativam significationem prope accedere. Maximum autem huius explicationis vitium est, quod pronomen relativum ad solum nomen εὐαγγέλιον refert, quamvis tota vis expressionis, quin etiam sententiae integrae, adiectivo ἕτερον innitatur, quod igitur explicatione quadam indiget; atque vix minus eius incommodum est, quod differentiam inter ἕτερον et ἄλλο negligat.

Omni probabilitate sententia aliquorum iuniorum (*Iust. Lap.* etc. — *Schott* etc.) destituitur, qui verba *quod non est aliud* eadem quidem ratione, qua Patres, explicant, sed ea pro parenthesi habent, ut sententia exceptiva (*nisi sunt* etc.) cum verbo *miror* coniungatur : « *miror* (vel potius : *mirarer*), quod tam cito a Deo deficiatis, *nisi sunt* (potius : *nisi essent*) aliqui qui vos conturbant »; ad hunc enim sensum exprimendum omnino scribi debuit : ἐθαύμαζον ἄν... εἰ μὴ ἦσαν κτλ. — Neque probabilius acath. alii cum *Calv.* pronomen relativum totam praecedentem sententiam respicere dicunt : « *quod* quidem (sc. vos a Deo deficere, i. e. quae vestra defectio a Deo) *nihil aliud est* (i. e. alia in re rationem suam non habet) *nisi* (in eo quod) *sunt aliqui qui vos conturbant* » etc. Ad quid enim tantae verborum ambages, ut dicatur, Galatas a pseudapostolis esse seductos?

Quam perversi essent Galatarum seductores, Paulus iam indicarat, quum eos perturbatores neophytorum (cfr 5,10; *Act.* 15,24) Evangeliique eversores appellaret; vehementius autem eos aggreditur eis aeternum interitum intimans, si in evertendi Evangelii conatu persisistant. Indirecte quidem dumtaxat eis anathema dicit, sed fortius, quam directa, indirecta haec sententia eos confligit, quia proxime, licet hypothetice tantum, contra maiores fertur. 8. *Sed licet* (rectius : *sed etiam si* ἀλλὰ καὶ ἐάν [1]) *nos aut angelus de coelo evangelizet vobis*

1. Patrum tempore utraque lectio : *sed licet*, et : *sed etiam si* (vel *sed et si*) invenitur; priorem habent *Aug. Pel. Hier. Prim.*, alteram *Vict. A^tor Sed.*; sed priores quoque sententiam velut hypotheticam (non velut concessivam) recte explicant. *Tert.* utramque habet;

praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit[1]. Cum indignatione quadam perturbatoribus hanc sententiam opponit; hinc illud ἀλλὰ (*sed*) : « sunt qui vos perturbant, *sed* quicumque ille est, etiam si aliquis angelus ita agit, anathema sit ». « Vide, inquit, *Chrys.*, prudentiam apostolicam. Ne quis diceret, eum sua ipsius ostentare dogmata, etiam se ipsum devovet. Ceterum quoniam ad auctoritatem (pseudapostoli) confugiebant et ubique celebrabant Iacobum et Ioannem, etiam angelorum mentionem facit. Ne mihi, inquit, Iacobum narres et Ioannem; etiam si quis primorum angelorum e coelis descenderit corrumpens Evangelii praedicationem, anathema sit ». A maiore igitur ad minus concludi vult Apostolus; si nec ipse nec angelus de coelo Evangelium corrumpentes aeternum interitum effugerent, quomodo pseudapostoli, si neophytos perturbare continuant, eum effugient? Pronomine *nos* Paulum se solum designare, plerique cum *Tert.* et *Chrys.* contextu spectato recte tenent; infirmatur enim argumenti vis, si illi fratres, quibuscum epistolam hanc scribit aut quibuscum Galatis Evangelium annuntiavit, eo comprehendi dicuntur. *Angelum de coelo* nominat, ut bonum se intelligere insinuet (*Chrys. Theod.* etc., *Vict.* etc.), neque intelligitur, quomodo *Tert.* (de praescr. 6) eumque secutus *Hier.* de « angelo seductionis qui se transfigurat in angelum lucis » (cfr 2 *Cor.* 11,14,) cogitare potuerint. Verbum *evangelizet* in priore membro catachrestice pro *annuntiet,* id quod aliqui censent (*Est. Nat.* etc.), non est positum, sed eodem modo, quo in sententia relativa (*evangelizavimus*), de Evangelii annuntiatione intelligatur oportet, nam « de spectantibus ad evangelicam veritatem loquitur » (*Cai.*), et quid sit *diversum evangelium* quodam modo explicat : omne nimirum quod velut Evangelium a quoquam annuntiatur praeterquam quod ipse antea Galatis evangelizavit.

Quid demum praepositio *praeterquam* (παρά) vel *citra,* uti semel *Tert.* (de praescr. 29) legit, hoc in loco valeat, ex contextu elucet. Antiquiores Lutherani hanc sententiam Apostoli acerrime urgebant, ut eius anathemate Catholicos profligi ostenderent, quippe qui *praeter* (παρά) scriptum Evangelium divinas traditiones non scriptas admitterent[2]; quibus Catholici respondebant, ab Apostolo illud *praeter*

bis enim in eodem contextu locum nostrum allegat (c. Marc. V. 2); ac libere quidem : « *licet* angelus de coelo aliter evangelizaverit, anathema sit », sed paucis lineis interiectis accuratius : « *sed et si* nos aut angelus de coelo aliter evangelizaverit, anathema sit; » quam alteram lectionem alibi retinet; cfr de praescr. 6 (*etiam si*), 29 (*et si*).

1. De scripturistico sensu formulae *anathema sit* (aeterno interitui sit devotus) cfr ad 1 *Cor.* 12,3 et 16, 22.

2. Haud dissimilem obiectionem ex praecedente versu desumserunt olim Marcionitae, qui unum solum Evangelium (suum Lucae Evangelium mutilatum) admittentes Paulum de

Evangelium dici, quod « adversetur sanae doctrinae, quae est *secundum* (κατά) Evangelium gloriae Dei Apostolo concreditum » (1 *Tim.* 1,11). Inter modernos acath. vix ullus vel ideo, quia Paulus de scripto Evangelio non loquitur, antiquam istam obiectionem recoquere ausus est; immo vero vix non omnes acath. praepositionem παρά fere idem quod *contra* hoc in loco valere sponte et ultra concedunt (cfr *Mey. Sieff. Schm. Ph. Goeb. Z.* etc.), idque iure merito. Id enim Paulus intelligi vult, quod ita est praeter Evangelium a se praedicatum, ut cum illo non consentiat, sed illud potius evertat ac destruat[1]. Haud raro praep. παρά hoc sensu usurpatur (cfr *Rom.* 16,17; 1,25. 26; 4,18 etc.); eundem latini Patres expresserunt, qui illum praeter Evangelium praedicare dixerunt, qui *aliter* praedicet quam Evangelium doceat (*Tert.* ll. cc. *Vict. A^ter^, Hier.*), aut « fidei regulam praetergrediatur » (*Aug.* in Ioan. tr. 98,7), aut traditiones apostolicas mutare conetur (*Pel. Prim.*). Quibuscum consentiunt Graeci, siquidem ipse *Chrys.* (cfr etiam *Oec. Theoph.*), quamvis diserte adnotet, Paulum non dixisse: « si *contraria* (ἐναντία) annuntient », ad eundem tamen sensum revertitur, quum eos anathemate paulino percelli explicet, qui quodvis Evangelii dogma *labefactaverint* (παρακινήσωσιν).

Itaque se ipsum atque etiam angelum coelestem aeternae interitui devovet, si quid velut Evangelium annuntient, quod cum Evangelio a se Galatis iam annuntiato non concordet. « Verbi gratia » haec dicta esse *Tert.* (c. Marc. V. 2) censet, atque *Hier.* « hyperbolice, inquit, dictum accipi potest, non quod aut Apostolus aut angelus aliter potuerint praedicare quam semel dixerant; sed etiam si hoc posset fieri, ut et Apostoli et angeli mutarentur, non esset ab eo quod semel acceptum fuerat recedendum ». Revera hyperbole quaedam in eo est, quod Paulus illa hypotheticarum sententiarum forma (ἐὰν... εὐαγγελίζηται) utatur, qua rem fieri posse insinuetur, quamvis fieri nequeat. In hoc enim providentiae ordine nec Apostolus nec angelus coeli quidquam docere potest, quod cum Evangelio Christi pugnet; ut autem maiore cum vi firmitatem certitudinemque Evangelii Galatis a se annuntiati asserat, ad supranaturalia dona, quibus Apostoli

uno solo locutum esse atque eos, qui alia admitterent, anathematizasse iactabant. Contra quos disputant *Chrys* aliique Patres nonnulli.

1. Solus fere *Lightf.*, quamvis praepositionem παρά id quod *contra* significare posse non neget, cum antiquis Lutheranis sensum *praeter* ob contextum retinere vult. Paulum enim *integritatem* sui Evangelii asserere censet; sed num Paulus paucis illis hebdomadis, quibus in singulis ecclesiis docebat, semper integram suam doctrinam tradere potuit, ut ne ipsi quidem quidquam addere licuerit? In epistola priore ad Corinthios haud pauca sane exponit, quae Corinthios nondum docuerat, quamquam inter illos annum et dimidium peregerat; *omne* igitur additamentum excludere hoc loco non potest, sed eiusmodi additamenta, quae ipsius doctrinae non consonant.

angelique coelestes nunc insigniti sunt, non attendit, sed sola eorum dona naturalia considerat, quibus utique errori obnoxii sunt. « Non quia sancti angelique coelestes peccare iam possint, sed hoc est quod dicit : si etiam fiat, quod fieri non potest, quisquis ille sit qui traditam semel fidem mutare tentaverit, anathema sit » (*Vinc. Lerin.* Commonit. 8). Ceterum clarissime ex hac sententia elucet, quam persuasum Apostolo fuerit, sese in annuntiando Evangelio nec ipsum falli nec neophytos fallere posse, atque in Evangelio per infallibile magisterium tradito fideles certam possidere normam, ad quam omnia, quae velut novae Dei revelationes afferuntur, ita diiudicent, ut quidquid cum accepta doctrina non concordet a limine repudient, nec amplius in illorum originem inquirant, quae divina non esse dissensus illorum a divinis ostendit (cfr 2 *Ioan.* 10).

Quantopere ei haec infallibilitatis suae atque veritatis Evangelii a se traditi assertio cordi sit, ex eo apparet, quod praecedentem adversariorum suorum condemnationem generaliore forma repetat; « iterata enim lex sollicitiores reddit negligentes » (*A*[ler]) : 9. *sicut praediximus, et nunc iterum dico : Si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit.* Utrum priora duo verba sola (ὡς προειρήκαμεν) pro protasi habeamus, cuius reliqua (καὶ ἄρτι πάλιν λέγω ita *et nunc iterum dico* etc.) sint apodosis, an duo membra coniungamus apodosinque a sententia hypothetica inchoemus, per se nihil interest, quum idem maneat sensus; prior tamen constructio concinnior videtur. Iuxta Graecos (cfr *Chrys. Theod. Oec.* etc.), quibuscum Latini haud pauci antiquiores et iuniores consentiunt (*Vict. A*[ler]*, Herv. Thom.* etc., *Cai. Est. Iust. M Ev.* etc.), illud *praediximus* (i. e. *antea* diximus) ad solam praecedentem sententiam respicit : « ne quis ea verba ab ira profecta aut supra quam fieri debeat exaggerate dicta aut impetu cursuque sermonis inconsiderate prolata putet, ea repetit ». At *Aug.* dubitat, num Paulus solam sententiam scriptam iteratione inculcare velit, an potius praesens Galatis haec iam antea dixerit, *Hier.* vero diserte monet : « quod autem addit : *sicut praediximus et nunc iterum dico*, ostendit se et in principio hoc ipsum caventem denuntiasse anathema eis qui aliter praedicaturi erant, et nunc postquam praedicatum est, id anathema decernere quod antea praedixerat ». Similem quoque sententiam moderni vix non omnes tenent (*Wind. Bisp. Reith. Palm. Dr. L R. Schaef. — Mey. Sieff. Schm. Ph.* etc.); idque recte, siquidem oppositio inter προειρήκαμεν et ἄρτι (*praediximus* et *nunc*) prohibet, ne de sententia vix scripta cogitemus. Ex concilio apostolico Antiochiam redux Paulus iam erat expertus, iudaizantes novas machinationes, decreto apostolico non obstante, moliri, quibus Ethnicochristianos legi subiicerent (cfr *Pro-*

leg. 2,2. 3 p. 364 sq. et ad 2,11 sqq.); ideo in secundo suo itinere ecclesiis romanae provinciae Galatiae decretum apostolicum promulgans (*Act.* 16,4) eas contra novas iudaizantium insidias praemunivit (5,3) canone isto generali tradito, quem nunc repetit et ad quem inde ab illo tempore Ecclesia ac Patres haereticorum omnium conatus diiudicabant et condemnabant. « Annuntiare ergo aliquid Christianis catholicis praeter id quod acceperunt numquam licuit, nusquam licet, numquam licebit; et anathematizare eos, qui annuntiant aliquid praeterquam quod semel acceptum est, numquam non oportuit, nusquam non oportet, numquam non oportebit. Quae quum ita sint, estne aliquis vel tantae audaciae, qui praeter id, quod apud Ecclesiam annuntiatum est, annuntiet, vel tantae levitatis, qui praeter id quod ab Ecclesia accepit accipiat? Clamat et repetendo clamat, et omnibus et semper et ubique per literas suas clamat ille, ille vas electionis, ille magister gentium, ille Apostolorum tuba, ille terrarum praeco, ille coelorum conscius, ut si quis novum dogma annuntiaverit anathematizetur » (*Vinc. Lerin.* Commonit. 9).

Severissime locutus est, sed se ita loqui coactum esse addit, quia tamquam servus Christi soli Deo placere studeat : 10. *modo* (ἄρτι) *enim hominibus suadeo, an Deo? An quaero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Nexum huius sententiae bene indicat *Thom.* : « posset aliquis dicere : quare sic excommunicas? forte sunt aliqui amici vel homines alicuius auctoritatis; non ergo sic faciendum est. Ideo respondens Apostolus dicit : immo sic faciendum est, quia ea quae dico non sunt ad favorem hominum captandum, sed ut placeam Deo » (sim. *Theod. Herv. Lyr.* etc., *Cai. Lap. Pic.* etc., *Bisp. Reithm. Palm.* etc. — *Mey. Sieff. Ph.* etc.). Tacitae igitur obiectioni occurrens suam agendi rationem vindicat; hinc illa particula causalis : nolite mirari quod tam dure loquar; neque *enim* nunc hominibus suadeo etc. Adverbium ἄρτι (*modo* vel *nunc*) arctioris est significationis quam νῦν, atque praesens temporis momentum indicat (cfr 4,20; 1 *Cor.* 4,11. 13 etc.); quare non recte aliqui Paulum hac sententia vitam, quam inde a sua conversione egit, priori suae vitae opponere censent; sed ad illud momentum respicit, quo anathema, quod antea praesens annuntiaverat, *nunc* scribens repetit. Porro difficultatem quandam verbum πείθω (*suadeo*) creat, quia grammatice eadem ratione ad homines et ad Deum (ἀνθρώπους πείθω ἢ τὸν Θεόν;) refertur, sed hominibus quidem aliquid suaderi potest, Deo autem aliquid suaderi minus apte dicitur. Ideo antiqui iam varias significationes proposuerunt; *Chrys.* idem hic

esse πείθειν coniicit quod ἀπολογεῖσθαι (sese excusare), *Theod.* i. q. θεραπεύειν (colere); *Vict.* latino textu relicto novam versionem proponit (« num evangelizo vobis homines resque humanas, an Deum Christum? »), quae quamvis erronea sit, olim nonnullis placuit (*Erasm. Iust.* etc. — *Beza Gom. Mich.* etc.). Optime vero iam *Hier.* « ipsum, inquit, verbum *suadere* de humano usu sumtum est, quum quis id, quod habet et semel imbibit, aliis conatur inserere »; scilicet πείθω τινά est i. q. alicui persuadeo seu aliquem persuadendo ad meas partes trahere mihique conciliare studeo (cfr *Act.* 12,20; 2 *Cor.* 5,11). Contra eos igitur, qui anathemate promulgato aliquos offendi posse obiiciunt, Paulus se in illa sententia ferenda hominum favorem quaerere negat, quum soli Deo placere eumque sibi propitium reddere studeat. Egregie ita adnectitur altera interrogatio (*an quaero hominibus placere?*); in priore enim de eo solo fine loquitur, quem in ferenda ista sententia habuit; cui assertioni ut fidem faciat, in altera addit, se in *tota* sua agendi ratione ad favorem hominum non attendere. Ac demum rationem dat, cur hominibus placere nolit: *si adhuc*, uti prius ante conversionem meam, *hominibus placerem, Christi servus non essem.* Utrum verbum ἀρέσκω in duobus ultimis membris absolute (i. q. *placeo* cfr 1 *Thess.* 2,15 etc.) an potius de conatu (*placere studeo* i. e. ad aliorum commoda et studia me accommodo cfr 1 *Cor.* 10,33 etc.) usurpatum dicatur, haud multum quidem interest; altera tamen significatio saltem in ultima sententia aptior videtur esse; ut verbum *placerem* priori *placere quaero* accuratius consonet.

Probe adnotetur oportet, illud solum studium placendi hominibus a Paulo negari, quod impediat, quominus aliquis servus Christi sit, illud igitur, quod studium placendi Deo excludit; quapropter *Hier.* « non putemus, inquit, ab Apostolo nos doceri, ut exemplo suo hominum iudicia contemnamus, qui in alio loco dixerit : *scientes ergo timorem Domini hominibus suademus* (2 *Cor.* 5,11) et illud *et ego omnibus per omnia placeo non quaerens quod mihi utile est sed quod multis ut salventur* (1 *Cor.* 10,33). Sed si fieri potest, ut pariter Deo et hominibus placeamus, placendum est et hominibus; sin autem aliter non placemus hominibus nisi Deo displiceamus, Deo potius quam hominibus placere debemus... Qui ex ea caritate, quae non quaerit quae sua sunt sed quae aliena sunt, placet omnibus ut salventur, is utique Deo primum placet, cui salus hominum curae est ». Atque eandem in sententiam *Aug.* : « Qui placet hominibus non ab illis suam gloriam quaerens sed Dei ut salvi fiant, non iam hominibus sed Deo placet; aut certe quum iam et Deo placet simul et hominibus, non utique hominibus [sc. solis Deo neglecto] placet. Aliud est enim placere hominibus, aliud et

Deo et hominibus. Item qui hominibus propter veritatem placet, non iam ipse illis, sed veritas placet... Non ergo moveat quod alibi dixit : *sicut et ego per omnia placeo;* addidit enim : *non quaerens quod mihi prodest, sed quod multis, ut salvi fiant* (1 *Cor.* 10,33). Nulli autem prodest ut salvus fiat, si homo ei propter se ipsum placeat; qui non placet utiliter, nisi quum propter Deum placet, i. e. ut Deus placeat et glorificetur, quum dona eius attenduntur in homine aut per ministerium hominis accipiuntur; quum autem sic homo placet, non iam homo sed Deus placet. Utrumque ergo recte dici potest : et *ego placeo* et *non ego placeo.* Si enim adsit bonus intellector piusque pulsator, patebit utrumque et nulla inter se repugnantia repellet intrantem ». Brevissime sed clarissime *Thom.* : « si velim placere hominibus propter homines non referendo illud in Deum, pecco; sin ideo aliquando intendam placere hominibus, ut eos traham ad Deum, non pecco ». Supponit nimirum S. Doctor, uti patet, malis actionibus homines ad Deum attrahi non posse.

PARS PRIMA APOLOGETICA.

DE PAULI APOSTOLICA AUCTORITATE ET DOCTRINA (1,11-2,21.).

Quoniam iudaizantes pseudapostoli, ut Galatas ad suas partes attraherent, Pauli auctoritati doctrinaeque auctoritatem ac doctrinam primariorum Apostolorum, columnarum Ecclesiae, opponebant, prima ac maxima ei cura fuit, ut id immerito fieri ostenderet. Apostolica enim sua auctoritate vindicata quasi fundamentum ponere debuit ulterioris suae argumentationis, qua Legem ad salutem nihil conferre demonstrare voluit; neque enim a neophytis eius argumenta essent accepta, nisi eius doctrinam esse divinam et cum reliquorum Apostolorum praedicatione consonare illis constitisset. Itaque praeprimis sese Evangelium, quod praedicet, non ab hominibus sed immediate eadem ratione, qua reliquos Apostolos, a Iesu Christo accepisse probat (1,11-24), deinde illud a columnis Ecclesiae comprobatum esse demonstrat (2,1-21). Priorem thesin suam demonstraturus brevi conspectu vitam, quam ante conversionem suam (1,11-14) et post eam, antequam apostolico fungi coepit munere, egerat (1,15-24), ita proponit, ut eum a primis Apostolis nihil accepisse omnes fateri cogantur. Ut alteram vero in dubium vocari non posse ostendat, historiam refert et concilii apostolici (2,1-10) et suae cum Petro controversiae antiochenae (2,11-21), quum utraque in occasione eius Evangelium ab Ecclesiae columnis et ab ipso eius capite sit agnitum. Historica igitur haec est pars et chronologico quodam ordine disposita.

§ 1. *De divina origine doctrinae S. Pauli* (1,11-24).

1. *Ante conversionem ab hominibus doctrinam suam accipere non potuit* (1,11-14).

1,11. *Notum enim vobis facio, fratres, evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: 12. neque enim ego ab homine accepi illud,*

1,11. Γνωρίζω γὰρ ὑμῖν, ἀδελφοί, τὸ εὐαγγέλιον τὸ εὐαγγελισθὲν ὑπ' ἐμοῦ, ὅτι οὐκ ἔστιν κατὰ ἄνθρωπον· 12. οὐδὲ γὰρ ἐγὼ παρὰ ἀνθρώπου παρέλαβον αὐτὸ οὔτε

neque didici, sed per revelationem Iesu Christi. 13. Audistis enim conversationem meam aliquando in iudaismo, quoniam supra modum persequebar ecclesiam Dei, et expugnabam illam, 14. et proficiebam in iudaismo supra multos coaetaneos meos in genere meo, abundantius aemulator exsistens paternarum mearum traditionum.

ἐδιδάχθην, ἀλλὰ δι' ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. 13. Ἠκούσατε γὰρ τὴν ἐμὴν ἀναστροφήν ποτε ἐν τῷ ἰουδαϊσμῷ, ὅτι καθ' ὑπερβολὴν ἐδίωκον τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ καὶ ἐπόρθουν αὐτήν, 14. καὶ προέκοπτον ἐν τῷ ἰουδαϊσμῷ ὑπὲρ πολλοὺς συνηλικιώτας ἐν τῷ γένει μου, περισσοτέρως ζηλωτὴς ὑπάρχων τῶν πατρικῶν μου παραδόσεων [1].

Ante omnia thesin, quam in hac sectione demonstrare vult, Paulus claris verbis enuntiat, se Evangelium suum non ab hominibus accepisse sed immediate a Christo (11. 12), unde sua sponte elucet, eum secundariis operariis apostolicis, qui doctrinam ac missionem a Duodecim acceperant, assimilari non posse, sed eum primariis Apostolis parem esse et aequalem. Theseos autem demonstrationem aggreditur pristino zelo, quo iudaismo inhaerens Ecclesiam persequebatur, in memoriam revocato (13. 14) evidentissime probans, se isto tempore nihil a Christi discipulis accepisse.

11. *Notum enim* (vel *autem*) *vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem.* Dure Paulus increparat Galatas, sed ex sola sollicitudine, qua eorum saluti consulit, ipsam quoque increpationem esse profectam ostendit, quum eos consueta cum caritate velut *fratres* alloquitur. Quo nexu haec sententia cum superioribus colligetur, in controversia est, atque antiquitus iam hac de re dubitatum esse, lectionis incertitudo docet. Qui cum *Vulg.* causalem particulam praeferunt, Paulum suam persuasionem de Evangelii sui divinitate velut rationem afferre putant, qua eos qui aliud doceant anathematizare cogatur (*Herv. Thom. Cai.* etc. — *Sieff.* etc.), arcteque hanc sententiam prioribus (8-10) adnectunt. Sed tam diversus est sermo, quo in praecedentibus seductores Galatarum durissime increpat, ab illo, quo nunc thesin suam quiete proponere ac demonstrare aggreditur, ut novam inchoari epistolae partem dicendum sit, ac proin particula metabatica δέ (*autem*) praeferatur oportet. Ac profecto tota formula γνωρίζω ὑμῖν, ἀδελφοί, a qua Paulus alibi quoque novam gravemque tractationem exorditur (cfr ad 1 *Cor.* 15,1; 2 *Cor.* 8,1), grandior est sollemniorque, quam quae rationem tantum afferat praecedentis sententiae.

1. *VV. LL.* — 11. γνωρίζω γὰρ ὑμῖν (*notum enim vobis facio*) B D F G, paucissimi minusc., *It.* (*Vict. Aug.* etc.) *Vulg.* (*Clem.* cum plerisque codd.); sed rectius γνωρίζω δὲ ὑμῖν (notum *autem* vobis facio) ℵ A E K L P, plerique minusc., *It.* (*A*ter) *Vulg.* (cod. *Fuld.*) *Syr. Copt.*; nullam particulam exprimunt *Arm. Aeth.* — 13. ἐπόρθουν (vastabam *Aug.*) est communis lectio; sed ἐπολέμουν (impugnabam) legunt F G; plerique Latini : *expugnabam*, quae expressio utrique lectioni respondet.

Itaque ab exordio ad primum epistolae argumentum transiens cum verborum gravitate ac maiestate quadam thesin suam annuntiat (γνωρίζω), *Evangelium quod a se* inter Galatas et ubique *praedicatum sit* ac praedicetur quodque ab adversariis velut imperfectum vilipendatur aliorumque Apostolorum doctrinae, ac si ab ea differat, postponatur, *non esse secundum hominem* (κατὰ ἄνθρωπον). Iuxta *Aug.* « evangelium secundum hominem mendacium est, quia omnis homo mendax est »; quem secutus *Thom.* quoque adnotat « *secundum hominem* hic esse idem quod secundum humanam naturam discordantem a revelatione divina et sonare in vitium »; neque multum dissentiunt aliqui moderni ad nostram expressionem explicandam velut locum parallelum *Col.* 2,8 afferentes, in quo « fallacia secundum hominum traditiones » doctrinae secundum Christum opponitur (*Reith.* etc.). At quamvis pauci sint loci, in quibus nomen *hominis* ob contextum ita explicari debeat, ut homo peccato corruptus intelligatur (1 *Cor.* 3,3; 1 *Petr.* 4,2), in hac tamen expressione (*secundum hominem*) corruptio peccato introducta vix umquam connotatur atque homo fere semper secundum facultates a natura inditas consideratur (cfr ad 1 *Cor.* 3,3). Hoc sensu etiam hic longe plerique nomen *hominis* intelligunt quum Graeci tum Latini; neque tamen ad sensum praepositionis κατά multi satis accurate attendunt, quum hoc iam versu de origine Evangelii agi censeant, ita ut sequens sententia non sit nisi expressionis *secundum hominem* explicatio (cfr *Chrys. Theod.* « non ab humanis cogitationibus compositum »; *Vict.* « non ab hominibus acceptum »; *Hier. Pel.* etc., *Cai. Lap. Est.* etc., *Wind. M Ev.* etc.; — multi acath.); nam praepositione κατά (*secundum*) nec efficiens nec instrumentalis causa exprimitur, ita ut de origine hic non agatur. Natura potius et indoles Evangelii describitur eaque secundum hominum humanarumque rerum normam esse negatur; nihil humani habet Pauli Evangelium nec ullam cum hominum opinionibus studiisque cognationem ac necessitudinem (cfr *A*[ler] etc., *Dion.* etc., *Bisp. Palm.* etc.).

Optime hac ratione sequens adnectitur sententia, quae divinam illius originem asserens illud secundum hominem non esse probat: **12.** *neque enim ego* (i. q. nam et ego non) *ab homine accepi illud neque didici, sed per revelationem Iesu Christi.* Pronomen personale ἐγώ (*ego*) non sine emphasi est insertum, quia tacitae adversariorum obiectioni occurrens *suum* Evangelium ab Evangelio reliquorum Apostolorum, quod secundum hominem non esse adversarii concedebant, ratione originis ac proin etiam ratione indolis non differre Paulus docere intendit. Quapropter negative et affirmative originem illius describit:

non ab homine sed per revelationem Iesu Christi. « Ex hoc loco (cfr ad *v.* 1), inquit *Hier.*, Ebionis et Photini dogma conteritur : quod Deus sit Christus et non tantum homo. Si enim Evangelium Pauli non est secundum hominem neque ab homine accepit illud aut didicit, sed per revelationem Iesu Christi, non est utique homo Iesus Christus, qui Paulo Evangelium revelavit; quod si non est homo, consequenter Deus est; non quod hominem negamus assumtum, sed quod *tantum* renuamus hominem ». In negativo membro duo verba adhibet, quae non sunt plane synonyma : « ille *accipit* Evangelium, cui primum insinuatur et ad fidem eius adducitur, ut credat vera, quae in illo scripta sunt; *discit* autem is, qui ea quae in illo per aenigmata et parabolas figurata sunt, explanata et diserta cognoscit » per alterum (*Hier.*). Quae definitio satis est accurata, dummodo de *scripto* Evangelio non agi attendamus nec de solis aenigmatis ac parabolis. Omnes Christi discipuli se ab homine *accepisse* Evangelium negare potuerunt aeque atque Paulus; sed soli Duodecim, qui per Christum ipsum (cfr *Matth.* 13,11 etc.) et per Spiritum S. (cfr *Ioan.* 16,12 sq. etc.) in omnem veritatem introducti sunt, se ab homine illud *didicisse* negare potuerunt; duplici igitur sua negatione Paulus se duodecim Apostolis parem declarat. Quibus duobus membris negativis affirmativum opponit *per revelationem Iesu Christi,* ad quod *Chrys.* adnotat : « vide, quomodo undequaque confirmat, se fuisse Christi discipulum, nullo homine interveniente, sed ipso Christo per se ipsum totam scientiam (τὴν γνῶσιν πᾶσαν) ipsi dignante patefacere ». Active igitur substantivum ἀποκάλυψις (*revelatio*) sumatur oportet (i. q. τὸ ἀποκαλύπτειν), ita ut genet. Χριστοῦ sit subiectivus (*per Christum revelantem*); id enim oppositio ad duo verba praecedentia postulat, quam alii negligunt, qui aut genetivum obiectivum esse censent aut cum *Theod.* substantivum passive (i. q. τὸ ἀποκαλύπτεσθαι) explicant : « quia Christus ei in via revelatus est » (*Theod.*)[1].

Nomine *Evangelii quod a se sit praedicatum* Paulum omnia comprehendere, quae neophytis quum de dogmatis proprie dictis tum de vitae Domini mysteriis de eiusque passione et resurrectione tradidit, evidens esse arbitror, idque aliis eius testimoniis, in quibus se nonnulla facta ex vita Christi *ab ipso Domino accepisse* dicit, luculentissime confirmatur (cfr ad

1. Ceterum *Theod.* recte addit : « sicut alii Apostoli a Christo doctrinam receperunt, ita Paulus quoque eum habuit magistrum ». Vox ἀποκάλυψις, si cum genet. Κυρίου vel Ἰησοῦ Χριστοῦ coniungitur, interdum quidem passive sumitur, ita ut ἡ ἀποκάλυψις τοῦ Κυρίου (*revelatio Domini*) sit idem quod ἡ παρουσία τοῦ Κυρίου (*adventus* Domini) quando nimirum adveniens sese revelat in ultimo iudicio (1 *Cor.* 1,7; 2 *Thess.* 1,7; 1 *Petr.* 1,7. 13), active autem hic sumatur oportet, uti etiam 2 *Cor.* 12,1; *Apoc.* 1,1.

1 *Cor.* 11,23; 15,1 sqq. etc.). At aeque clarum est, totam doctrinam, quam tradidit, hic esse intelligendam, eius sc. quum initia tum ampliorem explicationem; neque intelligo, quomodo *Est.* asserere potuerit, Paulum catechizatum (ergo primis doctrinae christianae rudimentis imbutum) esse ab Anania, « sed Evangelium, quod in gentibus praedicavit, i. e. mysteria christianae religionis, per quae perfecte est instructus ad exsequendum munus apostolicum », a Christo accepisse; num forte rudimenta, quibus neophyti ad baptismum praeparabantur, ab eo non docebantur, ut ad Evangelium ab ipso praedicatum non pertinerent?

Interrogantibus quandonam illa omnia revelante Iesu Christo acceperit, respondet *Hier.* cum *Theod.* fere consentiens, « illam revelationem significari, quum Damascum vadens in itinere Christi vocem meruerit audire et caecatis oculis verum mundi lumen intuitus sit » (*Act.* 9,5 sqq.); *Thom.* vero « revelationem illam factam esse Apostolo, quum raptus esset in paradisum, ubi audivit arcana verba, quae non licet homini loqui » (2 *Cor.* 12,2 sqq.). Quoniam *Thom.* hanc visionem triduo illo, quod Paulus ante baptismum suum Damasci peregit (*Act.* 9,9), accidisse (utique erronee cfr ad 2 *Cor.* 12,2) censet, duae sententiae inter se haud multum distant; neque tamen ulli ex eis assentire possumus, quamvis Dominum unica visione Paulo completam ac perfectam integrae doctrinae christianae scientiam tradere potuisse profecto non negemus. At Apostolus ipse coram rege Agrippa (cfr *Act.* 26,15 sqq.) se non una visione totam doctrinam accepisse insinuat; ita enim Dominus in itinere damasceno eum allocutus est: « ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem *eorum quae vidisti* (sc. in hac prima apparitione) *et eorum, quibus apparebo tibi* (ὧν τε ὀφθήσομαί σοι i. e. eorum, ad quae revelanda apparebo tibi) ». Successiva (ut ita dicam) igitur institutio admittatur oportet, ac variis visionibus gradatim Paulus omnia mysteria a Christo didicit (cfr ad *v.* 17).

Theseos suae demonstrationem aggressurus a vita, quam ante conversionem egit, paucis describenda exorditur : 13. *audistis enim conversationem meam aliquando in iudaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei et expugnabam* (vel : vastabam *Aug.* ἐπόρθουν) *illam,* 14. *et proficiebam in iudaismo supra multos coaetaneos meos in genere meo, abundantius aemulator exsistens paternarum mearum traditionum.* Ob duas rationes eum pristinam suam vitam, quam Galatis cognitam esse supponit (*audistis*) ac forte ipse eis narraverat, commemorare censemus : potissimum procul dubio ad thesin ipsam probandam, uti ex particula causali (γάρ *enim*) apparet; ac profecto eo tempore, quo tam deditus erat iudaismo et Ecclesiae tam inimicus, eum doctrinas christianas ab hominibus accipere aut discere voluisse, ne ipsi quidem pseudapostoli calumniari audebant. At quia res tam erat clara, ut in hac argumentatione vix mentione videretur digna,

eum simul insinuare voluisse arbitramur, se non nisi divino interventu ex Legis aemulatore factum esse quodam modo adversarium Legis seque non ex Legis odio agere, si eam a Galatis nunc recipi nolit; in pristina ergo eius vita, si cum praesente comparabatur, Galatae validum habebant argumentum, quo a Lege recipienda avertebantur[1].

Porro ut ad singula veniamus, *conversatio* (ἀναστροφή ab ἀναστρέφεσθαι versari in aliqua re, seu *sese gerere* cfr 1 *Tim.* 3,15; *Hebr.* 10,33) universam vitae rationem designat, quatenus factis ac moribus conspicua est (cfr *Eph.* 4,22; 1 *Tim.* 4,12; *Hebr.* 13,7); *iudaismus* autem (ἰουδαϊσμός a ἰουδαΐζειν i. q. ἰουδαϊκῶς ζῆν cfr 2,14 iudaice vivere observatis praeceptis ritualibus) hic non tam Iudaeorum agendi rationem (*Bisp. Schaef.* etc.) aut eorum coetum religiosum (*Palm.*), quam eorum disciplinam religiosam significat, quatenus Christianismo opponitur et adversatur. Duplici autem ex parte pristinam suam conversationem describit : quomodo scilicet se habuerit ad Ecclesiam Dei et quomodo ad Legem; particula ὅτι (*quoniam*) igitur explicationem expressionis praecedentis (*conversatio mea pristina in iudaismo*) introducit. *Ecclesiam Dei*, quae sanguine Filii acquisita (*Act.* 20,28) Dei est proprietas, « *persequebatur,* non ut ceteri Iudaei, sed *supra modum;* nec sufficiebat ei quamvis vehemens persecutio, sed quasi quidam grassator et praedo Ecclesiam *vastabat* » (*Hier.*). Ignorans quidem haec fecit in incredulitate (1 *Tim.* 1,13), at sane persecutionis tempore a Christianis nihil accepit nec didicit, idque eo minus, quia eodem tempore *in iudaismo proficiebat,* ut firmius ei adhaereret, « non supra omnes, sed supra multos, nec supra senes, sed *supra coaetaneos suos* »; quae eum addidisse *Hier.* censet, « ut et studium suum referret in Lege et iactantiam declinaret ». Qua demum ratione multos coaetaneos *in genere suo,* i. e. in iudaica gente, superaverit, ultima verba docent; utpote enim Hebraeus ex Hebraeis et secundum legem Pharisaeus (*Phil.* 3,5; *Act.* 26,5) sola praeceptorum observantia non contentus etiam *traditionum* pharisaicarum, quas *paternas suas* appellat quia filius Pharisaeorum ex familia pharisaica erat oriundus (*Act.* 23,6), *abundantius* sese manifestavit *aemulatorem*. Iamvero Pharisaei, quos iam Dominus infensissimos hostes habuerat, postea quoque aversissimo

1. Cfr *Hier.* : « Plurimum prodest Galatis ista narratio, quomodo Paulus, vastator quondam Ecclesiae et iudaismi acerrimus defensator, ad Christi fidem repente conversus sit. Dicere enim poterant : Si ille, qui a parva aetate Pharisaeorum institutus est disciplinis, qui coaetaneos suos in iudaica traditione superabat, nunc defendit Ecclesiam, quam quondam validissime persequebatur, et magis Christi gratiam et novitatem vult habere cum invidia omnium, quam vetustatem Legis cum laude multorum : quid nos facere oportet, qui ex gentilitate coepimus esse Christiani? »

erant animo a christiana doctrina, atque illi ipsi, qui ex Pharisaeis fidem receperant, Legi mosaicae manebant addicti (*Act.* 15,5); quare cogitari prorsus nequit, Paulum ante conversionem quidquam a Christianis didicisse aut eum Legis odio duci, si nunc omnes a Lege liberos esse docet.

2. *Post conversionem quoque doctrinam ab Apostolis non accepit* (1,15-24).

1,15. ***Quum autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris meae, et vocavit per gratiam suam,*** 16. ***ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus : continuo non acquievi carni et sanguini,*** 17. ***neque veni Ierosolymam ad antecessores meos apostolos : sed abii in Arabiam : et iterum reversus sum Damascum :*** 18. ***deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim :*** 19. ***alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini.*** 20. ***Quae autem scribo vobis : ecce coram Deo, quia non mentior.*** 21. ***Deinde veni in partes Syriae et Ciliciae.*** 22. ***Eram autem ignotus facie ecclesiis Iudaeae, quae erant in Christo :*** 23. ***tantum autem auditum habebant : Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat :*** 24. ***et in me clarificabant Deum.***

1,15. Ὅτε δὲ εὐδόκησεν ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας μητρός μου καὶ καλέσας διὰ τῆς χάριτος αὐτοῦ 16. ἀποκαλύψαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐν ἐμοί, ἵνα εὐαγγελίζωμαι αὐτὸν ἐν τοῖς ἔθνεσιν, εὐθέως οὐ προσανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι, 17. οὐδὲ ἀπῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα πρὸς τοὺς πρὸ ἐμοῦ ἀποστόλους, ἀλλ' ἀπῆλθον εἰς Ἀραβίαν, καὶ πάλιν ὑπέστρεψα εἰς Δαμασκόν. 18. ἔπειτα μετὰ ἔτη τρία ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα ἱστορῆσαι Κηφᾶν, καὶ ἐπέμεινα πρὸς αὐτὸν ἡμέρας δεκαπέντε· 19. ἕτερον δὲ τῶν ἀποστόλων οὐκ εἶδον, εἰ μὴ Ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν τοῦ Κυρίου. 20. ἃ δὲ γράφω ὑμῖν, ἰδοὺ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ὅτι οὐ ψεύδομαι. 21. ἔπειτα ἦλθον εἰς τὰ κλίματα τῆς Συρίας καὶ τῆς Κιλικίας, 22. ἤμην δὲ ἀγνοούμενος τῷ προσώπῳ ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Ἰουδαίας ταῖς ἐν Χριστῷ, 23. μόνον δὲ ἀκούοντες ἦσαν, ὅτι ὁ διώκων ἡμᾶς ποτὲ νῦν εὐαγγελίζεται τὴν πίστιν ἥν ποτε ἐπόρθει, 24. καὶ ἐδόξαζον ἐν ἐμοὶ τὸν Θεόν [1].

1. *VV. LL.* — 15. εὐδόκησεν ὁ ἀφορίσας με (*placuit ei qui me segregavit*) nomine *Dei* non expresso B F G, unus alterve minusc., *It.* (*Vict. Aler, Pel.* etc.) *Vulg. Syr.*; sed *textus rec.* : εὐδόκησεν ὁ Θεὸς ὁ ἀφορίσας με (placuit *Deo* qui me segregavit) ℵ A D E K L P, omnes fere minusc., *It.* (*Iren.* interpr., *Aug.*) *Copt. Arm. Aeth.* Testibus tam dissentientibus Tisch. nomen *Dei* omittit, *Lachm. Treg. WH.* uncis illud includunt. — 17. οὐδὲ ἀπῆλθον (neque *abii*) B D E F G, pauci minusc. et PP., *Syr.* (codd.); sed *textus rec.* : οὐδὲ ἀνῆλθον (neque *ascendi*) cum ℵ A K L P, plerisque minusc. et PP., *Syr.* (codd.) *Copt.* Utram lectionem Latinus interpres suo *veni* expresserit, certum quidem non est, sed probabilius legit ἀνῆλθον cfr *v.* 18. — 18. ἀνῆλθον (ascendi) est communis lectio, atque *Aug. Aler* quoque hoc in loco exhibent *ascendi*; paucissimi tantum minusc. legunt ἀπῆλθον (*abii*); reliqui Latini iterum : *veni*. — Κηφᾶν (Cepham) B ℵ A pauci minusc., *Syr. Copt. Aeth.*; sed *textus rec.* : Πέτρον (*Petrum*) cum D E F G K L P, plerisque minusc., *It. Vulg. Arm.* Moderni critici (*Tisch. Lachm. WH*) priorem lectionem praeferunt. — οὐκ εἶδον (non vidi) est communis lectio, quam ex Latinis *Aug. Sed.* sequuntur; sed εἶδον οὐδένα (*vidi neminem*) D F G cum aliis Latinis. — 23. Pro ἐπόρθει (vastabat) soli F G iterum legunt ἐπολέμει (impugnabat).

Conversatione sua in iudaismo descripta vitae suae, quam egit usque ad illud tempus quo inter gentes apostolico munere fungi coepit, brevem conspectum exhibet, ut iterum ostendat, se Evangelium a reliquis Apostolis non accepisse. Eadem autem ratione, qua in priore pericope, in hac quoque ad negativam theseos suae partem praeprimis attendit; quamprimum enim eum ab Apostolis Evangelium suum non accepisse nec didicisse demonstratum est, pars positiva theseos, eum revelante Domino illud esse edoctum, a neophytis facile concedebatur[1]. Divinitus igitur ad fidem et ad munus apostolicum inter gentes exercendum vocatus (15. 16) primo tempore longe ab Apostolis in Arabia et Damasci vixit (*v.* 17), neque nisi tribus annis post conversionem Petrum ac Iacobum, eosque solos ex Apostolis, per paucos dies vidit (18. 19). Quae iuramento confirmans (*v.* 20) se postea quoque in Syria et Cilicia vixisse ibique Evangelium annuntiasse refert ignotum ecclesiis Iudaeae (21-24).

Pulcherrime ad novam pericopen transit divinis enumeratis beneficiis, quibus ex Ecclesiae persecutore factus sit propagator Evangelii : 15. *quum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae et vocavit per gratiam suam*, 16. *ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus, continuo non acquievi carni et sanguini.* Clarius, quam hodierna *Vulg.*, antiqua versio graecum textum reddidit infinitivo graeco ἀποκαλύψαι, qui a verbo εὐδόκησεν dependet, retento : « quum autem *placuit Deo,* qui me segregavit... et vocavit...., *revelare Filium suum in me*, ut annuntiarem eum in gentibus » etc. (*Aug.* cfr *Vict. A*[ter]). Ab aeterno Deus Paulum elegerat, qui gentibus salutem in Christo obtinendam annuntiaret; qua vero ratione in tempore hoc aeternae misericordiae suae consilium exsecutus sit, Apostolus una hac sententia non sine animi commotione et gratitudine describit. Tria enim beneficia prorsus gratuita hunc in finem divinitus sibi collata ex ordine recenset, duo in subiecto (ὁ ἀφορίσας... καὶ καλέσας qui *segregavit*... et *vocavit*), tertium in praedicato protaseos (εὐδόκησεν ἀποκαλύψαι κτλ *placuit ei revelare* etc.); scopum vero, quem in eis largiendis Deus habuit, sententia finali (ἵνα εὐαγγελίζωμαι κτλ *ut evangelizarem* etc.) exprimit, quae grammatice quidem ad solum tertium beneficium refertur, re tamen ad duo alia simul referatur

1. Iure coniicere licet, Apostolum etiam modestiae ac humilitatis causa, ne scilicet omnes illas visiones, quibus Dominus eum erudire dignatus est, accuratius exponere cogeretur, a positivi asserti demonstratione consulto abstinuisse, quum eam absolute necessariam non esse videret. Adversariorum suorum calumniis coactus de visionibus suis egit quidem 2 *Cor.* 12,1 sqq.; quantopere autem eius modestia ab illis exponendis abhorruerit, ex toto illo loco apparet.

oportet. Attendas porro velim, quomodo in describenda conversatione sua pristina de se solo locutus sit suam culpam quasi exaggerans, quamvis excusatio quaedam ei non defuerit (1 *Tim.* 1,13), in conversione autem referenda omnia soli Deo attribuat.

Primum igitur Deus Paulum *segregavit ab utero matris suae*. Verbo ἀφορίζειν (*segregare*) Alexandrini aliquoties pro hebr. הֵנִיף de speciali illo ritu utuntur, quo pars quaedam ex sacrificiis pacificis desumta, quae sacerdotibus competebat, Deo consecrabatur (*Lev.* 10,15; 14, 12 etc.), aut certae personae (sacerdotes, levitae) prae reliquis gentis suae membris singulari Dei servitio deputabantur (*Exod.* 29,24; *Num.* 8,11). Simili sensu Paulus verbum adhibens[1] sese *ab utero matris suae*, i. e. inde a nativitate vel, si mavis, a conceptione sua (cfr *Ps.* 21,11; 57,4, 70,6 etc.), a Deo prae reliquis contribulibus suis ad speciale eius ministerium, sc. ad apostolatum inter gentes exercendum (cfr *Rom.* 1,1 segregatus ad Evangelium), electum ac *segregatum* dicit, significans, omnes suas dotes naturales cunctasque res vitae suae, educationem institutionemque et reliqua, divinitus ita esse dispositas et ordinatas aut etiam permissas, ut eo tempore, quod Deus praefinierat, muneri apostolico inter gentes fungendo idoneus fieret tamquam aptum instrumentum in manu Dei.

Hanc explicationem, quam multi moderni tenent (*Wind. L R. Palm. Schaef.* etc.), iam indicat *Chrys.* (cfr *Theoph. Oec.*), qui recte quoque monet alibique (de mutat. nomin. hom. 1,5 sq. M. 51,120 sqq.) copiose exponit, ipsam Pauli infidelitatem, pharisaicum sc. eius studium Legis violentamque eius persecutionem Ecclesiae, a Deo ideo esse permissam, ut maiore postea cum efficacia Evangelium inter gentes propagaret ac zelatores iudaizantes impugnaret. Alii tamen antiqui et moderni, qui ad *Ierem.* 2,5 provocant, solam aeternam electionem Pauli ad munus apostolicum designari putant in sola *praescientia* divina consistentes (cfr *Ater*, *Hier. Pel. Sed*[1]. *Herv*[1]. *Thom*[1]. *Est. Iust. Pic.* etc., *Bisp. Reithm. M Ev.*); at et verbo ἀφορίζειν et clarius expressione ἐκ κοιλίας μητρός μου, qua tempus definitur, inchoata aeterni consilii exsecutio clarissime indicatur, atque Ieremiae quoque verbis « dispositio quaedam singularis declaratur, qua Deus viros ad praeclara quaedam officia creat *et electorum suorum vitae primordia* fovet ac protegit » (*Knabenb.* Comm. in Ierem. p. 22)[2]. Omni probabilitate destitui arbitra-

1. Iuxta *S. Epiph.* (haer. 16,1. *M.* 41,249) « *Pharisaei* nomen suum ex eo habent, quod propter voluntariam superstitiosamque disciplinam (διὰ τὴν ἐθελοπερισσοθρησκείαν), quam sibi pro lege statuerunt, a reliquis sunt *segregati* (ἀφωρισμένοι); hebraica enim voce פֶּרֶשׁ *segregatio* (ἀφορισμός) significatur ». Quare teste *Tolet.* (in Rom. 1,1) aliqui ad *pharisaicam* disciplinam, cui Paulus inde a nativitate fuerit addictus, alludi putarunt. Quae explicatio ab *Atro* (in Rom. 1,1) quidem videtur insinuari; at eiusmodi allusio a nostro contextu plane aliena est.

2. Quod in *Ierem.* 1,5 (*priusquam te formarem in utero* etc.) multi solam aeternam

mur reliquas explicationes. Haud parum olim propagata erat sententia, quae a *Vict.* (« separavit me de utero matris meae i. e. me nasci fecit ») proposita et a Thom[2]. « literalis » vocata segregationem Pauli explicavit naturalem eius nativitatem (*Haym*[1]. *Lomb. Dion*[1]. *Cai. Lap*[1]. etc.). Neque probabilior est eorum sententia, qui cum *Aug.* (« segregatur de utero matris, quisquis a carnalium parentum consuetudine caeca separatur ») synagogam matrem esse voluerunt, a cuius utero segregatus, i. e. ex qua egressus sit Paulus (*Prim. Haym*[2]. *Herv*[2]. *Thom*[3]. *Lyr. Dion*[2]. etc.); quin etiam non defuerunt, qui ad *Act.* 13,2 alludi putantes antiochenam ecclesiam matrem esse opinarentur, a qua segregatus sit (*Gayn.* etc.). Ad eundem locum alludi putarunt, qui Paulum segregatum dixerunt a collegio Duodecim Apostolorum, sive quia tertius decimus esset, sive quia inter gentes apostolatum exercere deberet (*Thom*[4]. etc.; cfr *Sed. Tol.* etc. in Rom. 1,1) etc.

Alterum beneficium in ordine ad apostolatum inter gentes exercendum Paulo collatum est vocatio; eum enim, quem ab utero matris segregaverat et speciali prorsus providentia duxerat ac gubernaverat, Deus in itinere damasceno *vocavit per gratiam suam.* Nulla ratione Paulum, quamvis esset segregatus, pristina sua vita vocationem suam meruisse ex iis, quae *vv.* 13 sq. de sua conversatione in iudaismo retulit, evidens est; ex pura igitur ac gratuita Dei benevolentia vocatus est. Quoniam dubium non est, quin de conversione sua, quae facta est in itinere damasceno, loquatur, vocatio intelligi potest quum exterior, quatenus Deus per Filium suum ei apparentem ad fidem eum adduxit, tum interior, quatenus Deus gratia sua simul animum eius tetigit et convertit. Porro ex *Act.* 26,15 sqq. apparet, eadem visione Paulum et ad fidem esse adductum et ad apostolatum exercendum esse designatum; quare utramque vocationem hic intelligendam esse arbitramur, ut eadem ratione, qua Duodecim a Deo per Christum et ad fidem et ad apostolatum sunt vocati, ipse quoque se a Deo per Christum et ad fidem et ad apostolatum vocatum dicat.

Tertium beneficium est, ut ita dicam, proxima praeparatio ad munus apostolicum exercendum; sicut Duodecim ad fidem et ad apostolatum vocati per Christum sunt edocti et instituti, ita etiam *ipse* per Christum institutus et edoctus est; nam Deo, inquit, *placuit revelare Filium suum in me.* Recte *Hier.* non idem esse iam monet *revelare in me* et *revelare mihi;* minus recte autem *in me* idem esse

electionem significatam vident, id nemo mirabitur; equidem autem miror, quod *M Ev.* diserte dixerit : « this beginning of time in reference to St. Paul si employed to express the eternity without beginning, from which God has predestined him ». Quomodo Paulus aeternam electionem designet, docet *Eph.* 1,4 « elegit nos... *ante* constitutionem mundi »; atque ipsa expressio *a constitutione mundi* (*Matth.* 13, 35 etc.) nondum significat aeternitatem.

arbitratur quod *per me* (« praedicante illo Filius Dei agnitus est in gentibus »), quam explicationem *Est.* quoque aliique adoptarunt ad tautologiam, quae exoritur (« placuit Deo *per me* revelare Christum in gentibus, *ut revelarem* eum in gentibus ») non attendentes. Rectius *Chrys.* : « quando revelatio illustrabat intellectum eius, etiam Christum in se loquentem habuit »; quae explanans *Lap.* : « significat, se Christum Christique doctrinam et spiritum intimo totoque animo imbibisse, ut Christus in eo esset et per eum loqueretur ». Haec plena autem ac perfecta institutio ei erat necessaria ob finem, quem Deus in ea danda prae oculis habuit : *ut evangelizarem illum* (sc. Filium Dei) *in gentibus;* ad verum enim apostolatum exercendum communis et ordinaria quaedam institutio non sufficit. Sicut Petro caro et sanguis non revelavit, sed Pater qui in coelis est, Iesum esse Christum Filium Dei vivi (*Matth.* 16,17), ita Paulus quoque a carne et sanguine Evangelium non didicit, sed Deus illuxit in corde eius ad illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Christi (cfr ad 2 *Cor.* 4,6.)

In protasi tria haec beneficia Paulus eo fine recensuit, ut a conversatione sua in iudaismo, ex qua argumentatus erat, ad christianam suam vitam transitum faciens in apodosi inchoatam argumentationem continuaret ac se post conversionem quoque nihil ab hominibus accepisse et didicisse ostenderet : Itaque quando Deo placuit revelare Filium suum in me, ut illum in gentibus evangelizarem, *continuo non acquievi carni et sanguini* (« sive, inquit *Hier.*, ut in graeco melius habetur : *non contuli cum carne et sanguine*, οὐ προσανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι[1]), 17. *neque veni Ierosolymam ad antecessores meos Apostolos*, i. e. ad eos, qui ante me (s. me prius) erant Apostoli (πρὸς τοὺς πρὸ ἐμοῦ ἀποστόλους). Iuxta *Hier.* particula *continuo* (εὐθέως *statim*), a qua reliqui omnes apodosin inchoant, praecedentibus verbis adnectenda est (*ut evangelizarem eum* in gentibus *continuo*), « ne quis dicat, si *statim* non contulit cum carne et sanguine Evangelium, tamen subintelligitur, quod *postmodum* cum sanguine et carne contulerit ». Sed

1. Verbum προσανατίθεσθαι, quod in N. T. hic tantum et 2,6 reperitur, iuxta etymologiam apud profanos proxime significat *sibi imponere* s. *insuper accipere* (cfr *Xenoph.* Memor. II. 1,8), sed si cum dativ. pers. coniungitur *se alicui imponere* seu *se alicui committere* consilii petendi causa (*Diod. Sic.* XVII. 116). Eundem sensum *Hier.* verbo hic recte attribuit consentientibus reliquis latinis PP. tantum non omnibus : *Tert.* (de resurr. carn. 50. « *statim non retulit* ad carnem et sanguinem »), *A^{ter}* (« nec consilium cuiusquam petiit, aut ad aliquem retulit, quid esset acturus »), *Prim.* (« non carnis aut sanguinis vocem audivi, sed Domini, nec contuli cum carne et sanguine »), *Sed.* etc. Diversus autem est sensus verbi in 2,6, ubi Paulus medium pro activo (insuper impono s. *addo*) videtur adhibuisse, nisi rectius dicetur, eam ibi esse vim medii, ut προσανατίθεμαί τινί τι significet : *ex meis addo* alicui aliquid.

ista obiectio fieri non potuit, siquidem omnes adversariorum calumniae eo tendebant, ut Paulum nunc maxime, ex quo sc. tempore munere apostolico fungeretur, ab aliorum Apostolorum vivendi ac docendi ratione dissentire dicerent; hinc id unum ei erat demonstrandum, sese etiam antea inde a conversione sua nihil ab illis accepisse. Quare particula εὐθέως, quae hic ob totius contextus rationem apte reddi potest *iam statim*, apodosis omnino inchoetur oportet; illa tamen ad prius solum membrum negativum, cui praefigitur, pertinet atque ad summum etiam ad alterum trahi potest, quippe quod priori satis arcte sit connexum; nulla vero ratione ad positiva quoque membra, quae deinceps sequuntur (*sed abii in Arabiam* etc.) illam referre licet, quamvis id multi antiqui et moderni teneant. Namque praeprimis ex *Act.* 9,19 sq. constat, Paulum *statim* post conversionem *non* abiisse in Arabiam, quandoquidem « fuit cum discipulis Damasci *per dies aliquot* et *continuo* (εὐθέως) in synagogis praedicabat Iesum esse Christum »; neque minus constat, eum ex Arabia non statim ac sine mora Damascum esse reversum sed satis diu in Arabia esse versatum (cfr infra). Deinde tota argumentatio negativis istis membris ita innititur, ut affirmativa explicationis tantum et confirmationis gratia sint addita; etenim ut ab hominibus se nihil didicisse ostendat, sese post revelationem in itinere damasceno acceptam aut carnem et sanguinem aut Apostolos de ea consuluisse negat, atque hanc negationem explicat confirmatque ex ordine referens, ubi a conversione usque ad illud tempus degerit, quo etiam Iudaeae ecclesiis velut Apostolus innotuit.

Expressione *caro et sanguis* natura humana s. naturalis homo (« totus homo exterior » *Vict.*) haud infrequenter ita significatur, ut eius debilitas ac fragilitas connotetur (cfr *Eccli.* 14,19; 17,30 etc.), praesertim si puris spiritibus (*Eph.* 6,12) aut ipsi Deo (*Matth.* 16,17) vel etiam beatis ad novam vitam resuscitatis (1 *Cor.* 15,50) opponitur; « pro vitiis carnalibus » autem eam adhiberi, erronee aliqui antiquiores (*Lomb. Thom.* etc.) dixerunt. Iam vero hic quoque oppositio habetur ad Deum, qui revelavit Filium suum, atque carni et sanguini, i. e. naturali homini, facultas negatur de eiusmodi revelatione iudicandi. « Extremae, inquit *Chrys.* (cfr *Theod.*), esset absurditatis, si quis a Deo edoctus postea cum hominibus (sc. naturalibus) hac de re consilii capiendi causa communicaret; nam qui ab hominibus discit, is iure denuo homines in consilium adhibet, sed quem Deus beata sua voce alloqui ac docere dignatus est, cur is postea cum hominibus (naturalibus hac de re) conferret? » Hinc merito *Hier.*, quem iuniores ac moderni plerique sequuntur, « absit, inquit, ut ego Petrum, Ioan-

nem et Iacobum hic carnem et sanguinem putem ». Cum *Chrys.* quidem nonnulli Apostolos hic designari non improbabile censent (*Oec. Theoph. Iust. Est.* etc., *Reithm.* etc.), sed eorum opinio sequentibus quoque verbis, quibus de Apostolis agitur, satis refellitur; ad quid enim, uti *Hier.* iam obiecit, Paulus se Apostolos consuluisse duobus continuis membris negasset et cum despectu quodam de iis, quibus sese statim aequiparat, esset locutus? Neque eum hac expressione se ipsum (vitiosam suam naturam *Lomb*[1]. *Thom*[1]. etc. aut naturalem suam prudentiam *Schaef.* etc. — *Ew.* etc.) designare voluisse clarum est; nam id unum quaerebatur, num ab aliis aliquid didicisset. Iudaeos intelligi antiqui haud pauci opinati sunt (*Aug. Prim. Sed. Haym. Herv. Lomb*[2]. *Thom*[2]. *Lyr.*), at arctior haec quoque est sententia, ita ut cum *A*[tro] modernisque plerisque omnes homines hac expressione comprehendi rectius dicamus. Humanum figmentum esse Pauli Evangelium, quatenus a suis ipsorum placitis dissentiret, adversarii iudaizantes dictitabant; sese revelationem divinitus acceptam cum ullo homine explicationis accipiendae aut consilii capiendi causa communicasse ipse negat, ut de humano figmento cogitari nequeat.

Numero autem eorum, qui caro et sanguis, i. e. homines mere naturales, vocari merentur, Apostolos non comprehendit, ad quos altero membro negante transit : *neque veni Ierosolymam ad eos qui ante me erant Apostoli.* Se ipsum, uti verba clare docent, parem et aequalem esse scit duodecim Apostolis, quum aeque, atque illi, a Christo ad apostolatum immediate sit vocatus, eamque solam inter se et inter illos differentiam agnoscit, quod illi prius vocati sint. Quare nulla quoque ei fuit ratio, cur illos consuleret illorumque sententias exquireret; atque immeritissimo iam olim Porphyrius eum arrogantiae incusavit, quod de revelatione sibi facta ipsos Apostolos consulere renuisset. Missionem enim suam ab ipso Domino acceperat ac doctrinam quoque Christus apparens ei partim iam dederat, partim se ipsum ei daturum esse promiserat (*Act.* 26,16 sqq.); a Christo sese immediate deinceps regi sciebat eiusque inspirationem secutus est, quando ab itinere ierosolymitano suscipiendo sese abstinuit, quamvis naturalis prudentia illud suadere videretur. Iam statim igitur post suam conversionem de revelatione sibi facta nec hominum aliorum nec ipsorum Apostolorum consilio aut explicatione vel institutione indiguit. Quod ut magis exponat et confirmet, quid inde ab illo tempore egerit, ita narrat, ut eum ne ab ipsis quidem Apostolis Evangelium suum accipere *potuisse* appareat. Pergit enim : *sed abii in Arabiam et iterum reversus sum Damascum;* 18. *deinde post annos*

tres veni Ierosolymam videre Petrum (ἱστορῆσαι Κηφᾶν) *et mansi apud eum diebus quindecim;* 19. *alium autem Apostolorum vidi neminem* (cum *Aug. Sed.* lege : *non vidi* οὐκ εἶδον), *nisi Iacobum fratrem Domini.*

Quum ex Arabia Damascum se reversum esse (πάλιν ὑπέστρεψα) dicat, eum Damasco in Arabiam esse profectum ac proin eum hic de iis loqui, quae eius conversionem proxime secuta sunt, evidens est. Conversionis Pauli autem eorumque, quae immediate postea gessit, historiam Lucas quoque narrat (*Act.* 9,19-28); quapropter duas relationes inter se conferre cogimur, ut contra modernos « criticos » eas amice conspirare ostendamus, alteraque alteram compleri et illustrari. Neque id admodum difficile est, dummodo ad diversos fines, quos in suis relationibus Paulus et eius discipulus prae oculis habuerunt, et ad consuetum narrandi modum Lucae attenderimus. Ut demonstret, se usque ad illud tempus, quo munus apostolicum exercere coepit, nihil ab Apostolis didicisse aut discere potuisse, Paulus varias terras, in quibus a conversionis tempore usque ad suum apostolatum inchoatum commoratus est, accurate recenset, ideoque etiam arabicum suum iter commemorat. Ut « Evangelium virtutem Dei esse, Iudaeo primum et Graeco » (*Rom.* 1,16) demonstret, Lucas initia Ecclesiae inter Iudaeos et inter ethnicos fundatae narrat ad privatas Apostolorum res eatenus dumtaxat attendens, quatenus Ecclesiae initiis illustrandis inserviant[1], ideoque Pauli iter arabicum silentio praetermittit, quamvis eius conversionem ac primum iter ierosolymitanum narret; in Arabiam enim propagandi Evangelii gratia Paulus non erat profectus, verum eius conversio et iter ierosolymitanum cum initiis Ecclesiae et inter Iudaeos et inter ethnicos arcte cohaerebant[2].

1. De Lucae fine in Actibus scribendis cfr *Introd. spec.* in Novi Test. libr. p. 326 sqq. (*Compend.* Introd. p. 520).

2. Plerique Patres (cfr *Chrys. Theod. Vict. A^{ter}, Aug. Hier.*) Paulum iam in Arabia ethnicis Evangelium annuntiasse pro certo quidem non asserunt, at probabile habent; sed immerito. Quamvis enim ipso conversionis tempore ad apostolatum inter gentes aliquando exercendum vocatus sit (*Act.* 26, 16 sqq. cfr 22, 12-15; 9,15), invicte tamen constat, eum munere apostolico inter ethnicos non esse functum, antequam tribus annis post conversionem suam Ierosolyma est reversus, siquidem oranti in templo nova visione missio ad gentes iterum velut *futura* revelatur (*Act.* 22,17-21). Neque post hanc visionem statim munere promisso fungi coepit, sed aliquot annis postea, quando nimirum a Barnaba velut adiutor Antiochiam arcessitus ibi a Spiritu S. primum iter apostolicum inter ethnicos ingredi iussus est (*Act.* 11,25; 13,1 sqq.). Quod autem in Arabia Iudaeis Evangelium praedicaverit, id nemini, quod sciam, probabile visum est. Rectius igitur coniiciemus, eum in Arabiam proficisci divinitus iussum esse, ut in solitudine ad gravem difficilemque missionem Domino ipso docente praepararetur. Tribus annis post conversionem se Ierosolyma revertisse dicit; quantam trium annorum partem iter arabicum absumserit, cum certitudine utique dici nequit, sed si eos fere integros isti itineri attribuemus, a vero vix multum aberrabimus. Namque duas commorationes eius damascenas, quum earum tempus a Luca definiatur *dies aliquot* ante iter et *dies multi* post iter, ad summum quatuor vel quinque menses durasse, facile concedet, qui quam infenso animo Iudaei damasceni Paulum persecuti sint, perpenderit. Sicut igitur antecessores eius Apostoli, quos Dominus exeunte fere primo anno pu-

At, inquiunt adversarii nostri, Paulus ipse se non nisi tribus post conversionem annis Ierosolymam venisse asserit, iuxta Actuum autem narrationem paucis iam hebdomadis aut ad summum paucis mensibus postea eo advenisse dicendus est; deinde iuxta Actus Damasco Ierosolyma fugere coactus est, Paulus vero se sponte, ut videret Petrum, in civitatem sanctam profectum esse dicit; demum Lucas insinuat, eum Ierosolymis omnes Apostolos vidisse (πρὸς τοὺς ἀποστόλους *Act.* 9,27), id quod Paulus diserte negat. Ut ab ultima obiectiuncula inchoemus, Lucam suis verbis id unum docere respondemus, plures eo tempore Apostolos Ierosolymis adfuisse, atque idem asserit Paulus Petrum et Iacobum nominans, uti statim accuratius videbimus. Minoris, si fieri potest, momenti est secunda obiectio; fugam enim suam damascenam Paulus etiam alibi diserte commemorat (2 *Cor.* 11,32 sq.), hic autem, quum suae argumentationi non inserviat, praetermittit; Damasco igitur fugere coactus est, sed relicta ista civitate sua sponte Ierosolyma venit, ut videret Petrum. Demum qui ad narrandi modum Lucae attenderit, is primam quoque obiectionem levissimam dicet. Is enim Lucae est mos, ut ab uno facto interdum ad alterum transeat temporis intervallo quo disiuncta sunt non indicato[1]; quem morem hic quoque secutus duas quidem Pauli commorationes damascenas distinguit, sed eas itinere arabico disiungi diserte non indicat : Saulum sc. statim post baptismum *per dies aliquot* (ἡμέρας τινάς) cum discipulis Damasci mansisse refert (*v.* 19), ac duobus versibus interiectis (*v.* 22 sq.) eum multo magis convaluisse et confudisse Iudaeos damascenos *multis diebus* (ἡμέραι ἱκαναί) addit. Ipsa narratio inter illos *dies aliquot* et alios *dies multos* aliquid accidisse insinuat, quo Paulus maiores vires acquireret; insere ante *v.* 22 iter arabicum atque tota narratio fit clarissima.

Itaque absentiae quodam argumento se post conversionem ab Apostolis nihil accepisse confirmaturus Paulus se toto tempore, usque dum munus apostolicum inter gentes exercere iam diu coepisset, pro-

blicae suae vitae ad continuam suam sequelam vocavit, per duos annos et aliquot menses ad munus apostolicum subeundum praeparati sunt, ita Paulum quoque per idem circiter temporis spatium iuxta voluntatem Dei ad idem munus sese orationibus sacrisque meditationibus praeparasse probabile est; et sicut reliqui Apostoli a Domino in terris degente instituti et eruditi sunt, ita Paulum in arabica solitudine internis illustrationibus ac visionibus quoque revelationibusque a Christo glorificato institutum et eruditum esse arbitramur. Neque fundamento haec nostra opinio caret, siquidem Dominus Paulo talem institutionem promiserat (*Act.* 26,16).

1. Cfr *Introduct. spec.* in Novi Test. libr. p. 161 n. 4. (*Compend.* Introd. p. 497). Quam facile Lucas ab uno facto ad alterum ita transeat, ut lector, qui non bene attendit, eodem tempore utrumque accidisse credere possit, luculentissime ex duplici eius relatione de ascensione Domini (*Luc.* 24,50 sqq.; *Act.* 1,9 sqq.) apparet. Prior enim tam arcte connectitur cum praecedente narratione de iis, quae in die resurrectionis acciderunt, ut rationalistae concluserint, iuxta Lucae Evangelium Dominum ipso resurrectionis die in coelum ascendisse, quamvis Lucae ipse in *Act.* 1,3 contrarium dicat. Eodem autem modo ex altera concludere possunt, Dominum non ex monte Oliveti, quem locum indicat Evangelium (Luc. 24,50 in via versus πρός Bethaniam), sed ex coenaculo ierosolymitano in coelum abiisse.

cul ab eorum societate degisse ac semel tantum per paucos dies cum duobus ex iis conversatum esse ostendit. Aliquot diebus enim post suum baptismum Damasco relicta *abiit in Arabiam*. Quo nomine antiqui scriptores praeter hodiernam paeninsulam arabicam etiam vicinos terrarum tractus versus septemtrionem Palaestinam inter et Euphratem usque Palmyram fere et Thapsacum designarunt; distinguunt enim Arabiam *felicem*, ipsam sc. paeninsulam arabicam, *petraeam*, quae sinaiticam paeninsulam terrasque mari mortuo ab Oriente adiacentes complectebatur, *desertam*que, quae inde a petraea Arabia et Syria usque ad Euphratem se extendebat. Quam in Arabiae partem Paulus sese receperit, ignoramus quidem, sed quoniam postea (4,25) montem Sina *in Arabia* situm dicit, eum de paeninsula sinaitica hic quoque cogitasse coniicere licet, ut illis in regionibus sese ad apostolatum gentium a Christo glorificato praeparatum esse significet, in quibus olim Moyses quoque ad legislatoris Iudaeorum munus subeundum a Deo praeparatus vocatusque est ac Legem ipsam a Deo accepit. Ex Arabia vero tribus fere annis postea Damascum reversus, quum multo magis (quam ante iter suum) convalesceret et confunderet Iudaeos affirmans Iesum esse Messiam, post multos dies (forte tres quatuorve menses) fugere coactus (*Act.* 9,22-25 ; 2 *Cor.* 11,32 sq.) *Ierosolymam venit videre Petrum*, ἱστορῆσαι Κηφᾶν (cfr *VV. LL.*). « Non dixit, inquit *Chrys.*, ἰδεῖν (*videre*) sed ἱστορῆσαι (*visere*), quomodo loqui solent, qui magnas ac splendidas urbes adeunt spectandi cognoscendique causa ». Velut virum igitur eximium, qui singularem prorsus locum in Ecclesia atque in ipso Apostolorum collegio occupabat, Paulus quamvis ab ipso Christo vocatus et eruditus Petrum invisendum sibi esse duxit. « Sicut nunc, inquit iterum *Chrys.*, multi fratres nostri ad viros sanctos proficiscuntur, eodem affectu Paulus Petrum adiit; quin etiam aliquid multo humilius fecit; nam isti nunc utilitatis suae causa peregrinationem suscipiunt, at beatus ille non ut disceret ab eo aliquid profectus est, sed tantum ut viseret eum debitumque ei honorem praesentia sua praestaret ». Quibuscum consentiens *Thom.* : « si in Petro fundamentum Ecclesiae positum est, Paulus, cui revelata erant omnia, scivit videre se debere Petrum quasi eum, cui tanta auctoritas a Christo data esset, non ut ab eo aliquid disceret ». Egregia igitur his verbis continetur primatus Cephae (Petro) commissi confirmatio; illam enim solam, quam *Chrys.* indicat, significationem verbo ἱστορεῖν, quod in Scripturis hoc solo loco legitur, competere, omnes acath. quoque fatentur.

Quindecim diebus autem se apud Petrum mansisse Paulus asserit, ut se hoc brevi tempore ab eo Evangelium accipere aut discere non

potuisse significet. Quod vero *Chrys.* contra reliquorum fere omnium sententiam Paulum tempus longum significare voluisse censet, ut quanto in honore Petrum haberet ostenderet, id omni probabilitate caret, quoniam hoc in loco quae eius cum Petro amicitia sit, non quaeritur, sed quae doctrinae eius sit origo[1]. Quapropter etiam addit *se alium Apostolorum* eo tempore Ierosolymis *non vidisse nisi Iacobum fratrem Domini*, i. e. Iacobum Min., Alphaei filium, quem una cum Petro et Ioanne Paulus columnam Ecclesiae appellat (2,9), quique primus Ierosolymorum episcopus renuntiatus in primitiva Ecclesia magna pollebat auctoritate (cfr *Act.* 12, 17; 15,13; 21,18 sqq.) et propter eminentem sanctitatem inter incredulos quoque Iudaeos magno in honore habebatur (cfr *Flav. Ioseph.* Antiqu. XX. 9,1).

Cum *Vict.* aliisque paucis PP. hodie unus alterve cath. (cfr *Schegg* Iacob der Bruder des Herrn. München 1883) ac plerique acath. Iacobum, fratrem Domini, unum ex Duodecim fuisse negant; at his Pauli verbis egregie refelluntur[2]. Quicumque enim animo praeiudiciis vacuo hanc sententiam

1. Cur tam cito Ierosolyma reliquerit, Paulus non magis dicit, quam cur in Arabiam abierit aut Damasco profectus sit; neque enim ex itinerum suorum causis, sed ex itineribus ipsis argumentatur. Verum quae ille omisit, supplet Lucas, qui quum docere velit, quae primis illis temporibus conditio Ecclesiae fuerit ac quanto cum odio increduli Iudaei propagationem Evangelii impedierint, Paulum et Damascum et Iersolymam ob Iudaeorum persecutiones fuga relinquere coactum esse narrat (*Act.* 9,29). Ad quem Act. locum animadverte, *Vulg. Clem.* lectionem (loquebatur quoque *gentibus* et disputabat cum *Graecis*) non esse accuratam; neque enim graeco textui consonat (ἐλάλει τε καὶ συνεζήτει πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς) nec reliquis versionibus (*Syr. Memph. Sah. Arm.*) nec antiquioribus melioribusque *Vulg.* codicibus plerisque (*Amiat. Demid. Tolet.* etc.), qui consentiente *Ven. Beda*, unico Patre latino, qui Actus commentariis illustravit (cfr *M.* 92,1017), verbo *gentibus* omisso : legunt « loquebatur et disputabat cum *Graecis* », i. e. cum Hellenistis s. Iudaeis extra fines Palaestinae natis, qui lingua graeca pro vernacula utebantur (cfr *Act.* 6,1 etc.). Quae adnotare voluimus, ne quis ex hodierna *Vulg.* lectione, quae procul dubio erroneae glossae cuidam debetur, deducere velit, Paulum iam eo tempore apostolatum *gentium* exercuisse. Antequam eum exercere coepit, Petrus, caput Ecclesiae, primum ethnicum non circumcisum eiusque familiam ethnicam divinitus edoctus in Ecclesiam recipere debuit; Cornelii autem conversio (*Act.* 10,1 sqq.) isto itinere Pauli est recentior.

Illud quoque addere liceat, quomodo hac quoque occasione singularis providentia, qua Deus Pauli rebus invigilavit eiusque futurum apostolatum inter gentes praeparavit, sese manifestaverit. Brevitatem temporis, quod cum Petro peregit, Paulus hoc in loco pro argumento affert, quo Evangelium suum immediate a Christo acceptum esse demonstret. Attamen Paulus diutius Ierosolymis manere sibi proposuerat et sola Iudaeorum persecutione, quam Deus permisit, propositum suum exsequi est impeditus. Quin etiam exorta persecutione Iudaeis cedere noluit, ipsique Deo eum fugere iubenti quodam modo restitit, quia sibi potius, utpote pristino Christianorum persecutori, quam reliquis Apostolis, Iudaeos fidem habituros esse putavit; obedivit autem, quando Deus ei dixit : « Vade quoniam ego *in nationes* longe mittam te » (cfr *Act.* 22,17-21). Singulari igitur divinae providentiae hoc argumentum debuit, neque aberrabimus, si Deum reliqua quoque itinera etc., quae hic pro argumentis enumerantur, ita disposuisse et ordinasse dicemus, ut Paulus se aliis Apostolis aequalem demonstrare posset (cfr *infra* ad 2,2. n. 1. p. 422).

2. Uberius de Iacobo fratre Domini disseruimus in *Introd.* in Nov. Test. libr. p. 593-601

in suo contextu legerit, Iacobum Apostolis illis, quos ante se munere apostolico functos esse Paulus dixit, i. e. collegio Duodecim Apostolorum, adnumerari sua sponte concedet. Sententia enim exponatur oportet : « alium Apostolorum non vidi, nisi *Apostolum* Iacobum, qui, ut ab homonymo suo, Iacobo Zebedaei, fratre Ioannis, distinguatur, cognomine *fratris Domini* accuratius definitur ». Nomen Apostoli autem ex toto contextu sensu strictissimo de illis viris sumatur oportet, quos Dominus ipse duodecim elegit ac vocavit, ut testes resurrectionis suae essent Evangeliumque omnibus populis terrae annuntiarent; eos enim solos Paulus immediate antea (*v.* 17) *antecessores suos Apostolos* vocaverat iisque se aequalem ac parem esse demonstrare vult. At moderni acatholici, ut Immaculatae Matris Domini perpetuam virginitatem facilius impugnent, Iacobum verum Apostolum fuisse negant; siquidem si ex Duodecim fuit, eum filium Alphaei fuisse concedere coguntur ac proin neque eum neque eius fratres (Ioses, Simon, Iudam) filios Mariae ac fratres uterinos Iesu amplius dicere possunt[1]. Itaque praeiudiciis occaecati alii ex eis contra grammaticam graecam peccantes explicant : « alium Apostolorum non vidi, *sed* (ex aliis auctoritatibus ecclesiae ierosolymitanae) vidi Iacobum » (cfr ex. gr. *Goeb.*), quamvis particula εἰ μή (uti iam monuimus ad *v.* 7) non sit adversativa, sed exceptiva, excipi autem ex aliquo genere non possit, nisi qui illo contineatur. Quod concedentes alii, qui ad leges grammaticas accuratius attendunt (cfr ex. gr. *Mey Sieff.*), ut ad finem suum perveniant, nomen *Apostoli* hac in sententia stricto suo sensu sumi negant, atque sensum sententiae esse volunt : « praeter Petrum Ierosolymis alios operarios evangelicos non vidi[2], nisi Iacobum ». Verum isti, ut suam sententiam teneant,

(*Compend.* Introd. p. 585 sq.) ac Deo favente disseremus in Prolegom. ad Iacobi epistolam; cfr etiam *Comment.* in 1. Cor. (9,5.6 p. 244 sq.). Ex modernis acath., qui Iacobum non tantum ex Duodecim fuisse negant sed etiam eum uterinum fratrem Iesu fuisse blasphemant, *Sieff.* (*Herzog* Realencyclop. VI. 468 et Comm. in Gal.) enumerat *Credn. de W. Olsh. Kern Neand. Hilg. Wieseler, Wiesinger, Lightf. Eadie Reuss Oert. Huth. B Weiss Bleek Laur. Plitt Keym W Schmidt*, quibus ex acath. nostrae epistolae comment. recentissimis adde ipsum *Sieff.* ac dein *Goeb. Schm. Z.* Genuinam sententiam, quae olim etiam inter Protestantes communis fuit (cfr *Beng.* i. h. l : « frater Domini, Iesu consobrinus; non alius Iacobus frater Domini atque Apostolus »), pauci acath. hodie defendere audent, sc. *Steig. Theile Hofm. Lange Ph.*

1. Animadvertas tamen velim, nihil contra perpetuam virginitatem B. Matris Domini directe secuturum esse, etiamsi cum paucis Patribus et interpretibus cath. admitteres, Iacobum fratrem Domini ex collegio Apostolorum non fuisse; nam modernis nostris Antidicomaritanis demonstrandum erit, eum eiusque fratres, qui « fratres Domini » appellantur, uterinos fratres Iesu fuisse. Attamen quamprimum demonstratum est, Iacobum fratrem Domini ex Duodecim fuisse, Antidicomaritanorum error sua sponte ruit; haec unica est causa, cur moderni acath., qui semper grammaticam interpretationem celebrant, hoc in loco grammaticam conculcant.

2. Plane ridicule tamen *Sieff.* (*Herzog* Realencycl. VI. p. 470) exponit : « praeter Petrum non vidi alium Apostolum, nisi quis forte Iacobum, quem utique etiam vidi, Apostolis adnumerare velit ». (« Die Worte des Paulus Gal. 1,19 *koennen nur bedeuten :* einen andern Apostel habe ich nicht gesehen als allein den Petrus; man müsste denn auch den Iacobus, den ich freilich auch sah, zu den Aposteln rechnen wollen »).

Actibus Apost. fidem negare debent; nam teste Luca Paulus in primo itinere suo ierosolymitano etiam vidit Barnabam, qui ipse quoque latiore sensu Apostolus nominatur atque iam ante Paulum ministerium evangelicum exercere coepit (*Act.* 9,26 sq. cfr 14,4. 13; 11,22 sqq.). Ex eodem porro Actuum testimonio constat, Paulum a Barnaba ad *Apostolos* ductum esse, ac proin plures, quibus nomen Apostoli strictiore sensu, quam Barnabae, competebat, illo tempore Ierosolymis adfuisse et a Paulo visos esse. Nulla quoque Paulo fuisset nominandi Iacobi ratio, si hic ex collegio Duodecim Apostolorum non fuit; nam eum a secundariis operariis apostolicis non esse institutum aut missum, adversarii eius non obiiciebant; secus etiam se ab Anania vel alio evangelista damasceno nihil accepisse demonstrare debuisset. Tota quaestio erat, utrum a primitivis Apostolis, an immediate a Christo doctrinam missionemque suam accepisset, utrum igitur primitivis Duodecim esset aequalis, an eis inferior. Quapropter in toto hoc loco nomen Apostoli strictissime intelligatur necesse est.

Quanti momenti assertum suum, quod tribus annis dumtaxat post conversionem suam Apostolos Petrum et Iacobum per solos paucos dies viderit, Paulus habeat, ex eo patet, quod iuramento illud confirmet :.20. *quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.* Haud omnino infrequenter quidem sollemnioribus in occasionibus, ubi de rebus gravibus agitur, iureiurando asserta sua firmat (2 *Cor.* 1,23; 10,10. 31; *Rom.* 1,9; 9,1; *Phil.* 1,8; 1 *Thess.* 2,5. 10 etc. cfr *Aug.* ad Hilar. ep. 157, 40); haec tamen formula, quum sit anacoluthica, aliquid extraordinarii habet commotique animi est signum. Magna enim cum vi rem, quam confirmare vult, absolute praemittit : *Quae scribo vobis,* i. e. quod attinet ad ea quae vobis scribo; iusiurandum deinde sequitur ellipticum : *ecce coram Deo* sc. testor vel dico, *quod non mentior* (me non mentiri). Quin iuramentum proxime ac directe ea respiciat, quae immediate antea de suo itinere ierosolymitano affirmavit, nemini est dubium, quum totius argumentationis quasi caput sit; neque tamen nego, ea simul comprehendi, quae inde a *v.* 15 dixit et statim *v.* 21 sqq. dicturus est, quamvis ad argumentationis vim minus conferant; quod vero *Aug.* (ad Hier. ep. 82, n. 7) iuramentum ad totam epistolam sese extendere innuit, id nemini, opinor, probabitur.

A iureiurando ad argumentationem reversus ea refert, quae post iter ierosolymitanum egit; in terris scilicet, in quas Apostoli reliqui eo tempore nondum advenerant degens apostolatui suo inter gentes iam praelusit ethnicis Evangelio annuntiato : 21. *deinde veni in partes Syriae et Ciliciae.* Iuxta *Act.* 9,30 Iudaeorum persecutione exorta fratres Paulum deduxerunt Caesaream (sc. maritimam, quae ab Herode in loco turris Stratonis inter Ioppe et Ptolemaidem aedificata eo tem-

pore sedes erat romanorum procuratorum Iudaeae) et dimiserunt Tarsum, quae caput erat Ciliciae Paulique patria. Eum de hoc itinere proxime loqui censent aliqui, et ex ordine duorum nominum *Syriae* et *Ciliciae* concludunt, eum terrestri itinere per Syriam in Ciliciam venisse (cfr *Reithm. Palm.* etc.); at ex sequentibus sententiis elucere arbitramur, eum de variis regionibus (κλίματα) Syriae et Ciliciae loqui, in quibus Evangelium annuntiavit. Paucis enim annis post eius fugam, quum Antiochiae Syriae prima ecclesia ex ethnicis conversis esset formata, Barnabas ab Apostolis, ut eam gubernaret, Antiochiam missus Paulum Tarso arcessivit, et ambo totum annum in ecclesia illa conversati sunt et docuerunt turbam multam (*Act.* 11,25). Urbis finibus eos sese non continuisse sed in alia provinciarum romanarum Syriae et Ciliciae oppida breviores expeditiones apostolicas suscepisse, ex nostra sententia elucet.

De his apostolatus sui praeludiis vel potius initiis loquens pergit : 22. *eram autem ignotus facie ecclesiis Iudaeae, quae erant in Christo*[1]. Inde ab a. 6. p. Chr. *Iudaea* pars quidem erat romanae provinciae *Syriae*, sed a procuratoribus, qui a romano imperatore ipso nominabantur nec a Syriae legatis dependebant, administrabatur; ideo Paulus, quem in terris nominandis romanum usum sequi diximus (cfr Proleg. 1,1 p.361), Iudaeam velut provinciam separatam iure merito considerat, quae « Syriae regionibus » (*v.* 21) non comprehendatur. Nomine autem *ecclesiarum Iudaeae quae erant in Christo* (rectius : quae *sunt* in Christo, i. e. cum Christo capite suo intime unitae eique quasi membra insertae) illas intelligit omnes, quae praeter ierosolymitanam per totam Palaestinam post Stephani mortem erant exortae (*Act.* 8,4 sqq.); ierosolymitanam vero excipi clarum est, quia sese Christianis ierosolymitanis, quos multo tempore vehementissime persecutus erat et inter quos Petrum invisens quindecim dies conversatus erat, *facie ignotum esse* asserere non potuit. Eo igitur tempore, quo cum Barnaba Antiochiae et in vicinis Syriae Ciliciaeque civitatibus Evangelium ethnicis annuntiabat, cum Iudaeae ecclesiis nullum ha-

1. Paulus in sua oratione coram rege Agrippa (*Act.* 26,19 sqq.) sese poenitentiam annuntiasse asserit « his qui sunt Damasci primum et Ierosolymis, *et in omnem regionem Iudaeae* et gentibus ». Unde moderni « critici » novam habere sibi videntur obiectionem, qua aut Actuum auctoritatem aut authentiam nostrae epistolae impugnent, quae Paulum *ecclesiis Iudaeae* facie ignotum fuisse docet. Sed qui bene distinguit, bene docet. Paulus in hoc epistolae loco de tempore loquitur ante concilium apostolicum, de quo statim (2,1 sqq.) agere incipit; ad summum igitur asserit, se ecclesiis illis usque ad concilium apostolicum fuisse ignotum; iuxta *Act.* 15,3 autem Paulus et Barnabas Ierosolymam ad concilium profecti « pertransibant Phoenicen et Samariam narrantes conversionem gentium » etc. Orationem suam ad regem Agrippam Paulus habuit circiter decem annis post concilium apostolicum ac probabiliter octo fere aut saltem quatuor annis post hanc epistolam scriptam. Qua igitur ratione « critici » demonstrabunt, Actuum auctorem Paulo contradicere?

bebat commercium; ac proin etiam ab Apostolis, qui in illis ecclesiis fundandis, invisendis, administrandis erant occupati, nihil didicit aut accepit nec ab eis dependebat; sed eis par et aequalis munus, quod eadem ratione atque illi a Christo acceperat, suo cum iure exercebat.

Uno tamen vinculo cum ecclesiis Iudaeae earumque, uti per se intelligitur, Apostolis erat ligatus; facie ignotus illis plane erat, 23. *tantum autem auditum habebant* (μόνον δέ ἀκούοντες ἦσαν, sc. οἱ πιστεύοντες τῶν ἐκκλησιῶν. *Aug.* : tantum autem audientes erant, *Vict. A*[ter] : tantummodo audiebant) : *quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat* (ἐπόρθει *Aug.* vastabat), 24. *et in me clarificabant Deum.* Pulchre dicit Paulus ἀκούοντες ἦσαν (*audientes erant*), innuens famam de felicibus apostolatus sui fructibus quasi continuo ad ecclesias Iudaeae pervenisse, ita ut semper novos successus audientes semper magis cum ipso sese unitos sentirent. Eo magis porro gavisae sunt, quia crudelem persecutorem nunc in diligentissimum Apostolum audiebant mutatum, qui eandem fidem, quam olim expugnabat et vastabat, quatenus eam persecutione sua ex cordibus fidelium eripere studebat, nunc non minore cum ardore animis inserere studebat. Atque ita *in me*, inquit, *glorificabant Deum*, quia sc. in me invenerunt materiam celebrandi ac laudandi Deum, quippe qui solum per me illos fructus produceret. « Non dixit : laudabant *me*, sed : *Deum* glorificabant; quod enim in Apostolo agebat, id gratiae Dei debebatur » (*Oec*). Pro more suo, quem saepissime iam indicavimus, ultimis his verbis novam sectionem praeparat, qua suae doctrinae cum doctrina reliquorum Apostolorum consensum demonstrare vult. Recte enim *Hier.* : « totum quod ait illud est, ut doceat, se numquam de persecutore apud eos ipsos, quos prius persecutus fuerat, potuisse exsistere gloriosum, nisi praedicatio eius eorum quoque, qui antea eum malum noverant, esset iudicio comprobata »; atque *Tert.* (de praescr. 23) : « nam et illi in Iudaea non essent admirati de persecutore factum praedicatorem, si aliquid contrarii praedicaret ».

§ 2. *De Evangelii Pauli consensu cum reliquorum Apostolorum doctrina* (2,1-21).

1. *Pauli Evangelium ab auctoritatibus Ecclesiae in concilio apostolico comprobatum* (2,1-10).

Divinam esse Evangelii sui originem et a Christo ipso sese vocatum esse Apostolum superiore narratione satis superque demonstravit; at altera remanebat pseudapostolorum calumnia, qui eius Evangelio

modum docendi vivendique aliorum Apostolorum opponentes doctrinam eius imperfectam ac mancam esse dictitabant, ita ut aliorum dogmatis de necessitate aut utilitate Legis mosaicae esset complenda. Contra quos Paulus eandem methodum historicam retinens duo facta affert, quibus suum Evangelium et ab Ecclesiae columnis, Iacobo, Petro, Ioanne, quos illi semper in ore habebant, et ab ipso Ecclesiae capite approbatam esse docet, concilium nimirum apostolicum suamque cum Petro controversiam antiochenam. Concilii apostolici, a quo iuxta temporis rationem exorditur (1-10), historiam Lucas quoque narrat (*Act.* 15,1-29); pro diversis vero, quos prosequuntur, finibus diverso iterum modo magister et discipulus de illo agunt, sed tantum abest, ut eorum relationes inter se pugnent, ut altera alteram compleat ambaeque in unam coniunctae pleniorem perfectioremque illius imaginem exhibeant. Ambo publicas disceptationes et privatos Apostolorum congressus distinguunt; sed Lucas pro fine suo historico ad publicas sessiones magis attendit, quibus provocatum et promulgatum est decretum, quo ethnici conversi a Legis iugo liberi declarabantur; e contra pro fine suo apologetico Paulus singularia quaedam ac magis privata facta refert, quibus a primariis Apostolis Evangelium suum plene approbatum esse clarius appareat.

Ab antiochena scilicet ecclesia Ierosolyma missus, ut Apostolis quaestionem de legalium necessitate a iudaizantibus asserta proponeret, Titum, neophytum non circumcisum, comitem itineris esse voluit; Ierosolymis autem, quamvis a iudaizantibus Titi circumcisio esset postulata, eum approbantibus reliquis Apostolis circumcidi non permisit; in privato deinde conventu auctoritates non tantum Evangelio quod eis proposuit nihil addiderunt, sed columnae Ecclesiae eum Apostolum sibi aequalem agnoverunt. Itaque duo sunt huius sectionis membra : de Titi circumcisione a iudaizantibus postulata sed ab auctoritatibus non concessa (1-5), et de Pauli doctrina et apostolica dignitate a columnis Ecclesiae agnita (6-10).

1.) *De Titi circumcisione a iudaizantibus postulata sed ab Apostolis negata* (2,1-5).

2,1. *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Ierosolymam cum Barnaba, assumto et Tito.* 2. *Ascendi autem secundum revelationem : et contuli cum illis evangelium, quod praedico in gentibus, seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse : ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.* 3. *Sed neque Titus, qui me-*

2,1. Ἔπειτα διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν πάλιν ἀνέβην εἰς Ἱεροσόλυμα μετὰ Βαρνάβα, συμπαραλαβὼν καὶ Τίτον· 2. ἀνέβην δὲ κατὰ ἀποκάλυψιν, καὶ ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσιν, κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσιν, μήπως εἰς κενὸν τρέχω ἢ ἔδραμον. 3. ἀλλ' οὐδὲ Τίτος ὁ σὺν ἐμοί, Ἕλλην ὤν, ἠναγ-

cum erat, quum esset gentibus, compulsus est circumcidi : 4. sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, ut nos in servitutem redigerent. 5. Quibus neque ad horam cessimus subiectione, ut veritas evangelii permaneat apud vos.

κάσθη περιτμηθῆναι· 4. διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους, οἵτινες παρεισῆλθον κατασκοπῆσαι τὴν ἐλευθερίαν ἡμῶν, ἣν ἔχομεν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ἵνα ἡμᾶς καταδουλώσουσιν, 5. οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ, ἵνα ἡ ἀλήθεια τοῦ εὐαγγελίου διαμείνῃ πρὸς ὑμᾶς [1].

Novi sui itineris ierosolymitani tempore, sociis, causa ac fine indicatis (1. 2) Paulus, quid ea in occasione de Titi circumcisione actum sit, ita exponit, ut suam de legalibus doctrinam a reliquis Ecclesiae auctoritatibus approbatam esse doceat (3-5). Quid ipse enim de legalium observantia sentiat, luculentissime ex eo apparet, quod Titum, neophytum non circumcisum, secum Ierosolyma duxerit, quamvis ibi de Legis obligatione agendum esse sciret; quid vero reliqui Apostoli de hac quaestione sentiant, non minus clare ex eo apparet, quod Tito circumcisionem, quamvis a iudaizantibus postulata sit, non imposuerint.

Haud sine ratione Paulum ab hoc argumento, quod per se minoris esse momenti videtur, demonstrationem suam inchoasse facile intelligemus, si ad adversariorum calumnias attenderimus. Etenim haud multum ante hanc epistolam scriptam, quando secunda vice ecclesias romanae provinciae Galatiae visitavit, Lystrae Timotheum, quem itineris sui apostolici socium assumere voluit, « propter Iudaeos » incredulos [2] illius regionis circumciderat (*Act.* 16,3); atque vix non certum est, pseudapostolos Galatarum hoc facto esse abusos, ut Paulum ipsum Christianos incircumcisos dictitarent indignos habere, qui in suo comitatu degerent, atque sua ipsius agendi ratione docuisse, circumcisionem requiri, ut aliquis perfectus Christianus esset. Cui obiectioni, quae specie quadam veritatis sese com-

1. *VV. LL.* — 3. ὁ σὺν ἐμοί (*qui mecum erat*) articulum ὁ, quem solus B praetermittit, ad aliorum omnium fidem restituimus. — 4. διὰ δὲ τοὺς προσεισάκτους (*sed propter subintroductos*) est communis et certa lectio, quamvis *Theod.* particulam δέ abundare dicat ac similiter *Hier.* particulam *autem* (quam pro hodierno *sed* etiam alii antiqui legerunt) superfluam censeat; sed cfr *Comm.* — 5. οἷς οὐδέ (*quibus neque*) iterum est communis et certa lectio; quam exhibent B ℵ A C E F G K L P, omnes minusc., *Vulg. Syr. Copt. Arm.* et ex PP. latinis *S. Ambr.* (ep. 37,21) *Aug. Hier.*; attamen utramque vocem omittunt D, teste Victorino « plurimi codd. et latini et graeci » una cum *Tert. Vict. Aler, Sed.*; solum οὐδέ (neque) omiserunt aliqui codd. latini testibus *Prim.* et *Sed.*; solum οἷς (quibus) omiserunt aliqui codd. graeci estet *Atro*, quidam codd. latini teste *Vict.*, *Marcion* teste *Tert.*; cfr *Comment.*

2. Haud recte in Breviario Rom. die 24. Ianuar. Noct. 2. dicitur « circumcidit eum propter Iudaeos, *qui crediderant* ».

mendare et ad simplices Galatas seducendos aptissima esse videbatur, statim a principio occurrit, Timotheo « propter Iudaeos » circumciso Titum « propter subintroductos fratres » non circumcisum ac medios inter Apostolos Ierosolymis conversantem opponens.

Inchoatum igitur vitae conspectum continuans, sicuti primi, ita huius quoque itineris tempus cum emphasi quadam in principio sententiae indicat, « ut ostendat, quod non indiguerit Apostolorum instructione, quum tamdiu esset sine eis » (*Thom.*) : 1. *deinde post annos quatuordecim* (διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν) *iterum* (πάλιν) *ascendi Ierosolymam cum Barnaba, assumto et Tito* (συμπαραλαβὼν καὶ Τίτον). Praeposititionem διά hic a *Vulg.* recte verti *post*, communis est antiquorum et fere omnium quoque modernorum sententia[1]; a quonam autem termino Paulus quatuordecim annos computet et quodnam ex quinque suis itineribus ierosolymitanis a Luca commemoratis (*Act.* 9,20 sqq.; 11,27 sqq.; 15,1 sqq.; 18,22; 21,15 sqq.) indicare velit, in controversia est. Verumtamen asserere non dubito, annos illos numerari a finito, de quo antea locutus est, itinere ierosolymitano (1,18) aut, quod idem fere est, ab initio laborum eius in Syria et Cilicia (1,21), tertium deinde iter designari, quo legalium quaestio Ierosolymis tracta est (*Act.* 15,1 sqq.).

1. Ad priorem controversiam quod attinet, paucorum illorum sententiam iure praetermittimus, qui Domini passionem vel ascensionem terminum esse volunt, a quo anni illi sint numerandi (*Chron. Pasch. M.* 92,565; *Ven. Beda* in Act. 15. *M.* 92,976; *Lomb. Dion.* — *Capellus* etc.); quid enim Domini passio vel ascensio hic sibi velit, non intelligitur, nisi cum istis auctoribus Paulum eodem anno, quo Dominus mortuus est, ad fidem conversum esse perperam statuis. Quodsi vero illud admiseris, prima sententia cum secunda congruit, quam praeeunte *Vict.* haud pauci antiquiores ac moderni tenent (*Thom. Cai. Iust. Baron. Est. Lap. Pic. Wind. M Ev. L R. Schaef.* — *Olsh. Wiesel. Ew. Eadie Hilg. Schm.* etc.); eadem enim ratione, qua 1,18, Paulum annos iterum a conversione sua ita computare censent, ut tres anni antea commemorati his quatuordecim includantur. At computationibus chronologicis potius, quam exegeticis rationibus haec sententia nititur; evidens autem est, nostrum locum ad chronologiam vitae Pauli definiendam optime quidem inservire, sed ex incerto systemate chrono-

1. Eodem modo *Vulg.* praepositionem διὰ recte vertit *Marc.* 2,1 et *Act.* 24,17; haud recte vero *Matth.* 26,61, ubi ablativus temporis (*tribus diebus*), uti in loco parallelo (*Marc.* 14,58), adhibendus erat (cfr *Ioan.* 2,19). Praepositio διὰ cum genet. enim, si de tempore adhibetur, proxime durationem temporis, *per* quod aut *intra* quod aliquid fit, significat (*Luc.* 5,5; *Hebr.* 2,15 etc. *Act.* 5,19; 16.9 etc.), ac deinde de tempore, quod quasi percursum est, adhibetur, ita ut διὰ τοῦ σαββάτου possit poni pro διαγενομένου τοῦ σαββάτου (*Marc.* 16,1). Utroque sensu praepositio etiam a profanis usurpatur; priorem autem, quem paucissimi quidam acath. hic admiserunt, nostro loco non convenire evidens est.

logico non posse explicari [1]. Quare solam tertiam sententiam probari posse arbitramur, quam inter Patres *Chrys.* (hom. in illud : in faciem ei restiti. n. 7 *M.* 51,377) et *Hier.* (i. h. l.) proposuerunt plurimique cum illis tenuerunt tenentque (*Haym. Herv. Salm. Petav. Cathar. Nat. Hug, Allioli, Bisp. Reithm. Dr. Palm. Ramb.* etc. — *Usser. Beng. Credn. Mey Sieff. Lightf. Goeb. Ph. Z.* etc.). Ac profecto Paulus, quamvis non amplius eandem thesin, quam antea (1,11-24), demonstret, sed suam iam doctrinam ab aliis Apostolis comprobatam esse ostendat, inchoatum tamen vitae suae conspectum continuat. Ea enim est totius loci structura, ut eadem particula ἔπειτα (*deinde*) ter repetita (1,18. 21; 2,1) totum tempus, quod a conversione effluxit, in varias epochas, quae se invicem excipiunt, distribuatur : iter arabicum et commoratio damascena, — iter ierosolymitanum et apostolatus in Syria et Cilicia, — novum iter ierosolymitanum. Sicut igitur tres anni (1,18) tempus itineris arabici et commorationis damascenae definiunt, ita quatuordecim anni definiunt tempus apostolatus in Syria et Cilicia; aut si mavis, prior temporis indicatio priorem absentiam ab Apostolis, et altera temporis indicatio similiter alteram absentiam ab Apostolis definit. Revera Paulus, quum se *iterum* (πάλιν) Ierosolyma ascendisse dicit, ad prius iter (1,18) commemoratum respicit, neque tamen eandem praepositionem μετά, sed praepositionem διά adhibet, qua tempus intra duos terminos percursum indicatur : « interiectis quatuordecim annis » inter terminum adverbio *iterum* indicatum et inter novum iter. Septemdecim anni igitur ab eius conversione effluxerant, quando iterum Ierosolyma ad Apostolos profectus est. Quomodo haec temporis indicatio definiendae chronologiae vitae Pauli inserviat, alibi ostendimus [2]; conversionem enim eius a. 34., primum iter ierosolymitanum a. 37., iter ad concilium apostolicum a. 51. esse attribuenda vidimus.

2. De altera controversia maior hodie est interpretum consensus. Quoniam nec primum iter (*Act.* 9,20 sqq.) utpote iam commemoratum (1,18), nec ultimum (*Act.* 21,15 sqq.), in quo Paulus in vincula est coniectus, in quaestionem veniunt, lis agitatur de tribus intermediis; sed quartum quoque (*Act.* 18,22) tuto praetermitti potest, quamvis ab uno alterove moderno acath. (*Wiesel* etc.) ob chronologicas rationes teneatur; illius enim itineris tempore Barnabas non amplius cum Paulo fuit (cfr *Act.* 15,39. 40). Itaque quaeritur, utrum secundum (*Act.* 11,27 sqq.) praeferendum sit, in quo « *Barnabas et Saulus* » « *ad presbyteros* » ecclesiarum palaestinensium *eleemosynas* fidelium antiochenorum detulerunt, an tertium, in quo « *Paulus et*

1. Id quidem recentissimus epistolae interpres cath. (*Schaef.* p. 229) ultro concedit; quare ex fine Apostoli suam sententiam stabilire conatur. « Etenim Paulus, inquit, non amplius demonstrat, se Evangelium suum immediate a Christo accepisse, sed se toto tempore, *quo Evangelium praedicavit*, cum aliis Apostolis consensisse; ac proin quatuordecim anni totum tempus inde ab eius conversione complecti debent ». Optimae praemissae, sed erronea conclusio! Iuxta ipsum *Schaef.* p. 221 enim « *plus quam improbabile est Paulum in Arabia praedicasse* »; ac proin illud triennium his quatuordecim annis non continetur.

2. *Introd. spec.* in Nov. Test. libr. p. 344; *Compend.* Introd. p. 524.

Barnabas et quidam alii » ab ecclesia antiochena « *ad Apostolos et presbyteros* in Ierusalem *super hac quaestione* » *legalium* missi sunt (*Act.* 15,1). Ex iunioribus ac modernis cath. vix invenietur (praeter *Iust.*), qui iter istud eleemosynarum causa susceptum intelligi concedat; antiquitus tamen *Chron. Pasch.* et *Chrys.* illud intellexerunt et cum *Calv.* eandem sententiam haud omnino pauci acath. tenent (*Rosenm. Berth. Guer. Fritzsche* etc.). Iter vero ad concilium apostolicum intelligendum esse cum plerisque PP. (S. Iren. c. haer. III. 13,3, *Tert.* c. Marc. V. 2, *Theod. Pel. Hier.*, qui non omnino certus est, *Prim. Sed.*) vix non omnes iuniores modernique cath[1]. (*Dion. Cai. Salm. Baron. Est Lap. Petav. Nat. Pic.* etc., *Wind. Bisp. M Ev. Reithm. LR. Dr. Palm. Ramb. Schaef.* etc.) censent, plerisque acath. consentientibus, quos *Mey Sieff.* longa serie enumerat.

Quemadmodum supra iam diximus, Lucae narratio de concilio apostolico cum iis, quae Paulus in hoc loco refert, plane consentit, dummodo ad diversos fines, quos prae oculis habuerunt, attendatur. Consensum hunc accuratius hic non exponimus, quia in explicandis singulis versibus aptior sese nobis offeret occasio; illam unam paucis expediemus difficultatem, quae a modernis nonnulis maxime urgetur. — « Quomodo, inquiunt, Paulus secundum iter silentio praetermittere potuit, si illud revera fecit? Demonstrare enim vult, se nihil ab Apostolis didicisse; ergo fideliter ac sincere *omnia* itinera recensuisse dicendus est, in quibus cum Apostolis conveniens aliquid ab iis accipere potuit; si vel unum omisisset, iustam Galatorum suspicionem de huius argumentationis sinceritate provocasset; quapropter aut Lucas secundum istud iter iter finxit aut Paulus hoc in loco illud commemorat ». — Speciosior quam verior est haec argumentatio, quae praeprimis falso supposito innititur; supponit enim, Paulum etiam hac narratione divinam Evangelii sui originem demonstrare velle; sed illam demonstrationem esse terminatam iam diximus. Ultimis enim sententiis praecedentis sectionis (1,21 sqq.) de initiis sui apostolatus iam egit; cur vero ultra illud tempus, quo ab ecclesiis Iudaeae tamquam genuini Evangelii praeco iam celebrabatur, demonstrationem de divina doctrinae suae origine extenderet, nulla ei fuit ratio. Porro si reliqua quoque itinera, in quibus Apostolos convenit, ab eo commemorari debuisse daremus, ei secundum iter eleemosynarum causa susceptum praetermittere non licuisse, nondum sequeretur. Neque enim ad Apostolos, sed *ad presbyteros* fratrum in Iudaea habitantium eleemosynae erant afferendae (*Act.* 11,30), atque illa erat temporis istius conditio, ut Paulus nullum Apostolum Ierosolymis inveniret. Nam « eodem tempore », quo Barnabas et Saulus iter istud ingressi sunt, Herodes misit manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia, ac Luca teste Apostolos maxime est persecutus. Iacobum Zebedaei occidit, Petrum in carcerem coniecit;

1. Nec in *Cat. graec. PP.* nec ab *Oec.* et *Theoph.* haec quaestio attingitur; neque *Vict. A*[ter], *Aug.* aut mediae aetatis interpretes (*Haym. Herv. Lomb. Thom. Lyr.* etc.) eam diserte commemorant aut quid de ea sentiant explicationibus suis clare insinuant; ex nonnullis tamen Latinorum locutionibus conicere licet, eos de concilio apostolico cogitasse.

reliquos Apostolos ad tempus civitatem reliquisse ex eo patet, quod Petrus per angelum a vinculis solutus nec Iacobum Alphaei nec alium ex « fratribus » cum Christianis congregatis invenit (*Act.* 12,1.12.17). Ad quid igitur Paulus iter commemorasset, quod ad Apostolos conveniendos non suscepit et in quo Apostolum nullum vidit? Ceterum propter saevientem persecutionem illud tempus tractandae legalium quaestioni non fuisse aptum nec proin istud iter hoc in loco intelligi posse evidens est. Addi licet, paucis mensibus ante mortem suam, quae accidit a. 44., Herodem Ecclesiam esse persecutum, uti ex Actuum narratione elucet; si igitur secundum istud iter intelligendum esset, Paulus aut iam a. 27. (septemdecim annis antea) aut saltem a. 30. (quatuordecim annis antea) ad fidem esset conversus; sed ridiculum esset asserere, Paulum ante Domini passionem, quae fuit a. 29., fidem recepisse, nec Lucae narratio de initiis Ecclesiae (*Act.* 1.-8.) permittit, ut eum iam paucis mensibus post illam conversum esse dicamus.

Itaque septemdecim annis post conversionem suam Paulus *iterum* (πάλιν i. e. *rursus* vel *denuo*, neque enim πάλιν idem est quod δεύτερον *secunda vice*) *ascendit Ierosolyma cum Barnaba, assumto et Tito.* Consentit Lucas, qui « Paulum et Barnabam et quosdam ex aliis » (cum *Fuld.* etc. lege : *ex illis* ἐξ αὐτῶν) ad concilium profectos esse refert (*Act.* 15,2). Paulus solum quidem Titum praeter Barnabam nominat; sed ex particula καί (συμπαραλαβὼν καὶ Τίτον simul assumens *et* Titum) iure concludimus, eum alios quoque itineris comites assumsisse; Barnabam enim non ipse assumsit, sed Antiocheni miserunt. Animadvertas quoque velim, ex participio isto elucere, Paulum in illa legatione primum locum occupasse, quum socios itineris eligere ei liceret; in secundo autem itinere secundum locum occupavit, siquidem Lucas eum secundo in loco nominat (*Act.* 11,30; 12,25), primum vero locum ei attribuit in itinere ad concilium.

2. *Ascendi autem secundum revelationem et contuli cum illis evangelium, quod praedico in gentibus, seorsum autem eis qui videbantur* (*aliquid esse*)[1], *ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem.* Iuxta Lucam quidem missus est ab antiochena ecclesia; sed sicut Petrus a Cornelio invitatus et a Spiritu S. iussus Caesaream profectus est (*Act.*

1. Graeco textui, qui nudum τοῖς δοκοῦσιν habet, propius accedunt plerique antiquiores *Vulg.* codd. (cfr *Corss.*) nudum : *iis qui videbantur* legentes, quam lectionem hoc in loco *Hier. Aug.* quoque tuentur, dum *Vict.* legit *iis qui videbantur firmamenta esse*, *A*tri autem editiones cum *Vulg. Clem.* consentiunt. Simili modo infra *v.* 6. in primo membro quidem, ubi in graeco legitur ἀπὸ τῶν δοκούντων εἶναί τι omnes *Vulg.* codd. et plerique PP. latini habent : *ab iis qui videbantur aliquid esse* (accuratius *A*ter : ab iis qui *existimantur* aliquid esse), sed in ultimo membro, ubi nudum οἱ δοκοῦντες revertitur, etiam meliores *Vulg.* codd. consentiente *Hier.* iterum exhibent nudum : *qui videbantur* (*Vict.* *A*ter : qui *existimantur* aliquid esse).

10,19 sq.; 11,11 sq.), ita Paulus quoque ab Antiochenis missus et a Domino revelatione edoctus (*secundum revelationem*) iter ad concilium suscepit[1]. Utrum vero haec revelatio ei ipsi immediate sit data, an per alios cum eo communicata, superfluum est inquirere, quoniam definiri nequit, siquidem utroque revelationum genere Deus Apostolum suum ita dirigebat, ut interdum priore interdum altero uteretur. Haud sine ratione porro Paulus externam itineris causam, utpote Galatis, quibus decretum concilii iam promulgaverat, cognitam praetermittit solamque revelationem divinam commemorat, ut explicet, cur post quatuordecim tandem annos Evangelium suum, quod ab apostolatus sui principio Apostolis ierosolymitanis non proposuerat, cum eis conferre voluerit; neque enim humana quadam levitate, sed voluntate divina ductum sese pristinam viam reliquisse significat (cfr *Chrys.*). Ex revelatione tamen ei facta iure colligimus, specialem eo tempore adfuisse causam, cur Deus illam Evangelii communicationem fieri voluerit; atque hanc causam Lucas, qui originem decreti apostolici pro munere suo historico explicare debuit, dicit dissidium fuisse in ecclesia antiochena a nonnullis fratribus excitatum, qui ex Iudaea advenientes Ethnicochristianos circumcidi debere dictitabant. In itinere quoque, de quo Paulus loquitur, proxime de circumcisionis necessitate esse actum, ea quae sequuntur evidentissime demonstrant; neque immerito cum *Cai.* haud pauci attendere nos iubent, Paulum non dixisse : *contuli cum illis Evangelium quod praedico,* sed addidisse *in gentibus,* ut de evangelica libertate ab onere legalium, quam ab initio apostolatus sui praedicaverat et tunc temporis quoque praedicabat in gentibus, quaestionem agitatam esse intelligeremus.

1. Ex eo, quod Paulus se *secundum revelationem* ascendisse dicat, colligi posse *Thom.* censet, « omnes actus Apostolorum et motus fuisse secundum instinctum S. Spiritus ». Ex unico quidem hoc loco id recte colligi non videtur; Paulum tamen extraordinaria quadam providentia divinisque revelationibus in omnibus suis itineribus fuisse gubernatum rite concludimus, si multas illas occasiones simul perpendimus, in quibus Actus eum a divino Spiritu ductum tradunt. In primo itinere ierosolymitano fugere divinitus est iussus (*Act.* 22,17); secundi itineris ierosolymitani proxima occasio fuit revelatio quaedam (11,27 sqq.) non minus quam huius tertii; ad primam expeditionem apostolicam a Spiritu S. electus et missus est (13,2.4); in secunda Evangelium praedicare in Asia a Spiritu prohibitus sed illud in Macedoniam inferre invitatus est visione (16,6,9) atque nova visione opus Corinthi inchoatum continuare est iussus (18,9, sqq.); ex tertia expeditione Spiritu reductus est Ierosolyma, quamvis idem Spiritus per omnes civitates ei vincula praemonstraret, quae ibi eum exspectabant (19,21; 20,22 sq.; 21,4; 11); Ierosolymis in vincula coniectus nova visione promissionem a Domino accepit, se Romam esse venturum (23,11), quae promissio ei iterata est, quando in itinere romano omnia videbantur esse conclamata (27,23). Tota serie igitur revelationum inde a conversione sua gubernatus est; singularem autem divinam providentiam, qua regebatur, non minore cum iure colligimus ex innumeris fere et gravissimis periculis, ex quibus a Deo semper est servatus (cfr 2 *Cor.* 11,23 sqq.).

Non sua igitur sponte, ac si de doctrinae suae eousque praedicatae divina origine minus certus, quam antea, fuisset, sed divinitus iussus Paulus *contulit*[1] *cum illis* Evangelium suum, *seorsum autem cum eis qui videbantur*. Iuxta *Chrys.*, quem haud pauci sequuntur (cfr *Cai.* etc., *Palm.* etc.), iidem in utroque membro designantur, quibuscum illud contulerit, primarii scilicet Apostoli, ita ut semel tantum doctrinam suam Ierosolymis exposuerit atque secundum membrum dumtaxat explicationis gratia addat, significans illam expositionem non coram tota ecclesia sed coram solis iis, qui videbantur, esse factam; sed Apostolorum mentio nondum est facta, ut pronomine *illis* designari non potuerint. Ex praecedente nomine *Ierosolyma* omnes Ierosolymorum habitatores, Iudaeos et Christianos, pronomine *illis* intelligendos esse *Vict.* colligit; sed quid in hac quaestione Iudaei sibi velint non apparet. Quare cum *Aug.* et *A*^tro^ longe plerique recte censent, pronomen *illis* ad nomen *Ierosolyma* quidem referri, sed hoc nomen ob contextum de sola ecclesia ierosolymitana eaque integra esse explicandum; coram universa ecclesia in publica, ut ita dicamus, sessione Paulus Evangelium suum exposuit, et *seorsum*, in privato quodam conventu, illud contulit *cum iis qui videbantur*, i. e. « cum eis qui eminebant in ecclesia » (*Aug.*), Apostolis sc. et presbyteris.

Contra hanc sententiam obiicit quidem *Palm.*, publicam illam, quae admittitur, Evangelii expositionem, utpote « democraticam », constitutioni Ecclesiae repugnare ac Paulo inutilem quoque fuisse, quoniam eius adversarii ad auctoritatem Apo-

1. Verbum ἀνεθέμην ab antiquo interprete redditum erat *exposui* (cfr *Vict. A*^ter^, *Aug.*), quam lectionem *Hier.* quoque non tantum alibi exhibet (ad Aug. ep. 111,8), sed etiam in commentario, licet in eo hodie legatur *contuli*, prae oculis habuisse dicendus est, quum latinam lectionem velut minus accuratam carpat; parum apta enim eius nota esset, si cum hodierna *Vulg.* iam legisset *contuli*. Haec enim habet : « Id quod supra latinus interpres *acquievi* dixerat [1,16 sed ibi habetur προσανεθέμην], in praesenti loco *contuli* [lege : *exposui*] interpretatus est. Et ut verius dicam, sermo graecus ἀνεθέμην aliud quid quam apud nos [*exposui*] intelligitur; quum scilicet ea quae novimus *conferimus* cum amico et quasi in sinum eius et conscientiam reponimus, ut *pari* consilio vel probanda sint vel improbanda quae novimus... Aliud autem est *conferre*, aliud discere; *inter conferentes aequalitas est*, inter docentem et discentem minor est qui discit ». Iuxta *Hier.* igitur latinum *contuli* graeco ἀνεθέμην plane respondet, quia utroque aequalitas colloquentium exprimatur; at in graeci verbi vi definienda *Hier.* erravit. Neque enim a profanis scriptoribus (cfr *Artemid.* Oneirocr. 2,64 ἀνατιθέμενός τινι τῶν ἐπιστημόνων τὸ ὄναρ exponens alicui sapientum somnium; *Plut.* Mor. 772 d. etc.), neque ab Alexandrinis (2 *Mach.* 3,9; *Mich.* 7,6 etc.), neque in unico Novi Test. loco, in quo praeter hunc verbum legitur (*Act.* 25,14), ἀνατίθεσθαι ita adhibetur, ut aequalitas colloquentium innuatur. Quare nulla erat ratio antiquae versionis carpendae aut mutandae; quin etiam versionem *exposui*, utpote generaliorem, hodierno *contuli* praeferendam ducimus, quia duobus sententiae membris melius conveniat. Cum Apostolis quidem aliisque ecclesiae auctoritatibus Paulus Evangelium suum *conferre* potuit; sed coram integra ecclesia ierosolymitana illud *exposuisse* aptius dicitur.

stolorum, minime vero ad ecclesiam ierosolymitanam provocaverant. At nec democraticam nec Paulo inutilem illam Lucas habuit, qui in concilii apostolici historia et publicarum sessionum, in quibus tota ecclesia adfuit, et privati conventus, in quo soli Apostoli et presbyteri rem deciderunt, mentionem facit. Legati enim antiocheni Ierosolymis suscepti sunt *ab ecclesia et ab Apostolis et senioribus* et coram omnibus Paulus et Barnabas retulerunt, quam divitem in suis expeditionibus apostolicis inter gentes fecissent messem, sed simul Evangelium suum de evangelica libertate ab onere Legis exposuerunt; statim enim surrexerunt *quidam de haeresi Pharisaeorum* neophyti postulantes circumcisionem Ethnicochristianorum (*Act.* 15,4. 5). Haec ergo prima sessio publica fuit, quam secuta est privata auctoritatum Ecclesiae; nam *convenerunt Apostoli et presbyteri videre de verbo hoc* (15,6). Quid in ea actum sit, Paulus statim exponet, Lucas praetermittit, ut ad alteram sessionem publicam transeat. Quum enim inter fideles ierosolymitanos de hac re exorta esset magna disceptatio, iterum congregata est universa ecclesia (15,7-22 cfr *v.* 12. 22), atque in altera hac sessione publica Apostoli ea, quae soli deciderant, fidelibus promulgabant et vera esse demonstrabant, ut deinde ab omni ecclesia (cfr 15,22) viri spectati eligerentur, qui decretum a solis auctoritatibus datum (*Apostoli et presbyteri fratres his qui sunt Antiochiae* [1]) Antiochenis deferrent. Quid hic habeatur democratici, nemo dixerit; ac proinde democraticam Ecclesiae esse constitutionem non dicimus, si Paulum cum Luca plane consentire ac publicas privatasque sessiones distinguere asserimus. Neque ad solam Apostolorum auctoritatem, sed etiam ad ecclesiarum palaestinensium, quae ipsae Legem observabant (cfr *Act.* 21,20), consuetudinem adversarii Pauli provocabant; quare inutile non fuit, ut Paulus etiam integram ecclesiam ierosolymitanam suo Evangelio consensisse ac doctrinam paucorum neophytorum ex secta Pharisaeorum reprobasse ostenderet.

Vulgatae hodiernae expressio *qui videbantur aliquid esse* contemtum quendam sonare videtur, quum facile suppleri possit : *sed nihil erant*. At non tantum omnem contemtum, sed etiam omnem ironiam, quam aliqui acath. (*Rück.* etc.) in graeca expressione οἱ δοκοῦντες deprehendunt, a Pauli mente longissime abfuisse, totus contextus clamat; neque enim eorum, quos velut secum consentientes studiose adversariis opponit, auctoritatem contemnere aut irridere potuit. Revera graeca expressio haud infrequens οἱ δοκοῦντες aut οἱ δοκοῦντες εἶναί τι (*v.* 6.) in bonam partem semper sumitur : a *Plat.* (Euthyd. 303 c.) οἱ σεμνοὶ καὶ δοκοῦντές τι εἶναι (augusti et *qui aliquid valere existimantur*) arcte eodem articulo coniunguntur; ab *Eurip.* (Hec. 298) οἱ δοκοῦντες et οἱ ἀδοξοῦντες (*aestimati*, contemti) atque (Troad. 608) τὰ δοκοῦντα et τὰ μηδὲν ὄντα (*quae aestimantur*, quae nihil sunt) inter se opponuntur etc. Iuxta hunc loquendi usum Graecorum *Chrys.* monet : « quum autem dicit οἱ δοκοῦντες, eorum magnitudinem non minuit, sed publico omnium iudicio suum iudicium adiungit », atque nostro in loco οἱ δοκοῦντες

1. *Textus rec.* graecus legit quidem : οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ ἀδελφοί, ita ut decretum etiam *a fratribus*, i. e. ab omnibus fidelibus ierosolymitanis, datum esse videatur; at lectionem hanc esse erroneam recentiores critici (*Lachm. Treg. Tisch. WH.*) concedunt et cum antiquioribus ac melioribus codd. (ℵACD) et nonnullis versionibus (*It. Vulg. Sah. Arm.* etc.) vocabula καὶ οἱ omittunt, ita ut solos Apostolos et presbyteros decretum tulisse appareat. Pro more Lucas transitu non indicato (cfr ad 1,17 309 n,1) a privata sessione (*v.* 16.) ad publicam (*v.* 17 sqq.) transiit.

a *Theod.* explicantur οἱ ἐπίσημοι (insignes), ab *Oec.* οἱ κορυφαῖοι (principes), a *Theoph.* οἱ μεγάλοι et οἱ ἔνδοξοι (magni, celebres). Verbum δοκεῖν ergo in hac expressione latino *videri* parum accurate redditur (ab *A^tro* infra *v.* 6. accuratius : *existimari*); nam οἱ δοκοῦντες εἶναί τι sunt ii, qui (in ecclesia) aliquid magni esse *existimantur*, *quia* auctoritate praecellunt, et nomine οἱ δοκοῦντες auctoritates Ecclesiae (Apostoli et presbyteri i. e. episcopi) designantur. Simili porro modo, quo a *Marc.* 10,42 imperatores gentium (cfr in loco parallelo *Luc.* 22,25 οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν) dicuntur οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν (i. e. qui existimantur et agnoscuntur imperatores gentium), a Paulo (infra *v.* 9) Iacobus, Petrus, Ioannes appellantur οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι (qui existimantur et agnoscuntur columnae sc. Ecclesiae). Cave vero, ne cum plerisque interpretibus idem nomen esse censeas οἱ δοκοῦντες (vel οἱ δοκοῦντες εἶναί τι) atque οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι. Priore enim nomine generaliore (*vv.* 2. 6.) omnes ecclesiae ierosolymitanae auctoritates, a quibus decretum concilii datum est, Apostoli sc., qui tunc Ierosolymis aderant, et presbyteri (episcopi), designantur, siquidem hi omnes convenerunt videre de verbo hoc (*Act.* 15,23.6); alterum vero nomen solis Petro, Ioanni, Iacobo competit, qui probabiliter soli ex Apostolis concilio interfuerunt ac soli cum Paulo et Barnaba de apostolatus sui provinciis distribuendis statuerunt. Ceterum attende, haud satis recte quoque hic a Latinis plerisque participium *praesens* (οἱ δοκοῦντνες) *imperfecto* reddi (qui *videbantur*).

Quid demum spectaverit, quum secundum revelationem universae ierosolymitanae ecclesiae eiusque auctoritatibus Evangelium suum proponeret, Paulus ultimis sententiae verbis docet : *ne forte* (μήπως) *in vanum currerem aut cucurrissem* [1]. Quibus in verbis explicandis cavendum est, ne cum admodum paucis modernis (*Bisp.* — *Holst. Holtzm.*) errorem *Hier.* sequamur, qui communi omnium explicatione, quam in commentario secutus erat, relicta putavit Paulum hic ostendisse, « *se* non habuisse securitatem praedicandi Evangelii, nisi Petri et ceterorum Apostolorum, qui cum eo erant, fuisset sententia roboratus » (ad Aug. ep. 111,8). Quomodo enim de securitate ac veritate praedicationis suae dubitare potuit, quum Evangelium suum non tantum divinitus sibi esse revelatum, sed etiam praeclarissimos fructus iam tulisse persuasissimum haberet? Ut autem omnem dubitationem a

1. *Currendi* metaphoram a cursoribus, qui in amphitheatris de praemio concertant, esse desumtam, opus vix est monere (cfr ad 1 *Cor.* 9,24); imaginem autem, qua saepe labores, quibus omnes Christiani ad finem suum ultimum tendere debent, designat, hic de eius laboribus apostolicis esse intelligendam, clarum quoque est (cfr *Phil.* 2,16; 2 *Tim.* 4,7). Plerique interpretes, ut expressionem εἰς κενὸν τρέχω (*in vanum* curro) explicent, ad 1 *Cor.* 9,26 (ἀδήλως τρέχω *in incertum* curro) provocant, at non satis accurate; haec enim de currendi modo, nostra de certaminis exitu intelligatur oportet; *in incertum* currit, qui quo cursum dirigat nescit (ideoque metam attingere *nequit*), *in vanum* currit, qui metam revera non attingit.

Pauli ipsius mente, quando haec verba scripsit, abfuisse ostenderent, duas eorum explicationes inde iam a Patrum tempore interpretes proposuerunt. Alii enim particulae μήπως finalem quidem significationem, quam *Vulg.* exprimit, attribuunt, sed cum *Theod.* monent, « Paulum haec non posuisse de se ipso, sed de aliis (i. e. ex aliorum iudicio), ut omnes intelligerent, Apostolorum omnium praedicationem consonare eaque, quae ab ipso praedicabantur, aliis quoque probari ». Sensus igitur esset aut : « ut non videar vane et putative circumire et tantos subire labores eorum causa, qui Christo credunt; ne quando existimer proprium quoddam iter exsequi ceteris Apostolis inconveniens » (*Mopsu.*), aut : « ne fidelibus de meo Evangelio dubitantibus in vanum currerem neminem convertens et in vanum cucurrissem dubitationem in neophytorum animis relinquens » (*Salm. Est.* etc.); similiter plerique, licet in verbis dissentiant, sententiam exponunt. Alii tamen particulam μήπως non finalem sed interrogativam esse censent, quae latino *numquid* respondens negativum responsum postulet. Inter Latinos *Aug.* « quasi per interrogationem dictum intelligendum esse » monuit, atque inter Graecos *Phot.* (apud *Oec.*) « μήπως, inquit, potest per interrogationem dictum esse, tamquam magis confirmativum, quod non in vanum curreret aut cucurrisset ». Sensus igitur est : « Evangelium meum iis exposui, ut illo cognito examinarent, numquid (μήπως) apostolici mei labores, sive praesentes sive praeteriti, irriti ac vani essent, id quod adversarii mei calumnitur », vel etiam, quiam negativum responsum velut certum supponitur : « ut illo cognito me in vanum nec laborare nec laborasse testarentur »[1]. Prior expositio, quae latinae versioni magis congruit, a plerisque antiquioribus tenetur; altera vero plerisque modernis (cfr *Wind. Reithm. Palm. Schaef.* etc. — *Mey Sieff. Goeb.* Z. etc.) haud immerito probatur, quoniam et graeco textui conformior est (cuius indicativi τρέχω, ἔδραμον difficilius explicantur, si particulae μήπως sensus finalis tribuitur) et contextui facilius adaptatur.

Etenim negativo responso, quod datum esse ipsa interrogationis forma insinuat, confirmationis gratia cum emphasi ea addit, quae de Titi circumicisione in concilio acta sunt, quum adversariorum sententiam Ierosolymis prorsus reprobatam esse ostendant; Titi enim circumcisio a iudaizantibus postulata quidem est, sed ab auctoritatibus non concessa. Hic ergo est nexus : non tantum in vanum me currere

1. Cfr *S. Aug.* c. Faust. XXVIII. 4 : « Ipse Apostolus Paulus post ascensionem de coelo vocatus, si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando et cum quibus conferendo Evangelium eiusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet ».

negatum est, 3. *sed*[1] *neque Titus, qui mecum erat, quum esset gentilis* (Ἕλλην ὤν quamvis esset Graecus cfr ad 1 *Cor.* 1,22 p. 44 n.) *compulsus est circumcidi.* Sunt qui Titi circumcisionem Ierosolymis ne postulatam quidem esse censeant, dum paucissimi alii (*Bisp.*) eam ab ipsis Apostolis postulatam, et a solis Paulo Barnaba Titoque negatam esse dicant. Quam alteram sententiam esse erroneam patet; nam si primarios Apostolos in concilio circumcisionem Titi exegisse diceret, Paulus ipse eos a suo Evangelio dissensisse insinuaret ac proinde suam thesin, quam adstruere vult, ipse destrueret. Sed neque prior nobis probatur, quia expressio οὐδὲ ἠναγκάσθη (*neque compulsus est*, i. e. imperio eorum, quibus iubendi erat potestas, non est coactus cfr *Matth.* 14,22) omnino suadet, ut coactionis initium quoddam adfuisse dicamus, quatenus nimirum aliqui circumcisionem illam necessariam credentes ab auctoritatibus petierunt, ut eam fieri iuberent; bene *Chrys.* : « neque quum urgerent adversarii, Apostoli adacti sunt, ut eam imperarent » (sim. *Theod. Phot.* et plerique).

Haec sola explicatio et Lucae narrationi et nostro contextui congruit; iuxta *Act.* 15,5 enim aliqui e secta Pharisaeorum neophyti omnium Ethnicochristianorum circumcisionem definiri voluerunt, et quis dubitat, quin ab eius circumcisione postulanda inchoaverint, quem incircumcisum in suo coetu adesse viderunt? In sequente porro sententia causa affertur, ob quam Titus non sit compulsus, atque ex ea quoque circumcisionem postulatam esse rite colligitur. Pergit enim : 4. *sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, ut nos in servitutem redigerent.* « Incredibile dictu est, inquit *Iust.*, quam multas quamque inextricabiles lites una particula *sed* apud Latinos et δέ apud Graecos pepererit »; neque tamen sola particula δέ, sed omissio quoque verbi, quo deficiente sententia haud completa esse videtur. Quamobrem antiquitus iam inter Graecos *Theod.* et *Mopsu.*, et inter Latinos *Hier.* particulam δέ (*sed*) omittendam esse censuerunt, ut haec sententia cum praecedente coniungeretur (neque Titus... compulsus est circumcidi propter subintroductos fratres, qui etc.). Alii autem latini Patres (*Tert.* c. Marc V. 3, *Vict. A*[ler] etc.) duo priora verba sequentis sententiae (οἷς οὐδέ *quibus neque*) omiserunt, ut eam cum nostra coniungerent (neque Titus... *compulsus est* circumcidi; sed propter subintroductos fratres.... *ad horam cessimus* subiectione etc.). Neque tamen istis coniecturis indigemus, neque ad coactas illas con-

1. Particula ἀλλά (*sed*) hoc in loco (simili modo quo 2 *Cor.* 7,11) ita est adhibita, ut sententia negativa praecedere supponatur, quam sententia ab ἀλλά incipiens confirmat et auget.

structiones aut anacolutha illa supposita confugere cogimur, quibus iuniores ac moderni interpretes multi locum obscurarunt potius quam illustrarunt. Namque simplicem claramque habemus constructionem, quam *Chrys.* inter Graecos et inter Latinos *Aug.* secuti sunt, cuique vicinissima est *Theod.* aliorumque Graecorum et *Hier.* interpretatio [1]. Scilicet particula δέ (quae hic ab antiqua versione latino *autem* rectius quam a *Vulg.* hodierna *sed* redditur) haud raro ita usurpatur, ut explicationem quandam aut parenthetice inserat (cfr *Ioan.* 6,10) aut continuata oratione addat (cfr *Rom.* 3, 21.22); simili ratione hic quoque particula δέ (*autem*) explicationem praecedentis sententiae (neque Titus compulsus est circumcidi) affert additione causae, quae Paulum Apostolosque a compellendo Tito retinuit; mente igitur praedicatum praecedentis sententiae (*non compulsus est*) suppleatur oportet : « neque Titus... compulsus est circumcidi; propter subintroductos autem fratres (non est compulsus), qui subintroierunt..., quibus neque ad horam cessimus ».

Planam hanc constructionem, quam multi iuniores et moderni approbant in levioribus tantum dissentientes (cfr *Erasm. Salm. Iust. Est. Lap. Nat.* etc., *M Ev. Bisp. Reithm.* — *Beng. de W. Mey Steff. Schm.* etc.), ita explicat *Aug.* : « Quamvis Titus Graecus esset et nulla eum consuetudo aut cognatio parentum circumcidi cogeret, sicut Timotheum, facile tamen etiam istum circumcidi permisisset Paulus. Non enim tali circumcisione docebat salutem auferri; sed si in ea constitueretur spes salutis, hoc esse contra salutem ostendebat. Poterat ergo ut superfluam aequo animo tolerare secundum sententiam, quam alibi dixit : circumcisio nihil est et praeputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei (1 *Cor.* 7,22). *Propter subintroductos autem fratres non est compulsus Titus circumcidi*, i. e. non potuit ei [Paulo sc. nec aliis Apostolis] extorqueri, ut circumcideretur, quia illi qui subintroierunt, dicit, explorare libertatem eorum, vehementer observabant et cupiebant circumcidi Titum, ut iam circumcisionem eius etiam ipsius Pauli [aliorumque Apostolorum] attestatione et concessione tamquam saluti necessariam praedicarent, et sic eos, ut ait, in servitutem redigerent, i. e. sub onera Legis servilia revocarent. Quibus se nec ad horam, i. e. nec ad tempus cessisse dicit subiectione, ut veritas Evangelii permaneret ad gentes ».

Accurate Apostolus viros illos describit, propter quos Titus circumcidi non est compulsus. *Falsos fratres* (ψευδαδέλφους) eos appellat,

1. In eo solo differt *Theod.* etc. explicatio, quod particula δέ praetermissa vim et emphasin auferat, qua Paulus hanc causam afferre voluit. Uti iam diximus, Timotheo propter Iudaeos incredulos, qui in romana provincia Galatia degebant, circumciso Titum Ierosolymis propter falsos fratres, qui ibi erant, non circumcisum opponere voluit; hinc emphatica illa causae introductio.

qui fratres (i. e. Christianos) quidem sese fingunt, sed genuini fratres non sunt (cfr 2 *Cor.* 11,13 ψευδαπόστολοι). Quod ut clarius significet, eos dicit *subintroductos*, quippe *qui subintroierint* sc. in Ecclesiam (παρεισάκτους οἵτινες παρεισῆλθον); neque enim his verbis eos aut ex antiochena ecclesia in ierosolymitanam (Est [2]. etc.) aut ex ierosolymitana in antiochenam (*Reithm.* etc.) vel galaticam (*Holst.*) irrepsisse indicat, id quod multi interpretes censent; sed nomen ψευδάδελφος explicans modum manifestat, quo in Ecclesiam sint ingressi. Sine ullo iure nimirum subdole et clanculum in eam irrepserunt (*Est* [1].), sicut impii illi haeretici, qui subintroierunt (παρεισεδύησαν) Dei nostri gratiam in luxuriam transferentes (*Iud.* 4), sectasque perditionis subintroduxerunt tamquam falsi doctores (ψευδοδιδάσκαλοι, οἵτινες παρεισάξουσιν αἱρέσεις ἀπωλείας 2 *Petr.* 2,1). Proximum deinde et ultimum eorum finem patefacit; subintroierunt enim *explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu.* Primum, cur irrepserint, est, ut sint exploratores; sed « exploratores, inquit *Chrys.*, ob nihil aliud ingrediuntur civitatem, nisi ut cognitis rebus adversariorum sibi facilem aditum parent ad eos expugnandos et capiendos »; hinc ultimus falsorum fratrum finis est, *ut nos in servitutem redigant.*

Tota haec descriptio ita est comparata, ut ea quae in concilio acta sunt Galatis plane cognita esse supponat. Falsos enim fratres Paulus articulo praefixo (διὰ τοὺς ψευδαδέλφους) eis iam cognitos esse indicat; de quanam vero libertate et servitute loquatur, non manifestat, nec etiam ex praecedentibus aut proxime sequentibus cum certitudine desumi potest, quamvis ex tota epistola satis clare pateat; de libertate enim a servitute Legis eum loqui manifestum est, ad quam libertatem ii soli perveniunt, qui Christo velut membra capiti inserti unum cum illo constituunt corpus eademque, qua ipse, libertate fruuntur utpote Legi mortui (infra *v.* 19). At haec Galatae epistolam legentes intelligere non potuissent, nisi Paulus eis, quando in secundo suo itinere decretum concilii promulgabat, simul illa, quae Ierosolymis acciderant, retulisset; atque iure merito quoque coniicimus, haud multum temporis ab ista promulgatione effluxisse.

Ultimam demum Paulus indicat rationem, qua permoti nec ipse nec reliqui postulatam Titi circumcisionem falsis fratribus concesserint : 5. *quibus neque ad horam* (πρὸς ὥραν ad breve tempus cfr 2 *Cor.* 7,8; *Philem.* 15 etc.) *cessimus subiectione* (τῇ ὑποταγῇ illa subiectione, quae postulabatur), *ut veritas Evangelii permaneat apud vos* (πρὸς ὑμᾶς cfr 4,18. 20 etc.). Relativa haec sententia nexu quodam causali, uti saepius fit, priori adiungitur (οἷς fere id quod ὅτι αὐτοῖς); postula-

tam enim Titi circumcisionem Apostoli reiecerunt propter subintroductos fratres, quia eis ne levissimam quidem ansam pervertendi Evangelii dare voluerunt. Circumcisione Titi enim, si in concilio propter legalium quaestionem congregato postulata et concessa esset, sine ullo dubio iudaizantes abusi essent ad Legis necessitatem neophytis ethnicis persuadendam; ut integra autem veritas, quam Evangelium de Legis abrogatione docet, in dubitationem vocaretur, Apostoli ne ad brevissimum quidem tempus permittere potuerunt. Quando quaestio haec Ierosolymis tractabatur, nec reliquos Apostolos nec ipsum Paulum de Galatis diserte cogitasse veri simillimum est, siquidem de dissidio in ecclesia antiochena exorto proxime agebatur; sed quaestio omnes neophytos ethnicos attingebat iisque omnibus, ac proin etiam Galatis, integram veritatem Evangelii conservare voluerunt; hinc illud *apud vos* sufficienter explicatur. Quod vero Apostolus dicat : ut Evangelii veritas *permaneat* (διαμείνῃ) *apud vos*, id omnino suadet, ut eo tempore, quo quaestio Ierosolymis tractabatur, Evangelii veritatem apud Galatas iam fuisse admittamus; nisi enim iam apud eos fuisset, Paulum pro verbo διαμένειν (*permanere*) aliud verbum (καταντᾷν 1 *Cor.* 14,36 *pervenire*) electurum fuisse arbitramur. Quapropter Galatas iam in primo itinere apostolico a Paulo ad fidem adductos esse et Galatiae ecclesiarum nomine ecclesias in Pisidia et Lycaonia, i. e. in meridionalibus romanae provinciae Galatiae partibus, fundatas intelligendas esse, hoc loco non parum confirmari diximus (cfr *Proleg.* 1,1 p. 360).

Antiqui Patres latini (cfr *VV. LL.*) prima duo vocabula *v.* 5 (οἷς οὐδέ *quibus neque*) omittentes *vv.* 4. 5 in unam sententiam contraxerunt (sed propter subintroductos fratres... ad horam cessimus subiectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos); atque alii quidem putarunt sensum esse : « Titus *compulsus* quidem ad circumcisionem non est, propter falsos fratres tamen *permisi* ut circumcideretur »; alii vero Paulum ad Timothei circumcisionem alludere putarunt : « *Titus* compulsus non est circumcidi, sed postea propter falsos fratres cessimus ad breve tempus subiectione et *Timotheum* circumcidimus, ut hac ratione veritatem Evangelii vobis conservaremus ». Vehementer *Hier.* has interpretationes, utpote fini, quem Apostolus sibi proposuit, prorsus contrarias iam impugnat, et vix hodie invenietur, qui eas tueatur, praesertim quia lectio quoque antiquae Italae est erronea.

Inter modernos tamen non pauci sunt, qui genuinam lectionem retinentes nihilominus *vv.* 4. 5 in unam sententiam coniungunt, quam ut explicent, anacoluthum adesse statuunt. Paulum nimirum scribere voluisse arbitrantur : « propter falsos fratres autem ne ad horam quidem cessimus subiectione, ut veritas » etc.; cum tamen variis appositionibus, quibus falsos fratres descripsit, inchoatam constructionem reliquisse atque sua sententia relativa verbum supplesse, quod in primaria sententia ponere voluerat. At si anacoluthum illud admitti posse daremus (eius autem admittendi nulla prorsus est ratio), nondum intelligeremus, quae sit huius sententiae ad priorem relatio (Titus non est compulsus circumcidi; propter falsos *autem* fratres ne ad horam quidem cessimus etc.). Quod enim vult *Palm.* : « *Apostoli*

quidem abstinuerunt a cogendo Titum ad circumcisionem, *nos autem* (Paulus sc.) propter falsos fratres *numquam* admisimus subiectionem Legis », id erroneum esse videtur. Nullo enim verbo oppositio illa inter Apostolos et inter Paulum indicatur [1]; parum apte quoque oppositio, si in concilio inter eos adfuisset, hic commemoraretur, ubi Paulus reliquos Apostolos secum consensisse demonstrat; atque minus apte, si fieri potest, Apostolos reliquos in concilio *ad horam* subiectionem Legis admisisse supponitur. Haud feliciores alii sunt in nexu illo interpretando; sed omnes eorum conatus recensere et examinare superfluum est, quoniam ipsa constructio est falsa.

2.) *De Pauli apostolica doctrina et dignitate a columnis Ecclesiae agnita* (2,6-10).

2,6. ***Ab iis autem qui videbantur esse aliquid** (**quales aliquando fuerint, nihil mea interest, Deus personam hominis non accipit**) **: mihi enim, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt.*** 7. ***Sed econtra quum vidissent quod creditum est mihi evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis*** 8. (***qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes***) : 9. ***et quum cognovissent gratiam quae data est mihi, Iacobus, et Cephas, et Ioannes, qui videbantur columnae esse, dextras dederunt mihi et Barnabae societatis : ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem :*** 10. ***tantum ut pauperum memores essemus : quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere.***

2,6. ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι — ὁποῖοί ποτε ἦσαν, οὐδέν μοι διαφέρει· πρόσωπον Θεὸς ἀνθρώπου οὐ λαμβάνει· ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προσανέθεντο· 7. ἀλλὰ τοὐναντίον, ἰδόντες ὅτι πεπίστευμαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς ἀκροβυστίας καθὼς Πέτρος τῆς περιτομῆς, — 8. ὁ γὰρ ἐνεργήσας Πέτρῳ εἰς ἀποστολὴν τῆς περιτομῆς ἐνήργησεν καὶ ἐμοὶ εἰς τὰ ἔθνη — 9. καὶ γνόντες τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι, Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς καὶ Ἰωάννης, οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι, δεξιὰς ἔδωκαν ἐμοὶ καὶ Βαρνάβᾳ κοινωνίας, ἵνα ἡμεῖς εἰς τὰ ἔθνη, αὐτοὶ δὲ εἰς τὴν περιτομήν· 10. μόνον τῶν πτωχῶν ἵνα μνημονεύωμεν, ὃ καὶ ἐσπούδασα αὐτὸ τοῦτο ποιῆσαι [2].

1. **Nec pronomen personale (ἡμεῖς *nos*) deesse posset, si Paulus sese ab aliis Apostolis distinguere iisque opponere voluisset, et in *v.* 3. aliquo saltem modo indicari debuit, Apostolos excluso Paulo esse intelligendos etc.**

2. *VV. LL.* — 6. **Θεός (sine articulo)** B C D E F G K L, plerique minusc.; addunt articulum (ὁ Θεός) ℵ A P et pauci minusc. — οἱ δοκοῦντες (aestimati) sine addito est communis lectio, quam cum *Hier.* etiam aliqui ex melioribus *Vulg.* codd. (*Amiat. Tolet. Car.* etc. cfr *Corss.*) tuentur; reliqui tamen Latini : qui existimantur aliquid esse (*Vict. A*[ter]), *qui videbantur aliquid esse* (*Vulg. Clem.* cum *Fuld.* et plerisque). — 9. Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς καὶ Ἰωάννης (*Iacobus et Cephas et Ioannes*) B ℵ C K L P, omnes minusc., *It* (? cfr *Pel. Prim.*), *Vulg.* (*Clem.* cum *Amiat. Harl. Tolet.* et plerisque) *Syr. Copt. Arm. Aeth.*; sed Πέτρος καὶ Ἰάκωβος καὶ Ἰωάννης (Petrus et Iacobus et Ioannes) D E F G, *It.* (*Tert.* c. Marc. IV. 3; V. 3; *A*[ter], *Aug. Hier.*) *Vulg.* (Fuld.) *Goth.*; solus cod. A. nomen Κηφᾶς omittit, et solus *Vict.* legit : Petrus et Ioannes et Iacobus). — ἵνα ἡμεῖς (*ut nos*) particula μέν non addita B ℵ F G H L P, plerique minusc., *It. Vulg. Goth. Arm.*; sed ἵνα ἡμεῖς μέν (ut nos *quidem*) A C D E, haud pauci minusc. et PP., *Copt. Syr.* — 10. μόνον τῶν πτωχῶν ἵνα (tantum pauperum ut) B ℵ A C H K L P, omnes fere minusc. etc.; sed genetivi inversione sublata : μόνον ἵνα τῶν πτωχῶν (*tantum ut pauperum*) D E F G cum *It.* et *Vulg.*

Quae de Tito Paulus retulit, ea partim in totius ecclesiae congregatione, in qua iudaizantes circumcisionem eius postularunt et urserunt (*Act.* 15,5. 7), partim in privato auctoritatum conventu acta sunt, quando Apostoli et presbyteri convenientes videre de verbo hoc (*Act.* 15,6) postulationem reiecerunt. De eadem iam privata sessione nunc alia quaedam Paulus ad suam ipsius personam spectantia refert, quae suo cum aliis Apostolis consensui demonstrando inserviunt; de privata enim sessione agi primis novae sectionis verbis (ἀπὸ τῶν δοκούντων ab iis qui existimantur) insinuat, quibus ad *v.* 2. (κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσιν seorsum autem iis qui existimantur) alludit. Mirum nonnullis visum est, quod decretum concilii non afferat, quamvis galaticis pseudapostolis repellendis quam maxime idoneum esse videatur atque optima occasio de eo loquendi sese obtulerit, quum de privata sessione agat, in qua de eo sanciendo inter Apostolos convenit; quin etiam non defuerunt, qui ob Pauli silentium decretum integrum a Luca confictum dicerent. Supra quidem iam monuimus, decreti disertam mentionem superfluam fuisse, quia ecclesiis illis, quibus epistola est scripta, paucis hebdomadis vel mensibus antea erat promulgatum (*Act.* 16,4); at illud maxime consideretur oportet, non eandem erroris formam, quae in concilio reprobata est, post concilium in ecclesiis Antiochiae et Galatiae a iudaizantibus esse propagatam (cfr Proleg. 2,2 p. 364). Ideo Paulus decreto ipso, quod ab eius adversariis directe non impugnabatur, praetermisso illa refert, quae in concilio acta novam quoque erroris formam ab Apostolis reprobari ostendunt.

Ad quem finem primo in loco apta erat quaestio de Tito agitata; quamvis enim esset incircumcisus, non tantum Paulus eum socium itineris assumere non dubitaverat, sed reliqui quoque Apostoli et ecclesiae ierosolymitanae presbyteri, frustra obnitentibus nonnullis de secta Pharisaeorum, eum velut genuinum Christianum, Iudaeochristianis parem et aequalem, tractarant nec quidquam ei deesse, quo consummaretur (3,3), indicarant. Aptissime eidem fini etiam duo argumenta inserviunt, quae ex privato illo conventu desumuntur Paulique ipsius doctrinam ac missionem spectant: neque enim auctoritates ierosolymitanae Evangelium eius pro incompleto habuerunt, cui quidquam addi deberet (*v.* 6), sed ipsae potius columnae Ecclesiae apostolatum eius divinis gratiis approbatum esse agnoverunt (7. 8) eumque genuinum Apostolum comprobarunt cum eo societatem constringentes et de distribuendis apostolatus provinciis paciscentes (9.10). De his omnibus Lucas diserte quidem nihil tradit, indirecte tamen ea confirmat, siquidem inde a concilii ierosolymitani tempore Paulum nobis exhibet non tantum iuxta conventionem factam inter ethnicos

laborantem, sed etiam ex itineribus apostolicis Ierosolyma revertentem, ut arctae suae cum ecclesia ierosolymitana unionis testimonium exhibeat; atque similiter Paulus in aliis suis epistolis hanc conventionem confirmat collectis ad pauperes fratres ierosolymitanos sublevandos indictis (1 *Cor.* 16,1 sqq.; 2 *Cor.* 8,1 sqq. etc.).

A falsis igitur fratribus, quibus auctoritates ierosolymitanas secum in concilio restitisse retulit, ad ea iam transit, quae ab iisdem auctoritatibus cum ipso in sessione illa privata (*v.* 2) acta sint. Atque praeprimis suae doctrinae ab iis nihil additum esse refert : 6. *ab iis autem qui videbantur* (lege : *aestimantur*) *aliquid esse — quales aliquando* (ὁποῖοί ποτε rectius : quales tandem s. *qualescumque*) *fuerint*, *nihil mea interest; Deus personam hominis* (πρόσωπον Θεὸς ἀνθρώπου personam Deus hominis) *non accipit; mihi enim qui videbantur esse aliquid* (lege : *qui aestimantur* οἱ δοκοῦντες) *nihil contulerunt*. Constructionem esse anacoluthicam, plerique interpretes recte consentiunt; prima enim verba (ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι *ab iis qui aestimantur aliquid esse*) scribens Paulus sententiam passive, ut videtur, continuare voluit (ἀπὸ τῶν δοκούντων... οὐδέν μοι προσανετέθη ab aestimatis... nihil mihi insuper collatum est); parenthesi autem praecavere volens, ne quis aestimatos etiam ipsi praepositos esse putet, quasi abreptus inchoatam constructionem non terminat, sed prius illud membrum suspensum relinquens parenthesin potius continuat aestimatosque sibi praepositos non esse ex eo confirmat, quod ipse ab eis nihil acceperit. Sensum igitur sententiae, in qua interpretanda et antiqui et moderni quam maxime dissentiunt, hunc esse arbitramur : « *Qualescumque*, i. e. quamvis alta in auctoritate, *fuerint* in concilio *aestimati ierosolymitani*, quos adversarii mei semper iactant mihique praeferre et opponere volunt, in hac quaestione nullius est momenti et *nihil mea interest*, siquidem ad *externam hominis conditionem Deus non attendit*, qui interna eius dona considerat; iamvero quod interna dona attinet, aestimati ierosolymitani me superiores non sunt; *mihi enim nihil contulerunt*, nec doctrinam meam mutantes nec quidquam ei addentes, quamvis id facere debuissent, si eam genuinae Christi doctrinae non consonare credidissent[1] ».

Eo totam sententiam tendere, ut Paulus suae doctrinae ab aliis Apostolis quidquam additum esse neget, evidens est; qua vero ratione sit construenda et quae

1. Egregie, *Chrys.* ultima verba amplificat : « Postquam cognoverunt meam doctrinam, nihil adiecerunt, nihil correxerunt, quamvis scirent, me eo fine Ierosolyma venisse, ut eos consulerem. Nam secundum revelationem accesseram, ut cum illis conferrem, ac Titum incircumcisum habebam mecum; sed illi mihi nihil dixerunt ultra ea, quae prius sciveram, nec illum circumciderunt ».

priorum membrorum sit vis, in controversia est. Simili modo, quo nos, nonnulli moderni constructionem et sensum interpretantur (*Bisp. L R. Palm. — Mey. Schm. Ph.*). Haud multum sensu discrepat *Iust.*, quamvis adverbium ποτέ cum *Vulg.* sensu temporali (*aliquando*, olim) intelligens Paulum de eo tempore loqui censeat, quo primi Apostoli cum Domino conversati sunt : « valde suspicor, inquit, Apostolum significare, ad rem propositam nihil pertinere (quamvis adversarii id magnopere praedicare solerent) fuisse tres illos Apostolos Christi auditores eiusque, dum inter mortales viveret, familiari consuetudine usos. Quid hoc, inquit, ad rem? quid attinet plenis buccis haec identidem inculcare? Deus personam non respicit; haec videlicet conditio hominum ad id quod quaeritur nihil pertinet »; qua in explicatione ei iam praeierant *Hier.* et *Pel.* (« non mihi cura est, quia cum Domino ambulaverunt; quia nec tempus praeiudicat fidei, nec persona labori »). Longius recedunt, qui cum *Aug.* putant, Paulum indirecte eos refutare, qui ipsi obiiciebant, quod olim Ecclesiam persecutus esset (« quales illi, qui nunc praecipuae sunt auctoritatis, aliquando, i. e. ante apostolatum fuerint, nolo discutere; nam vitam eorum praeteritam scrutari non est meum neque id ad rem facit; alioquin posset etiam in illis inveniri, quod reprehendatur; fuerunt enim et illi aliquando peccatores » *Est.* etc.), aut cum *Alro* censent, eum primos Apostolos, qui olim indocti pauperesque piscatores fuerant, sibi utpote viro clari generis et in Lege perito opponere (*Herv. Thom. Dion. Cai. Lap. Pic. M Ev. Dr.* etc.). Quae tres sententiae, utpote nullo verbo indicatae (etenim adv. ποτέ, etsi temporali sensu sumitur, nulla ratione de tempore ante vocationem transacto intelligi apte potest) neque contextui satis consonae, nobis non probantur. Multo minus vero *Chrys.* (cfr *Theop. Oec.*) explicatio nobis arridet, qui adv. ποτέ quidem simili ratione, qua nos, exponit, sed in his verbis Paulum « non excusare Apostolos, sed vehementer gravare sanctos, ut prosit infirmis » arbitratur. « Hoc enim, inquit, vult significare : etsi illi permittunt circumcisionem, ipsi Deo reddituri sunt rationem : non enim quia magni sunt ac dignitate praestant, Deus illorum personam accipiet »; addit deinde Paulum scivisse, quidem, reliquos Apostolos circumcisionem Iudaeochristianorum ad tempus dumtaxat permisisse, ut facilius postea circumcisionem abrogarent, sed cum haec indicare noluisse, ne Iudaeochristianos absterreret. Verum quomodo potest Paulus Apostolos reliquos vituperare, quod Iudaeochristianis legalia permittant, si eos secum consentire demonstrare vult? De illa autem simulatione, quam *Hier.* quoque hoc in loco videt, qui « Paulum dicit caute et pedetentim inter laudem et obiurgationem Petri medium incedere, ut et praecessori Apostolo deferat et nihilominus audacter resistat in faciem », infra erit dicendi locus (cfr ad v. 11 sqq. p. 443). — Eaedem quoque fere sententiae diversae in acath. commentariis reperiuntur.

Restat, ut de constructione pauca addamus. Anacoluthicam esse sententiam mediae iam aetatis interpretes (cfr *Thom.* etc.) et iuniores (*Iust. Est.* etc.) admiserunt; minus recte tamen eam explicarunt, siquidem particula causali (γάρ *enim*) constructionem, quae ante parenthesin inchoata esset, resumi et sola eius forma mutata continuari arbitrabantur; sed particula γάρ eadem ratione, qua οὖν, resumendae sententiae non inservit; ipsum ergo sententiarum nexum a Paulo mutatum esse potius dicendum est, ita ut verba ὁποῖοί ποτε... λαμβάνει (*qualescumque... recipit*) parenthesi haud apte includantur. Patres de constructione non loquuntur, sed anacoluthum, ut videtur, non agnoscentes praepositionem ἀπό (*ab*), ac si scriptum esset περί (*de*) explicarunt (περὶ δὲ τῶν δοκούντων i. e. quod autem attinet ad aestimatos etc.); sed hunc praepositionis ἀπό sensum usus non probat. Inter modernos aliqui anacoluthum evitare conati sunt verbo impersonali ἐμοὶ διαφέρει (mea interest) sensum per-

sonalem (διαφέρω differo) tribuentes (« ab aestimatis, qualescumque fuerunt, non differo); at ipsi quoque usu linguae graecae reprobantur. Alii aposiopesin admittere maluerunt supplendaque varia coniecerunt (aut : ab aestimatis *quid meluerem?* aut : *quid contra me actum est?* etc.), sed haec arbitraria sunt nec contextui congruunt. Alii verba ἀπὸ τῶν δοκούντων ita fere explicarunt, ac si pro nudo genetivo essent posita, qui a sequentibus ὁποῖοί ποτε ἦσαν dependeat : « aestimatorum qualitas, quaecumque fuerit, nihil mea interest » (cfr *Reithm. Schaef.*); verum praepositio ἀπό, licet interdum simili modo usurpetur (cfr *Act.* 23,21 τὴν ἀπὸ σοῦ ἐπαγγελίαν tuam promissionem), ubi nimirum *originem* indicat, hoc in loco tamen eo sensu explicari nequit, quia de origine non agitur. Alii verba ἀπὸ τῶν δοκούντων ab immediate sequente infinitivo εἶναί τι, infinitivum vero a verbo διαφέρει dependere volunt, ut hic sit sensus : « ab aestimatis, qualescumque fuerunt, aliquid magni esse, nihil mea interest » i. e. « dignitatem ab aestimatis, quamvis magna eorum auctoritas credatur, mihi collatam non curo » (*Sieff.* etc.); sed coacta est constructio et sensus parum aptus. Quapropter constructionem iam expositam praeferendam ducimus.

Itaque in sessione privata Paulus auctoritatibus ecclesiae ierosolymitanae, Apostolis et presbyteris, Evangelium suum proposuit, illi vero nihil quod mutarent aut adderent invenerunt, sed consensu suo illud comprobaverunt. Quo argumento, quod negativum videri potuit (*nihil nihil contulerunt*), licet positivum esset, non contentus alterum fortius addidit referens, ab ipsis columnis ecclesiae apostolatum suum, quem inter gentes exercebat, pro divino esse agnitum, seque ipsum, utpote genuinum Apostolum, velut ipsis aequalem in ipsorum societatem esse receptum. In longae periodi (7-10) protasi ante omnia agnitionem divinae originis apostolatus sui divinaeque suae missionis refert (7-9 [a]), in apodosi vero societatem a primis Apostolis cum ipso pactam quasi agnitionis huius probationem quandam ponit (9 [b]. 10); quoniam idem est protaseos et apodoseos subiectum, maioris claritatis gratia illud protasi praemittimus. Nexus cum praecedente sententia in aperto est[1] : auctoritates ecclesiae ierosolymitanae mihi nihil

1. Mirum est, quod *Hier.* duplicem nexum indicet nec tamen verum viderit. « Hyperbaton est, inquit, et multis quae in medio sunt interiecta sublatis, sic breviter legi potest : *Mihi enim qui videbantur esse nihil contulerunt, sed e contra dextras mihi dederunt societatis*. Aut certe ille, absque iactatione sui, occultus est sensus : *Mihi qui videbantur esse aliquid nihil contulerunt, sed e contra a me eis collatum est, dum fiunt in Evangelii gratia firmiores* ». Secundam explicationem, quam inter modernos acath. unus alterve tenet (*Hofm.* etc.), iure merito *Chrys.* iam reprobavit : « quid enim, inquiens, ab illo praeterea erant edocendi, quandoquidem unusquisque illorum perfectus fuit? » Ceterum ipsa quoque verba hunc sensum non admittunt, nisi forte cum *Hofm.* totum contextum turbare velis verbis *sed e contra* ad priorem sententiam tractis, ut plane novam phrasin a verbis *quum vidissent* (ἰδόντες) inchoare possis. Priorem nexum ab *Hier.* indicatum admittit *Est.* cum aliis nonnullis, sed non viderunt, in textu graeco protasin *quum vidissent* et *quum cognovissent* participiis esse expressam (ἰδόντες... γνόντες), quae necessario cum subiecto apodoseos (*Iacobus et Cephas et Ioannes*) sunt connectenda. Erronee autem putant, subiectum praecedentis sententiae (οἱ δοκοῦντες) esse idem quod huius sententiae (Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς καὶ Ἰωάννης οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι); prius enim multo latius patet (cfr ad *v.* 2. p. 425).

contulerunt, 7. *sed e contra Iacobus et Cephas et Ioannes, qui videbantur* (οἱ δοκοῦντες lege : *qui aestimantur*[1]) *columnae esse, quum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis, — 8. qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes — 9. et quum cognovissent gratiam, quae data est mihi, dextras dederunt mihi et Barnabae societatis.* A tota aestimatorum classe, i. e. ab omnibus ecclesiae ierosolymitanae auctoritatibus, Paulus se nunc ad tres illos convertit, qui inter ipsos aestimatos eminebant. Eius enim Evangelium cum doctrina ab aliis Apostolis tradita consonare, omnes auctoritates ierosolymitanae testari quodam modo poterant; at apostolatum eius velut genuinum ac divinum approbare iis solis competebat, quibus non unius particularis ecclesiae cura sed propagatio Evangelii in univero orbe a Christo erat commissa, quique ideo ab eo hic vocantur *columnae.* Sicut enim columnae ab architecto disponuntur, ut aedificium sustentent ac fulciant, ita Christus quoque in Ecclesia sua supra Petrum fundata omnes Apostolos in unione cum hoc fundamento voluit totidem esse columnas, quibus hoc spirituale aedificium niteretur. Omnes igitur Apostoli columnae recte appellantur; tres tamen solos nominat Paulus, quia eo tempore probabiliter plures Ierosolymis non adfuerunt. Primo autem in loco *Iacobum* (Alphaei[2], fratrem Domini cfr 1,19) ponit, idque non tam ideo quia Ierosolymorum episcopus erat, uti multi acath. volunt (nam de episcopatu hic non agitur), quam quia eius nomine iudaizantes abutebantur, ut Paulum impugnarent; ab eo igitur se genuinum Apostolum esse agnitum, inculcare voluit. Quod non satis intelligentes aliqui interpretes nomine *Cephae* Petrum designari negarunt (cfr ad *v.* 11. sqq.), *antiquiores Latini* vero multi (cfr *VV. LL.*) ordinem mutarunt

1. Ipse *Aug.* latina versione (qui *videbantur* columnae esse) in errorem est inductus, quum adnotet : « Nec ipsi *erant* columnae, sed *videbantur.* Noverat enim Paulus, sapientiam sibi aedificasse domum, et non tres columnas constituisse, sed septem; qui numerus vel ad unitatem Ecclesiae refertur (solet enim pro universo poni), vel certe ad septenariam operationem Spiritus S. magis refertur septenarius numerus columnarum, sapientiae et intellectus » etc. Quae non esse ad rem patet; recte iterum *Chrys.* : « Nec rursus ideo dicit τοὺς δοκοῦντας (qui aestimantur), ut rei veritatem tollat, sed aliorum sententiam simul assumens dicit : Qui magni sunt et eximii, quosque omnes ubique celebrant, hi testes sunt eorum quae dico » etc.

2. Memoria lapsus *Aug.* hic adnotat, « Petrum et Iacobum et Ioannem honoratiores fuisse in Apostolis, quia ipsis tribus Dominus in monte sese ostendit in significatione regni sui ». Iacobus enim, qui transfigurationis fuit testis, erat Iacobus frater Ioannis filius Zebedaei (*Matth.* 17,1), hic vero aliquot annis ante concilium ab Herode erat occisus. Attendas autem velim, Paulum antea (1,19) Iacobum, quem in primo itinere viderat, diserte appellasse *fratrem Domini,* ut eum a Ioannis fratre Iacobo Mai., qui eo tempore nondum occisus erat, distingueret; hoc in loco autem eum ab accuratiore designatione abstinuisse, quia unus Iacobus Min., frater Domini, tempore concilii superstes erat.

et *Cephae*, quem etiam nomine suo inter Graecos et Latinos usitatiore *Petrum* appellare maluerunt, primum attribuerunt locum. Verumtamen Paulum quoque, quamvis eum secundo in loco enumeret, primum inter Duodecim eum agnovisse, sequentia satis docebunt[1].

Sibi enim *Evangelium praeputii*, i. e. missionem Evangelii annuntiandi praeputiatis s. gentibus, *creditum esse* ait, *sicut Petro* Evangelium *circumcisionis*, i. e. missio circumcisis s. Iudaeis Evangelii annuntiandi, concreditum sit. Contra rationalistas quosdam (cfr *Baur Voelt.*), qui duo Evangelia indicata vident, quorum unum circumcisionem necessariam esse dicat, alterum eam reiiciat, disputare superfluum est, quoniam quo sensu *Evangelium* sumatur oporteat, Paulus ipse in parenthesi addita (*v.* 8) explicat Evangelium circumcisionis appellans *apostolatum circumcisionis;* atque contra suae aetatis haereticos *Tert.* (de *praescr.* 23) verba eo sensu interpretanda recte iam monet, « non ut *aliud* alter, sed ut alter *aliis* praedicet ». Sed illud memoratu est dignum, quod Paulus solius Petri apostolatui suum comparet vel potius exaequet (nam particula καθώς *sicut* non meram similitudinem sed aequalitatem denotat), licet cunctis Duodecim apostolatus sit concreditus, quodque Petro, ac proin etiam eius sociis, solum apostolatum circumcisionis concedere videatur, etsi cuncti Apostoli omnes gentes docere iussi sunt. Ad prius quod attinet, nemo illud explicabit, nisi Petri primatum hic respici concesserit, id quod iure iam *A^ter* adnotat[2]; adde autem, primatum illum eo tempore in universa Ecclesia iam esse agnitum; ad quid enim Paulus coram Galatis, quos paucis tantum annis antea ad fidem

1. Mirum in modum hic inter se acath. litigant : unus affirmat ex eo, quod Iacobus primo in loco nominetur, necessario sequi, cum *non* fuisse Apostolum (*Mey. Sieff.*); alter non minore cum certitudine asserit, ex primo loco, *qui* ei attribuatur, apparere, eum verum Apostolum fuisse (*Ph.*). Priores argumentantur : si Iacobus fuisset Apostolus, Petrus, quia in collegio Apostolorum etiam relate ad Iudaeochristianos primus fuit, ante eum nominari debuisset. Alter respondet cum *Beng.* : « si Petrus illum primatum, qui ei postea ab hominibus tributus est, iam tunc habuisset, maxima Paulo fuisset causa primatum illum hic commemorandi aut Petrum antea eximio loco nominandi ». Si praeiudiciis non essent occaecati, primatum Petri iam 1,18 atque iterum hoc in loco satis clare viderent indicatum, atque intelligerent Iacobo, *quatenus erat episcopus ierosolymitanus*, nullum competiisse ius de divino apostolatu Pauli quidquam statuendi.

2. « Petrum, inquit *A^ter*, solum nominat et sibi comparat, quia primatum ipse acceperat ad fundandam Ecclesiam : se quoque pari modo electum, ut primatum habeat in fundandis gentium ecclesiis, ita tamen ut et Petrus gentibus praedicaret, *si* causa fuisset, et Paulus Iudaeis; nam uterque invenitur utrumque fecisse; sed tamen plena auctoritas Petro in Iudaismi praedicatione data dignoscitur, et Pauli perfecta auctoritas in praedicatione gentium invenitur; unde et magistrum gentium se vocat in fide et veritate; unusquisque enim pro viribus suis dispensationem sortitus est ». Duo sunt *Apostolorum* principes, Petrus et Paulus; sed unum est fundamentum, supra quod Christus Ecclesiam suam aedificavit, Petrus; de solo *apostolico* munere Paulus agit.

converterat et solus instituerat, sese cum Petro comparasset, nisi illi eum in Ecclesia prorsus singularem locum tenere scivissent? Alterum vero per se patet non ita esse intelligendum, ut Petrus ad solos circumcisos, Paulus ad solos praeputiatos sint missi; Petrum enim in ipso concilio dicentem Paulus audierat, iam ab antiquis diebus (sc. ante duodecim circiter annos) a Deo se esse electum, ut *per os suum* gentes verbum audirent et crederent (*Act.* 15,7. 14. cfr 10,1 sqq.), atque ipse in primo suo itinere in illis terris, quarum ecclesiis haec epistola est scripta, Iudaeis semper primis Evangelium obtulerat (*Act.* 13,14 sqq. etc.). Ad solam ergo, quae tunc temporis erat, laborum apostolicorum distributionem attendit; ea enim ratione Deus eo usque res omnes disposuerat et ordinaverat, ut Duodecim, quamquam in universum mundum exire et omni creaturae Evangelium annuntiare iussi erant, intra Palaestinae fines sese continuerint atque extra Palaestinam quoque Iudaeis praecipue praedicaverint, Paulus vero, etsi Iudaeis primis Evangelium annuntiari debere sciebat atque ipse pro fratribus suis secundum carnem anathema esse voluisset (*Act.* 13,46; *Rom.* 9,3), ex Palaestina expulsus (*Act.* 9,29 cfr 22,17 sqq.) et a Iudaeis extra Palaestinam degentibus semper reiectus Evangelium ethnicis annuntiare coactus sit.

Ad hunc solum enim rerum statum, qui eo tempore fuit, eum respexisse historicum argumentum docet, quo suum gentium apostolatum a columnis Ecclesiae velut genuinum cognitum esse insinuat; ex divino enim auxilio sibi ad gentes convertendas non minus quam Petro ad convertendos Iudaeos praestito argumentatur. Nam idem Deus Pater, cui operationes (ἐνεργήματα) appropriantur (cfr ad 1 *Cor.* 12,6), *qui operatus erat* (ὁ ἐνεργήσας) *Petro in apostolatum circumcisionis*, i. e ita eum inter Iudaeos laborantem adiuverat, ut hic velut divini auxilii documenta multas ecclesias ex Iudaeis conversis congregatas exhibere posset, *etiam operatus erat Paulo inter gentes*, ut hic quoque multas ecclesias extra Palaestinae fines fundatas, quae longe maximam partem ethnicis neophytis constabant, testes auxilii sibi divinitus praestiti citare posset. Qua Pauli argumentatione concludere cogimur, eum una cum Evangelio suo etiam eiusdem fructus in concilio proposuisse, ita ut Lucae narratio de Pauli Barnabaeque orationibus in concilio habitis (*Act.* 15,4. 12) iterum confirmetur. Neque tantum de fructibus, quos laboribus suis Deo adiuvante fecerat in gentibus, sed etiam de extraordinariis gratiis, quibus Deus praedicationem inter gentes confirmaverat, teste Luca Paulus locutus erat; quibus consonans Paulus dicit a columnis *cognitam esse gratiam sibi datam*. Qua expressione satis frequente proxime quidem divinam

suam ad gentium apostolatum vocationem significare solet (cfr *Rom.* 15,15; *Eph.* 3,2. 7 sq.; *Col.* 1,25), sed simul aptitudinem ad apostolatum exercendum (*Rom.* 12,3; 1 *Cor.* 3,10), proin gratias quoque ad praedicationem confirmandam utiles vel necessarias atque laborum fructus indicat.

Ex fructibus ergo, quos eum fecisse viderunt, et ex gratiis, quibus a Deo erat ditatus, colligere debebant columnae, apostolatum eius esse divinum eumque genuinum esse Dei Apostolum sibi aequalem, ideoque *dextras,* inquit Paulus, *dederunt mihi et Barnabae societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem* apostolatu fungeremur. Dextrae dantur ad significandum et confirmandum foedus pactum (cfr 1 *Mach.* 6,58). Eousque ecclesia ethnicochristiana quodam modo fuerat separata; etiamsi enim ab initio Apostoli ierosolymitani misso Barnaba ecclesiam ex ethnicis Antiochiae exortam agnovissent et paucis annis postea Paulus et Barnabas eleemosynis Antiochenorum ad presbyteros ecclesiarum Palaestinae allatis unionem duorum coetuum testati essent (*Act.* 11,22. 29 sq.), Deus tamen pro sua sapientia ecclesiam ethnicochristianam adolescere voluerat, antequam parietis intermedii, qui ethnicos a Iudaeis separaverat sed Christi morte destructus erat (cfr *Eph.* 2,14), ultimae ruinae removerentur. Concilium ierosolymitanum eas removit, et quamquam Iudaeochristianis ut antiquos suos ritus retinerent permissum est, ab eo tamen tempore Ethnicochristiani eis pares et aequales a columnis Ecclesiae agniti sunt. « Propterea, inquit *Hier.,* dextrae datae Paulo et Barnabae societatis a Petro Iacobo et Ioanne, ne observatione varia diversum etiam Evangelium putaretur, sed et circumcisorum et habentium praeputium esset una communio ». Clarum iterum est, pactum Pauli cum Petro non ita esse intelligendum, ut Paulus ac Barnabas solis ethnicis, Petrus eiusque socii solis Iudaeis praedicarent, siquidem Paulus ipse nobis Petrum statim postea ostendit inter gentiles antiochenos conversantem et laborantem (*v.* 11 sqq.), atque Paulum post concilium etiam Iudaeis praedicasse, ubi occasio id ferebat, et eius epistolae et Actus demonstrant; sed quoniam et Iudaei et gentes in ovile Christi erant introducendi, Iudaei autem in Palaestina degentes ab omni ethnicorum consortio magis abhorrebant, ita distributae sunt provinciae, ut alii laborem suum Iudaeis in Palaestina maxime impenderent, alii vero non solum quidem sed praecipue inter ethnicos Evangelium annuntiarent. Neque hoc pactum perpetuum voluerunt esse et immutabile; quando enim sperari non amplius potuit fore, ut Iudaeorum palaestinensium magna pars Evangelium reciperet, Petrus quoque aliique Apostoli

ad gentes convertendas laborem suum impendere coeperunt; solus Iacobus Mai. ac fortassis eius fratres Iudas et Simon in Palaestina remanserunt.

Pacto demum suo columnas Ecclesiae eam conditionem apposuisse Paulus refert, ut « praedicatione divisi pauperes indivisos haberent » (*Oec.*) : 10. *tantum ut pauperum memores essemus; quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere.* Iure merito *Chrys.* hanc conditionem a Paulo referri censet, quia novum argumentum ei praebebat, quo concordiam suam cum primariis Apostolis demonstraret : « In praedicandi munere inter nos partiti sumus orbem terrarum; ad curam vero pauperum, qui apud Iudaeos erant, ego quae potui cum illis contuli. Quod si bellum fuisset et contentio inter nos, nequaquam hoc illi recepissent » (*Chrys.*). Quod pauci moderni acath. (*Keim, Hilg. Pfleid.*) in hac conditione apposita deminutionem capitis quandam Ethnicochristianorum detexerint, quippe qui quasi tributo soluto sese Iudaeochristianis inferiores et quodam modo subiectos exhibere debuerint, id ex eo solo provenit, quod quae sit caritatis christianae dignitas prorsus ignorant.

2. *Pauli Evangelium controversia eius cum Petro comprobatum* (2,11-21).

Evangelium suum Paulus immediate a Christo vocatus approbatione Apostolorum non rogata praedicare coeperat (1,15-24); in illius praedicatione deinde divinis gratiis tam manifeste erat adiutus, ut Apostoli, quibus illud secundum revelationem proposuit, illud comprobarent eumque genuinum Apostolum sibi aequalem agnoscerent (2,1-10); agnitus autem illud contra ipsum Apostolorum principem, cuius ratio agendi illi contraria esse credebatur, tuitus est eumque secum consentientem habuit. Gradatione igitur quadam Paulus ad controversiam referendam pervenit, quam haud diu post concilium Antiochiae cum Petro sustinuit. Eam concilio recentiorem esse, non tantum ordo chronologicus docet, quem in tota parte apologetica hucusque tenuit, sed ipsa quoque quaestio, de qua agebatur. Ierosolymis enim, teste Luca, proxime ac directe quaerebatur, utrum Ethnicochristianis observatio Legis ad salutem consequendam esset necessaria necne (cfr *Act.* 15,1). Controversia vero Paulum inter et Petrum exorta est, quando hic a neophytorum ethnicorum convictu sese separans eos indignos esse, quibuscum Iudaei conversi conviverent, insinuare credebatur; quaestio igitur erat, num Ethnicochristiani, quamvis salutem consequi possent, Iudaeochristianis, qui mosaica praecepta observabant, inferiores essent, ac proin Lex ipsa, etiamsi ad salutem

observatio eius non esset necessaria, dignitatem tamen quandam specialem asseclis suis praestaret. Haud diu porro post concilium controversiam locum habuisse, quum ex eo elucet, quod epistola nostra iam secundi itineris Pauli tempore scripta recte asseritur, tum ex eo, quod Paulum inter et Barnabam tempore istius controversiae dissensio, quae separationis eorum causa erat (*Act.* 15,39), nondum erat exorta. Eo igitur tempore, quo Iudas et Silas a concilio Antiochiam missi ibi commorabantur, aut brevi post eorum discessum Petrus Antiochiam pervenisse dicendus est (*Act.* 15,33 sqq.).

Quot argumentis Paulus ex hac controversia Petrum suam doctrinam approbasse demonstret, ex explicatione apparebit; duo autem huius sectionis membra apte distinguimus, in quorum priore (11-14) Paulus controversiae causam exponit, dum in altero (15-21) orationem refert, qua suam Petri reprehensionem communivit. Quoniam in hac oratione ipsum dogma de Lege per Christi mortem abolita demonstrat, non defuerunt, qui aut a *v.* 15. aut medio in *v.* 16. (*et nos* etc.) aut a *v.* 17. vel 18. dogmaticam epistolae partem inchoari putarent; sed rectius cum plerisque integram hanc orationem ad apologeticam partem pertinere dicimus (cfr ad *v.* 15); pro more suo autem Apostolus in fine prioris partis alteram iam praeparat.

1). *Controversiae initium et reprehensio Petri* (2,11-14).

2,11. *Quum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* 12. *Prius enim quam venirent quidam a Iacobo, cum gentibus edebat : quum autem venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant.* 13. *Et simulationi eius consenserunt ceteri Iudaei, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.* 14. *Sed quum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem evangelii, dixi Cephae coram omnibus : Si tu, quum Iudaeus sis, gentiliter vivis, et non iudaice : quomodo gentes cogis iudaizare?*

2,11. Ὅτε δὲ ἦλθεν Κηφᾶς εἰς Ἀντιόχειαν, κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντέστην, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν. 12. πρὸ τοῦ γὰρ ἐλθεῖν τινὰς ἀπὸ Ἰακώβου μετὰ τῶν ἐθνῶν συνήσθιεν· ὅτε δὲ ἦλθεν, ὑπέστελλεν καὶ ἀφώριζεν ἑαυτόν, φοβούμενος τοὺς ἐκ περιτομῆς, 13. καὶ συνυπεκρίθησαν αὐτῷ οἱ λοιποὶ Ἰουδαῖοι, ὥστε καὶ Βαρνάβας συναπήχθη αὐτῶν τῇ ὑποκρίσει. 14. ἀλλ' ὅτε εἶδον ὅτι οὐκ ὀρθοποδοῦσιν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου, εἶπον τῷ Κηφᾷ ἔμπροσθεν πάντων· Εἰ σὺ Ἰουδαῖος ὑπάρχων ἐθνικῶς καὶ οὐκ ἰουδαϊκῶς ζῇς, πῶς τὰ ἔθνη ἀναγκάζεις ἰουδαΐζειν [1];

1. *VV. LL.* — 11. Κηφᾶς (*Cephas*) B ℵ A C H P, aliqui minusc., *It.* (*A*[ler], *Pel.*), *Vulg.* (*Clem.* cum *Amiat.* et plerisque, sed *Fuld* : Petrus Cephas) *Syr. Copt. Arm. Aeth.*; sed *textus rec.* : Πέτρος (Petrus) cum D E F G K L, plerisque minusc., *It.* (*Vict. A*[ler], *Hier.* etc.) *Vulg* (cod. *Demid.* aliisque nonnullis). — 12. ὅτε δὲ ἦλθεν (quum autem *venisset* sc. Petrus) B ℵ D F G et pauci minusc.; omnino legatur oportet ὅτε δὲ ἦλθον (*quum autem venissent*) cum A C E H K L P, omnibus fere minusc. et PP., *It. Vulg. Syr. Copt. Arm. Goth.* — 13. οἱ λοιποὶ Ἰουδαῖοι (*reliqui Iudaei*) particula καὶ non prae-

Ne explicationem huius pericopae interrumpere cogamur, de duobus systematis, quae ad eam interpretandam iam Patrum aetate proposita sunt, pauca videntur praemittenda.

Antiqua enim est quaestio, utrum *Cephas*, cui Paulus se in faciem restitisse refert, sit Apostolorum princeps (cfr *Ioan.* 1,42 : « tu es Simon, filius Iona; tu vocaberis *Cephas* — quod interpretatur *Petrus* », nam כֵּפָא i. q. πέτρα, petra), an alius quidam ex septuaginta discipulis. Ad Petri enim auctoritatem, quam Pauli reprehensione laedi arbitrabantur, tuendam praeeunte *Clemente Alex.* (cfr *Euseb.* H. E. I. 12) aliqui inter Petrum et Cepham distinguentes omnibus in epistolarum locis, in quibus Cephae nomen reperitur (1 *Cor.* 1,12; 3,22; 9,5; 15,5; *Gal.* 2,9. 11. 14), discipulum quendam, quem unus alterve pro sua auctoritate ne levissimo quidem antiquitatis testimonio nixus diaconum vel presbyterum ierosolymitanum fuisse asseruit, intelligere maluerunt. Integram hanc quaestionem tractare superfluum est[1], quoniam controversa ac dubia vix dici potest. Historicae enim quaestiones historicis testimoniis definiantur oportet; iam vero praeter *Clem. Alex.* inter antiquitatis christianae testes nullus invenitur, quin cum *Hier.* consentiat, « alterius nescio cuius Cephae nescire nos nomen nisi eius, qui est in Evangelio et in aliis Pauli epistolis et in hac quoque ipsa modo Petrus modo Cephas scribitur ». Nam *Eusebius* in hanc partem temere trahitur, quum Clementis opinionem historice referat quidem, sed sibi eam probari nullo verbo indicet; qui vero praeterea ex antiquitate allegatur (*Ps.*) *Dorotheus Mart.* (cfr Chronic. pasch. *M.* 92,521) « in rerum natura, inquit *Ducange* Chronici editor (M. 92,519 n.), numquam exstitit », et catalogus discipulorum Domini ei attributus « ex nominibus, quae habentur in epistolis canonicis », a iunioribus Byzantinis tam stulte est confictus, « ut eis Caesar quoque accenseatur, quia Caesaris s. imperatoris domum Paulus (*Phil.* 4,22) meminerit ». Hinc mirum non est, quod tota media aetate nemo distinctionem illam approbaverit; inde a saec. 16. tamen pauci Clementis opinionem oblivione fere obrutam recoxerunt paucosque sequaces usque ad nostram aetatem invenerunt universitate fere interpretum et theologorum cath. repugnante atque cum antiquis Patribus, genuinae traditionis testibus[2], tenente duobus istis nominibus principem Apostolorum

missa B cum *Vulg. Copt. Goth*; sed καὶ οἱ λοιποὶ Ἰουδαῖοι (*et* reliqui Iudaei) est communis lectio, quam etiam tuentur *It.* (*Vict. A*[ter], *Hier.* etc.) *Syr. Arm. Aeth.* — 14. τῷ Κηφᾷ (*Cephae*) B ℵ A C, pauci minusc., *It.* (*A*[ter], *Pel.*) *Vulg* (*Clem.* cum *Amiat.* et plerisque) *Copt. Arm. Aeth.*; iterum *textus rec.* : τῷ Πέτρῳ (Petro) cum D E F G K L P, plerisque minusc. et PP., *It.* (*Vict. Hier.* etc.) *Vulg.* (*Demid. Tol. Harl.* etc.; *Fuld.* : Petro Cephae) *Syr.* (codd.) *Goth.* — πῶς (*quomodo*) B ℵ A C D E F G P, pauci minusc., *It.* (*Vict. A*[ter] etc.) *Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Arm. Aeth. Goth*; sed *textus rec.* : τί (quid) cum K L, plerisque minusc. et PP., *Syr.*

1. Integram egregie tractavit, omnibus eorum qui, Petrum et Cepham distinguunt, ratiunculis perpensis *Chr. Pesch* S. I. Ueber die Person des Cephas *Gal.* 2,11 (Innsbr. Zeitschr. für kath. Theologie 1883. p. 465-490).

2. Uni Clementi Alex. ex praecipuis primorum sex saeculorum Patribus opponi possunt

designari, quem Dominus petram (כֵּיפָא) esse voluerat, supra quam fundaret suam Ecclesiam. In tota relatione Pauli nihil reperiri, quo Petri, capitis Ecclesiae, auctoritas et dignitas laedatur, explicatio sententiarum luculentissime docebit.

Quam parum Clementis Alex. opinio iunioribus placuerit, *Origenes* egregius nobis est testis; etsi enim ipse quoque relatione Pauli, si proprio suo sensu sumeretur, Petri auctoritatem laedi putaret, magistri tamen sui Clementis opinionem non adoptavit, sed aliam viam ad difficultatem, quam invenit, removendam excogitavit, in qua eum ex Graecis secuti sunt *Chrys.* (in comm. et hom. in illud : Restiti in faciem) eiusque epitomatores (*Dam. Oec. Theoph.*), ex Latinis *Hier.* (in comm. et ad Aug. ep. 112). Ex mutuo enim condicto Petrum sese ab Ethnicochristianorum societate retraxisse supponunt, ut occasionem haberet Paulus, qua Legis abolitionem Iudaeochristianis demonstraret ac persuaderet; neutrum vero ex animo ea gessisse, quae hic referuntur, sed Petrum secessum ab Ethnicochristianis et Paulum reprehensionem Petri dumtaxat simulasse. Quod simulationis systema, quamprimum illud ex Hier. commentario cognovit, *Aug.* (ad Hier. ep. 40,3 sqq.; 82,4 sqq.; in *S. Hier.* operibus epp. 67 et 116) reprobavit ac tam validis argumentis impugnavit, ut *Hier.* priorem sententiam suam deposuisse videatur (cfr *S. Hier.* c. Pelag. I. 22, ubi consuetam sententiam sequitur, et *S. Aug.* ad Hilar. ep. 180,5, ubi de hoc Hieronymi opere loquitur). Ab eo autem tempore systema Origenis a vix ullo cath. interprete est resumtum nec resumi potuit nisi ab illis, qui non attenderunt, hac explicatione modum agendi veritati non consonum duobus Apostolis adscribi et, quod maius est, Paulo vel potius ipsi Spiritui S. per eum referenti, Petrum ad veritatem Evangelii non recte ambulasse et ab ipso esse reprehensum, mendacium impingi. Hoc enim *Aug.* quam maxime ad hanc quaestionem pertinere meritissimo urget, « ut veritas divinarum Scripturarum ad nostram fidem aedificandam memoriae mandata ex omni parte verax atque indubitanda persistat » (ep. 85,6).

Quibus erroneis systematis praetermissis explicationem relationis Pauli aggrediemur. Integrum factum, ex quo Petrum secum consentire demonstraturus est, una sententia comprehendit : **11.** *quum autem Cephas venisset Antiochiam, in faciem* (κατὰ πρόσωπον) *ei re-*

S. Clem. Rom. (1 Cor. 47), *S. Iren.* (c. haer. III. 12,15), *Orig.* (c. Cels. II. 1; Strom. X. cfr. *Hier.* ep. 112,4), *Tert.* (de praescr. 23; c. Marc. V, 3), *S. Cypr.* (ad Quint. ep. 71,3), *Vict. A^ter*, *Pel.*, *S. Chrys.* (in comm. et hom. in illud : Restiti in faciem *M.* 61,371 sqq.), *Mopsu.*, *S. Hier.* (in comm.; ad Aug. ep. 112,3 sqq.; c. Rufin. III. 2; c. Pelag. I. 22), *S. August.* (in comm.; ad Hier. epp. 40. 82; de mend. 5.; c. mend. 12 etc.), *Theod.*, *S. Cyr. Alex.* (c. Iulian. IX. in fine). *S. Gelas.* (de anathem. vinc. 2. *M.* 56,219), *S. Gregor. M.* (in Ezech. II. hom. 6,9. 10), *Prim.* etc.; inter quos haud pauci Clementis opinionem diserte impugnant. — Inde a saec. 16. usque ad nostram aetatem circiter duodecim interpretes vel theologi opinionem istam defendere conati sunt; sed inter eos ne unus quidem primae notae interpres; celebriores sunt *Vallarsius* O. S. Ben., *Harduinus* S. I., *Molkenbuhr* O. Min., *Al. Vincenzi.*

stiti, quia reprehensibilis (κατεγνωσμένος *Vict.* et *A^ter* accuratius : *reprehensus*) *erat.* Nexus cum praecedentibus sectionibus, quem supra adumbravimus, arctus quidem est; nihilominus satis abrupte res ipsa affertur nec tempore nec occasione nec causa itineris Petri commemoratis, ut concludere cogamur, Galatas, uti de concilio apostolico, ita de Petri hoc itinere iam antea quaedam audivisse. Forte Paulus ipse eis hac de re locutus erat; sed coniicere quoque licet, eius adversarios, qui alibi, ut eius auctoritatem apud neophytos diminuerent, arrogantiam superbiamque ei affinxerunt (cfr 2 *Cor.* 3,1 sqq.), similem calumniam in Galatiae ecclesiis sparsisse ad eamque confirmandam illis, quae nuperrime Antiochiae acciderant, fallaciter ac mendaciter esse abusos. Quidquid de hac coniectura est, res ipsa Paulo egregiam praebuit occasionem demonstrandi, se non tantum ab Apostolis parem et aequalem in concilio esse agnitum, sed se quoque tamquam parem cum ipso Apostolorum principe egisse : parem utique in apostolatu, de quo solo hic agitur, non in universae Ecclesiae gubernatione, quae nec Petri agendi ratione nec Pauli contradictione attingitur; vel iuxta *Thom.* : « parem in exercitio auctoritatis, non in auctoritate regiminis »; etenim velut par pari Petro *in faciem restitit.* Expressio ἀντιστῆναι κατὰ πρόσωπόν τινος apud Alex. hebraico הִתְיַצֵּב בִּפְנֵי (*Deut.* 7,24; 9,2; *Iud.* 2,14 etc.) respondens nihil nisi apertam seu publicam resistentiam denotat[1] (« quid est hoc, inquit *A^ter*, nisi *in praesentia* ei contradixi? »), nec quidquam nos cogit, ut singularem vehementiam, nedum protervitatem quandam, connotari dicamus; quin etiam verba, quibus Paulus se Petro restitisse statim refert (14 sqq.), eiusmodi vehementiam non spirant. Aperte igitur « coram omnibus » (*v.* 14) ei restitit, *quia reprehensus erat.* Hodierna *Vulg.* versio adiectivum verb. (καταγνωστέος *reprehensibilis*) pro participio perf. (κατεγνωσμένος *reprehensus*) supponit, sensu tamen vix mutato; ipsum enim participium perf., sive Petrum cum *Vict.* dicimus reprehensum « ab omnibus accusatumque populi iudicio », sive cum *Reithm.* etc. « ab Ethnicochristianis antiochenis », sive cum *A^tro* « ab evangelica veritate, cui hoc factum adversabatur », sive demum rectius cum *Wind.* « sua ipsius priore agendi

1. *Hier.* verba κατὰ πρόσωπον explicat *secundum faciem publicam* (i. e. secundum externam speciem), eandemque explicationem *Chrys.* videtur insinuare, si expressionem κατὰ πρόσωπον ἀντέστην dicit esse σχῆμα (*speciem* vel simulationem?). Sed expressio κατὰ πρόσωπον solam praesentiam denotat et a *Vulg.* aliis in locis haud male redditur *ante faciem* (i. q. coram, *Luc.* 2,31; *Act.* 3,13), *in facie* (i. q. praesens, 2 *Cor.* 10,1), *praesens* (*Act.* 25,6), *secundum faciem* (i. q. praesentia 2 *Cor.* 10,7). Eandem fere significationem habet formula ἐν προσώπῳ (2 *Cor.* 3,10; 4,6; 5,12), et ad praesentiam etiam formulae εἰς πρόσωπον, ἀπὸ προσώπου etc. referuntur (cfr בִּפְנֵי, לִפְנֵי, כִּפְנֵי etc.)

ratione » (cfr *v.*14), semper connotat, eum reprehensione dignum fuisse. Neque tamen ex hac expressione recte colligunt nonnulli, eum iuxta Pauli iudicium peccati proprie dicti reum fuisse.

Quamobrem enim reprehensus sit, Paulus ita exponit, ut eum secum plane consensisse doceat, quum eadem omnino ratione, qua ipse, cum gentibus convixerit atque ob iudaizantium dumtaxat scandalum vitandum priorem agendi rationem mutaverit : 12. *prius enim quam venirent quidam a Iacobo cum gentibus edebat; quum autem venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant.* Quae sua de legalibus sententia esset, Petrus dudum antequam Antiochiam venisset plus semel manifestaverat; Ierosolymis enim post Cornelii baptisma accusationi iudaizantium, quod ad praeputiatos intrasset et cum eis manducasset, revelationem sibi factam opposuerat (*Act.* 11,1 sqq.); in concilio iterum eadem revelatione nixus Deum inter Iudaeos ethnicosque discrimen non ponere sed utrorumque corda fide purificare asseruerat concluseratque, ethnicis conversis iugum non esse imponendum, quod Iudaei ipsi portare nec potuissent nec possent (*Act.* 15,8 sqq.). Quemadmodum pridem ergo Caesareae cum Cornelio, ita Antiochiam advectus *cum gentibus*, utique ad fidem conversis (cfr *v.* 13. *Iudaei* i. q. Iudaeochristiani), *edebat* non semel tantum aut iterum, sed ordinarie (id enim imperf. συνήσθιεν indicat), ita ut praeceptis mosaicis de ciborum distinctione non observatis iuxta decretum apostolicum cum Ethnichristianis ab idolothyto tantum et sanguine et suffocato sese abstineret. Itaque cum Paulo non solos ethnicos sed etiam Iudaeos conversos Lege non amplius ligari consensit, et quamquam hac de re concilium nihil diserte statuerat sed decreto suo solos « fratres ex gentibus » (*Act.* 15,23) spectaverat, Pauli hac de re doctrinam sua agendi ratione approbavit.

Qui consensus ex eo confirmatur, quod non sua sponte, sed quasi coactus illam gentiliter vivendi (cfr *v.* 14) rationem deponeret, quum nimirum *aliqui a Iacobo venissent* [1]. Expressionem ἀπὸ Ἰακώβου multi cum *Chrys.* et *Aug.* haud satis recte (id quod ex verborum colloca-

1. Pro plurali ἦλθον (*venissent*) egregii quidam codd. (cfr *VV. LL.*) singularem ἦλθεν (venisset) exhibent; quae lectio mendosa merito habetur, quamvis antiqua sit. Pro subiecto enim Κηφᾶς esset supplendum, at Petrus Antiochiae iam aderat; ac proin singularis aptum non praebet sensum. Quod vero *Orig.* (c. Cels. II. 1) *Iacobi* nomen supplendum censeat (« quum venisset Iacobus »), aut alii Paulum certam personam nobis ignotam Galatis vero cognitam designare voluisse putent (*Wind.* etc.), id nec constructioni nec contextui consonat. Ad quid enim de familiaribus Iacobi Paulus esset locutus, si non propter eos, sed propter Iacobum ipsum postea venientem aut propter aliam personam Petrus convictum cum gentibus abrupisset?

tione apparet : πρὸ γὰρ τοῦ ἐλθεῖν τινὰς ἀπὸ Ἰακώβου) cum verbo ἐλθεῖν connectunt (« venerunt a Iacobo, i. e. a Iudaea nam ecclesiae ierosolymitanae Iacobus praefuit » *Aug.*). Multo minus recte moderni haud pauci illos a Iacobo missos esse tenent, quin etiam aliqui acath. eos ad decretum apostolicum urgendum et (!)Iudaeochristianos ab Ethnicochristianis separandos (*Ritschl*), aut ad novum decretum, quo prius mutaretur et abrogaretur, promulgandum (*Ew.*) a Iacobo ablegatos esse detexerunt. Verum ea profecto non fuit Iacobo, quamquam Apostolus et primae ecclesiae episcopus erat, auctoritas, ut ecclesiam a Paulo fundatam, in qua Petrus et Paulus aderant, per legatos suos visitaret. Τινὲς ἀπὸ Ἰακώβου sunt aliqui, qui cum Iacobo esse solebant ad eiusque quasi domum familiamque pertinebant : discipuli familiaresque eius, qui sicut ipse aemulatores Legis erant (*Act.* 21,20), sed ab eo in totius huius quaestionis intelligentiam nondum erant introducti. Neque tamen cum pseudofratribus, qui ecclesias extra Palaestinae fines fundatas perturbaverunt (*Act.* 15,24), aut cum galaticis pseudapostolis, qui gentibus conversis etiam post concilium iugum legalium imponere conabantur, eos confundere licet; viri enim erant, qui Ethnicochristianis libertatem a Lege concedebant (cfr *Act.* 21,25), Iudaeos conversos vero Legem patriam sequi volebant, quum hos quoque Christi morte a iugo pristino liberatos esse nondum intelligerent. Illis igitur advenientibus Petrus a convictu gentium *sese subtrahebat* (ὑπέστελλεν ἑαυτόν i. e. timide et clam recedere incipiebat cfr *Hebr.* 10,38 ; *Act.* 20,27) *et separabat, timens eos qui ex circumcisione erant* sc. Iudaeochristianos Legis aemulatores. Iuxta *Chrys.* « non timuit periculum suum, sed timuit, ne illi a fide deficerent »; iuxta *S. Iren.* (c. haer. III. 12 n. 15) vero, « timuit, ne culparetur ab illis »; utramque sententiam recte *A*[ter] quasi coniungit : « cessit animositati et audaciae Iudaeorum, timens ne per hoc (quod, facile erat) subreperet scandalum, quod difficile sedaretur ». Revera Petrus, qui proxime Iudaeorum erat Apostolus (*v.* 9), timuit, ne Iudaeochristianorum, qui, quum concilium de eorum ad Legem relatione nihil diserte edixisset, etiam tunc se illa ligari licite, quamvis erronee, putarunt, animos a se averteret sibique laborum campum obstrueret. Procul dubio eos docere potuisset, universam Legem morte Christi esse abrogatam, atque Iudaeis non minus quam ethnicis libertatem in Christo Iesu (*v.* 4) competere; sed tempus locumque huic doctrinae tradendae aptum non esse ratus ab Ethnicochristianorum convictu sese retrahere satius duxit non omnes suae agendi rationis sequelas praevidens.

Omnem plane societatem cum gentibus eum non abrupisse clarum est; nisi enim in frequentandis totius ecclesiae antiochenae coetibus perseverasset, Paulus eum « coram omnibus » (*v.* 14) reprehendere non potuisset; cum eis *edere* tantum cessavit. Neque tamen in sola vita civili ac profana haec separatio sese manifestavit, quatenus ab Ethnicochristiano forte invitatus mensae eius privatae accumbere recusavit (eius modi enim invitationibus Apostolos tempus suum trivisse vix mihi persuadeo); sed in ipsis sacris coetibus apparuit ideoque schisma in ecclesiam antiochenam facile introducere potuit. Cum SS. Eucharistiae celebratione enim coniunctae erant agapae, quibus primi Christiani mutuam caritatem manifestabant ac fovebant, quum singuli pro suis quisque facultatibus cibos afferrent, qui in communi mensa appositi omnibus inservirent (cfr ad 1 *Cor.* 11,20 sqq.). Qui mos in ecclesiis mixtis, quae Iudaeis et ethnicis conversis constabant, haud levem creavit difficultatem neque observari potuit, nisi aut priores ciborum mundorum immundorumque distinctionem a Moyse praescriptam negligebant, aut alteri saltem in agapis Legi se subiiciebant; quasi mediam vero viam concilium monstrasse videbatur, quum decreto suo fratribus ex gentibus ea interdiceret, a quibus Iudaei maxime abhorrebant, idolothyta et sanguinem et suffocatum. Hoc sensu Iudaeochristiani in ecclesiis mixtis decretum intellexisse videntur, ita ut agapas celebrarent eidem mensae communi cum Ethnicochristianis accumbentes atque ab iis tantum abstinentes, quae decreto erant vetita; quam interpretationem Petrus non minus quam Paulus exemplo suo approbaverunt. At ierosolymitani aemulatores Legis, qui domi in suis agapis solos cibos mundos apponere consueverant, Antiochiae eundem ritum sibi observandum esse putarunt, atque Petrus, ne eis, quorum curam speciali modo in se susceperat, scandalo esset, communi mensa relicta sese cum eis segregabat; unde factum est, ut in ipsos coetus religiosos divisio quaedam invecta sit, quae maioris schismatis ac dissensionis potuit fieri initium.

Quamdiu solus Petrus sese a gentium convictu separabat, periculum non admodum magnum erat, quandoquidem Ethnicochristiani antiocheni graviter ferre non potuerunt, quod aliqui Iudaeochristiani ad eorum eclesiam non pertinentes patrium suum morem observarent et eorum Apostolus cum eis eundem ritum sequi mallet. Ideo Paulus tacuit; verum tanta erat Petri auctoritas, ut solo exemplo suo Iudaeochristianos antiochenos secum traheret : **13.** *et simulationi eius consenserunt* (συν υπεκρίθησαν αὐτῷ A^{ter} accuratius : *simulaverunt cum illo*) *ceteri Iudaei, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in eandem simulationem* (συναπήχθη αὐτῶν τῇ ὑποκρίσει accuratius aut : abriperetur ad eorum simulationem, aut : abriperetur eorum simulatione; *Vict.* A^{ter} : consentiret eorum simulationi). Petrus aliique cum eo *simulasse* dicuntur, quia externa eorum actio interno eorum iudicio non consonabat; Paulus indicat. eis persuasum quidem fuisse, se ritibus mosaicis non ligari, nihilo-

minus eos a gentium convictu recedentes egisse, ac si illis etiamtunc ligarentur[1]. Simili modo Paulus aliquot annis postea, quum ex tertio itinere Ierosolyma reversus Iacobo suadente in templo votum solveret quatuorque egenis naziraeis sumtum sacrificiorum praestaret (*Act.* 21,20 sqq.), simulasse recte dicitur; quin etiam sicut Petrus timens eos, qui ex circumcisione erant, sese a gentibus segregavit, Paulus timens Iudaeochristianos, qui eum Legem abiecisse putarunt, Legem custodisse seseque aemulatoribus Legis accommodasse dici potest. Petri et Pauli igitur non tantum actiones sed etiam causae motivae erant similes; actionum autem sequelae prorsus discrepabant. Satis patet, Cephae nomine hic non designari discipulum qualemcumque Domini; quomodo enim discipuli obscuri, cuius nulla memoria in antiquis Ecclesiae monumentis conservata est, exemplum reliquos Iudaeochristianos antiochenos et ipsum Barnabam, qui cum Paulo tot iam annis in convertendis ethnicis occupatus idem semper, quod ille, Evangelium docuerat et cum eo in concilio ierosolymitano defenderat, ad Legis iugum resumendum abripuisset? Solius principis Apostolorum et capitis Ecclesiae auctoritas tanta fuit, ut id efficeret; hinc etiam Paulo, quum omnes iam Iudaeochristianos cum Barnaba ab Ethnicochristianis recedere videret, diutius tacere non licuit.

14. *Sed quum vidissem, quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephae coram omnibus: Si tu, quum Iudaeus sis, gentiliter vivis et non iudaice, quomodo gentes cogis iudaizare?* Verbum ὀρθοποδεῖν, quod nec in S. Scriptura nec a profanis scriptoribus adhibitum reperitur, ab aliis explicatur *recto pede incedere* (opp. χωλεύειν claudicare), ab aliis recta via incedere (*Aᵗᵉʳ*: quum vidissem, quod non recta via incederent). Prior tamen explicatio est praeferenda (cfr ὀρθοπούς opp. χωλός); ὀρθοποδεῖ qui gressus rectos facit pedibus suis (*Hebr.* 12,13), ita ut Petro aliisque non obiiciatur, quod a recta via aberraverint, sed quod in recta via non recte ambulaverint *secundum* (πρός *ad*, h. l. id quod κατά) veritatem. Bene *Tert.* (de praescr. 23): « conversationis fuit vitium, non praedicationis »; neque enim Paulus doctrinam sed agendi rationem Petri reprehendere vult. Si doctrinam

1. Vocabulum ὑπόκρισις (uti etiam ὑποκρίνεσθαι, ὑπόκρισις) in Novo Test. vitium illud denotat, quod Dominus in Pharisaeis pietatem, qua carebant, externo habitu ob pravum finem simulantibus frequenter vituperat. Neque tamen ideo hoc in loco eundem sensum vocabulo attribuere cogimur, immo vero eundem hic invenire toto contextu prohibemur, uti ex statim dicendis apparebit. Neque enim omnis simulatio illicita aut peccatum est (cfr *Luc.* 24, 28); verbum ὑποκρίνεσθαι autem per se nihil nisi *simulare* significat. Quae significatio ab histrionibus in scena partes aliarum personarum agentibus desumta est: « hypocrita, inquit *S. Basil.* (de ieiun. hom. 1.2), est, qui in theatro alienam personam agit, saepe domini, quamvis sit servus, aut regis, quamvis sit privatus ».

eius vituperasset, eum secum consentire demonstrare nequivisset. Ceterum evidens est, subiectum verbi ὀρθοποδοῦσιν (*recte ambulant*) non solos esse Iudaeochristianos excluso Petro, id quod aliqui censuerunt (*Er. Iust.* etc.); ut Petrus enim includi dicatur, tota loci structura postulat. Quoniam vero « utile non erat errorem, qui omnibus nocebat, in secreto emendare » (*Aug.*), Paulus *coram omnibus* in publico coetu (forte in agapis, quando Iudaeochristianis cum Petro et Barnaba separatae mensae accumbentibus gentibusque e loco suo deturbatis ecclesiam in duas quasi partes scissam videbat) « in solum Petrum invectus est, ut in eo qui primus erat discerent omnes » (*Ater*) « omnesque illius obiurgatione sanarentur » (*Aug.*). Argumento autem contra eum a fortiore utitur : si Petrus, quamquam Iudaeus natus et educatus erat, Lege non amplius sese ligari scivit, multo minus gentes conversae ad eam observandam adducendi sunt. Quid in sententia sit *gentiliter* et *iudaice vivere* vel *iudaizare*, ex contextu non est ambiguum : « ethnicam vitam, inquit *Chrys.*, vitam illam appellat, quae ritus iudaicos, puta circumcisionem, sabbatha similiaque, ignorat »; proxime quidem de sola ciborum distinctione agitur, sed reliqua legalia comprehendi recte dicuntur. Quodsi nonnulli acath. (*Rück.* etc.) expressioni alium sensum (ethnice vivere i. q. ad ethnicorum morem peccatis indulgere) attribuendum censent, quoniam Petrus eo ipso tempore, quo ab ethnicorum convictu recesserat, ethnice vivere dicatur (ἐθνικῶς ζῇς *hic et nunc* ethnice *vivis*), a Pauli mente procul dubio longissime aberrant; praesente (ζῇς) enim adhibito Paulus Petrum non semel tantum istam ethnicam vivendi rationem tenuisse, sed eandem semper, ubi occasio sese offerebat et offert, tenuisse ac tenere insinuat, ut argumento suo maiorem tribuat vim.

Vix opus quoque est aliorum acath. (*de W. Wies. Ritschl Hausr.*) sententiam commemorare, qui verbum *cogis* (ἀναγκάζεις) ita explicant, ut Petrum ipsum legalium observationem ab Ethnicochristianis diserte postulasse aut saltem eiusmodi postulationi per Iacobi familiares allatae consensisse dicant; ad locum scilicet, quem huic relationi Paulus in argumentatione attribuit, et ad finem, quem in hac disceptatione referenda habuit, non attendunt, sed argumenta tantum quaerunt, quibus novum suum dogma, Apostolos scilicet diversas et oppositas doctrinas propagasse, stabiliant. Verbo *cogis* Paulus moralem illam necessitatem designat, quam Petri mutata agendi ratio neophytis ethnicis imponere videbatur; quoniam enim quasi immundos ab eius aliorumque suorum fratrum circumcisorum convictu sese excludi videbant, facile sibi persuadere poterant, legalium observationem, quamvis ad salutem non necessaria esset declarata, Christianis maio-

rem tamen dignitatem perfectionemque conferre, ac proin sibi quoque ea esse observanda, ut Iudaeis aequales fierent[1].

Quanta in primitiva Ecclesia Petri fuerit auctoritas, ex uno hoc verbo iterum clarissime apparet. A Paulo Apostolo suo, qui inter eos tot iam annis non tantum exemplo suo sed verbis quoque universalem Legis abolitionem aperte docuerat et docebat, ipsi Ethnicochristiani secedere non dubitabant, quamprimum Petrus pristina vivendi ratione mutata cum eo non amplius consentire credebatur; atque Paulus ipse quoque suam ipsius auctoritatem ad Antiochenos retinendos et a putata Petri sententia avertendos non suffecisse innuit, quum omni studio id agat, ut Petrus sese cum ipso consentire declaret. Ab eo doctrinam suam Antiochiae approbatam confirmatamque esse, diserte quidem Paulus non refert; sed nulla huius controversiae referendae ei fuisset ratio, nisi Petrus reprehensione accepta suum consensum aliquo saltem modo manifestasset. Bene *Theod.* : « magnus Petrus, inquit, silentio dicta confirmat Iudaeochristianis praesentibus quasi dicens : nos iuste reprehendit nec verbis eius contradicere licet. Quod enim audientium utilitati consulens verba Pauli approbaverit, id nemini non est manifestum ». Revera cum Patribus (cfr *Chrys. Aug. Hier. Greg. M.* etc.) iuniores quoque omnes Petri humilitatem iunioris Apostoli reprehensionem accipientis taciteque approbantis admirantur[2].

Qui Pauli relationem animo simplici legerit, merito mirabitur, non tam quod aliqui Patres in ea explicanda aliquam difficultatem invenerint, quam quod iuniores haud pauci de Petro severius iudicent eumque a Paulo peccati reum declarari ac revera peccasse censeant, ut eos omittamus, qui eum in fide errasse aut saltem veram doctrinam non clare cognovisse impudenter non minus quam absurde asserunt; Patres enim Paulum potius ab arrogantiae accusatione liberare student, iuniores vero Paulum defendentes Petrum condemnant. Verum nec Petrus a Paulo peccati alicuius reus habetur, nec Paulus Petro resistens ullo modo peccavit, sed ambo egre-

1. Egregie *Hier.* hanc sententiam amplificat : « Si, o Petre, tu natura Iudaeus, circumcisus a parva aetate et universa Legis praecepta custodiens, nunc ob gratiam Christi scis ea nihil per se habere utilitatis, sed exemplaria esse et imagines futurorum, et cum his qui ex gentibus sunt cibum capis, nequaquam, uti antea, superstitiose sed libere et indifferenter victitans : quomodo eos, qui ex gentibus crediderunt, nunc recedens ab eis et quasi a contaminatis te separans et secernens compellis iudaizare? si enim immundi sunt, a quibus recedis, idcirco autem recedis, quia non habent circumcisionem, compellis eos circumcidi et Iudaeos fieri, quum tu ipse natus Iudaeus gentiliter vixeris ».

2. Cfr *Aug.* : « Obiurgatore suo ipse qui obiurgabatur mirabilior et ad imitandum difficilior. Facilius est enim videre, quid in alio corrigas atque id vituperando vel obiurgando corrigere, quam videre, quid in te corrigendum sit, libenterque corrigi, vel per te ipsum, nedum per alium. Valet autem hoc ad magnum humilitatis exemplum, quae maxima est disciplina christiana: humilitate enim conservatur caritas » etc.

giorum pastorum partes agebant et in sola practica quadam quaestione ad tempus dissentiebant.

Verba, quibus Paulus utitur (*reprehensus erat, simulavit, non recte ambulavit ad veritatem Evangelii*) severius sonare, quia per se de peccato intelligi possunt, libenter fatemur; at ea benigniorem interpretationem non tantum admittere sed postulare concedet, qui ad argumentum et finem scriptoris attenderit. Supra iam monuimus, ab agendi ratione Petri, qui propter familiares Iacobi ab Ethnicochristianorum convictu abstinebat et iudaice iterum vivebat, rationem agendi Pauli nullo modo discrepare, qui « iis qui sub Lege erant fieri voluit, quasi sub Lege esset, quamvis non esset sub Lege, ut eos qui sub Lege erant lucrifaceret » (cfr ad 1 *Cor.* 9,20 sqq.), atque Ierosolymis, ne discessionem a Moyse docere a Iudaeochristianis Legis aemulatoribus crederetur, iuxta Legis praeceptum votum in templo solvit. Nec ipsa ergo Petri actio nec causa, qua movebatur, a Paulo, quamvis eam *simulationem* (lato nimirum sensu) appellet, reprehensione digna haberi potuit aut habita est; ex ipsa potius relatione colligitur, eum Petrum hac ratione agentem ab initio approbasse. Etenim si eum peccare credidisset, eum statim admonere debuisset, ut maius scandalum praecaveret; imperfecta autem (ὑπέστελλεν καὶ ἀφώριζεν ἑαυτόν *subtrahebat et segregabat se*) clare indicant (id quod recte quoque inter acath. *Sieff.* contra *Mey.* urget), Petrum lente ac gradatim esse progressum separationemque eius aliquo tempore durasse, antequam reliqui Iudaeochristiani et Barnabas sese separare coeperunt. Tempus igitur monendi Paulo non defuit; neque tamen monuit, quia ipse quoque utile esse iudicavit, ut Petrus ierosolymitanis Iudaeochristianis, quorum maxime erat Apostolus, sese accommodaret. At quum separationis Petri sequelae sese manifestare coepissent, neque Iudaeochristiani antiocheni soli et Barnabas praevalente Petri auctoritate abrepti cum eo iudaice quam cum Paulo ethnice vivere mallent, sed ipsi quoque ethnici neophyti ad Petrum iam inclinarent, omnino alia facta est res; atque sequelis illis spectatis Paulus iure merito dicere potuit, Petrum aliosque, qui cum eo iudaice vivebant, ***non recte ambulare*** (seu claudicare) ***ad veritatem Evangelii***, quia sua agendi ratione unitatem Ecclesiae periculo exponerent. Tantum autem abfuit, ut Petrus illas sequelas intendisset, ut eas ne praevidisset quidem, sicut nec ipse Paulus tantum valiturum esse principis Apostolorum exemplum ab initio suspicatus erat. In eo solo proinde differunt Petrus et Paulus, quod hic periculi magnitudinem prior detexerit et perversas istius accommodationis per se licitae sequelas clarius perspexerit. De peccato igitur principis Apostolorum non agitur, sed de defectu quodam perspicacitatis, et similem defectum, si volueris, Paulo quoque ex parte obiicere poteris, quia periculum non viderit, nisi quando iam omnes Iudaeochristiani (οἱ λοιποὶ Ἰουδαῖοι) Petri exemplum secuti erant; si enim antea illud vidisset, antea illud monito dato avertisset. Ceterum boni pastoris partes Petrus, circumcisionis Apostolus, egit familiaribus Iacobi sese accommodans, ne cibo suo eos perderet pro quibus Christus mortuus est (*Rom.* 14,15; 1 *Cor.* 8,11); atque boni pastoris partes

egit Paulus, gentium Apostolus, ipsi Ecclesiae capiti actionis suae sequelas non perspicienti resistens, ut gentium iura tueretur.

2). *Reprehensionem demonstrata Legis abolitione confirmat* (2,15-21).

2,15. ***Nos natura Iudaei, et non ex gentibus peccatores.*** 16. ***Scientes autem quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi : et nos in Christo Iesu credimus, ut iustificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis : propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.*** 17. ***Quod si quaerentes iustificari in Christo, inventi sumus et ipsi peccatores, numquid Christus peccati minister est? Absit.*** 18. ***Si enim quae destruxi, iterum haec aedifico : praevaricatorem me constituo.*** 19. ***Ego enim per legem, legi mortuus sum, ut Deo vivam : Christo confixus sum cruci.*** 20. ***Vivo autem, iam non ego : vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*** 21. ***Non abiicio gratiam Dei. Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.***

15. ἡμεῖς φύσει Ἰουδαῖοι, καὶ οὐκ ἐξ ἐθνῶν ἁμαρτωλοί· 16. εἰδότες δὲ ὅτι οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Χριστοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἡμεῖς εἰς Ἰησοῦν Χριστὸν ἐπιστεύσαμεν, ἵνα δικαιωθῶμεν ἐκ πίστεως Χριστοῦ καὶ οὐκ ἐξ ἔργων νόμου, ὅτι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ. 17. εἰ δὲ ζητοῦντες δικαιωθῆναι ἐν Χριστῷ εὑρέθημεν καὶ αὐτοὶ ἁμαρτωλοί, ἄρα Χριστὸς ἁμαρτίας διάκονος; μὴ γένοιτο. 18. εἰ γὰρ ἃ κατέλυσα, ταῦτα πάλιν οἰκοδομῶ, παραβάτην ἐμαυτὸν συνιστάνω. 19. ἐγὼ γὰρ διὰ νόμου νόμῳ ἀπέθανον, ἵνα Θεῷ ζήσω· 20. Χριστῷ συνεσταύρωμαι· ζῶ δὲ οὐκέτι ἐγώ, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστός· ὃ δὲ νῦν ζῶ ἐν σαρκί, ἐν πίστει ζῶ τῇ τοῦ Θεοῦ καὶ Χριστοῦ τοῦ ἀγαπήσαντός με καὶ παραδόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἐμοῦ. 21. οὐκ ἀθετῶ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ· εἰ γὰρ διὰ νόμου δικαιοσύνη, ἄρα Χριστὸς δωρεὰν ἀπέθανεν [1].

1. ***VV. LL.*** — **16. εἰδότες δέ** (*scientes autem*) **B ℵ** C D E F G L, haud multi minusc., ***It.*** (***Al**ter**, Aug. Hier.***) ***Vulg Goth.***; sed ***textus rec.*** particulam δέ omittit cum A K P, **plerisque minusc., *It.* (*Vict.*)** ***Syr. Copt. Arm. Aeth.*** — Χριστοῦ Ἰησοῦ (Christi Iesu) **B A, unus alterve minusc., *It.* (*Vict. Aug.*)** et aliqui codd. ***Vulg.***; sed ***textus rec.*** : **Ἰησοῦ Χριστοῦ (*Iesu Christi*) cum ℵ C D E F G K L P,** omnibus fere minusc., ***It.*** (*Al**ter*** etc.). ***Vulg.* (*Clem.* cum *Fuld. Amiat. Demid.*** etc.) aliisque verss. — Similiter pro εἰς Ἰησοῦν **Χριστόν (in Iesum Christum) quam** lectionem tuentur B, pauci minusc., ***Syr. Copt. Aeth.***, ***textus rec.*** **cum reliquis** testibus recte legit : εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν (in Christum Iesum; ***Vulg.* : *in Christo Iesu***). — **ἐπιστεύσαμεν** (credidimus) est communis lectio codd. **graec. et verss., quam inter Latinos** ***Aug. Hier.*** exhibent, ***Vict.*** *Al**ter*** in suis commentariis **exprimunt, aliqui codd.** ***Vulg.*** (*Fuld.* etc.) tuentur. — ὅτι ἐξ ἔργων (*quoniam* ex operibus) **B ℵ A D F G, pauci minusc.,** ***It.*** (*Vict. Al**ter***); ***textus rec.*** : διότι ἐξ ἔργων (***propterea quod*** **ex operibus) cum C E K L P,** plerisque minusc.; quam lectionem, ni fallor, **etiam hodierna *Vulg.* in** suo textu habuit, quum exhibeat : *propter quod ex operibus*; **nam lectio *propter quod*,** quum aptum sensum non praebeat, erronee scriptum videtur pro ***propterea quod***. Solus ***Fuld.*** aliam particulam causalem elegit : *ex operibus enim*. — **20. ἐν πίστει ζῶ τοῦ Θεοῦ καὶ Χριστοῦ** (in fide vivo *Dei et Christi*) B D F G : **similem lectionem habet *Vict.*** : in fide vivo ***Filii Dei et Christi***, sed commentarius eius scriptum supponit : in fide vivo ***Dei et Christi***, atque eandem lectionem teste ***Corss.*** meliores codd. commentariorum ***Hier.*** exhibent; attamen *textus rec.* recte : **ἐν πίστει ζῶ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ (*in fide vivo Filii Dei*)** cum ℵ A C E K L P, omnibus minusc., ***It.*** (*Al**ter**, Aug. Hier.* etc.) ***Vulg. Syr. Copt. Arm. Aeth.***

Totam hanc demonstrationem ad orationem pertinere, quam Paulus Antiochiae habuit, Patres supponunt; inter iuniores autem haud pauci, uti supra iam innuimus, aut iam a *v*. 15. aut a medio *v*. 16 (*et nos in Christum Iesum credidimus*) aut a *v*. 17. vel 18. Paulum relatione controversiae suae terminata ad Galatas se convertere doctrinaeque suae expositionem ac defensionem inchoare censent. Cogitari enim posse negant, Paulum coram Petro, quem in doctrina secum consentire sciebat, abolitionem Legis demonstrare voluisse; obiectionem quoque *v*. 17. continuationi orationis parum consentire, praesertim quia inde a *v*. 18. Apostolus de se ipso (prima pers. sing.) loquatur. At perpendant oportet, Paulum orationem suam « coram omnibus » habuisse, dogmatisque demonstrationem, quam Petro superfluam fuisse ultro et amplius concedimus, non solis familiaribus Iacobi sed etiam antiochenis neophytis fuisse utilissimam, ne dicamus necessariam. Porro Paulus *v*. 15 (*nos natura Iudaei*) Galatas certe nondum alloquitur, sed omnino Iudaeochristianos alloqui dicendus est; quae autem sequuntur, ea tam arcte inter se cohaerent, ut nullo in loco ante finem capitis series argumentationis apte abrumpatur. Adde, in *v*. 18. mutatam Petri agendi rationem diserte respici, et in *vv*. 19. sqq. assertionem *v*. 18. demonstrari. Quapropter antiquam sententiam cum plerisque iunioribus ac modernis (cfr *Cai. Salm. Est. Pic.* etc., *Wind. Bisp. LR. Palm.* etc. — *Mey Sieff. Ph. Z.* etc.) retineamus oportet. Integram autem orationem Antiochiae habitam, vel potius suam argumentationem (neque enim ipsissima verba, sed sententias repeti clarum est) Paulus referre voluit, quia Evangelii sui brevem conspectum contineat, ideoque Galatas ad longiorem demonstrationem, quam 3,1 directe eos alloquens exorditur, aptissime praeparet ac disponat, quum Petrum etiam ista argumenta silentio suo approbasse videant. De reliquo ad totius pericopes interpretationem parum refert, utrum eam ad Pauli orationem antiochenam pertinere, an separatam epistolae partem constituere dicamus; quare huic quaestioni diutius inhaerere superfluum est.

Si solum Petrum ad gentium convictum reducere voluisset, Paulus interrogationi suae, qua infelicem mutatae vivendi rationis sequelam ei proposuit, procul dubio nihil addidisset. Attamen in concione Iudaeochristiani quoque aderant, qui cum Petro simulaverant neque tamen ob eandem, quam ille habuit, causam a convictu gentium abstinuerant, sed Legis observationem esse necessariam sibi videbantur persuasisse. Eorum igitur gratia interrogatione sua non contentus Legis observationem cum fide in Christum pugnare ostendit. Quae mosaicae Legis et christianae fidei sit relatio, in ep. ad Rom. uberrime et in altera quoque huius epistolae tractatione ex parte saltem fusius exponit; hic vero doctrinam suam paucis verbis constringit, unde huius pericopes obscuritas quaedam est exorta, quoniam nec sententiarum omnium sensus satis perspicuus, nec earum nexus et ordo satis apertus

esse videatur. Verum apte hac ratione totam argumentationem proponi posse arbitror : Iudaeochristiani omnes, quamvis ante conversionem suam Lege ethnicis praestarent, abiecta tamen Lege in Christum crediderunt, quia eis persuasum erat, sese non ex Legis operibus sed dumtaxat per fidem in Christum veram iustitiam esse adepturos (15. 16); atqui tantum abest, ut haec Legis abiectio eis fuerit peccatum, ut illius resumtio potius eos praevaricatores constituat (17. 18); siquidem Legi obedientes ad Christum accesserunt, ut cum eo concrucifixi Legi morerentur novamque in eo vitam agentes Deo viverent (19. 20). Quapropter ii qui Legem resumunt, Legi non amplius obediunt, sed gratiam Dei abiicientes, quum per Legem iustitiam quaerant, ipsum redemtionis opus negant (*v.* 21).

A praecellentia Iudaeorum concedenda exorditur : 15. *nos natura Iudaei et non ex gentibus peccatores* (sc. sumus [1]). Pronomine *nos* proxime quidem se et Petrum, quem in praecedente sententia allocutus erat, complectitur, sed reliquos simul Iudaeochristianos, qui praesentes aderant quorumque gratia hanc argumentationem addidit, comprehendi non est dubium. « *Natura Iudaeus*, inquit *Hier.*, est ille, qui est de genere Abraham et a parentibus octavo die circumcisus; non natura Iudaeus, qui postea factus est ex gentibus ». De Iudaeis igitur strictiore sensu loquitur, quorum privilegia semper agnovit (cfr *Rom.* 3,1 sq.; 9,4 sq.), eisque gentiles opponit, quos *peccatores* nominat. Haud recte adnotat *Aug.*, quem antiquiores aliqui sequuntur (*Herv. Lomb. Thom.* etc.) : « *Peccatorum* nomen gentibus Iudaei imposuerunt iam vetusta quadam superbia, tamquam ipsi iusti essent, videntes stipulam in oculo alieno et non trabem in suo. Secundum eorum morem locutus Apostolus ait : *non ex gentibus peccatores*, i. e. quos appellant peccatores, quum et ipsi sint peccatores ». Neque enim pharisaicum hunc loquendi morem approbare aut adoptare Apostolus potuit, sed ad veram praecellentiam attendit, qua Iudaei, quamvis et ipsi sub pec-

1. *Vulg. Clem.* puncto posito hanc sententiam a sequentibus ita separat, ut verbum finitum (*sumus*) suppleatur necesse sit; qua constructione efficitur, ut Iudaeorum privilegium maiore cum vi asseratur. Cum *Hier.* tamen plerique moderni eam cum sequente ita connectunt, ut supplemento non indigeat; integrum *v.* 15. enim (*nos Iudaei* etc.) in altera sententia pronomine *et nos* resumi ac subiectum esse censent verbi *credidimus*; ita enim *Hier.*: « Nos, quum essemus natura Iudaei et non ex gentibus peccatores, scientes quod non possemus ex Legis opere sed ex Christi salvari fide, credidimus in Christum, ut quod Lex nobis non daret, fides tribueret, quam habemus in Christo ». Quia sensus universus non mutatur, hanc quoque constructionem aptam esse non negamus, priorem tamen ob rationem indicatam praeferimus. Modernorum vero aliquorum acath. constructionem respuimus, qui *v.* 15. et priorem partem *v.* 16. verbo *sumus* (ἐσμέν) suppleto connectunt, et medio in *v.* 16. a verbis *et nos credidimus* plane novam sententiam inchoant; cur enim hac ratione sententiae discerpantur, nulla prorsus adest causa.

cato essent (*Rom.* 3,9 etc.), gentes superabant. Quia enim gentes non tantum regula divinae legis positivae carebant, sed ipsum verum Deum ignorabant, tamquam ἄνομοι et ἄθεοι (cfr *Rom.* 2,12; 1 *Cor.* 9,21; *Eph.* 2,12; 4,17 sqq.) specialiore modo peccatores vocari merebantur, quam Iudaei, qui, quum Legem et adoptionem quandam et promissiones accepissent (*Rom.* 9,4; 2,17 sqq.), ad gentem sanctam populumque, quem sibi peculiarem Deus elegerat, pertinebant (*Exod.* 19,6; *Deut.* 7,6; 14,2 etc.) atque ius quoddam speciale ad iustitiam, utpote Dei propinquiores, possidere videbantur, sicut propter divinas promissiones ius quoddam speciale ad benedictiones messianicas habebant (*Rom.* 15,8 sqq.).

Quam longe vero absit, ut Iudaeos Lege eorum non obstante peccatores esse neget aut eos in Lege sua modum, quo iustitiam acquirant, habere censeat, Paulus sequente sententia declarat Iudaeochristianis in memoriam revocans, qua via ad iustitiam pervenerint : 16. *scientes autem, quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, et nos in Christo Iesu* (aptius *Vict. A*[ter], *Hier.* : in Christum Iesum εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν) *credimus* (ἐπιστεύσαμεν cfr *VV. LL.*; cum *Fuld.* et *It.* lege : *credidimus*), *ut iustificemur ex fide Christi et non ex operibus legis, propter quod* (ὅτι vel διότι cfr *VV. LL.*; lege : *quoniam* vel *propterea quod*) *ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* Quamvis magni Legem mosaicam ante suam conversionem aestimassent, Iudaeochristianis persuasum tamen fuerat, sese eius operibus iustitiam, quae coram Deo valet, assecuturos non esse nec assequi posse : ideo eius operibus sepositis ad fidem Christi confugerant, qua sola possent iustificari. Undenam vero hanc scientiam, quam in principio sententiae asserit (*scientes quod non iustificatur homo ex operibus Legis*), hauserint, in fine sententiae Paulus innuit Scripturae verbis allegatis (*quoniam ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro*). Neque enim ultima verba sunt priorum repetitio tautologica (uti aliqui arbitrantur), neque universaliorem sententiam constituunt, ex qua ad Iudaeos concludatur (*Est. Palm.* etc.), — nam prior sententia (*non iustificatur homo*) non minus universalis est quam ultima (*non iustificabitur omnis caro*), — sed eadem ratione, qua *Rom.* 3,20, ex *Ps.* 142,2 (« non intres in iudicio cum servo tuo, *quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens*), desumta sunt, ut persuasio Iudaeochristianorum non vana et inanis fuisse sed divinae revelationi inniti insinuaretur (cfr *Wind. Bisp. Reithm. Dr.* etc.).

1. — Antiqui interpretes verba Psalmistae allegari non viderunt, probabiliter quia citationis formula deest; at alibi quoque Paulus eam interdum

omittit, ubi de citatione nemo dubitat; eadem ex. gr. verba (*qui gloriatur, in Domino glorietur*) 1 *Cor.* 1,31 diserte afferuntur *sicut scriptum est,* et 2 *Cor.* 10,17 recurrunt sine ulla formula (cfr *Rom.* 1,17 et *Gal.* 3,11; *Rom.* 4,3 et *Gal.* 3,6 etc.). — *Palm.* tamen cum aliis verba Psalmi allegari negat, quia in eis de Lege mosaica non agatur : « porro, inquit, quum Apostolus totus in eo sit, ut Legem mosaicam vel observationem Legis mosaicae causam esse neget aut necessariam conditionem iustificationis, mirum profecto foret citari ab eo testimonium Scripturae ad id demonstrandum, in quo nihil dicitur de Lege nec apparet cur subintelligendum sit ». Attamen si Psalmista sub Lege constitutus et Legem observans ullum hominem coram Deo iustificari negat, clare opinor apparet, eum de illis quoque loqui, qui opera Legis habent; quare Paulus insertis verbis *ex operibus Legis* sensum Psalmistae non mutavit, sed legitime explicavit. Is autem Paulo in allegandis Scripturis est mos, ut verbis citatis, si satis clara non sunt, rectam interpretationem inserat, ne eorum explicationem addere cogatur. Clarum exemplum habes 1 *Cor.* 3,19. 20, ubi ex Scriptura demonstrare vult, *sapientiam* mundi esse stultitiam apud Deum; quem in finem allegat *Ps.* 93,11 hac ratione : « Dominus novit cogitationes *sapientium*, quoniam vanae sunt », licet in Psalmo ipso legatur : « Dominus novit cogitationes *hominum*, quia vanae sunt »; scilicet Psalmistam revera de falsis sapientibus loqui, contextus docet, atque Paulus vocabulo *sapientium* legitime substitulo verba suo argumento adaptavit. — Quia verba ex *Vet. Test.* sunt desumta, nemo quoque hebraismo illo (alibi quoque in Novo Test. usitato) offendi post : « *non* iustificabitur *omnis* caro » i. e. *nulla* caro iustificabitur. Mirum, quod *Hier.* eum non deprehenderit sed plane contra Pauli mentem sententiam explicet : « iustificabatur quondam ex Lege *non omnis caro, sed tantum hi homines, qui in Palaestina erant* »; at iuxta Paulum ex Lege aut per eam aut ex operibus eius nullus umquam iustificatus est aut iustificabitur.

2. — De praecipuis huius sententiae expressionibus alibi quidem, quum in hac ep. tum in ep. ad Rom., sermo recurret; pauca tamen quaedam hic praelibabimus, quae pleniori intelligentiae sententiae huius inserviunt.

Verbum δικαιοῦν latino *iustificare* accurate redditur; sicut alia enim pleraque verba in οῦν desinentia (cfr δουλοῦν *servum facere,* τυφλοῦν *occaecare,* ἀνακαινοῦν *renovare* etc.) proxime significat id efficere, quod adiectivo δίκαιος (*iustus*) exprimitur, ut prima eius significatio sit *iustum facere* (δίκαιον ποιεῖν *Chrys.* in *Rom.* 3,26), i. e. efficere, ut aliquis vel aliquid normae suae omni ex parte respondeat. Cui significationi vicina est (licet sit derivata) altera, quam in lingua forensi habet : *aliquem iustum declarare.* Iam inde a Ps. reformatorum tempore protestantici interpretes unanimi fere consensu solam forensem significationem omnibus in locis, in quibus verbum de adipiscenda vel augenda iustitia interna maxime a Paulo usurpatur, admittere volunt, ut imputativam suam iustitiam tueantur. At inanes sunt eorum conatus; quamquam enim homines, sive ex errore sive ex mala voluntate, etiam iniustum declarare possunt iustum, Deus tamen, cuius iudicium est

secundum veritatem (*Rom.* 2,2), eos solos iustos declarare potest, qui revera iusti sunt non externa quadam et putata s. imputata sed interna ac propria iustitia; quapropter si Deus *impios* (*Rom.* 4,5) aut *gentes* (*Gal.* 3,8) aut *hominem a peccato* (*Rom.* 6,7) etc. *iustificare* (δικαιοῦν) dicitur, omnino requiritur, ut eos gratia sanctificante infusa a peccatis liberet et in iustos transmutet, antequam eos iustos declarare possit. Itaque pro locorum diversitate aut prior aut altera significatio praeferenda est; atque in nostrae quidem sententiae priore parte, ubi praesens adhibetur atque de conatu hominis iustitiam quaerentis agitur, prior omnino teneatur oportet: homo ex operibus Legis non redditur iustus, sed per fidem Christi; opera Legis nihil conferunt, ut Deus hominem *iustum faciat.* In fine autem sententiae, ubi futurum adhibetur atque, uti ex loco Psalmi apparet (*non intres in iudicium* cum servo tuo etc.), de Deo iudice agitur, altera aptior est; in iudicio enim nullus homo ex operibus Legis (i. e. quia opera Legis habet) a Deo *iustus declarabitur.*

Quid porro nomine *operum Legis* Paulus intelligi velit, etiam inter cath. interpretes non plane extra controversiam est. Quin lex naturalis cordibus inscripta (*Rom.* 2,14 sq.) directe non designetur, sed positiva Lex mosaica, nemini quidem dubium est; at quoniam haec duabus quasi partibus, decalogo seu praeceptis moralibus, quae etiam lege naturali comprehenduntur, et praescriptionibus ritualibus, constat, nonnulli Paulum, si Legis opera a iustificatione excludit, sola haec praecepta ritualia intelligere censent. Ac profecto nostro in loco de his proxime agi, contextus, qui est de vitando ethnicorum convictu, clare docet, et quoniam in reliqua quoque nostra epistola Apostolus ad eandem legem ritualem maxime attendit (cfr 4,9 sq.), mirum non est, quod cum Graecis (*Chrys. Theod. Oec.*) etiam multi antiquiores Latini (*Vict. Pel. Prim. Sed. Herv. Lomb.* etc.) opera Legis enumerantes circumcisionem tantum, sacrificia, sabbatha aliaque ritualia nominent. Nihilominus praeeunte *Aug.* (de spir. et lit. 8,13; 29,50) plerique iuniores ac moderni ad universam Pauli doctrinam attendentes integram Legem, moralem non minus quam ritualem; totam igitur veterem oeconomiam, ab eo spectari recte tenent, si ex operibus, quae, quia a Lege praescribuntur eiusque solius ope perficiuntur, *Legis opera* vocantur, hominem iustificari negat (cfr *Thom. Salm. Tol. Est. Iust. Pic.* etc., *Wind. Reithm. Palm.* etc.); id enim ex tota epistola ad Rom. et maxime ex illo loco, qui nostro plane est parallelus (*Rom.* 3,20), elucet, quum Paulus se de illa Lege loqui asserat, per quam, utpote peccatum vetantem, cognitio sit peccati (cfr *Rom.* 7,7). Probe autem animadvertatur oportet, in hac sententia nudam Legem spectari, quae homini lapso ostendit quidem, quid Deo placeat, sed ei vires non addit, quibus illud peragat, quamvis suis naturalibus viribus illud peragere nequeat; de operibus igitur sermo est, quae ante fidem et sine fide peraguntur (cfr ad 2 *Cor.* 3,6 etc.).

Itaque ex operibus Legis aliquis iustificari frustra conatur, nec ad veram iustitiam pervenire potest nisi *per fidem in Iesum Christum*, quae fides ipsa est donum Dei plane gratuitum (*Eph.* 2,8; *Phil.* 1,29 etc.), ita ut iustifica-

tio ipsa quoque omnino sit gratuita. Fides vero, de qua Paulus loquitur, non est, uti Protestantes volunt, fiducia quaedam misericordiae divinae peccata remittentis propter Christum[1] (cfr ad 3,6), sed « illa supranaturalis virtus, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus... propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest » (*Conc. Vat.* sess. de fide cp. 3). Porro « per fidem ideo iustificari dicimur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis » (*Conc. Trid.* sess. VI. cp. 8). Per fidem, quae primum est donum Dei, homo disponitur ac praeparatur ad gratiam iustificantem accipiendam; nam « dicitur iustitia Dei esse per fidem Iesu Christi, non ut quasi per fidem mereamur iustificari, quasi ipsa fides ex nobis exsistat et per eam mereamur Dei iustitiam, sicut Pelagiani dixerunt, sed quia in ipsa iustificatione, qua iustificamur a Deo, primus motus mentis in Deum est per fidem » (*Thom.* in Rom. 3,22). Unde etiam patet, pro praesente *credimus*, quod exhibet *Vulg. Clem.*, rectius cum antiqua versione latina et *Fuld.* (cfr *VV. LL.*) legi perfectum *credidimus, ut iustificaremur* (ἐπιστεύσαμεν ἵνα δικαιωθῶμεν). Demum si ad obiectum attendis, fides in Iesum Christum, qui se tradidit pro nobis (*v.* 20), totam novam oeconomiam per eum institutam complectitur, quae ipso hoc actu creditur et suscipitur; vetere igitur oeconomia (*operibus Legis*) homo iustificari negatur, nova oeconomia (*fide in Christum*) homo iustificari asseritur; ad novam autem pertinentibus vetus nihil conferre potest.

Verba quidem : *non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi,* prout iacent, dicere videntur, ex operibus solis Legis utique hominem non iustificari, sed eum ex illis iustificari, si cum fide in Christum coniuncta sint. Quem sensum erroneum esse, quum ex eo patet, quod haec sententia fere eadem sit, quam Paulus in iudaizantibus impugnat, tum ex eo, quod ubique et in hac ipsa sententia (ut iustificemur ex fide Christi *et non* ex operibus) opera et fidem (veterem et novam oeconomias) absolute inter se opponat nec quidquam opera ad iustitiam conferre doceat (*quia non iustificabitur ex operibus omnis caro*). Neque tamen eam ob causam cum nonnullis dicere licet, particulam ἐὰν μή (*nisi*) esse hoc in loco adversativam (i. q. ἀλλά *sed;* cfr ad 1,7. 19); sed exceptivam suam significationem particula, uti semper, retinet, admittenda autem est permixtio quaedam duarum structurarum ac breviloquentia in graeco non infrequens, quum duae quasi sententiae in unam contrahantur : « non iustificatur homo ex operibus Legis, (neque enim iustificatur) nisi per fidem Christi » (cfr *Wind. Bisp. Reithm.* etc. — *Mey Sieff.* etc.).

Sola recordatio, se ipsos Lege, utpote ad iustitiam inutili, relicta ad fidem Christi confugisse ut per eam iustificarentur, Iudaeochristianos impedire iam debuit, ne fratribus suis ethnicis id imponerent, quod

1. De antiquiorum Protestantium perversis fidei iustificantis definitionibus, quae eaedem fere a modernis proponuntur, uberrime disserit *Salm.* in ep. ad Gal. Diss. V. sqq.; cfr *Bellarm.* Controvers. de iustific. I. 4 sq. etc.

sibi ipsis inutile esse cognoverant; at argumentum suum Apostolus corroborat ostendens, abiectione illa Legis Christianum non constitui peccatorem, sed eius resumtione Legem ipsam violari. 17. *Quodsi* (εἰ δέ *Vict. A*[ter] accuratius : *si autem*) *quaerentes iustificari in Christo inventi sumus et ipsi peccatores* (ἁμαρτωλοί), *numquid* (ἆρα i. q. *num igitur;* aut ἄρα ergo) *Christus peccati minister est? Absit.* In sententia hac (quae prior est pars Minoris argumenti integri) explicanda multum insudant moderni acath.; sed steriles eorum conatus praetermittimus, quoniam aptissima est interpretatio, quam cum antiquis (*Chrys. Theod.* etc., *Hier. A*[ter] etc.) plerique iuniores ac moderni cath., licet in levioribus inter se dissentiant, unanimes tenent (cfr *Salm. Est. Iust.* etc., *Wind. Bisp. MEv.* etc.). Obiiciebant iudaizantes, Iudaeochristianos Legem non observantes ethnicis similes fieri, qui quia Legem non habent nec observant, *peccatores* (ἁμαρτωλοί *v.* 15) dicuntur; Christianis igitur Legem esse observandam. Quam absurda sit haec obiectio, Paulus ostendit, eam ad absurdam conclusionem ducere monens, quam iudaizantes ipsi veluti blasphemam non reiicere non possint. Etenim « nos Iudaei, inquit, ipsi intelleximus, per fidem Christi tantum nos iustificari posse, ideoque relicta Lege *in Christo* (i. q. ex fide in Christum iustitiae nostrae causam meritoriam) *iustificari quaesivimus : si autem hac via* Lege abiecta *institiam quaerentes,* uti vos asseritis, facti et *inventi sumus peccatores* ethnicis similes (*et ipsi,* sicut ethnici, *peccatores*), concludamus oportet, *Christum,* propter quem hanc viam ingressi Legem reliquimus, *esse peccati ministrum,* quatenus nostri (suppositi) peccati causa est et promotor » [1]. Quam conclusionem propter reverentiam Christi non assertive sed interrogative et quasi dubitative exprimi, recte monent multi (*Salm. Est.* etc., *Bisp.* etc.), maiore cum vi velut abominanda absurditas reiiciatur formula Paulo usitatissima : *Absit* (μὴ γένοιτο [2]).

At hac demonstratione, Legis abiectione Iudaeochristianos nec gentilibus peccatoribus assimilari nec peccare, non contentus Paulus in

1. Cum *Chrys.* hac ratione *Theoph.* sententiam amplificat : « Quaesivimus, inquit, iustificari in Christo dimissa Lege; vos autem dicitis, Legem dimittere esse peccatum; consequens igitur est, ut in hoc peccatum Christus nos coniecerit; propter illum enim dimisimus cunctas Legis ceremonias et statuta. Itaque non solum Christus nos non iustificavit — quamvis vos id dicatis — verum etiam maioris nobis damni causa factus est, quum nobis persuaderet, ut Legem dimitteremus. Ad absurdum deducto sermone confirmatione non amplius indiget, sed negatio (*Absit*) ei sufficit, id quod in rebus ad absurdum deductis facere solet ».

2. Cfr *Rom.* 3,4. 6. 31; 6,2. 15; 11,1. 11 etc. — Formula μὴ γένοιτο Alexandrini hebr. חָלִילָה, quo res velut profana et indigna reiicitur, frequenter reddunt (*Gen.* 44,7. 17; *Ios.* 22,29; 24,16 etc.). Paulus ea non utitur nisi post interrogationem, quam magna cum vi negare vult.

altera Minoris suae parte resumtionem potius Legis peccatum, quin etiam Legis ipsius transgressionem, esse asserit et addito argumento probat : 18. *si enim quae destruxi iterum haec aedifico, praevaricatorem* (παραβάτην transgressorem) *me constituo*. Versuum 17. et 18. nexum *Chrys.* bene explicat : « illi studebant ostendere, eum qui Legem non servaret esse transgressorem (vel potius peccatorem ἁμαρτωλόν), ipse vero accusationem in adversarios reiicit, ostendens eum qui Legem servat esse transgressorem : transgressorem, inquam, non tantum fidei, sed etiam Legis ipsius ». In priore sententia (*v.* 17) indirecte asseruerat, Iudaeochristianos Legis abiectione non peccasse, atque hanc indirectam assertionem confirmat monens eos peccare, qui post acceptam iustitiam Christo inserti Legem resumunt; hinc particula causalis γάρ (*enim*). Consueta autem sua metaphora Legem velut aedificium considerat, quod illi destruunt, qui eam reiiciunt, illi vero iterum aedificare et restituere conantur, qui reiectam resumunt velut sibi necessariam. Probe enim animadvertatur oportet, Paulum de simplici Legis observatione non loqui; nam ipse quoque iis qui sub Lege erant quasi sub Lege esset interdum factus erat, neque tamen ideo transgressor Legis fuerat; loquitur vero de ea observatione, quae a iudaizantibus necessaria praedicabatur, atque is destructum Legis aedificium iterum aedificat, qui eam eo in loco habet, quem ante Christi mortem occupavit, quando Iudaeis divinitus imposita ac proin necessaria erat. Minime igitur hac sententia, uti multi acathol. censent (cfr *Sieff.* etc.), Petrum aggreditur; nam is eadem ratione, qua Paulus ipse, dumtaxat ad palaestinensium Iudaeochristianorum scandalum vitandum iudaicam ciborum distinctionem ad tempus iterum observaverat. Neque antiochenos Iudaeochristianos aggredi recte dicitur; nam illi dumtaxat Petri exemplum imitati se Legem pro necessaria habere diserte non manifestaverant. Hanc ob causam, quia nimirum in antiochena concione adversarios directe non alloquitur, Paulus, ne auditores suos aggredi videatur, mutato sermone primam personam singularem adhibet atque hac ratione se doctrinam genuinam de Legis abolitione, facto antiocheno relicto, proponere manifestat; timendum enim erat, ne aliqui ex Antiochenis ex mutata Petri agendi ratione erroneam doctrinam derivarent.

Sed quomodo *praevaricatorem* (vel potius *transgressorem*) se constituit, qui Legem abiectam iterum velut necessariam resumit? Cum *A^tro^* et *Oec.* multi respondent : « quia ita agens ostendit, se male egisse, quum eam abiiceret » (cfr *Salm. Est.* etc., *Wind. MEv.* etc.). Quod responsum, quamvis per se verum sit, nec verbis nec contextui Pauli satis congruit; neque enim se *peccatorem* in genere, sed

transgressorem, sc. Legis mosaicae, ipsa Legis resumtione constitui dicit. Cum *Chrys.* et *Theod.* igitur alii rectius respondent : « quia ipsam Legem transgreditur, quae eum manu sua ad fidem adduxit eique suam ipsius abrogationem persuasit » (cfr *Iust. Pic.* etc., *Bisp. Palm.* etc.). Hanc enim explicationem postulat sequens expositio, qua paucis sententiis comprehendens, quae Romanos uberius docuit (cfr *Rom.* 6,1-11; 7,1 sqq.; 8,1 sqq.), per Legem ipsam sese a Lege liberatum esse ostendit. Namque ut se, si ad eam revertatur, transgressorem esse demonstret, pergit : 19. *ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam; Christo confixus sum cruci.* Multiplex apud Patres reperitur priorum verborum interpretatio : « per legem fidei (Evangelium) mortuus sum legi mosaicae » (*A*[ter], *Hier.* etc.); « per legem mosaicam spiritualiter intellectam mortuus sum legi carnaliter intellectae » (*Vict. Aug*[2]. etc.); « per legem mosaicam, quae me Christum venturum docuit, mortuus sum legi » (*Chrys. Theod.* etc.); « per legem tamquam paedagogum ad Christum mortuus sum legi », quatenus nimirum « per paedagogum id agitur, ut non iam sit necessarius paedagogus, sicut per ubera nutritur infans, ut iam uberibus non indigeat, et per navem pervenitur ad patriam, ut iam navi opus non sit » (*Aug*[1]. etc.). Quae ultima explicatio procul dubio est praeferenda, quia nomini *Legis* in brevissima hac sententia eandem significationem relinquit ac toti Pauli doctrinae apprime consonat. Iuxta Paulum enim per Legem omnes maledicto subiecti sunt, ita ut Christus, quum pro nobis maledictum factus nostrum maledictum in se assumeret, *per Legem* morti sit traditus et cruci affixus (3,10 sqq.). Atqui quotquot baptizati sunt in Christum, in mortem eius baptizati sunt, et crucifixo inserti cum eo moriuntur (*Rom.* 6,3 sqq.); *per Legem* ergo moriuntur; et quia Lex in hominem non dominatur, nisi quanto tempore homo vivit, hac morte, quae est per Legem, a Legis iugo liberantur (*Rom.* 7,1. 4). At baptizati etiam cum Christo ad novam vitam resuscitantur, in qua non amplius sibi vivunt, sed Deo (*Rom.* 6,8 sqq.) atque a Lege soluti in novitate spiritus Deo serviunt (cfr 5,24. 25; *Rom.* 7,6).

Hunc esse genuinum priorum verborum sensum clare docent sequentia, quibus ostenditur, et quomodo per Legem Legi mortui simus, et quomodo Legi mortui Deo vivamus. Nam *Christo confixus sum cruci;* vetus scilicet noster homo, qui Legi subiacebat et peccato serviebat, simul cum Christo cruci affixus est, ut corpus peccati destrueretur (*Rom.* 6,6); veteri autem homini nostro novus successit. 20. *Vivo autem iam non ego*[1], sc. vetus ille homo, *vivit vero in me Chri-*

1. Haud satis accurate *Vulg. Clem.* interpunctione sua duo priora verba (*vivo autem*) a

stus. Nam qui cum Christo in cruce mortui in baptismo cum eo sepeliuntur, cum eo etiam ad novam vitam resurgunt (*Rom.* 6,4; 2 *Cor.* 5,15; *Col.* 2,12;3,1. 3); neque vero vetus homo, qui Legi subiacebat, resurgit, sed novus homo, cuius principium vitale est ipse Christus; Saulus mortuus est, resurrexit Paulus. « Quemadmodum enim, inquit *Chrys.*, peccatum, si dominatur, ipsum est quod vivit (i. e. est principium vitale), quum animum ad quod vult pertrahat, ita si, peccato mortuo, ea quae Christo placent fiunt, non amplius humana est vita, quia ipse Christus vivit in nobis, i. e. agit et dominatur ». Bene quoque *Salm.* (cfr *Cathar.*) : « In quolibet homine duplex est Adam considerandus, vetus prior et carnalis, posterior novus et spiritualis. Quamdiu homo est in vetere Adamo, operatur ea quae sunt concupiscentiae, peccati et mortis, vivitque vita veteris hominis; at ubi semel Christum crucifixum induit, mortuus invenitur vetus homo, atque ipse invenitur novus homo et nova creatura, vivitque in Christo per gratiae seu caritatis principium, quam misit in eum Christus, secundus Adam, sicut vitis in palmitem. Et ita explicatur, quomodo sit ipse et non ipse; i. e. non talis, in quo operatur homo vetus prior (*vivo iam non ego*), sed homo novus in Christo et in quo Christus ipse vivit (*vivit vero in me Christus*). Qui enim in Christo est aliquo modo, nimirum per fidem et dilectionem, in eo et Christus est per donum Spiritus vivificantis » (cfr *Rom.* 8,9 sqq.). In eo igitur Christus vivit, quia omnes eius actiones vitales (intelligere, cogitare, velle, amare etc.) iam non amplius eius, sed Christi in eo omnia regentis ac disponentis sunt (cfr *Cai.*).

Quod autem se ipsum non amplius vivere dixerat, id explicatione indigere videbatur; quare addit : *quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semet ipsum pro me.* Relativum *quod* (ὅ) antiquiores plerique explicarunt *quod attinet ad* (sc. praesentem vitam in carne); quae explicatio, quamvis inepta non sit (cfr similem constructionem *Rom.* 6,10), haud immerito a modernis relicta est, quoniam facilius fluit sermo, si relativum velut obiectum a verbo ζῆν (vivere) dependere admittitur (βίον ζῆν vitam vivere) : *quam* autem nunc *vitam vivo* in carne, *eam* in fide *vivo* Filii Dei. Sensus autem hic est : « Physice utique Christo cruci confixus non sum, nec physice sum mortuus; eadem potius ratione, qua ante conversionem et baptismum, etiam *nunc* post baptismum *in carne* mortali *vivo*

tribus sequentibus (*iam non ego*) separat, ac si sensus sit : « vivo quidem, *sed* non iam ego vivo, vivit vero in me Christus ». Ad hunc enim sensum exprimendum particula quaedam adversativa deesse non posset. Duae potius sententiolae inter se opponuntur : « *ego* autem non amplius vivo, vivit vero *in me Christus* ».

neque externa specie praesens mea vita a priore differt; sed interna mea vita, quae quia nunc « abscondita est cum Christo in Deo » (*Col.* 3,3) a naturali homine nec percipitur nec intelligitur, a priore prorsus differt, quia alio principio regitur; nam *in fide vivo Filii Dei*, et per hanc meam fidem in Filium Dei etiam Filius Dei ipse habitat in corde meo (cfr *Eph.* 3,17); quare etiam nunc, quamvis vita physica eadem perduret, non amplius sub Lege esse possum ». Per se intelligitur, expressionem *in carne vivere* non eo sensu sumi, quo *Rom.* 8,8, ut caro cogitetur peccato infecta et velut peccati sedes (cfr ad 1 *Cor.* 2,13), sed eo sensu, quo 2 *Cor.* 10,3 et *Phil.* 1,22 sqq., ut sit idem quod mortalem vitam agere. Neque tamen praesens vita mortalis futurae immortali opponitur (uti cum *Aug.* et *Theod.* aliqui censent), sed adverbio νῦν (*nunc*) praesens tempus, uti iam diximus, tempori ante baptismum peracto opponitur, et externa vita naturalis internae vitae supranaturali, quae habetur per fidem in Christum. Gratissimo porro animo recordatur, quod tantum beneficium immensae et infinitae caritati debeat, qua Christus, quum adhuc peccatores eiusque inimici essemus, pro nobis se morti tradidit, ut Deo reconciliati salvi essemus in vita ipsius (cfr *Rom.* 5,8 sqq.). De se solo quidem Paulus loquitur, at sententia eius universalis est omnesque Christianos eadem ratione complectitur; nam « quod commune est, proprium facit, ostendens tantam gratiarum actionem unumquemque Christo debere, ac si propter illum solum homo factus esset; neque enim revera vel ob unum solum exhibere recusasset tantum caritatis suae argumentum; adeo unumquemque hominem pari caritatis mensura, qua universum mundum, diligit » (*Chrys.*).

Legi igitur per Legem mortuus Paulus sese transgressorem eius constitueret, si eam velut necessariam resumeret; ipsam enim redemtionis gratiam sperneret totamque Christi redemtionem inutilem praedicaret. Haec est terribilis sententia, quam velut legitimam conclusionem ex praemissis deducit : 21. *non abiicio* (ἀθετῶ [1]) *gratiam Dei* (τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ gratiam illam sc., quam innui); *si enim per legem iustitia, ergo gratis* (potius : *frustra* δωρεάν [2]) *Christus mortuus est*. Nomine *gra-*

1. Verbum ἀθετεῖν, quod vi etymologiae significat « efficere ut quod statutum est (τὸ θετόν) non sit statutum », a *Vulg.* variis verbis redditur; si de rebus agitur : *abiicere* (hic), *spernere* (3,15; *Luc.* 7,30), *reprobare* (1 *Cor.* 1,19) *irritum facere* (*Marc.* 7,9; 1 *Tim.* 5,12; *Hebr.* 10,28) atque hanc versionem *Aug.* hic adoptat; *A*[ter] et *Vict.* vero, quum verterent *non ingratus sum*, sensum verbi non attigerunt. Si de personis agitur, *Vulg.* plerumque vertit *spernere* (*Luc.* 10,16; *Ioan.* 12,48; 1 *Thess.* 4,8; *Iud.* 8).

2. Adverbium δωρεάν apud profanos semper et in Scriptura plerumque significat *gratuito* (i. q. sine mercede *Matth.* 10,8; *Rom.* 3,24 etc.) atque respondet hebr חִנָּם; sed quia he-

tiae Dei ipsum sacrificium Christi sese ex caritate pro nobis tradentis intelligit; quod utique illi irritum faciebant et cum despectu respuebant, qui illud solum ad iustitiam nostram non sufficere rati Legem sibi resumendam duxerunt, ut perfecti essent Christiani; « qui enim vitam ex Lege instituit, gratiam Dei vituperat, quasi non sufficiat ad salutem » (*Theod.*). Iudaizantes fidei Christi quidem necessitatem non negabant, sed Legem simul ad perfectam iustitiam requiri contendebant; verum hanc iustitiae dimidiationem, ut una quasi pars sit ex meritis Christi, altera ex Legis operibus, tamquam meritorum Christi negationem Paulus reprobat; qui enim infinitis Christi meritis aliquid addere vult, eo ipso ea infinita esse negat. Hac igitur ratione tota haec argumentatio directe est contra pseudapostolos illos, qui Galatis Legem, ut consummarentur et ad perfectionem adducerentur, imponere volebant, atque aptissime sermonem traducit ad secundam epistolae partem, qua eos diserte aggreditur.

braicum hoc adverbium etiam significat *frustra* (i. q. sine iusta causa), eandem significationem scriptores Novi Test. interdum graeco δωρεάν attribuerunt.

PARS ALTERA POLEMICO DOGMATICA.

DE LEGIS INUTILITATE AD BENEDICTIONES ABRAHAE OBTINENDAS (3,1-4,31).

Auctoritate sua vere apostolica stabilita Evangeliique sui ac doctrinae reliquorum Apostolorum concentu demonstrato reliquum Paulo fuit, ut dogma de iustificatione per fidem in Christum obtinenda a pseudapostolorum obiectionibus vindicaret, vel potius Legem ad benedictiones Abrahae promissas odtinendas nihil conferre ostenderet; neque enim eius adversarii utilitatem aut etiam necessitatem fidei negabant, sed Legis simul observationem, ut aliquis perfectus esset Christianus, necessariam praedicabant. Quem errorem ut neophytis persuaderent, nomine *filiorum Abrahae* videntur esse abusi, quo eos ad circumcisionem allicerent; neque eis satis speciosum argumentum defuit. Etenim quum soli Abrahae et semini eius promissae essent benedictiones messianicae, facile concludere poterant : Ut aliquis benedictionum Abrahae promissarum particeps fiat, ad semen Abrahae pertineat oportet; atqui circumcisione, quae est signum foederis a Deo cum Abraham et semine eius pacti (*Gen.* 17,9 sqq.), et Lege, qua Deus semen Abrahae a reliquis populis discrevit, aliquis semini Abrahae inseritur; ergo Christianus, si omnium benedictionum messianicarum particeps fieri vult, circumcidatur Legemque observet oportet. Tota haec altera pars in eo est, ut sophisma hoc tribus argumentis convellat. Primum ad Galatarum, qui accepta fide etiam donis Spiritus ditati erant, experientiam provocans Paulus ostendit fide eos Abrahae assimilatos eiusque filios factos esse (3,1-7); deinde ex Scriptura constare docet, promissiones Abrahae seminique eius datas nulla ratione a Lege pendere (3,8-4,20); atque demum historiam duorum filiorum Abrahae (Isaac et Ismael) typice explicans non omnes filios eius, sed eos solos, qui ex libera matre modo supranaturali progeniti ac ipsi liberi sint, haeredes benedictionum esse monet (4,21-31). Tres igitur in sectiones pars haec apte distribuitur.

§ 1. *Legis inutilitas iuxta Galatarum ipsorum experientiam* (3,1-7).

3,1. *O insensati Galatae, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus praescriptus est, in vobis crucifixus?* 2. *Hoc solum a vobis volo discere : Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* 3. *Sic stulti estis, ut quum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini?* 4. *Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.* 5. *Qui ergo tribuit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis : ex operibus legis, an ex auditu fidei?* 6. *Sicut scriptum est : Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad iustitiam.* 7. *Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae.*

3,1. Ὦ ἀνόητοι Γαλάται, τίς ὑμᾶς ἐβάσκανεν, οἷς κατ' ὀφθαλμοὺς Ἰησοῦς Χριστὸς προεγράφη ἐσταυρωμένος; 2. τοῦτο μόνον θέλω μαθεῖν ἀφ' ὑμῶν· Ἐξ ἔργων νόμου τὸ πνεῦμα ἐλάβετε ἢ ἐξ ἀκοῆς πίστεως; 3. οὕτως ἀνόητοί ἐστε; ἐναρξάμενοι πνεύματι νῦν σαρκὶ ἐπιτελεῖσθε; 4. τοσαῦτα ἐπάθετε εἰκῇ; εἴ γε καὶ εἰκῇ. 5. ὁ οὖν ἐπιχορηγῶν ὑμῖν τὸ πνεῦμα καὶ ἐνεργῶν δυνάμεις ἐν ὑμῖν ἐξ ἔργων νόμου ἢ ἐξ ἀκοῆς πίστεως; 6. καθὼς Ἀβραὰμ ἐπίστευσεν τῷ Θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην. 7. γινώσκετε ἄρα ὅτι οἱ ἐκ πίστεως, οὗτοι υἱοί εἰσιν Ἀβραάμ [1].

Magna cum animi concitatione Paulus continuis interrogationibus ad Galatarum ipsorum experientiam provocat, qua edocebantur, se Spiritus S. donis, quae evidens sunt promissionum messianicarum documentum (cfr *Act.* 2,15 sqq.), statim post acceptam fidem ditatos esse, antequam de Legis iugo subeundo cogitassent, ita ut Legis operibus

1. *VV. LL.* — 1. ἐβάσκανεν (fascinavit) sine additam. B ℵ A D F G, pauci minusc., *It.* (*Tert.* de praescr. 27; *Vict.* *A^{ter}*, *Aug.* *Hier.* qui adnotat : « Legitur in quibusdam codicibus : Quis vos fascinavit *non credere veritati?* Sed hoc, quia in exemplaribus Adamantii non habetur, omisimus »; item ad 5,7 adnotat, se in nostro loco verba *veritati non obedire* omisisse), *Vulg.* (*Fuld.* et alii boni codd. cfr *Corss.*) *Syr.* (codd.) *Copt.* *Arm.* (codd.); Patres graeci (*Chrys.* *Theod.* etc.) additamentum interdum ponunt, interdum omittunt. Sed *textus rec.* : ἐβάσκανεν τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι (*fascinavit non obedire veritati*) cum C E K L P, plerisque minusc., *Vulg.* (*Clem.* etiam codd. *Amiat.* *Demid.* *Tolet.* etc.) *Syr.* (codd.) *Arm.* (codd.) *Goth.* *Aeth.* Quum Hier. diserte testetur, se illud omisisse, additamentum recte omittitur; ex 5,7 huc videtur translatum; est bona glossa, sed glossa. — προεγράφη ἐσταυρωμένος (praescriptus est crucifixus) verbis ἐν ὑμῖν omissis B ℵ A C, pauci minusc., *It.* (*Aug.*), *Vulg.* (*Amiat.* *Tol.* aliique boni codd. cfr *Corss.*) *Syr.* (codd.) *Copt.* *Arm.* *Aeth.*; Patres graeci iterum variant. Sed *textus rec.* : προεγράφη ἐν ὑμῖν ἐσταυρωμένος (*praescriptus est in vobis crucifixus*) cum D E F G K L P, plerisque minusc., *Vulg.* (*Clem.* cum *Fuld.* *Harl.* etc.) *Syr.* (codd.) *Goth.* Aliqui Latini cum *A^{tro}*, *Vict.* *Pel.* et *Vulg.* *Demid.* : proscriptus est ET in vobis crucifixus. — 3. Pro ἐπιτελεῖσθε (consummamini) Latini infinitivum ἐπιτελεῖσθαι legisse videntur, unde factum est, ut secundam interrogationem a priore dependere vellent. Sensus non mutatur. — 6. καθὼς Ἀβραάμ (sicut Abraham) verbo γέγραπται (scriptum est) praetermisso est communis lectio codd. graec. et verss., quam ex Latinis tuentur *Vict.* *Aug.* *Hier.*, *Vulg.* (*Amiat.* *Demid.* *Harl.* aliique boni codd. cfr *Corss.*); sed καθὼς γέγραπται· Ἀβραάμ (*sicut scriptum est : Abraham*) F G., *It.* (*A^{ter}*, *Pel.*) *Vulg.* (*Clem.* cum *Fuld.* *Tol.* et plerisque) cfr *Comment.*

ad perfectionem adduci non indiguissent (1-5); unde concludit, eos Abrahae ex fide iustificato iam esse assimilatos ac fide accepta eos esse factos filios Abrahae (6. 7).

Moderni interpretes plerique duos ultimos *vv.* (6. 7) ad sequens argumentum scripturisticum trahunt; *Hier.* vero, quum a *v.* 10. novum commentariorum librum incipiat, etiam *vv.* 8. 9. ad nostrum trahere videtur. Sed primo argumento, si *v.* 5. terminatur, conclusio deest, et secundo fundamentum, si *vv.* 8. 9. ab eo separantur, quare usque ad *v.* 7. primum sese extendere rectius dicimus. Pro more autem Paulus secundum argumentum in fine primi iam innuit et praeparat.

Ipsam Christi mortem inutilem declarant, qui ex operibus Legis iustificari volunt. Hac gravissima sententia primum suum tractatum terminaverat; hinc mirum non est, quod tanta cum vehementia Galatarum caecitatem aggreditur, qui huius criminis sese reos facere videbantur : 1. *o insensati* (ἀνόητοι *Aug.* : stulti cfr *v.* 3) *Galatae, quis vos fascinavit* (*non obedire veritati*), *ante quorum oculos Iesus Christus praescriptus est* (*in vobis*) *crucifixus.* Cum nonnullis Patribus (*Chrys. Aug.* de serm. Dom. in monte I. 9,25) monendum *Oec. Thom.* etc. censent, Paulum Domini praeceptum, quo fratrem stultum vocare vetamur (*Matth.* 5,22 sq.), non violasse, quia non temere aut vituperandi gratia, sed iusta ex causa, animo nimirum corrigendi, Galatas stultos vocasset. Porro *insensatus*, uti *Vulg.* hic graecum ἀνόητος reddidit, « proprie dicitur, qui sensu (νοῦς) caret; sensus autem spiritualis est cognitio veritatis; qui ergo veritate caret, proprie insensatus dicitur » (*Thom.*). Revera de Galatarum naturali quadam mentis hebetudine (id quod *Hier.* probabilius censet) Paulum non loqui, sed de defectu altioris intelligentiae spiritualis (cfr *v.* 3) ac de spirituali quadam caecitate, satis apparet ex interrogatione addita, quae caecitatem istam quasi fascino quodam productam esse innuit. Fascinum (βασκανία) autem incantationis genus intelligitur, quo pueri ita afficiuntur, ut mentis compotes non amplius esse videantur, aut aliud malum eis impingitur. Graeci quidem (cfr *Chrys. Theod.* etc.) verbo βασκαίνειν hic significationem *invidendi* attribuunt, at nulla est ratio, cur prima *fascinandi* significatione relicta ad illam derivatam confugiamus. Recte enim *Hier.* ex opinione vulgi sumtum esse exemplum dicit, « ut quomodo tenera aetas noceri dicitur fascino, sic etiam Galatae, in Christi fide nuper nati et nutriti lacte et non solido cibo, veluti quodam fascinante sint nociti et stomacho fidei nauseante Spiritus S. cibum evomuerint ». Est igitur metaphora quaedam, qua Paulus admirationem suam exprimit, quod Galatae malis pseudapostolorum artibus tam

facile et celeriter sese occaecari et a veritatis via abduci siverint (cfr 1,6). Finem, quem pseudapostoli in fascinandis seu seducendis Galatis prosecuti sunt, *Vulg. Clem.* (cfr *VV. LL.*) glossemate in textum recepto recte quidem, sed quum sententia per se sit clara, superflue indicat (*non obedire veritati* i. e. ne veritati doctrinae de iustitia per fidem acquirenda amplius obediretis).

Rationem deinde, cur Paulus de subita hac Galatarum mutatione tantopere stupuerit, ut eam quasi fascinationi adscribendam duxerit, sententia relativa explicat (*ante quorum oculos* etc.). In suis enim praedicationibus, quando eis fidem annuntiaverat, tam vividis coloribus imaginem Christi cruci affixi morteque sua fructum mox indicatum acquirentis inter eos depinxerat, ut eam oculis suis quodam modo intuiti sint. De morte igitur Christi, de eius causa ac meritis, diligentissime et accuratissime erant edocti, ac nihilominus nunc iam eo erant adducti, ut ex operibus Legis iustificari quaerentes mortem Domini quasi vilipenderent : si enim per Legem iustitia, frustra Christus mortuus est (2,21). Haec est Graecorum interpretatio (cfr *Chrys. Theod.* etc.), quibus verbum προγράφειν idem est quod *palam pingere*, eamque iure merito plerique iuniores ac moderni approbant (*Salm. Est. Iust.* etc., *Reithm. M Ev.* etc.). Obiicientibus vero, verbum προγράφειν significationem pingendi non admittere, recte respondet *Grimm :* « Quum simplex γράφειν saepe de pictoribus dicatur, προγράφειν vero significet etiam *ante omnium* qui legere possint *oculos scribere* (*Plut.* Demetr. 46 in fine), non intelligitur, cur προγράφειν non possit esse *ante oculos pingere* ». Certum est, graecos Patres de hac significatione verbi non dubitasse, atque inter Latinos *Pel.* quoque et *Prim.* verbo latino *praescribere* eandem attribuerunt (« quibus tam manifesta facta passio Christi est me praedicante, ut eum ante oculos vestros pendere putaretis » *Prim.*). Verba ἐν ὑμῖν (*in vobis*), si genuina sunt (cfr *VV. LL.*), cum participio ἐσταυρωμένος (*crucifixus*) aptius connectuntur (ante quorum oculos depictus est Christus quasi esset *inter vos crucifixus*), quam cum verbo προεγράφη (praescriptus est), ne tautologia quaedam exoriatur (*ante quorum oculos inter vos* depictus est Christus crucifixus).

Ab hac explicatione haud longe illi recedunt moderni, qui verbo προγράφειν sensum *publice scribendi* vel *promulgandi* hic attribuunt (*Wind. Palm.* etc. — *Sieff. Lightf.* etc.); pulchra autem imagine carent, et *promulgandi* non magis quam *depingendi* significatio verbo προγράφειν in Scripturarum usu competit. In aliis enim *Novi Test.* locis omnibus semper significat *antea scribere* (*Rom.* 15,4; *Eph.* 3,3; *Iud.* 4); quem sensum retinentes aliqui explicant : « praedicatione mea antea in cordibus vestris scripsi

Christum crucifixum » (*Bisp.* etc. — *Mey.* etc.); sed haec explicatio verbis οἷς κατ' ὀφθαλμούς (*quorum ante oculos*) excluditur. Eandem significationem *Hier.* retinens de vaticiniis agi censet, in quibus mors Christi antea erat scripta quibusque lectis Galatae « via et ordine venerunt ad credendum »; sed iterum non apparet, quid verba οἷς κατ' ὀφθαλμούς et ἐν ὑμῖν sibi velint, ut praetermittamus, Galatas, utpote ethnicos, vaticinia messianica ignorasse neque iis ad fidem potuisse adduci. Reliqui antiqui Latini legerunt *proscriptus* (« i. e. exspoliatus vel condemnatus » *A^ter*; « Christus proscriptus est, i. e. bona eius distracta et vendita sunt » *Vict.*), quam lectionem *Aug.* hac ratione interpretatur : « quibus videntibus Christus haereditatem suam passionemque amisit : his utique auferentibus eam Dominumque inde expellentibus, qui ex gratia fidei, per quam Christus possidet gentes, ad Legis opera eos qui crediderant revocabant, auferendo illi possessionem suam, i. e. eos in quibus iure gratiae fideique habitabat ». Inde a Polybio haec latini verbi *proscribere* significatio graeco προγράφειν attribuitur quidem, sed nostro contextui parum consonat, nec satis apte dicitur : « ante vestros oculos Christus haereditatem suam, i. e. vos ipsos quos vi passionis suae possedit, amisit ». Retineri haec versio nequit, nisi cum nonnullis antiquis Latinis legamus : « ante quorum oculos Christus proscriptus ET crucifixus est » ; sed haec lectio graeco textui non congruit nec sufficiente testium auctoritate est munita. Itaque Graecorum interpretationem cum plerisque iunioribus et modernis recte praeferimus (cfr *Salm. Est. Iust. Nat. Pic.* etc., *M Ev. Reithm. LR. Schaef.* etc. — *de W. Ew. Schm. Goeb. Z.* etc.).

Ut Galatae intelligant, quam insensate egerint pseudapostolorum fascinationem aspectu Christi inter eos crucifixi, i. e. recordatione doctrinae de mortis Christi virtute et efficacia, non averruncantes (cfr *Num.* 21,9), longa demonstratione Paulus opus non esse censet; una interrogatio ei sufficit : 2. *hoc solum a vobis volo discere* (μαθεῖν i. q. audire vel comperire) : *Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Quae in verba bene *Thom.* cum Patribus : « In primitiva Ecclesia ex divina dispositione, ut fides Christi promoveretur et cresceret, statim post praedicationem fidei manifesta signa Spiritus S. fiebant super audientes; ipsi quoque Galatae manifeste Spiritum S. acceperant. Quaerit igitur Apostolus ab eis, unde eum habuerint; constat autem, quod non per opera Legis, quia quum essent gentiles, ante acceptionem S. Spiritus non habebant Legem; ergo habuerunt eum ex auditu fidei. Si ergo hoc potuit fidei virtus, frustra quaeritur aliud, per quod salvemur [sive ad perfectionem adducamur]; quia multo difficilius est, de iniusto facere iustum, quam iustum in iustitia conservare [et promovere]; si ergo fides de iniustis Galatis sine Lege iustos fecerat, non est dubium, quod sine Lege poterat eos in iustitia conservare » et

promovere. Nomine *Spiritus* non solas gratias gratis datas hic designari, id quod aliquid putant (*Palm.* etc.), ex contextu iam apparet, quia de iustitia, utrum ex operibus an ex fide sit, proxime agitur; hinc saltem dona sanctificantia Spiritus simul comprehendantur oportet. Rectius autem ipsam tertiam SS. Trinitatis personam intelligemus, quae non tantum per dona sua, sed etiam secundum substantiam suam speciali modo iustos inhabitat eosque sua inhabitatione templum sibi consecrat (1 *Cor.* 6,19; cfr *infra ad* 4,6 sq.). Sed « illo tempore, inquit *Aug.*, in novitate invitationis ad fidem etiam sensibilibus miraculis praesentia Spiritus S. apparebat »; quare gratiae gratis datae, quae acceptae iustitiae et inhabitantis Spiritus quasi documentum erant (cfr *Act.* 15, 8. 9; 2,15; sqq.; 10,44 sqq.; 11,15 sqq.), dumtaxat velut manifestatio quaedam praesentiae Spiritus ipsius intelliguntur.

Iam vero, « si in operibus Legis esset salus, Spiritus S. non nisi circumcisis daretur » (*Aug.*), siquidem non nisi sanctificatis datur; atqui circumcisi Galatae nondum fuerant; ergo restat, ut eum *ex auditu fidei* acceperint. Quoniam *auditus fidei* hic *operibus Legis* opponitur, haud satis recte multi *auditum fidei* explicant « praedicationem, qua audita fides suscipitur » (cfr *Est. Iust.* etc.), quamvis procul dubio fides sit *ex auditu*, i. e. ex praedicatione (*Rom.* 10,17). Aptius *auditus fidei* (ἀκοὴ πίστεως) hic idem esse dicitur quod *obsequium fidei* (ὑπακοὴ πίστεως *Rom.* 1,5; 16,26); scilicet sicut ἀκούειν (*audire*) interdum significat *obsequi* (*Matth.* 17,5; *Ioan.* 10,8; *Act.* 3,22 sq. etc.), ita ἀκοή iam ab Alexandrinis interdum pro ὑπακοή (*obsequium*) usurpatur (1 *Reg.* 15,22 etc.). Pulchrior hac ratione et accuratior inter duo membra habetur oppositio: « non Legem, quam ignorabant, observantes, sed fidei, quae eis praedicabatur, sese subiicientes Galatae iustificati sunt et Spiritum acceperunt » (cfr *Wind.* etc. — *Lightf.* etc.).

Hinc etiam elucet, quam insensate agant, qui illo seposito, quo summum bonum consecuti sunt (fide nimirum), perfectionem suam in re quaerant (sc. in Lege), quae ex ipsa sua natura commodum ullum eis afferre nequeat: 3. *sic stulti* (ἀνόητοι insensati) *estis, ut quum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini?* Iuxta graecum textum duas habemus interrogationes, quibus sermo vividior redditur, secus autem sensus non mutatur: *Sic* (οὕτως adeo) *insensati estis? Spiritu auspicati* (ἐναρξάμενοι A^ur^ minus accurate: incipientes) *carne consummamini* (vel: ad perfectionem adducimini ἐπιτελεῖσθε)? Quanam in re Galatarum stultitia, quam secunda iam vice increpat, sit sita, Paulus lectoribus, quibus scribit, cognitum supponit; hucusque nondum clare eam indicavit neque hic eam clare exprimit, sed obscurius innuit.

Rectus enim ordo postulat, ut ab inferioribus et imperfectioribus ad superiora et perfectiora progrediamur; contrariam vero viam Galatae tenentes a perfecto ad imperfectissimum, a summis ad ima, a Spiritu ad carnem delabi videbantur. Cum *Vulg. Clem.*, quae *v.* 2. *Spiritum* (S maiusculum), hic vero *spiritum* (*s* minusculum) scribens diverso sensu nomen sumendum esse insinuat, nonnulli interpretes, qui *v.* 2. personam Spiritus S. recte intelligunt, hic nominibus *spiritus* et *carnis* duas quasi partes hominis, superiorem, quae gratia sanctificante instructa principium est actionum supranaturalium, et inferiorem, quae contra spiritum rebellans legi peccati inservit (cfr ad 1 *Cor.* 2, 13), inter se opponi censent. Sed de carne, quae sedes peccati sit, hic non agitur, nec ulla est ratio, cur nominis *Spiritus* significationem, quae eadem est *v.* 2. et 5., in hac intermedia sententia mutemus. Etenim « initium perfectionis suae Galatae habuerunt a Spiritu S. » (*Thom.*), quando ex auditu fidei iustificati Spiritum acceperunt. *Spiritui S.* autem, qui novae oeconomiae Ecclesiam docet regitque singulosque fideles regenerat ac renovat, opponitur *caro,* circa quam lex ritualis, qua pseudapostoli Galatas ad perfectionem adducere volebant, versabatur : « carnem, inquit *Theod.*, legalem conversationem vocat, quia corporea sunt Legis superflua; ad corpus enim circumcisio et sabbathi observatio et lepra et mundationes aliaque eiusmodi spectant ».

In eo igitur est stultitia Galatarum, quod a nova gratiae ac libertatis oeconomia ad veterem Legis et servitutis oeconomiam delabantur atque in vetere perfectionem quaerant, quam in nova sola invenire possunt et ex parte iam invenerunt. Altera nimirum oppositio inter verba ἐνάρχεσθαι (*incipere*) et ἐπιτελεῖσθαι (ad finem et perfectionem adduci) habetur (cfr 2 *Cor.* 8,6; *Phil.* 1,6). Solam fidem in Christum eis non sufficere, pseudapostoli neophytis persuadere conati erant; si genuini perfectique Christiani esse velint, magnis Apostolis primisque, quos illi ad fidem adduxerant, fratribus pares et aequales, omnino requiri, ut fidei adderent observationem Legis. Contra quae Paulus acerba cum ironia de perfectione loquitur, ad quam per carnales illas observantias Galatae non tam proprio studio pervenire quam caeci a magistris suis adduci velint; « neque enim dicit : σαρκὶ ἐπιτελεῖτε (carne consummatis et ad perfectionem adducitis rem) sed σαρκὶ ἐπιτελεῖσθε (carne consummamini), indicans eos velut pecudes a pseudapostolis tractari et concidi, postquam se illis tradiderunt » (*Chrys.* cfr *Theoph.*). Cum *Vulg.* enim Graeci quoque formam ἐπιτελεῖσθε pro passiva habent (cfr. 1 *Petr.* 5,9), quoniam medium huius verbi genus, licet a profanis sit usitatum, in Scripturis non reperitur. Ceterum ironia vix minor est, si cum plerisque modernis formam esse medii dixeris,

quia tota sententia continetur; ridiculum enim est, initium quidem perfectionis a Spiritu S., eius autem consummationem a carne exspectare et petere.

Quam stultitiam ut clarius perspiciant, Galatae tribulationum recordari iubentur, quas in conversionis suae principio perpessi sunt, quarumque fructus nunc in discrimen vocant, quum perfectionem in Lege quaerunt. Quasi indignabundus enim Apostolus exclamat, vel iuxta *Vulg.* interpunctionem interrogat : 4. *tanta passi estis sine causa* (εἰκῆ temere ac frustra)! Quia vero adhuc meliora de eis sperat neque eos ad seductorum partes iam plane transisse supponit, duram increpationem mitigat addens : *si tamen sine causa* (εἴγε καὶ εἰκῆ), i. e. si tamen, id quod non crediderim, verum est, quod defectio vestra iam sit completa atque ita effecerit, ut omnia, quae propter fidem perpessi estis, frustra a vobis sint tolerata omnique fructu orbata. Quot quantasque persecutiones in meridionalibus provinciae Galatiae partibus Iudaei increduli contra Paulum ac Barnabam Evangelium Galatis annuntiantes et contra neophytos ipsos excitaverint, Lucas refert (*Act.* 13,50; 14,2. 5 sq.18 sq.); atque nostra quoque epistola de difficultatibus haud levibus loquitur, quas Galatae superare debuerant, ut fidem reciperent (cfr ad 4,13 sq.) et de persecutionibus, quae a Iudaeis excitatae eo tempore, quo epistola est scripta, perdurabant (cfr 4,29). Itaque quam verum esset Pauli proficiscentis monitum, « quoniam per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei » (*Act.* 14,21), Galatae in ipso conversionis suae principio experti erant, sed multa graviaque cum divino auxilio perpessi in via fidei bene currere coeperant (5,7); verum « haec omnia praesenti sua vertibilitate nunc vana esse monstrarunt » (*Mopsu.*), quum fide se ad perfectionem adduci non amplius confidere viderentur. Neque tamen rectam viam circumcisione recepta iam deseruerant, nequedum Legis iugo sese subiecerant (cfr ad *v.* 5; 5,1; 6,1. 9.); eos enim secum esse consensuros Apostolus sperat eosque etiam nunc stare insinuat (5,10. 1); quare mirum non est, quod eos adversitates cunctas temere ac frustra passos esse absolute asserere noluerit, sed spem simul exprimat fore, ut tanta non sint passi sine causa.

1. — Priora sententiae verba (*tanta passi estis*) de tribulationibus persecutionibusque toleratis cum Patribus antiquioribusque ac iunioribus interpretibus omnibus etiam plerique moderni cath. intelligunt (*Wind. M Ev. Reithm. All. LR. Ramb. Schaef.*); atque eandem interpretationem acath. quoque antiquiores omnes et ex modernis aliqui (*Rück. Olsh. Lightf.* etc.) tenent. Pauci tamen moderni cath. (*Bisp. Dr. Palm.*) cum plerisque recentibus acath. eam reiiciunt; quia de tribulationibus, quas Galatae sint per-

pessi, nihil sit traditum. Quod argumentum omni fundamento carere evidens est, si ecclesiarum Galatiae nomine illae designari dicuntur, quas Paulus ac Barnabas in prima sua expeditione apostolica in romana provincia Galatiae fundarunt (cfr *Proleg.* 1). Quodsi quis vero hanc sententiam, quam vix non certam esse censemus, non admiserit, obiectionem illam tamen iure spernet; primum quidem, quia etiam nostra epistola de difficultatibus loquitur, quas Galatae in sua conversione superare debuerant (4,13 sq. 29); deinde quia probabile non est, Galatarum sortem fuisse feliciorem sorte aliarum ecclesiarum a Paulo fundatarum, quas omnes per multas tribulationes in regnum Dei intrasse constat.

Cur igitur a communi antiquorum interpretatione recedatur, nulla est ratio; duae vero novae explicationes, quae a modernis acath. excogitatae uni alterive cath. arriserunt, parum sunt aptae. De incommodis enim sermonem esse aliqui volunt, quae Legis observatio secum afferat : « tantas molestias novi vestri magistri vobis imposuerunt ad circumcisionem aliaque legalia vos obligantes, atque has omnes temere ac frustra passi estis » (*Dr.* — *Mey.*); at Galatae circumcisi nondum erant (5,2) necdum integram Legem susceperant, neque ad integram suscipiendam a pseudapostolis obligabantur (cfr ad 5,3). Hinc facile intelligitur, quod haec sententia paucissimis tantum probetur; neque tamen altera explicatio est probabilior, quamvis multo pluribus placuerit (*Bisp. Palm.* — *Win. de W. Hilg. Holst. Ph. Sieff. Goeb. Z.* etc.). Verbum πάσχειν scilicet vocem mediam esse monent, quae in utramque partem quum de malis, quae aliquis suffert, tum de bonis, quae experitur, per se dici possit, in nostro autem loco ob contextum de donis Spiritus S. intelligi debeat, quae Galatae, si Legem assumant, frustra ac temere acceperint (experti sint). Contra quae animadverte, a profanis quidem scriptoribus verbum πάσχειν in bonam partem sumi, si aut adverbio aliquo (εὖ πάσχειν) aut obiecto suo (ἐσθλόν τι, ἀγαθὰ πάσχειν) aut simili addito vel evidente contextu ad hunc sensum determinetur [1], hanc vero bonam significationem verbo πάσχειν in nullo nec alexandrinae versionis nec Novi Testamenti loco tribui; exemplum enim, quod cum nonnullis *Palm.* affert (*Esth.* 9,26), tantum abest, ut hanc significationem demonstret, ut ad nostram sententiam defendendam rectius adhibeatur [2]. Ad contextum porro quod attinet, locus noster tam parum istam significationem postulat, ut ante nostrum fere saeculum nemo de ea hic admittenda cogitaverit [3]. Demum in praecedente *v.* et in se-

1. Cfr. *Pape* Griech. deutsch. Handwoerterb. Ed. 2. II. p. 523 s. v. : « Wo πάσχω in gutem Sinne gebraucht ist, erhaelt es diesen *immer erst* durch einen nacher bestimmenden Zusatz, so dass das absolut stehende Verb *nur* in schlimmem Sinne steht ».

2. Auctor libri festum Purim institutum esse dicit in memoriam eorum, quae Israelitae tempore isto « perpessi sint et quae eis evenerint » (ὅσα πεπόνθασιν καὶ ὅσα αὐτοῖς ἐγένετο); ubi verbum πεπόνθασιν evidentissime ad periculum refertur, in quo Iudaei versati erant, alterum (ἐγένετο) ad liberationem mirabilem, quam obtinuerunt.

3. Quam diversus est contextus *Fl. Ioseph.* Antiqu. III. 15,1 : τὸν Θεὸν ὑπομνῆσαι μὲν ὅσα παθόντες ἐξ αὐτοῦ καὶ πηλίκων εὐεργεσιῶν μεταλαβόντες κτλ.. Ibi utique nemo verbum nisi in bonam partem interpretari potest.

quente nomen πνεῦμα, uti diximus atque plerique etiam ex adversariis, quos hic impugnamus, concedunt, personam Spiritus S. significat; qua ergo ratione τοιαῦτα (*tanta*) nostro in loco ad illud nomen personale referri potest?

2. — Gravior est de altera sententiae parte controversia, quum quid sibi velit nec Patres nec alii interpretes cath. consentiant; utrum enim verba εἴγε καὶ εἰκῇ (*si tamen sine causa*) ad priorem partem mitigandam, an ad eam aggravandam sint adiecta, dubitatur. Maior quidem Patrum numerus iis priorem increpationem mitigari censent, sed non omnes eadem ratione rem explicant. Etenim inter Graecos *Chrys.* et inter Latinos *A^ter^* Galatas iam ex gratia lapsos esse supponentes indicari putant, spem poenitentiae eis esse relictam, tribulationes autem ab eis non frustra toleratas dici, si resipiscere voluerint (*Chrys.* : « Si volueritis expergisci ac revocare vos ipsos, non frustra passi fueritis »; *A^ter^* : « Sed quia adiecit : *si tamen sine causa*, ostendit se sperare, posse *reformari* illos »). Alii vero Galatas gratiam nondum amisisse supponunt, ita ut Paulus spem exprimat, eorum tribulationes eis non fore inutiles, quia in fide sint perseveraturi; ita inter Graecos *Theod.* (« si enim volueritis *permanere in gratia*, vestrarum tribulationum mercedem accipietis ») et *Mopsu.* (« ne videatur ad plenum desperasse de eis, addidit *si non et sine causa* : haec dicens ostendit, se bonam de illis adhuc habere spem »), et inter Latinos *Vict.* (« possunt enim corrigi, ut non sit sine causa quod passi sunt, sed habeant *causam perseverationis in fide* praemium et confirmationem promissorum ex fide Christi »). Verba tamen ad priorem sententiam aggravandam addita censet *Aug.*, nam « quod sine causa, inquit, factum dicitur, superfluum est; superfluum autem nec prodest nec nocet; hoc vero timendum est, ait, ne ad perniciem valeat ». Alio modo *Prim.* sententiam aggravari arbitratur, quum non hypothesin quandam, sed confirmationem verbis exprimi dicat (« *si tamen* non dubitantis est, sed confirmantis, uti est illud : *si tamen* iustum est apud Deum retribuere his, qui vos tribulant, tribulationem ». 2 *Thess.* 1,6 [1]).

Eadem explicationum diversitas apud iuniores cath. invenitur atque nonnulli (uti olim iam *Hier.* et *Pel.*) inter eas, quae sit verior, decidere non audent; maior tamen, ut videtur, theologorum numerus, quoniam ex his verbis doctrinam de meritorum reviviscentia confirmari opinabantur, ad *Chrys.* et *A^tri^* interpretationem transierunt. Attamen hanc (ut dicam, quod

1. *Prim.* igitur particulam εἴγε eo sensu sumit, quem aliqui moderni grammatici quoque ei attribuunt, ut « de re, quae iure sumta creditur », adhibeatur (*Herm.* ad Viger. p. 831) latinoque *siquidem*, *quandoquidem* respondeat. At hanc particulae significationem ab aliis grammaticis pro certa et universali non haberi, alibi iam monuimus (cfr ad 2 *Cor.* 5,3). Revera particula enclitica γέ per se nihil significat, nisi notionem vocis, cui additur, eminere, ac proin si hypotheticae particulae εἰ additur, ei maiorem quidem vim attribuit, sed hypothesin non tollit nec in assertionem convertit. Quod autem sententiae hypotheticae, quibus εἴγε praefigitur, interdum non tam dubitationem quam confirmationem exprimant (*Eph.* 3,2; 4,21; *Col.* 1,23), id non habent vi istius particulae, sed per figuram quandam rhetoricam, qua interdum hypothetice exprimimus id, quod asserere volumus.

sentiam) ullo modo teneri posse non arbitror, quia erroneo innititur supposito[1]. Rectissime enim *Aug.* iam monet « Galatas nondum cecidisse sed inclinatos esse ut caderent, quum adhuc in eis Spiritus operari dicatur » (*v.* 5), atque eos etiamtunc, uti iam diximus, stare Apostolus insinuat (5,1), eos secum consensuros sperans solis seductoribus iudicium minatur (5,10), eos exhortatur, ne bonum facere *deficiant* (6,9) etc. Porro interroganti, utrum *Theod.* et *Vict.*, an *Aug.* sententia sit praeferenda, priorem longe probabiliorem esse Apostolumque increpationem suam mitigare neque omnem spem Galatis praecludere voluisse respondeo. Per se quidem apta est *Aug.* quoque sententia, quod maiore terrore incusso neophytos in bona via efficacius retinere voluerit; difficile vero intelligitur, quomodo Pauli verba in hunc sensum trahi queant. Licet enim gratiae antea acceptae, si quis iis neglectis aut spretis a fide deficiat, maioris ei damnationis graviorisque poenae fiant causa, merita tamen antea acquisita haud recte possunt dici « ad perniciem valere » ei, qui postea peccaverit.

Increpatione Galatarum (*vv.* 3,4) Paulus inchoatam argumentationem interruperat; ad eandem nunc revertitur, interrogationem *v.* 2. propositam nova forma repetens; ibi enim interrogaverat, qua ratione sese ad accipiendum Spiritum disposuissent, utrum fide an Lege; nunc interrogat, quanam re quasi motus fuerit Deus, ut eis Spiritum suum largiretur : 5. *qui ergo tribuit vobis Spiritum et operatur virtutes in vobis, ex operibus legis an ex auditu fidei?* Particula οὖν (*ergo*), uti saepe, interruptae orationi recipiendae inservit; quae autem latinus interpres sententia relativa exprimit, ea graecus textus participiis praesent. expressit : ὁ... ἐπιχορηγῶν... καὶ ἐνεργῶν (*tribuens* et *operans*), ut clarius appareat, iuxta Apostoli sententiam etiam eo tempore, quo scribebat, Deum Galatis Spiritum suum tribuisse atque Spiritum praesentiam suam miraculis manifestasse. Unde rectissime *Aug.* : « utique adhuc in eis Spiritus operabatur », ac proin Galatae nondum ceciderant nequedum gratiam amiserant. Adnotat quidem *Hier.* : « observandum est, quod operari virtutes dicuntur in eis, qui non tenent evangelicam veritatem, sicut in illis, qui Dominum non sequentes in nomine eius signa faciebant »; verum nemo sibi, opinor, persuaserit, Deum signa, quae ad apostolicae praedicationis veritatem demonstrandam erant ordinata, etiam inter eos operari perseverasse, qui ad errorem iam de-

1. Recte *Palm.* adnotat : « Constat haud posse ex hoc loco cum quadam certitudine colligi doctrinam de reviviscentia meritorum, quamvis eadem ex sententia Patrum heic eam supponentium vel proponentium, prout ipsi testes sunt doctrinae Ecclesiae et apostolicae traditionis, possit merito confirmari ». At Patres, qui eam in hoc loco diserte proponunt, vix invenientur; *Hier.* enim, qui eam diserte tradet, simul duas alias verborum explicationes proponit, nec apparet, quam praetulerit; ex *A*[tri] et *Chrys.* tamen sententiis eam derivari posse, non negaverim. Praeter hos tres vero nullus habetur Pater interpres, qui eam in hoc loco explicando ullo modo insinuaverit.

fecerant signorumque continuationem pro novi sui erroris confirmatione habere potuerunt. Haud apta quoque Pauli fuisset interrogatio, siquidem eiusmodi signa, quae ex hypothesi inter Galatas in errorem delapsos facta essent, neque ex auditu fidei, quam abiecerant, neque ex operibus Legis, quae eis non insigniuntur, fuissent. Neque rectior est eorum explicatio, qui ut praecedentem sententiam de reviviscentia meritorum intelligere possint, Paulum nunc de praeterito tempore ac de donis, quae ante defectionem suam Galatae acceperint, loqui volunt (*Est.* etc.). Nam Apostolus, opinor, participium praes. a participio aoristi differre non ignoravit, atque aoristum adhibuisset, si solum praeteritum tempus indicare donorumque cessationem innuere voluisset. In superiore utique sententia (*v.* 2. τὸ πνεῦμα ἐλάβετε; Spiritum *accepistis?*) de eorum initio praeterito locutus erat, at generaliore hac sententia de tota eorum duratione usque ad tempus, quo scribit, loquitur. Ceterum ex hac sententia id quoque elucet, nos in *v.* 2. nomen *Spiritus* de ipsa Spiritus persona recte esse interpretatos; nam dona gratis data, quae sola isto nomine significari alii dicunt, hic a persona *Spiritus*, qui magna cum liberalitate a Deo in iustificatos diffunditur (ἐπιχορηγεῖν largiter et liberaliter dare 2 *Petr.* 1,5; 2 *Cor.* 9,10) diserte distinguuntur; ex eis autem unum solum (operatio virtutum 1 *Cor.* 12,10. 28 etc.) nominatur, quia frequentius, ut videtur, in Galatiae ecclesiis erat.

Ad interrogationem propositam id unum Galatae respondere poterant, ex obsequio fidei se Spiritum accepisse et accipere; quod responsum Paulus confirmans addit, eos igitur Abrahae ex fide iustificato esse assimilatos eiusque filios factos : 6. *sicut* (*scriptum est* :) *Abraham credidit Deo et reputatum est illi ad iustitiam.* Iuxta *Vulg. Clem.* lectionem ex *verbis* Scripturae (*Gen.* 15,6) argumentum desumitur; sed ex *exemplo* Abrahae, quod Scripturae verbis affertur, rectius dicitur desumi. Nam verbum *scriptum est* (γέγραπται) testium criticorum auctoritate improbatur (cfr *VV. LL.*); ac revera eius additio, etsi sensum non mutat, nexum *vv.* 5. et 6. reddit impeditiorem argumentationemque minus concinnam. Scilicet iuxta genuinam lectionem Paulus responsum Galatarum quasi complet : vos igitur ex fidei obsequio Spiritum accepistis, *sicut Abraham credidit Deo et reputatum est illi ad iustitiam.*

Iisdem Geneseos verbis Romanis iustitiam ex fide esse demonstrat accurate et fuse ea explicans (*Rom.* 4,3 sqq. 16-22); quare isto in loco de eis erit agendum, atque hic pauca attigisse sufficiet, quae ad hanc argumentationem intelligendam requiruntur. Praeprimis ex eis apparet, Paulum nomine *fidei* eam virtutem theologicam intelli-

gere, quam verbis *Conc. Vatic.* supra definivimus (2,16 p. 458) atque nomine *iustitae* veram internam sanctitatem designare. Quoniam enim Galatas, qui ex fide Spiritum acceperunt, Abrahamo credenti et iustitiam coram Deo assecuto assimilat, eandem fidem Abrahamo et Galatis evidenter attribuit atque iustitiam internam intelligit, quae praesentiam Spiritus S. in iustificato post se trahit. Nemo vero in Geneseos loco fiduciam, qua homo sibi peccata propter Christi merita non imputari confidit, designatam viderit; sed Deo numerosam ipsi posteritatem praedicenti « Abraham credidit, i. e. mentem suam per fidem ei subdidit » (*Thom.*). Quamvis enim quae promittebantur, impossibilia viderentur, propter auctoritatem Dei revelantis ac promittentis « non haesitavit diffidentia (τῇ ἀπιστίᾳ incredulitate), sed confortatus est fide dans gloriam Dei, plenissime sciens (πληροφορηθεὶς omnino persuasus), quod quae promisit potens est et facere » (*Rom.* 4,20 sqq.). Porro haec Abrahae fides non ipsa erat iustitia nec per se, quatenus erat actus hominis, iustitiam meruit aut effecit, sed *reputata est in iustitiam,* i. e. a Deo acceptata est tamquam apta dispositio, ut ei veram iustitiam conferret infundens gratiam sanctificantem et caritatem per Spiritum S.

Iamvero Abraham, qui non ex operibus sed ex fide iustitiam adeptus est antequam circumcideretur, pater constitutus est omnium credentium, sive circumcisorum sive praeputiatorum, qui fidem, quam adhuc praeputiatus habuit, imitantur (cfr *Rom.* 4,11 sqq.). Quare primum suum argumentum Apostolus terminat alterumque praeparat concludens : 7. *cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae.* Utrum graecum verbum γινώσκετε cum antiqua versione (*S. Cypr. A*[ter], *Hier.*) et nonnullis bonis Vulg. codd. (cfr *Corss.*) indicativo (*cognoscitis*) an cum plerisque *Vulg.* codd. imperativo (*cognoscite*) reddimus, nihil interest; maior tamen vis fortassis imperativo inest. Circumcidi eos debere, ut tamquam Abrahae filii promissionum illius participes fierent, pseudapostoli Galatis persuadere conabantur; sua fide eos iam filios Abrahae esse, demonstrat Paulus, siquidem benedictionum participes iam facti sint. Iuxta Domini verba (*Ioan.* 8,39) filius Abrahae ex eo dignoscitur, quod opera Abrahae faciat, atque ex hoc principio Apostolum argumentari clarum est. Bene *Thom.* : « ex hoc aliquis dicitur filius alicuius, quod imitatur opera eius; Abraham autem non quaesivit iustificari per circumcisionem, sed per fidem; ergo et illi qui quaerunt iustificari per fidem sunt filii Abrahae ». Itaque *qui ex fide sunt* (οἱ ἐκ πίστεως), i. e. qui quasi filii sunt fidei, ex fide procreati (opp. οἱ ἐξ ἔργων νόμου *v.* 10, aut οἱ ἐκ νόμου *Rom.* 4,14, qui ex operibus Legis seu ex Lege quasi nati sunt, filii Legis), *hi,* iique

soli, *sunt filii Abrahae* haeredesque benedictionum eius. Magna cum vi Paulus pronomine οὗτοι subiectum (οἱ ἐκ πίστεως) resumit, ut se alios omnes a dignitate filiorum Abrahae excludere significans (cfr *Rom.* 9,6; 8,14) obiectionem iudaizantium refutet. Haud minus efficaciter eandem refutat altero argumento, quo Galatas non tantum imitatione fidei Abrahae, sed etiam mystica sua cum Christo, filio Abrahae, unione filios patriarchae factos esse ostendit (cfr *v.* 27 sqq.).

§ 2. *Inutilitas Legis iuxta indolem promissionum Abrahae factarum* (3,8-4,20).

Primo argumento nixus Paulus ad alterum transit, quo benedictiones Abrahae promissas a Lege mosaica nullo modo dependere ex Scriptura ostendit. Eos enim solos, qui ex fide sunt, filios Abrahae esse supponens ad eosdem quoque solos benedictiones pertinere probat, quoniam Lex maledictionem afferat, quam ipsa auferre non possit sed Christus morte sua abstulerit (3,8-14). Ne quis vero putet, post Legis promulgationem promissiones Abrahae antea factas iam a Lege dependere, licet ipsa benedictiones non conferat, id admitti non posse demonstrat (3,15-18) difficultatisque solutionem fine et indole Legis accuratius explicatis confirmat (3,19-4,7). Totum vero argumentum exhortatione quadam terminat (4,8-20).

1. *Qui ex fide sunt soli ius habent ad benedictiones Abrahae promissas* (3,8-14).

3,8. *Providens autem Scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, praenuntiavit Abrahae : Quia benedicentur in te omnes gentes.* 9. *Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.* 10. *Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim : Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* 11. *Quoniam autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est : quia Iustus ex fide vivit.* 12. *Lex autem non est ex fide, sed Qui fecerit ea, vivet in illis.* 13. *Christus autem nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum : quia scriptum est : Maledictus omnis qui pendet in ligno :* 14. *ut in gentibus benedictio Abrahae fieret in*

3,8. Προϊδοῦσα δὲ ἡ γραφὴ ὅτι ἐκ πίστεως δικαιοῖ τὰ ἔθνη ὁ Θεός, προευηγγελίσατο τῷ Ἀβραὰμ ὅτι Ἐνευλογηθήσονται ἐν σοὶ πάντα τὰ ἔθνη. 9. ὥστε οἱ ἐκ πίστεως εὐλογοῦνται σὺν τῷ πιστῷ Ἀβραάμ. 10. ὅσοι γὰρ ἐξ ἔργων νόμου εἰσίν, ὑπὸ κατάραν εἰσίν· γέγραπται γὰρ ὅτι Ἐπικατάρατος πᾶς, ὃς οὐκ ἐμμένει πᾶσιν τοῖς ἐγγεγραμμένοις ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ νόμου, τοῦ ποιῆσαι αὐτά. 11. ὅτι δὲ ἐν νόμῳ οὐδεὶς δικαιοῦται παρὰ τῷ Θεῷ δῆλον, ὅτι Ὁ δικαῖος ἐκ πίστεως ζήσεται· 12. ὁ δὲ νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως, ἀλλὰ ὁ ποιήσας αὐτὰ ζήσεται ἐν αὐτοῖς. 13. Χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου, γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα, ὅτι γέγραπται· Ἐπικατάρατος πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου, 14. ἵνα εἰς τὰ ἔθνη ἡ εὐλογία τοῦ Ἀβραὰμ γένηται ἐν Ἰη-

Christo Iesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.	σοῦ Χριστῷ, ἵνα τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πνεύματος λάβωμεν διὰ τῆς πίστεως [1].

Ab enthymemate exorditur, quo integrum argumentum quasi complectitur : Iuxta Scripturae verba *in* Abrahamo omnes gentes benedicentur, ergo qui ex fide sunt soli cum Abrahamo fideli benedicentur (8. 9). Conclusionem deinde ex contrario confirmat tantum abesse docens, ut Lex asseclis suis benedictionem conciliet, ut eos maledicto subiiciat neque eos ad iustitiam adducere possit (10-12); Christum vero Legis maledictionem in se suscepisse et abstulisse, ut omnes in ipso benedictionem consequerentur (13.14).

Antecedens enthymematis est hoc : 8 *providens autem Scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, praenuntiavit* (προευηγγελίσατο) *Abrahae, quia Benedicentur* (ἐνευλογηθήσονται) *in te omnes gentes.* Particula δέ (*autem*) hic est metabatica et ad novum argumentum nos traducit. Figura porro, qua *Scriptura* providisse (προιδεῖν *pro*videre i. q. *prae*videre *Act.* 2,13 etc.) et praenuntiasse dicitur, non est mera prosopopoeia, uti moderni multi censent (*Bisp. Dr. Ramb.* — *Mey Sieff. Lightf. Ph.* etc.), sed metonymia, ita ut ex hoc loco ad divinam Scripturae originem legitime concludamus; cum *Orig.* enim Patres et antiquiores interpretes recte monent, *Scripturam* hic esse nominatam pro eius auctore, Deo. Hic enim praevidit scientia utique practica, quae rerum effectioni praelucet, ac proin statuit (ὁρίσας ἦν *Chrys.*, ὥρισεν *Theod.* etc.) *ex fide iustificare gentes.* Qua in sententia ordo verborum consideretur oportet; cum emphasi enim illud *ex fide* primo in loco ponitur, quia in illo sita est vis argumenti : *fidem* scilicet Deus, priusquam Legem mosaicam daret, praevidit ac voluit esse fundamentum ac radicem iustificationis gentium. Procul dubio eadem Iudaeis quoque radix erat omnis verae iustitiae, nec quisquam in vetere

1. *VV. LL.* — 8. ἐνευλογηθήσονται est lectio, quam plures ac meliores codd. tuentur (B ℵ A C D E K L P, plerique minusc.); merito igitur lectioni *textus rec.* praefertur : εὐλογηθήσονται (F G, haud multi minusc.), quae, quamvis sensu haud multum differat, nostro loco minus convenit (cfr *Comm.*). — 10. Ad sensum nihil refert, utrum legas : γέγραπται γάρ ὅτι Ἐπικατάρατος (scriptum est enim *quod* Maledictus) cum B ℵ A C D E F G P, paucis minusc., *Syr. Arm.*, an coniunctionem ὅτι (*quod*) omittas cum *textu rec.* consentientibus K L, plerisque minusc., *It. Vulg.* — 12. ὁ ποιήσας αὐτὰ ζήσεται (*qui fecerit ea vivet*) B ℵ A C D F G P, aliqui minusc., *It.* (*Iter. Aug.* etc.) *Vulg.* (*Clem.* cum *Fuld. Amiat. Demid.* etc.) *Syr. Copt. Arm. Goth.*; sed *textus rec.* : ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται (qui fecerit ea *homo* vivet) cum E K L, plerisque minusc., *Vulg.* (*Sixt.*) *Syr.* (codd.); vocabulum ex *Rom.* 10,6 insertum videtur. — 13. ὅτι γέγραπται (*quia scriptum est*) B A C D E F G, pauci minusc., *It. Vulg. Aeth.*; sensu non mutato *textus rec.* : γέγραπται γάρ (scriptum est *enim*) cum ℵ K L P, plerisque minusc., *Syr. Copt. Arm.*

oeconomia, nisi fide, iustificatus est coram Deo (*v.* 11. 14); at de ethnicis quaestio agitabatur cum iudaizantibus; quare de eorum iustificatione speciatim Paulus loquitur.

Hoc igitur praevidens ac praedefiniens Deus Abrahae futuram gentium benedictionem *praenuntiavit* ad Legem, quam filiis Israel daturus erat, non attendens. Pulcherrima est vox προευαγγελίζεσθαι (*antea evangelizare*), qua utitur, siquidem illam praedictionem Evangelium anticipatum fuisse significat. Verum quidem est, quod *Chrys.* adnotat: « non dixit revelavit, sed *evangelizavit* (laeta annuntiavit), ut etiam patriarcham intelligas de hoc iustificationis modo gavisum esse ac vehementer, ut hoc contingeret, desiderasse »; at proxime tamen verbo illo Paulus, quantopere gentes de hoc vaticinio laetari debeant, significat. Brevissima enim praedictione : *Benedicentur in te omnes gentes,* non tantum omnes gratiae, quas Christus promeruit et Evangelio suo nobis promulgavit, comprehenduntur, sed earum etiam universalitas asseritur; neque enim unus populus tantum, sed *omnes gentes* in Abrahamo benedicentur. Sunt quidem, qui verbo *benedicentur* solam iustitiam ex fide praedici censeant; at quamquam iustitia est una ex benedictionibus, quin etiam earum praecipua, utpote omnium aliarum quasi fundamentum, tamen ad illam non licet coarctare vocis significationem. Ipse enim Paulus, uti in priore argumento ex Spiritu Galatis dato concludit eos filios Abrahae esse, ita in hoc quoque Spiritum, qui nobis datur, inter benedictiones illas certe includit (cfr ad *v.* 14). Latissimo igitur sensu benedictionem, quam gentes in Abraham consequentur, de tota et integra salute messianica interpretemur oportet, cuius partem tantum pseudapostoli ethnicis conversis, nisi Legem observarent ac circumciderentur, concedere volebant.

Vaticinium *benedicentur in te omnes gentes* ex *Gen.* 12,3 (« benedicentur in te omnes cognationes terrae ») Paulus ita desumsit, ut subiectum (*omnes cognationes,* seu tribus, terrae, כֹּל מִשְׁפְּחוֹת הָאֲדָמָה, πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς) suo argumento accommodaret. Ne quis enim de Abrahae posteris proxime aut praecipue agi contenderet (id quod ex vocabulo מִשְׁפָּחוֹת, quo familiae [*Exod.* 6,14 sqq. etc.] aut tribus [*Ios.* 7,17] filiorum Israel designari solent, aliqua cum probabilitate forte coniici potuit), ex loco parallelo, in quo *idem* vaticinium indirecto sermone repetitur (Gen. 18,18 : « quum benedicendae sint in illo *omnes* nationes [vel potius : *gentes*] terrae »; πάντα τὰ ἔθνη τῆς γῆς כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ), alterum subiectum legitime substituit, quo filii Israel excludi potius quam includi videbantur; *gentes* enim (τὰ ἔθνη), uti hebr. plur. גּוֹיִם, ethnici populi sunt, qui Legem mosaicam non

sequuntur : hi igitur, quamvis Legem nec habeant nec observent, in Abrahamo benedictum iri, i. e. totam salutem messianicam obtenturi esse praedicuntur.

Haud recte *Hier.* verba *Gen.* 22,18 (« benedicentur *in semine tuo* omnes gentes terrae ») libere allegari asserit, neque rectius aliqui ad ea saltem alludi volunt, quum Apostolum significare dicant, ratione seminis ex Abrahamo nascituri, i. e. Christi, omnes gentes benedictum iri (*Oec*[1]. *Cai. Salm. Est.* etc., *Wind. M Ev.* etc.). Doctrina enim procul dubio verissima est, sed hic nec docetur nec insinuatur; si enim eam hic docere aut insinuare voluisset, Paulus verba *in semine tuo* non mutasset. Neque iis assentimur, qui verbis *in te* nudam benedicendorum cum Abraham similitudinem designatam vident (*S. Cyr.* de ador. in Spir. II. *M.* 68,717 : « vocabuli *in te* ea vis est, ut *ad similitudinem tuam* significare videatur », *Theoph.* : « iuxta fidei tuae imitationem »; *Aug.* : « imitatione fidei tuae » cfr *A*^{ter}, *Herv. Lomb.* etc.). Verissimum iterum est, fidei conformitatem tanquam benedictionis causam supponi; sed verbis *in te* haec similitudo non designatur. Nulla quippe profecto est ratio, cur a proprio eorum sensu (*in te*, i. e. in tua persona), qui aptissimus est, recedamus; neque ab eo recedere licet, nisi Pauli argumentum perturbare eiusque verba negligere velimus. Ad verba enim quod attinet, attende in Graeco haberi : ἐνευλογηθήσονται ἐν σοί, quae eadem lectio in alexandrina versione habetur (*Gen.* 12,3; 18, 18.); repetita igitur praeposione ἐν Abraham velut persona designatur, in qua benedictionis ratio sita sit; ratio autem haec est paternitas, nam si pater benedicitur, in eo et cum eo simul etiam filii eius benedicuntur : *in* Abrahamo igitur, patre credentium, benedicentur credentes. Hanc interpretationem *Mopsu.* innuit, si Abrahamum a gentibus « suae salutis principatorem » existimari dicit, et *Chrys.* clarius exponit : « si non ii, inquiens, qui cum Abraham naturalem cognationem habent, sed ii qui cum eo sanguinis propinquitatem non habentes fidem tamen eius imitantur, filii eius sunt, perspicuum est, gentes quae crediderunt *in eum* inseri [sc. tamquam filios]; id enim significat, quum ait : *in te* benedicentur omnes gentes ».

Hinc etiam elucet, quomodo Paulus concludere potuerit : 9. *igitur qui ex fide sunt benedicentur cum fideli Abraham.* Quibusnam ex praemissis hanc conclusionem deducat, inter interpretes non constat quidem, at ex sola promissione eum argumentari vix non certum est, ita ut enthymema suppleta Minore in syllogismum legitimum hac ratione converti queat : *In* Abrahamo omnes *gentes* benedicentur; atqui *gentes*, id quod nomen ipsum docet, nec ratione naturalis propin-

quitatis aut originis neque ratione Legis et circumcisionis in Abrahamo insunt, sed ratione fidei, qua credenti Abrahamo assimilantur et tamquam filii inseruntur; ergo qui ex fide sunt et tamquam credentes Abrahamo inserti sunt, benedicentur cum fideli Abraham.

Chrys. verbis supra allegatis hanc explicationem insinuat, *Mopsu.* autem eam uberius explanat : « Divina igitur Scriptura in omnes gentes benedictionem venire promittit. Hoc autem quomodo fieri poterit super illos, qui extra Legem sunt et ad cognationem Abrahae non pertinere videntur? Sed non sola naturalis propinquitas est, quae hoc illis praestare possit, aut illa ratio, qua sub Lege minime habeantur. Evidens est enim, quoniam non aliter participari eius benedictioni possibile est eos, qui extra Legem sunt et secundum progeniem nihil pertinent ad Abraham, nisi similitudine eius credunt universitatis Deo et sic per fidem cum eo a Deo potientur benedictionem. Unde et probationis considerans firmitatem vehementius institit : itaque qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham ». — *Thom.* ab *Hier.*, qui pro *in te* supplere voluit *in semine tuo*, in errorem inductus censet « sic posse formari argumentum : Deus nuntiavit Abrahae, quod in semine eius benedicerentur omnes gentes; atqui illi qui quaerunt iustificari per fidem sunt filii Abrahae [i. e. semen Abrahae]; ergo qui ex fide sunt, i. e. qui quaerunt iustificari per fidem, benedicentur cum fideli, i. e. credente, Abraham ». *Est.* vero Apostolum ita ratiocinari vult : « Abrahae facta est promissio, quod in ipso benedicerentur omnes gentes; at Abraham ipse per fidem, qua promissioni credidit, Deo placuit et benedictionem promeruit; ergo quicumque ex fide iustitiam et benedictionem exspectant, eam cum Abraham, qui Deo credidit, consequentur, non autem illi qui sunt ex operibus Legis ». Num hi syllogismi genuinum sensum attingant, lector ipse videat; alii usque ad *v.* 6. recurrunt, ut praemissas inveniant (*Lap. Pic.* etc. — *de W.* etc.), alii saltem *v.* 7. cum 8. coniungunt (*Bisp.* etc. — *Mey Sieff.* etc.).

Argumentum Pauli est exclusorium; *soli* ii qui ex fide sunt cum fideli Abraham benedicentur; nec sanguis abrahamiticus nec Lex mosaica ad benedictiones consequendas requiritur. Prius iudaizantes concedebant; circumcisione autem et Lege gentes Abrahamo inserendas esse, ut benedictionum eius participes fierent, contendebant. Quare argumenti sui conclusionem confirmans Apostolus Legem benedictiones non conciliare demonstrat ex eo, quod Lex asseclas suos maledictioni subiiciat, benedictionibus igitur eos privet : 10. *quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt; scriptum est enim : Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Illis igitur qui ex fide sunt (*v.* 7. 9) ii qui ex operibus Legis sunt opponuntur; *ex operibus Legis* autem non omnes sunt, qui sub Lege nati eam observare pro viribus student, sed ii soli, qui in eis confidentes et ex eis iustificari quaerentes iustitiae Dei non sunt subiecti sed propriam quandam iustitiam sibi acquirere volunt (*Rom.* 10,3). Hi omnes *sub maledicto esse* dicuntur non eo sensu, quod sub Lege degant quae transgres-

soribus maledictionem minatur, sed (uti ex demonstratione addita elucet) eo sensu, quod maledictionis sententia contra eos iam sit lata; ut enim argumentatio Pauli sit legitima, idem esse debet *sub maledicto esse* (ὑπὸ κατάραν εἶναι) et *maledictum esse* (ἐπικατάρατον εἶναι). Assertum suum probat iuxta versionem alexandrinam, quae hoc in loco a primigenio textu sensu non differt[1], ultimam ex maledictionibus allegans, quas olim filii Israel in terram promissam ingressi ipsi contra Legis violatores pronuntiare iussi erant (*Deut.* 27,26). Ad cuius tenorem *omnis,* qui maledictionem effugere vult, Legem integram, nullo eius praecepto excepto, implere atque omnia singulaque eius mandata continuo et semper opere exsequi tenetur (*qui non permanet in omnibus... ut faciat ea,* ὃς οὐκ ἐμμένει πᾶσιν... τοῦ ποιῆσαι αὐτά). Iam vero id a nullo per ipsam Legem praestari potuisse summo cum iure supponit, non tam quia difficillima erat observatu (cfr *Act.* 15,10) quam quia per se cognitionem quidem peccati suis asseclis praebebat, sed vires, quibus impleri posset, eis non addebat ideoque iram operabatur (*Rom.* 3,20; 4,15 etc.). Quare consequens est, ut omnes qui ex operibus Legis sunt, i. e. in eis solis fiduciam suam ponunt, maledicti sint.

1. Eodem plane modo, quo a Paulo, a *S. Iust. M.* (c. Tryph. 95) verba allegantur, sed verisimillimum (ne dicam certum est) sanctum martyrem ea ex nostro loco transumsisse, quum et idem, quod Apostolus, argumentum ex iis desumat et eadem ratione, qua ille, a versione alexandrina discedat. Etenim ne quid explicationis gratia addere cogeretur, Paulus pro lectione alexandrina ἐν πᾶσιν τοῖς λόγοις τοῦ νόμου τούτου (in omnibus *sermonibus Legis huius*) substituere maluit πᾶσιν τοῖς ἐγγεγραμμένοις ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ νόμου (omnibus *quae scripta sunt in libro Legis*). In Deuteronomio enim de praeceptis, quae Moyses ipse *ore suo* filiis Israel promulgaverat, proxime est sermo; sed eadem praecepta a Moyse *scripta* Iudaeis erant tradita. Porro in textu primigenio primum πᾶς et alterum πᾶσιν, quae versio alex. exhibet, non sunt expressa; quapropter *Hier.* adnotat : « Incertum habemus, utrum LXX interpretes addiderint *omnis* et *in omnibus*, an in veteri hebraico ita fuerit et postea a Iudaeis deletum sit. In hanc [sc. alteram] me autem suspicionem illa res stimulat, quod sensui suo necessarium ad probandum illud, quod quicumque ex operibus Legis sunt sub maledicto sint, Apostolus vir hebraeae peritiae et in Lege doctissimus, numquam protulisset, nisi in hebraeis voluminibus haberetur. Quamobrem Samaritanorum hebraea volumina relegens inveni כל, quod interpretatur *omnis* sive *omnibus*, scriptum esse et cum LXX interpretibus concordare. Frustra igitur illud tulerunt Iudaei, ne viderentur esse sub maledicto, si non possent omnia complere, quae scripta erant, quum antiquiores alterius quoque gentis literae id positum fuisse testentur ». Revera Pentateuchus Samaritanus in secundo loco voculam כל exhibet, atque Peschito eandem in priore loco expressit. Sed Iudaeos Scripturas suas dolose adulterasse, ideo dicere non licet. Nam sententia, quae in textu massorethico et in *Vulg.* legitur (« maledictus qui non permanet in sermonibus Legis huius ») est universalis, eiusque sensus duplici illo πᾶς inserto non mutatur sed clarior redditur; eodem autem prorsus modo Apostolus argumentari potuisset, si nudum textum massorethicum secutus esset. Sicut autem alibi interdum uno alterove vocabulo inserto textus Scripturae ipse reddit clariores (cfr ad 2,16), ita hoc in loco clariorem versionem alexandrinam sequi maluit. Cfr quae de quaestione, num textus hebr. a Iudaeis dolose sit mutatus, diximus in *Introduct. gener.* in U. T. libr. sacr. p. 267-274 (*Compend.* Introd. p. 67).

Ne vero iudaizantes obiiciant, Legem, quae hanc maledictionem contra suos violatores pronuntiet, eandem quoque auferre, quum asseclas suos coram Deo iustos constituat, Paulus eis hoc effugium eripit iterum Scripturae testimoniis nixus : 11. *quoniam autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est, quia : Iustus ex fide vivit;* 12. *lex autem non est ex fide, sed : Qui fecerit ea, vivet in illis.* « Ostendit, inquit *Thom.*, insufficientiam Legis non valentis ab illo maledicto liberare ex hoc, quod iustificare non poterat. Ad quod ostendendum utitur quodam syllogismo in secunda figura, et est talis : Iustitia est ex fide, sed Lex ex fide non est, ergo Lex iustificare non potest. Circa hoc ergo primo ponit conclusionem quum dicit : Quoniam in Lege nemo iustificatur, manifestum est; secundo Maiorem, quum dicit : Iustus ex fide vivit; tertio Minorem, quum dicit : Lex autem non est ex fide ». Prior igitur particula *quoniam* (ὅτι) declarativa est atque a *manifestum est* dependet (i. q. manifestum est neminem in Lege iustificari apud Deum), altera *quia* (ὅτι) est causalis rationemque reddit, cur neminem in Lege iustificari manifestum sit. Totam vero Pauli argumentationem aliqui moderni acath. (*Fl.* etc.) perturbant, qui priorem particulam pro causali, alteram pro declarativa habent (« *quia* in Lege nemo iustificatur, ideo manifestum est, *quod* iustus ex fide vivit »); quare cum antiquis et modernis cath. omnibus etiam longe plerique acath. recte tenent Paulum eo tendere, ut *in Lege neminem coram Deo iustificari* demonstret. Ad cuius theseos intelligentiam recte adnotat *Aug.*, expressione *in Lege* hic idem significari, quod alibi Apostolus expressionibus *per Legem* aut *ex Lege* aut *ex operibus Legis* significat; id quod satis clare intimus iam huius sententiae cum praecedente nexus totusque contextus docet. Illud ergo sibi hic probandum proponit, quod Antiochiae velut certam scientiam eorum, qui ex iudaismo ad Christum se convertunt, exposuit et Psalmistae verbis confirmavit « ex operibus Legis hominem non iustificari » (cfr ad 2,16); accuratius vero hic indicat, de quanam iustitia loquatur, additis verbis *coram Deo*. Externa quidem iustitia quaedam, quae coram hominibus valeat, ex operibus illis forsitan habeatur, at non vera iustitia interna, qua homo Deo placet. Maiorem porro argumenti Paulus ex *Hab.* 2,4 desumit : *Iustus ex fide vivit* (vel rectius : *vivet* ζήσεται)[1], divina testimonii origine non indicata.

1. *Est.* iam adnotat : « Pro *vivit* verior lectio futuri *vivet;* sic enim etiam hoc in loco graeci syrique codd. et ex nostris optimi quidam habent; sic et *Hier.* legit [sc. in *Hab.* 2,4, sed non in nostro loco]; nec in graecis ea dictionum (ζῇ et ζήσεται) affinitas est, quae in latinis (*vivit* et *vivet*), ut facile possit per errorem alteram pro altera scribi ». — Cete-

Saepius (cfr *Rom.* 1,17; *Hebr.* 10,38) illud eodem modo allegat, quamvis verba nec massorethico nec alexandrino textui accurate consonent. Priorem *Hier.* fideliter expressit : « iustus *in fide sua* vivet », cum eoque reliqui graeci interpretes consentiunt, in eo solo discedentes, quod sensu non mutato hebr. praepositionem בְּ aliis praepositionibus graecis reddant (ἐκ πίστεως αὐτοῦ, τῇ πίστει αὐτοῦ *ex* fide sua, fide sua, vel *per* fidem suam). Alexandrinus vero pro בֶּאֱמוּנָתוֹ legens בֶּאֱמוּנָתִי vertit ἐκ πίστεώς μου (vel μοῦ ἐκ πίστεως) *ex fide mea;* sed quum Deus ipse apud prophetam loquatur, verborum sensus est : *ex fide Dei*, i. e. ex fide, quae in Deum tendit (vel : a Deo datur). Duarum interpretationum sensus igitur idem est, et quia neutrum pronomen ad sententiam complendam est necessarium, Paulus, qui probabiliter hic, uti plerumque, alexandrinam versionem sequitur, pronomen μοῦ omisit, ne eius explicationem quandam addere cogeretur.

Illo autem in vaticinii loco Deus prophetae de misera sorte, quam Chaldaei filiis Israel minantur, conquerenti generalem suae iustitiae normam proponit, ex qua iustus quidem in fide sua veram vitam inventurus, impius vero periturus sit[1]. Quoniam immediate antea (2,3) Deus promissionem suam de Chaldaeorum interitu se certe impleturum asserit ideoque Israelitas impletionem quiete exspectare iubet, dubium non est, quin in hac sententia fides intelligenda sit iterum dogmatica, qua Deo revelanti et promittenti propter eius veracitatem mentem subiicimus. Vita vero, quae promittitur, proxime quidem est liberatio ab hostibus ac proin felix vita temporalis; sed iterum ex praecedente sententia, qua Israelitae, quia impletio adhuc procul sit, patienter exspectare iubentur, clare elucet, in hac temporalis felicitatis promissione non esse sistendum, sed eam felicem vitam simul ac maxime esse intelligendam, qua quis etiam mediis in calamitatibus frui potest, quia ab externis bonis non dependet, quaeque morte non terminatur sed in feliciorem transmutatur. Ad quam maxime attendens *Hier.* (in Hab. 2) nostram sententiam recte exponit : « Iustus qui credit verbis meis et de his non ambigit quae polliceor, habebit praemium *vitam sempiternam* ». Aptissime igitur Apostolus hoc prophetae testimonium iudaizantibus opponit, quippe quod clare doceat, veram vitam iusti non in operibus Legis fundari, sed in fide, ac proinde iustitiam veram quoque non ex operibus esse sed ex fide. Ad Pauli argumentationem parum quidem refert, utrum verba *ex fide* proxime cum subiecto (« qui ex fide iustus est, vivet »), an cum praedicato (« iustus vivet ex fide ») connectantur; si enim ex fide est iustitia, ex fide quoque est vita, et si ex fide est vita, ex fide quoque iustitia sit oportet, qua vita obtinetur. At in vaticinio ipso verba *ex fide* cum praedicato connecti debent; quare Paulum eadem ratione verba intellexisse

rum adhibito tempore *praes.* sensus vix ac ne vix quidem mutatur, quum illud, quod futuro a propheta praedicitur, praesente velut regula generalis statuitur, quae semper valet.

1. Prophetae effatum egregie et uberrime explanat *Knabenbauer* Comment. in prophet. minor. II. p. 73-77.

contra aliquos iuniores cath. (*Cai. Bisp. Reithm.*) et multos acath. (*Beng. Win. Rück. Hilgenf. Mey Sieff.* etc.) omnino tenendum est.

Sequitur Minor, cui probatio scripturistica additur : *lex autem non est ex fide, sed : Qui fecerit ea, vivet in illis.* Quae in verba *Theod.* : « Lex non quaerit fidem, sed actionem exigit, et iis qui eam servant vitam promittit », atque *Thom.* : « praecepta Legis non sunt de credendis sed de agendis, licet aliquid credendum annuntiet; et ideo virtus eius non est ex fide, sed ex operibus; et hoc probat, quia Deus, quando voluit eam confirmare, non dixit : *qui crediderit,* sed : *qui fecerit ea;* nova autem Lex est ex fide, nam : *qui crediderit* et baptizatus fuerit, hic salvus erit » (*Marc.* 16,16). Nomine *Legis* Apostolus hic non intelligit divinam revelationem per Moysen traditam, sed complexum mandatorum per eum filiis Israel impositorum, quae per se sola nec hominem iustificant nec ei vires, quibus impleri possint, conferunt sed cognitionem dumtaxat peccati ei praebent. Quamvis igitur Lex, quum Dei dilectionem praecipiat (*Deut.* 6,5), simul etiam praecipiat fidem, tamen nec credendi nec diligendi facultatem dat. Procul quidem dubio etiam veteris oeconomiae sancti credebant et diligebant, *sicut* Lex eis praecipiebat, verum non Legis praecipientis virtute sed virtute Messiae in ea promissi, quem credentes exspectabant et ad cuius adventum Lege praeparabantur. At postquam Messias iam advenit, Iudaeis, qui eum agnoscere noluerant, nihil remansit nisi nuda Lex praecipiens; atque iudaizantes quoque, qui fide ac virtute Christi non erant contenti, nihil praeterea habebant nisi nudam Legem. Contra eos igitur Apostolus urget, Legem per se consideratam, qualis iam tunc ab omnibus considerari debuit, opera tantum praecipere nec quidquam ultra praestare nec quidquam cum fide habere commune : *non est ex fide.*

Quod hic eodem testimonio (*Levit.* 18,5) demonstrat, quo in simili probatione (*Rom.* 10,5) utitur : *qui fecerit ea vivet in eis.* Utroque in loco incompleta est allegatio, siquidem integram sententiam cognitam supponit, ex qua ad quid pronomina *ea* et *in eis* sint referenda intelligitur. Est autem iuxta alexandrinam versionem, quam Paulus iterum sequitur, haec : φυλάξεσθε (πάντα) τὰ προστάγματά μου καὶ (πάντα) τὰ κρίματά μου καὶ ποιήσετε αὐτά· ὁ (vel ἃ) ποιήσας αὐτὰ ζήσεται ἐν αὐτοῖς (custodite omnia mandata mea et omnia iudicia mea et facite ea; *qui fecerit ea vivet in eis*). Praeprimis animadverte, Deum per Moysen ibi loqui de *omnibus* suis praeceptis, id quod extra controversiam ponitur Ezechielis eadem verba usurpantis contextu (*Ezech.* 20,10. 11); licet igitur duplex πάντα, quod in plerisque codd. graecis legitur, genuinum probabiliter non sit, minime cum *Thom.* aliisque nonnullis nostro in loco de solis praeceptis ceremonialibus agi censendum est. Ne-

que iis assentimur, qui vitam, quam Deus Legem observantibus promittit, mere temporalem intelligunt, « sive longitudinem vitae, ut Iudaei putant, sive declinationem poenae, per quam Legis transgressor occiditur » (*Hier.* cfr *Aug*[1]. *A*[ter], *Herv. Thom.* etc., *Cai. Salm. Iust. Lap.* etc., *Bisp. M Ev. Palm.* etc.). Veteris enim oeconomiae sanctio, si sola verba spectantur, pro mere temporali quidem haberi potest, at Legis observatores simul etiam aeternam illis verbis sibi promitti non ignorabant. Eo tempore, quo Lex adhuc vigebat, Dominus ipse iuveni interroganti, quid boni faciens *vitam aeternam* consequeretur, respondit : « si vis *ad vitam ingredi*, serva mandata » (*Matth.* 19,17), atque similiter legisperito primum dilectionis mandatum recitanti dixit : « hoc fac et *vives* » (*Luc.* 10,28). His et similibus testimoniis nixi cum *Chrys.* aliisque Graecis etiam iuniores interpretes non pauci (*Est. Nat.* etc., *Wind. Reithm. LR. Schaef.* etc.) in *Lev.* et *Ezech.* locis non mere temporalem sed aeternam quoque vitam intelligendam esse iure tenent. Ac profecto Apostolus, si in eiusdem argumenti Maiore vitam aeternam, in Minore vitam temporalem intelligi voluisset, addito quodam prius verbum (iustus ex fide *vivet*) ab altero (qui fecerit mandata, in eis *vivet*) distinxisset; at duas vitas non distinguit, sed duas vias, quibus ad veram iustitiam ac proin ad veram vitam perveniatur. Quae duae viae ante mortem quidem Christi inter se consentiebant aut, si mavis, una eademque erant; nam fides, ex qua propheta vitam esse dicit, impletionem mandatorum non excludit sed includit, ac similiter mandatorum impletio, cui Moyses vitam promittit, fidem non excludit sed includit. At mortuo Christo non amplius consentiunt, siquidem nunc iam Lex nuda (sine fide et gratia) consideratur, quae opera praecipit operantique praemium promittit, sed vires, quibus impleatur, non praebet ideoque ad iustitiam vitamque nihil confert. Opponuntur igitur nunc inter se lex factorum (νόμος τῶν ἔργων) et lex fidei (νόμος πίστεως); prior a maledictione neminem potest liberare; sed iustificatur et ad vitam adducitur homo per fidem sine operibus Legis (*Rom.* 3,27).

1. S. *Aug.* in huius sententiae explicatione sibi non constat. In *Comm. in Gal.* vitam intelligit temporalem : « Qui autem vivebant in his operibus, timebant utique, ne, si non ea fecissent, lapidationem vel crucem vel aliquid eiusmodi paterentur. Ergo *qui fecerit ea*, inquit, *vivet in illis*, i. e. habebit praemium, ne ista morte puniatur : non ergo apud Deum, cuius ex fide si quis in hac vita vixerit, quum hinc excesserit, tunc eum magis habebit praesentissimum praemium ». Eandem explicationem altero in loco repetit, sed explicationem de vita aeterna addit (c. duas epp. Pelag. IV. 5,10) : « Aut si altius intelligendum est, propter vitam aeternam scriptum esse : *qui fecerit ea vivet in illis*, ideo sic expressum est Legis imperium, ut infirmitas hominis in se ipsa deficiens ad facienda quae Lex imperat, de gratia Dei potius ex fide quaereret adiutorium, cuius misericordia etiam fides ipsa donatur... Verum ergo dicit Lex : *qui fecerit ea vivet in eis;* sed ut faciat ea et vivat in eis, non Lex quae hoc imperat, sed fides est necessaria quae hoc impetrat. Quae tamen fides, ut haec accipere mereatur, ipsa gratis datur ». Demum in tertio loco hanc solam explicationem de vita aeterna proponit (de spir. et lit. 29,51) : « Ideo quippe proponitur iustitia Legis, quod *qui fecerit eam vivet in illa*, ut quum quisque infirmitatem suam cognoverit, non per suas vires neque per literam ipsius Legis, sed per fidem concilians iustificatorem perveniat et faciat et vivat in ea » etc.

Lex ipsa igitur maledictionem, quam asseclis suis conciliavit, auferre nequit; eam autem Christus abstulit morte sua in cruce : 13. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est : Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Nulla quidem particula, quis huius sententiae cum praecedentibus sit nexus, indicatur, sed clarum est, eam duobus *vv.* 11. 12. opponi. Postquam enim *v.* 10. Legem maledictionem conciliasse docuit, Apostolus duobus sequentibus *vv.* eam ad maledictionem auferendam fuisse impotentem demonstravit, ita ut Iudaeis, qui sub ea erant, omnem salutis spem negare videretur. At tantum abest, ut eis spem auferat, ut eis verum omnis spei ac fiduciae fontem aperire velit; hinc non sine vi quadam rhetorica novam sententiam asyndete prioribus opponit. Ex quo nexu iam elucet, pronomine *nos* omnes homines, uti aliqui volunt (*Est.* etc.), non designari, sed eos, qui Legis maledicto subiacebant, i. e. Iudaeos. Hi sc. primum a maledicto erant liberandi, ut deinde ad gentes quoque salus perveniret (cfr ad 4,4. 5); ea enim salutis erat oeconomia, ut gentiles benedictionum participes non fierent ante Iudaeos, quibus primum ad illas ius competebat (cfr *Rom.* 1,16; 9,1 sqq.; 11,1 sqq.; 15,8. 9 etc.; *Act.* 3,26 etc.). Iudaeos igitur, qui velut servi sub Lege degentes, quum omnia eius mandata implere non possent, maledictionem, quam contra transgressores pronuntiaverat, sibi attraxerant, Christus pretio soluto *redemit de maledicto Legis.* Etenim omnis omnino peccati expers nec proinde maledictioni subiacens ipse sponte pro iis maledictioni sese submisit (*factus pro nobis maledictum*), atque tamquam maledictus poenam maledictionis subiens vicaria sua morte maledictionem ipsam abstulit. Eadem ratione Christus dicitur *factus maledictum*, qua etiam *factus peccatum* est (cfr ad 2 *Cor.* 5,21); sicut enim omnia totius mundi peccata innocentissimus in se suscipiens non tam *peccator* quam *peccatum* ipsum videri voluit, ita quoque omnium maledictionem in se suscipiens non tam *maledictus* (ἐπικατάρατος) quam *maledictio* (κατάρα) videri voluit, i. e. vir maledictissimus, in quo praeter maledictionem nihil inveniretur; et sicut peccatum pro nobis factus est, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso, ita pro iis qui sub Lege erant factus est maledictum, ut illi maledicti esse desinerent et benedictionum Abrahae iterum participes fierent.

Parenthetice Apostolus Scripturae testimonium addit, quo Christum maledictionem factum esse demonstret : *quia scriptum est* (nimirum *Deut.* 21,23) : *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Iudaeis poena mortis quidem per suspensionem vel crucifixionem non erat usitata (cfr tamen *Num.* 25,4),

sed ad poenam aggravandam interdum cadaver lapidati in ligno suspendebatur, in quo usque ad noctem relinquebatur; eodem tamen die sepeliendum erat, « quia maledictio Dei est suspensus » (כִּי קִלְלַת אֱלֹהִים תָּלוּי) vel ut *Hier.* vertit : « quia maledictus a Deo est, qui pendet in ligno »; Apostolus vero pro more versionem alexandrinam (κεκατηραμένος ὑπὸ Θεοῦ πᾶς κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου) libere secutus est. Cum Alexandrinis enim voculam πᾶς (*omnis*) inserit, quae, uti patet, in sententia universali subintelligatur oportet; verba autem ὑπὸ Θεοῦ (*a Deo*), quae textus mass. quoque exprimit (maledictio *Dei*) et antiqui interpretes omnes legerunt, omittere maluit. A vero procul dubio antiquiores et iuniores multi interpretes aberrant, qui Iudaeos Scripturas adulterasse putant et cum *Hier.* censent « post passionem Christi et in hebraeis *et in nostris* codicibus ab aliquo *Dei* nomen esse appositum, ut infamiam nobis inureret, qui in Christum *maledictum a Deo* credimus ». Quis enim sibi persuaserit, Iudaeos, si quis eos suos ipsorum codices tam longe lateque dispersos et hebraicos et graecos adulterare potuisse concederet, etiam codices corrupisse, qui in Christianorum iam manibus inde ab Ecclesiae initiis erant, atque Ecclesiam corruptas illas Scripturas pro genuinis adhibuisse? At nulla est ratio, cur Iudaeos tanti criminis incusemus (cfr ad *v.* 10), aut cum modernis acath. quibusdam dicamus, Paulum consulto verba illa omisisse, ne Christum diceret *a Deo maledictum* (*Bleek*, *Hofm. Sieff.* etc.). Illa potius ea omisit, quia necessario subintelligenda erant; maledictio enim, quam Legis transgressores *apud Deum* sibi attraxerant, auferri non potuit, nisi Christus eandem *maledictionem apud Deum* in se suscepisset. Suspensio in ligno, quam Lex mosaica statuit, ostendit eum, qui hanc poenam sustinuit, criminis reum, quo a Deo maledici meritus est; ac similiter crux Christum ostendit peccatis onustum, quibus a Deo maledici merebatur. Verum eadem ratione, qua peccatis, etiam maledicto est onustus; non propria peccata, sed nostra in crucem tulit, nec propriam proinde, sed nostram maledictionem sustinuit; pro nostris peccatis mortem subiens et nostram maledictionem in se suscipiens peccata nostra delevit et maledictionem nostram abstulit. « Quum Legis maledictioni, inquit *Theod.*, omnes (Iudaei) essent obnoxii, eam mortem, quae iuxta Legem erat maledicta, subiit, ut omnes a maledicto liberaret »[1]. Pro omnibus omnino hominibus Christus morte sua cruenta satis-

1. Cfr etiam *Aug.* : « Nec in hoc, quod maledictus est appellatus qui pendet in ligno, contumelia in Dominum putanda est. Ex parte quippe mortali pependit in ligno; mortalitas autem unde sit, notum est credentibus; ex poena quippe est et maledictione primi hominis; quam Dominus suscepit, et peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. Si ergo diceretur : Mors maledicta est, nemo exhorresceret; quid autem nisi mors Domini pependit in ligno, ut mortem moriendo superaret? Eadem igitur maledicta, quae victa est. Item si diceretur : Peccatum maledictum est, nemo miraretur; quid autem pependit in ligno, nisi peccatum veteris hominis, quod Dominus pro nobis in ipsa carnis mortalitate suscepit? Unde nec erubuit nec timuit Apostolus dicere, Deum peccatum eum fecisse pro nobis, addens : ut de peccato condemnaret peccatum (*Rom.* 8,3). Non enim et vetus noster homo simul crucifigeretur, sicut idem Apostolus alibi dicit, nisi in illa morte Domini peccati nostri figura penderet, ut evacuaretur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato (*Rom.*

fecit atque omnium quoque maledictionem abstulit (nam ii quoque, qui Legem mosaicam non habebant, transgressione legis naturalis maledictioni divinae obnoxii erant); at quod ex omnibus suppliciorum generibus crucem et suspensionem in ligno elegerit, id eum in finem fecisse recte dicitur, ut maledictionem, quam Lex mosaica contra suos transgressores pronuntiaverat, deleret. « Nam si ideo venit, ut maledictionem contra nos pronuntiatam portaret, quomodo factus esset maledictio, nisi maledictionis mortem sustinuisset? Ea autem crux est, siquidem scriptum est : maledictus qui pendet in ligno ». (*S. Athan.* Orat. de incarn. **25**.)

Post parenthesin, qua Christum maledictionem factum esse probavit, Paulus finem indicat, quem Dominus in hac morte subeunda habuerit : redemit nos (Iudaeos) de maledicto Legis, **14**. *ut in gentibus benedictio Abrahae fieret in Christo Iesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.* Duae sententiae inter se sunt parallelae et eadem ratione a verbo *redemit* (ἐξηγόρασεν) dependent. Antequam benedictiones Abrahae ad gentes venire poterant, Iudaeis aditus ad eas aperiendus erat ablata maledictione Legis (cfr 4,5). Morte sua ergo Christus hanc abstulit atque parietem, quo Iudaei a gentibus separabantur, destruens utraque fecit unum Legem mandatorum evacuans (cfr *Eph.* 2,14 sqq.). Itaque nunc iam gentes quoque benedictiones Abrahae promissas obtinere possunt, *in Christo Iesu,* in quo cum Iudaeis uniti sunt (cfr *v.* **27**. **28**), atque gentes et Iudaei nunc eadem ratione, sc. per fidem, *pollicitationem Spiritus,* i. e. Spiritum promissum, *accipiunt.* Ἐπαγγελία (promissio) proxime quidem actum promittendi, s. promissionem, sed metonymice etiam donum promissum significat (cfr *v.* 22; *Eph.* 3,6; *Hebr.* 6,12. 15 etc.); genetivus τοῦ πνεύματος porro est epexegeticus (beneficium promissum, qui est Spiritus) vel appositivus (beneficium promissum, i. e. Spiritum cfr ad 2 *Cor.* 1,22). Omnes vero benedictiones Abrahamo eiusque filiis promissas Paulus nomine *Spiritus* comprehendit, qui gratiam caritatemque in cordibus nostris diffundens nos filios Dei adoptivos constituit cuiusque praesentia nobis arrha est aeternae haereditatis (*Eph.* 1,14) ; quare alibi quoque veterem oeconomiam, quae litera sua scripta praecipit tantum sed vires ad faciendum non

6,6). In cuius peccati et mortis figura etiam Moyses in eremo super lignum exaltavit serpentem; persuasione quippe serpentis homo in damnationem mortis cecidit. Itaque serpens ad significationem ipsius mortis convenienter in illo ligno exaltatus est; in illa enim figura mors Domini pendebat in ligno. Quis autem abhorreret, si diceretur : Maledictus serpens qui pendet in ligno? Et tamen mortem carnis Domini praefigurans serpens pendebat in ligno (*Ioan.* 3,14)... Non igitur mirum, si de maledicto vicit maledictum, qui vicit de morte mortem et de peccato peccatum et de serpente serpentem. Maledicta autem mors, maledictum peccatum, maledictus serpens; et haec omnia in cruce triumphata sunt ».

confert, velut literam opponit Spiritui, qui in nova oeconomia datur nosque vivificat vita vere interna semperque duratura (cfr 2 *Cor.* 3,6 etc.).

2. *Promissiones Abrahae factae promulgatione Legis non sunt mutatae* (3,15-18).

3,15. *Fratres (secundum hominem dico) tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat.* 16. *Abrahae dictae sunt promissiones, et semini eius. Non dicit : Et seminibus, quasi in multis : sed quasi in uno : Et semini tuo, qui est Christus.* 17. *Hoc autem dico, testamentum confirmatum a Deo : quae post quadringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem.* 18. *Nam si ex lege haereditas, iam non ex promissione. Abrahae autem per repromissionem donavit Deus.*

3,15. Ἀδελφοί, κατὰ ἄνθρωπον λέγω. ὅμως ἀνθρώπου κεκυρωμένην διαθήκην οὐδεὶς ἀθετεῖ ἢ ἐπιδιατάσσεται. 16. τῷ δὲ Ἀβραὰμ ἐρρέθησαν αἱ ἐπαγγελίαι, καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ. οὐ λέγει· Καὶ τοῖς σπέρμασιν, ὡς ἐπὶ πολλῶν, ἀλλὰ ὡς ἐφ' ἑνός· Καὶ τῷ σπέρματί σου, ὅς ἐστιν Χριστός. 17. τοῦτο δὲ λέγω· διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ὁ μετὰ τετρακόσια καὶ τριάκοντα ἔτη γεγονὼς νόμος οὐκ ἀκυροῖ εἰς τὸ καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν. 18. εἰ γὰρ ἐκ νόμου ἡ κληρονομία, οὐκέτι ἐξ ἐπαγγελίας· τῷ δὲ Ἀβραὰμ δι' ἐπαγγελίας κεχάρισται ὁ Θεός [1].

Quod in primo argumento (1-7) ex Galatarum experientia constare ostendit, eos participes esse factos Spiritus, i. e. omnium benedictionum Abrahamo eiusque filiis promissarum, non ex Lege sed ex fide, id aliter fieri non potuisse altero argumento (8-14) demonstravit. Lex enim, quia asseclas suos maledictioni subiecit, eos ad benedictiones adducere non potuit, sed vi sua privari debuit morte Christi, qua maledictio auferebatur, ut deinde Iudaei ipsi et gentes benedictiones consequerentur. At obiici potuit, Legis promulgatione rem esse mutatam, atque nunc secundum Dei voluntatem promissiones a Lege dependere. Quam obiectionem Paulus refutat ex iis, quae in vita quotidiana fieri solent, argumentans. Etenim inter homines alicuius testamentum ratihabitum ab altero irritari non potest (*v.* 15); atqui promissiones a Deo Abrahamo eiusque semini datae etiam testamentum constituunt idque perpetuo duraturum (*v.* 16); ergo Lex multo postea promulgata

1. *VV. LL.* — 16. τῷ δὲ Ἀβραάμ (Abrahae *autem*) est communis lectio codd. graec. ac versionum praeter *It.* et *Vulg.*, quae cum D F G coniunctionem δέ (*autem*) minus apte praetermittunt. — ὅς ἐστιν Χριστός (*qui est Christus*) est communis lectio, pro qua sensu quidem non mutato sed minus accurate D E F legunt : ὅ (sc. σπέρμα) ἐστιν Χριστός, et aliqui Latini : *quod* (sc. semen) est Christus. — 17. προκεκυρωμένην (*antea* confirmatum) etiam est communis lectio; Latini tamen eandem lectionem, quam *v.* 15., exprimunt (*confirmatum*), ac revera F G habent nudum κεκυρωμένην. — ὑπὸ τοῦ Θεοῦ (*a Deo*) sine additamento B ℵ A C P, pauci minusc., *It.* (*Aug. Hier.*) *Vulg. Copt. Aeth.*; sed *textus rec.* legit : ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς Χριστόν (a Deo *in Christum*) cum D E F G K L, plerisque minusc., *Syr.* Similiter *A*^ter^ et *Prim.* : a Deo *in Christo.*

illud irritare non potuit (*v.* 17); illud autem irritaret, si haereditas non a fide sed a Legis observatione dependeret (*v.* 18).

Placidiore animo novam expositionem exorditur eosdem, quos antea insensatos Galatas appellaverat (*v.* 1), nunc velut fratres alloquens : 15. *Fratres, secundum hominem dico; tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat.* Cur verba *secundum hominem dico* parenthesi includantur, nulla est ratio; Apostolus ea praemittit, ut novae suae argumentationis indolem indicet : ex Scripturis praecedens argumentum desumserat, hoc autem rationi humanae innititur et ex humano quasi iure desumitur. Recte *Chrys. :* « quid est *secundum hominem loquor?* Humanis utor exemplis. Postquam enim ex Scripturis et ex miraculis et ex iis quae Christus passus est et ex patriarchae rebus thesin suam confirmavit, ad communem digreditur consuetudinem »[1] (cfr ad 1 *Cor.* 9,8; 3,3 etc.). Ad reliquae sententiae constructionem quod attinet, animadvertatur oportet, per hyperbaton particulam ὅμως (*tamen*), quae ad οὐδείς (*nemo*) pertinet, ad primam vocem esse translatam (cfr ad 1 *Cor.* 14,7); a minore enim ad maius concludere Apostolus vult, atque sensus sententiae est : « confirmatum testamentum, quamvis sit hominis tantum, nemo *tamen* spernit; multo minus igitur confirmatum testamentum Dei spernere licet ». Porro verbum κυροῦν, quod Vulg. reddit *confirmare,* proprie significat « publica cum auctoritate decernere » (cfr ad 2 *Cor.* 2,8) seu publice sancire, ita ut διαθήκη κεκυρωμένη sit documentum, quod, quia publice et legitime est sancitum et statutum, nec integrum pro irrito habere seu irritum reddere (ἀθετεῖν *Vulg. :* spernere cfr ad 2,21), nec ex parte novis additis conditionibus adulterare ac mutare (ἐπιδιατάσσεσθαι insuper disponere, i. e. constitutis aliquid addere, quo ipsa dispositio mutatur, *Vulg. :* superordinare) cuiquam licet. *Nemo* igitur eiusmodi testamentum irritum reddere aut mutare dicitur, quia nemo id iure ac legitime facit.

Utrum hac in sententia nomen διαθήκη usitatiore sua significatione *testamenti* (i. e. dispositionis de haereditate factae), an rariore *pacti,* seu foederis inter vivos, a Paulo sit intellectum, in controversia est. *Aug.* (in Ps. 82,6 etc.) monet « *testamentum* in Scripturis non solum illud dici, quod

1. Haud recte *Hier. :* « Non ad eos usus est argumentis, quibus ad Rom., sed simplicioribus et quae stulti possent intelligere et paene de trivio. Quod ne videretur imperitia et non arte fecisse, prudentem antea placat lectorem et quae dicturus est temperat praefatione praemissa ». Argumentum enim tam facile nequaquam est neque facilitatem expressio significat.

non valet nisi testatoribus mortuis, sed omne pactum et placitum testamentum vocari »; *Hier.* autem hic adnotat : « si quis diligenter hebraea volumina et ceteras editiones cum LXX interpretum translatione contulerit, inveniet ubi *testamentum* scriptum est, non testamentum sonare, sed pactum, quod hebraeo sermone dicitur בְּרִית »[1], atque alibi (in Mal. 2,4) ait, « in plerisque Scripturae locis testamentum non voluntatem defunctorum designare, sed pactum viventium ». Porro Dei promissio gratuita, quae ab Abrahamo credente acceptata est, velut foedus considerari potest, quod Deus cum Abrahamo pepigit, aut etiam velut testamentum quoddam, quo Abrahamum eiusque semen haeredes scripsit, quodque plenum suum effectum sortiri non debuit nisi post mortem Christi Dei hominis, qui tamquam Deus est testator (cfr ad 1 *Cor.* 11,25 p. 344). Utraque igitur explicatio nominis per se est apta, atque haud pauci iuniores ac moderni cum *Hier.* nomen hic de foedere, quam de testamento interpretari malunt (*Iust. Pic. Nat.* etc., *Reithm. Bisp. Dr. Schaef.* etc. — *Calv. Fl. de W. Mey. Lightf.* etc.). Attamen contextus videtur suadere, ut cum antiquioribus quum Graecis (*Chrys. Theod.* etc.) tum Latinis (*Aug. A*[tri] etc., *Thom.* etc.) et aliis iunioribus ac modernis (*Est.* etc., *Wind. MEv. LR. Palm.* etc. — *Schm. Ph. Sieff.* etc.) significationem *testamenti* retineamus[2]. Etenim Paulus, si de foedere loqui voluisset, non dixisset *hominis* sed *hominum* foedus; si enim aliqui explicant « foedus ratihabitum, quod *unus* homo pepigit » (*Bisp.* — *Mey.*), habent contradictionem in adiecto. Porro in sequentibus de solis promissionibus divinis sermo est, nec quidquam de conditionibus ab Abrahamo eiusque semine implendis legitur (*v.* 16). Demum ex his promissionibus ius ad *haereditatem* exoriri asseritur (*v.* 18); velut *foedus* igitur Paulus promissiones hic non considerat. In eo tamen prioris sententiae auctoribus assentimur, quod de testamento hic non agatur, quatenus testatoris morte iam effectum suum sortitur (cfr *Hebr.* 9,16 sqq.), sed quatenus legitime est conditum; id enim participium κεκυρωμένη significat. Quare haud satis accurate Aug. : « quod *mors testatoris* valet ad confirmandum testamentum eius, quia consilium mutare iam non potest, hoc incom-

1. *Aug.* et *Hier.* de antiqua versione latina loquuntur, quae alexandrinam versionem secuta hebr. בְּרִית ubique *testamentum* (διαθήκη) reddiderat; *Hier.* in sua versione plerumque *pactum* vel *foedus* posuit. Iuxta *S. Isid. Pelus.* (Epist. II. 196) Alexandrini « *foedus* (τὴν συνθήκην) appellarunt *testamentum* (διαθήκην) propter eius firmitatem et inviolabilitatem; foedera enim (συνθῆκαι) saepe evertuntur, legitima autem testamenta (διαθῆκαι) numquam ». Iuxta modernos autem nonnullos διαθήκην dicere maluerunt, quia hac voce gratuitas promissionis ex parte Dei exprimitur.

2. Aliqui moderni hebr. בְּרִית et graec. διαθήκη proxime dispositionem quamcumque significare volunt, quae aut sit *lex* aliqua, qua res quaedam statuitur, vel *promissio*, qua alicui aliquid attribuitur, vel *votum*, quo aliquis erga alterum sese obligat, aut etiam, si mutuam obligationem introducit, *foedus* vel *pactum* (cfr *Gesenius* Hebr. Handwœrterb. Ed. 10. s. v. בְּרִית et *Grimm* Lexic. graeco latin. in libr. Novi Test. Ed. 3. s. v. διαθήκη), sed id recte dici vix putaverim. Neque hebraicae enim nec graecae voci universalis illa et indeterminata significatio iure attribui videtur.

mutabilitas Dei valet ad confirmandam haereditatem Abrahae »; nam Paulus hic non considerat, num testator suum ipsius testamentum mutare possit, sed num alteri legitimum alicuius testamentum mutare liceat. Rectius igitur dicemus : « quod forma a iure praescripta valet ad confirmandum testamentum humanum, id incommutabilitas Dei valet ad testamentum divinum confirmandum »; hoc quoque ab altero irritum reddi aut mutari nequit; alterum autem, a quo irritari non possit, Paulus, uti ex *v.* 17. elucet, intelligit *Legem* (τὸν νόμον), quam velut personam considerat.

Ex *v.* 15. consequitur, ut multo minus, quam humanum, divinum testamentum confirmatum mutare liceat; quod consequens Paulo Maior est syllogismi, cui statim per particulam δέ, quam Latini parum apte praetermittunt (cfr *VV. LL.*), Minorem adiungit : 16. *Abrahae* (autem) *dictae sunt promissiones et semini eius*. Pluralis αἱ ἐπαγγελίαι (*promissiones*) aut ideo est adhibitus, quia divina promissio multa diversa bona complectitur, aut potius quia saepius est repetita (cfr *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 10). Vis vero argumenti in eo est, quod promissiones non soli Abrahae, sed etiam semini eius sint factae, ac proin non solus Abraham, sed etiam semen eius ius habeat ad haereditatem atque in divino testamento inter haeredes sit scriptum; Abrahae igitur morte promissio non cessavit, verum ad eius semen transiit. Unde elucet, Paulum de illa promissione, quae *Gen.* 22,18 legitur (« benedicentur *in semine tuo* omnes gentes ») non cogitasse, quamvis antiquiores et iuniores multi haec verba hic allegata esse censeant (*Chrys. Theod.* etc., *Tert.* de carne Chr. 22. *A*[ter] etc., *Haym. Herv.* etc., *Est. Pic.* etc.); neque enim ibi semini ipsi quidquam promittitur. Ex glossa quoque, quam Paulus argumentationi suae parenthetice inserit, clare apparet, eum promissionem prae oculis habuisse, in qua nomini τῷ σπέρματι (*seminis*) particula καί (*et*) erat praemissa. Nam ut explicet, quodnam intelligendum sit semen, addit : *non dicit :* ET *seminibus, quasi in multis* (ἐπὶ πολλῶν i. e. de multis loquens), *sed quasi in uno* (ἐφ' ἑνός de uno loquens) : ET *semini tuo, qui est Christus.* Utrum velut subiectum verbi *dicit* (λέγει) suppleas *Scriptura* (cfr *Rom.* 4,3 etc.) an rectius iuxta contextum (dictae sunt sc. a Deo promissiones) *Deus* (cfr *Hebr.* 8,8), parum interest; certum semper erit, in verbis allegatis particulam καί (*et*) adfuisse. Quare dubium non est, quin Paulus ad *Gen.* 13,15 (« omnem terram, quam conspicis, *tibi dabo* ET *semini tuo usque in sempiternum* ») vel *Gen.* 17,8 (« *dabo tibi* ET *semini tuo* terram peregrinationis tuae, omnem terram Chanaan *in possessionem aeternam* ») respexerit, uti iam *S. Iren.* (c. haer. V. 32,2) et *Orig.*

(in Rom. lib. IV. 6) viderunt et moderni tantum non omnes recte tenent. Neque ulla ex eo exoritur difficultas, quod illis in locis de sola terra Chanaan sit sermo; nam terram promissam, lacte et melle fluentem, quae filiis Israel haereditas promissa ac data est, typum ac figuram esse spiritualium benedictionum aeternaeque haereditatis spiritualibus Abrahae filiis promissarum, nemo ignorat (cfr *Hebr.* 4,1 sqq. etc.).

Maiorem difficultatem glossa exegetica Apostoli ipsa creat, quoniam ex grammatica forma adhibita (זֶרַע σπέρμα, *semen*) concludere videtur, nomine *seminis* in promissione unam solam personam, Christum, designari. Attamen *Hier.* iam adnotat : « omnes Scripturas sensu ac memoria peragrans numquam plurali numero *semina* scripta reperi, sed sive in bonam partem sive in malam, semper in singulari numero ». Revera זֶרַע (*semen*), si metaphorice, uti hic, sobolem vel progeniem significat, semper singulari numero usurpatur[1], sive de una persona (*Gen.* 4,25; 1 *Reg.* 1,11 etc.) sive, uti plerumque, de multis agitur; quin etiam illis in locis, ad quos Apostolum respexisse diximus, sensu literali de omnibus filiis Israel nomen זֶרַע, quamvis sit singulare, esse intelligendum, patet. Quapropter inter modernos acath. non desunt, qui hanc Pauli argumentationem pro commento mere rabbinico habeant, cui vis probationis nulla prorsus insit; benignissime tamen Apostolum fraudis absolvunt totamque culpam rabbinicae eius educationi attribuunt, et concedunt quoque thesin eius (promissionem sc. Dei suum valorem retinere, donec in Christo impleatur) veram esse (cfr *Mey. Wies. Sieff.* etc.). Contra quos ante omnia tenendum est, Paulum « eodem Spiritu testamentum aperuisse, quo conditum est » (*Thom.*), neque argumentationi eius, utpote inspiratae, vim probandi negare licere. Deinde animadverte, eum ex grammatica illius vocabuli hebraici aut graeci forma nequaquam argumentari; neque erat, cur a S. Hier. aut a nobis edoceretur, pluralem זְרָעִים aut σπέρματα sensu metaphorico in Scripturis non usurpari atque singularem זֶרַע aut σπέρμα etiam de progenie numerosissima intelligi posse; optime enim haec scivit, atque ipse immediate postea

1. Proprio tamen sensu pluralis זְרָעִים (i. q. grana, vel segetes) Hebraeis non plane erat inusitatus (1 *Reg.* 8,15). Eiusdem vocabuli chaldaici pluralem (זַרְעִין) paraphrastes aliquoties sensu metaphorico (i. q. proles) usurpat (*Gen.* 10,18; *Ios.* 7,14 etc.). Graecum quoque pluralem σπέρματα eodem sensu metaphorico et attici (*Platon.* de leg. IX. 853. C. : ἀνθρώποις τε καὶ ἀνθρώπων σπέρμασιν νομοθετοῦμεν, *Sophocl.* Oed. Col. 606 : πρὸς τῶν ἐμαυτοῦ σπερμάτων) et hellenistici scriptores (*Ios. Flav.* Antiqu. VIII. 7,6 : παῖς ἐκ βασιλικῶν σπερμάτων, 4 *Mach.* 17 : ὦ τῶν Ἀβραμιαίων σπερμάτων ἀπόγονοι, παῖδες Ἰσραηλῖται) interdum adhibere non verentur.

(*v.* 29) alibique haud infrequenter (cfr *Rom.* 4,13 sqq.; 9,7 sq. etc.) eo modo singularem adhibet. Ex eo igitur argumentatur, quod in promissionibus nomen collectivum sit adhibitum, quo Abrahae posteri omnes in unum quasi corpus coniunguntur, evitatum vero sit nomen plurale, quo posteri potius singuli ac velut inter se separati designantur. Nisi technicis grammaticae terminis uti voluit, sententiam suam clarius ac brevius, quam hac distinctione inter singularem σπέρμα et pluralem σπέρματα, exprimere non potuit. Argumentatio eius enim haec est: Abrahae dictae sunt promissiones et posteris eius, neque tamen his, quatenus multi sunt singulique inter se disiuncti nullo vinculo colligantur, sed quatenus omnes coniuncti unum corpus constituunt; nam si eis, quatenus multi et disiuncti sunt, promissiones essent datae, Deus non nomen *seminis* elegisset, quo unitas quaedam connotatur, sed aliud nomen (τέκνα, ἀπόγονοι filii, posteri etc.), quo pluralitas clare effertur. Divinitus igitur provisum esse Apostolus censet, ut in promissione nomine collectivo singulari adhibito unitas enuntiaretur; namque hac ratione cautum est, ut filii Israel sibi eatenus tantum, quatenus *unum* semen Abrahae sunt, ius ad haereditatem patris sui Abrahae attribuant; similiter etiam sensu typico spiritualis haereditas posteris Abrahae spiritualibus non est promissa, quatenus multi sunt variisque rationibus inter se distincti, sed quatenus omnes simul sunt *unum* semen Abrahae[1].

1. Ad solvendam difficultatem, quam Pauli argumentatio creat, *Palm.* cum nonnullis acath. (*Hofm. Ph.*) novam viam ingreditur. Praemonet, non omnibus posteris Abrahae haereditatem terrae Chanaan esse promissam, sed eis solis, qui ex Isaac per huius filium Iacob sint progeniti, exclusis quum Ismaelis tum filiorum Cethurae posteris. Iam vero omnes quidem, Ismaelitae etc. non minus quam Isaacidae seu Israelitae, nominis *seminis* vi et usu spectatis, per se potuerunt vocari *semen* Abrahae; at Deum ita inter filios Abrahae distinxisse censet, ut appellatio *semen Abrahae* soli eius progeniei secundum Isaacum competeret; quare si quis omnes filios Abrahae comprehendere et simul divinae illius ordinationis rationem habere voluisset, eum non *semen*, sed *semina* Abrahae dicere debuisse; « nam *semen Abrahae* solum Isaacum eiusque posteros spectabat. Istud autem est, quod Apostolus advertit: *semini tuo*, i. e. soli Isaaco eiusque posteris (per Iacobum), promissa est terra Chanaan; ideoque typice solis credentibus in Christum factae sunt promissiones benedictionum; non *seminibus*, i. e. non etiam Ismaeli promissa est terra Chanaan et idcirco typice neque hominibus, qui sunt sub Lege, promissae sunt benedictiones, quas accepit Abraham. Hinc concedimus, secundum mentem Apostoli debuisse a Deo dici *et seminibus*, si de universa prole Abrahami locutus esset; etsi enim id naturaliter abhorreat ab usu communi loquendi, posita tamen ea quam diximus libera Dei dispositione id erat necessarium consequens ». — At interrogare licet, undenam haec « libera dispositio Dei », qua nomen aliquod contra grammaticae regulas adhibendum sit, nobis innotescat. Verissimum est, nomine *seminis Abrahae* in Scripturis eos posteros Abrahae, qui ei ex Isaac et Iacob nati sunt, communiter designari; neque id mirum, quum de illis solis, quippe apud quos benedictiones depositae quasi fuerint, Scriptura loqui soleat. Sed inde nondum consequitur, Deum statuisse, ut pluralis *semina* adhiberetur, ubi de integra progenie Abrahae sermo erat. Deus ipse *Ismaelem* diserte vocat *semen Abrahae* (*Gen.*

Qua autem in re haec spiritualis seminis unitas sit fundata, Paulus docet addens : *qui,* i. e. quod spirituale Abrahae semen, *est Christus* sc. mysticus, seu Ecclesia, quae quum Christi sit corpus, quod eius Spiritu informatur et vivit, aptissime Christus appellatur (cfr ad 1 *Cor.* 12,12). Simili nimirum ratione, qua in ep. ad Cor., Paulus hoc in loco nomine *ecclesiae* (ἐκκλησία concio convocata), quo proxime multitudo significatur, uti noluit, sed illud nomen elegit, quo directe et immediate notio unitatis menti obiicitur. Cum plerisque quidem Patribus (*Chrys. Theod.* etc., *Tert. A*[ter]*, Hier.* etc.) plerique quoque interpretes (*Lomb. Thom.* etc., *Cai. Est. Pic.* etc., *M Ev. Reithm.* etc. — *Mey. Sieff.* etc.) singularem redemtoris personam nomine Christi designatam vident; sed Patres illi et antiquiores interpretes ad hanc sententiam adducti sunt, quia Paulum ad *Gen.* 22,18 (« benedicentur *in* semine tuo omnes gentes terrae ») respicere erronee arbitrabantur; si is enim revera allegaretur locus, nihil omnino obstaret, quominus nomine Christi redemtorem ipsum intelligeremus. At probe consideretur oportet, Apostolum hic non loqui de semine, *in quo* vel *per quod* benedictiones gentibus adveniunt, sed de semine, *cui* eodem modo, quo Abrahae, *dictae sunt promissiones,* i. e. cui benedictiones messianicae sunt promissae; atqui Messiae ipsi messianicas benedictiones eodem modo, quo Abrahae, esse promissas, haud recte dicitur; ipse enim eas meruit et attulit, sed sibi eas non eo modo, quo Abraham, accepit. Promissum autem est, eas per Messiam et in Messia datum iri uti Abrahae, ita omnibus qui ad regnum messianicum pertinent, i. e. omnibus, qui in Christum baptizati Christum induerunt atque Christi membra facti eius corpus vivum constituunt (cfr *vv.* 27 sqq.), i. e. Christo mystico seu Ecclesiae. Ita verba nostra iam intellexerunt *S. Iren.* (c. haer. V. 32,2 : « semen Abrahae est Ecclesia per Christum adoptionem, quae est ad Deum, accipiens ») ac praecipue *Aug. :* « semen Abrahae, cui dictae sunt promissiones, *Christum* dicit Apostolus, i. e. *omnes Christianos fide imitantes Abraham;* quos ad singularitatem redigit commendando, quod non dictum est : *Et seminibus,* sed *Semini tuo;* quia et una est fides et non possunt similiter iustificari, qui vivunt ex operibus carnaliter cum his qui vivunt ex fide spiritualiter ». Similiter ex Graecis *Mopsu.* verba interpretatur, ex iunioribus autem nonnulli (*Herv. Iust.* etc.) eandem interpre-

21,13), et Paulus, si eiusmodi « liberam dispositionem Dei » cognovisset, non dixisset : « neque qui *semen* sunt *Abrahae,* omnes filii : sed in Isaac vocabitur tibi *semen* » (*Rom.* 9,7); quia enim ibi inter totam progeniem et inter semen Isaac distinguit, dicendum ei erat : « neque qui *semina* sunt *Abrahae,* omnes filii; sed in Isaac vocabitur tibi *semen* ». Dispositio igitur ista libera Dei sine sufficiente fundamento asseritur neque ad difficultatem solvendam quidquam iuvat.

tationem innuunt, quam ex modernis haud pauci tenent (*Wind. Bisp. L R. Palm. Schaef.* etc. — *Olsh. Thol. Lightf. Ph.* etc.). Neque contra hanc explicationem recte obiicitur, *semen cui promissiones datae sunt* propter contextum (cfr *v.* 19) intelligendum esse Christum ipsum; quominus enim illo in loco eadem ratione, qua hic, explicetur, nihil obstat, uti suo loco dicemus.

Glossa exegetica, quam Minori addidit, Paulus syllogismum inchoatum interrupit; quare syllogisticam formam praetermittens ad conclusionem ita transit, ut praemissas eidem quodammodo iterum inserat: 17. *Hoc autem dico : Testamentum confirmatum* (προκεκυρωμένην *antea* confirmatum vel sancitum) *a Deo, quae post quadringentos et triginta annos facta est, lex non irritum facit ad evacuandas promissiones.* Quoniam hominis testamentum legitima forma vestitum nemini irritum reddere licet, multo minus Dei testamentum ab ipso confirmatum a quoquam irritum fieri potest. Testamentum divinum porro *antea* confirmatum dicitur relate ad Legem, quae tanto tempore postea lata est; confirmatum autem est iuramento divino, quo interposito Deus promissionis suae immobilitatem abundantius ostendere voluit (*Hebr.* 6,17; cfr *Gen.* 22,16; *Deut.* 1,8. etc.), atque iuxta graecum *textum rec.* confirmatum est *in* Christum (εἰς Χριστόν), ut usque ad illum, utpote semen, cui non minus, quam ipsi Abrahae, facta est et in quo suam invenire debuit impletionem, permaneret. Additio haec probabiliter quidem genuina non est (cfr *VV. LL.*), sed aptissima est glossa, qua praecedentis Minoris quoque summa in conclusione repetitur. Iam sua sponte elucet, eiusmodi testamentum divinum a iuniore Lege subintrante non potuisse ita alterari, ut promissiones effectum non amplius sortirentur atque haereditas non iam a gratuita promissione, sed a Legis adimpletione dependeret. Quae accuratius versu sequente exponit.

Quia a promissione facta usque ad Legis promulgationem anni 430 effluxisse dicuntur, haud levis exoritur difficultas, cuius solutio, uti iam *Hier.* adnotat, « non parva res est et a multis quaesita, nescio an ab aliquo sit inventa ». Post *Hier.*, qui nullam solutionem proponit, multo plures eam tractarunt, sed hodie adhuc sub iudice lis est. Difficultas est haec : Iuxta *Gen.* 15,3 (cfr *Act.* 7,6) Deus Abrahae praedicit : « peregrinum erit semen tuum *in terra non sua* et subiicient eos servituti et affligent *quadringentis annis* », et iuxta *Exod.* 12,40 « habitatio filiorum Israel, qua *manserunt in Aegypto,* fuit *quadringentorum triginta annorum* ». Atqui Abrahae facta est promissio saltem *ducentis annis,* ante quam Iacob cum filiis suis in Aegyptum intravit. Ergo a promissione usque ad Legem non tantum 430, sed plus quam 600 anni numerentur oportet. Duplici modo haec dif-

ficultas a plerisque solvi solet; omittimus autem eorum acath. sententiam, qui aut omnem inspirationem negantes de Pauli errore loquuntur (*Mey. Sieff.* etc.) aut inspirationem non recte intelligentes inter ea, quae ad libri essentiam pertinent, interque alia distinguunt atque hanc chronologicam notam, quia accurata numeri indicatio ad argumenti valorem nihil conferat, ab inspiratione excludunt (*Wies. Schm.* etc.)[1].

Si priorem solutionis modum sequimur, qui ab *Euseb.* (Chron. ad a. 75. Abrahae) et *Aug.* (Quaest. in Exod. 47) indicatus inter catholicos vulgatior est (cfr *Thom. Dion.* etc., *Salm. Est. Iust. Lap.* etc., *Wind. Bisp. Palm. Dr. Reithm.* etc.), massorethicam lectionem in *Exod.* 12,40, quam etiam *Vulg.* nostra exprimit, vitiatam esse dicemus, atque cum alexandrina versione, quam etiam *Fl. Ioseph.* (Antiqu. II. 15,2) sequitur, cumque chaldaico paraphraste et samaritano pentateucho legemus iuxta antiquam versionem latinam : « incolatus filiorum Israel, quem incoluerunt *in terra Aegypti et in terra Chanaan, ipsi et patres eorum, anni quadringenti triginta* ». Hac ratione plene consentit cum Paulo; alter enim locus ex *Gen.* 15,3, qui numerum rotundum 400 annorum indicat, simili modo de terra Chanaan et de terra Aegypti explicari potest, quia Chanaan non nisi post Iosuae occupationem proprietas facta est filiorum Israel.

Sed hanc solutionem nonnulli violentiorem habent alteramque proponunt monentes, Paulum non de una promissione sed de promissionibus loqui neque in hoc versu, in quo temporis indicatio legitur, de Abrahamo loqui. Etenim eadem promissio, quae Abrahae, etiam Isaaco et Iacobo facta est saepiusque repetita usque ad tempus ingressus in Aegyptum (Isaaco *Gen.* 26,3 sq., Iacobo *Gen.* 28,13 sq.; 35,12; 48,4). Itaque fieri potuisse censent, ut Paulus ad totum illud promissionum tempus respiciens annos numeraret non a prima promissione Abrahae facta, sed ab ultima Iacobo facta, quae re cum prima consentit, quin etiam eiusdem mera est repetitio (cfr *Beelen* in Act. Apos. Ed. 2. p. 161 sqq., *Knabenb.* Comment. in

1. Ad alteram hanc sententiam proxime *Schaef.* accedit : « Es ist ersichtlich, dass die Folgerung des Apostels oder der *wesentliche* Gedanke desselben durch die Anzahl der Jahre nicht bestimmt wird, und dass also die *Zahl*angabe hier ausserhalb des Rahmens der Inspiration liegt ». Eiusmodi distinctio inter ea, quae ad argumentationem sunt necessaria et alia, quae necessaria non sunt, ita fieri non potest, ut ea, quae necessaria aut non sunt aut esse putantur, ad ambitum inspirationis pertinere negentur. Quare auctori non assentimur, si pergit : « Darum kann an dieser Stelle die Forderung einer absolut richtigen chronologischen Bestimmung nicht gestellt werden, und müssen wir geradezu erwarten, dass die *damals*, als Paulus schrieb, für richtig *angenommene Zeitangabe* aufgenommen worden ist ». Iuxta *Hier.* quidem « consuetudinis Scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur » (in Matth. 14,8) et « multa in Scripturis dicuntur iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non iuxta quod rei veritas continebat » (in Ierem. 28,10); at nec *Hier.* nec ullum ex Patribus aut ex iunioribus theologis hanc sententiam tam late extendisse arbitror, ut noster locus comprehendi possit; prorsus diversi enim generis sunt res, de quibus *Hier.* ibi loquitur (quod Herodes de morte Ioannis B. vere contristatus non fuerit, quamvis convivae eius illud crediderint; quod S. Ioseph pater Iesu non fuerit, quamvis ita appelletur; quod Ananias propheta nominetur, quamvis propheta non fuerit).

Ezech. p. 58 etc. — *Ph.* etc.). Contra similem quidem sententiam *Est.* iam obiicit, Paulum, ut vim daret argumento, non ab aliquo posteriore principio, sed a primo tempore factae promissionis annos numerare debuisse, sc. ut maiore numero annorum ostenderet, promissionem etiam veluti praescriptione iam antea esse firmatam; attamen ad hanc demonstrationem numerum indicatum plane sufficere recte responderi potest. Equidem utramque explicationem per se probabilem esse iudico; utra autem sit praeferenda, a multis rationibus chronologicis dependet, quas explicare huius loci non est.

Abrahae seminique eius dictae erant promissiones absolute conditione nulla apposita; evacuatae igitur, i. e. genuina sua vi privatae atque inanes redditae essent, si haereditas promissa post datam Legem ab eius impletione dependeret. Quae accuratius Apostolus explicat, ut argumentationem suam omni ex parte confirmet : 18. *nam si ex lege haereditas, iam non ex promissione* (ἐξ ἐπαγγελίας); *Abrahae autem per repromissionem* (δι' ἐπαγγελίας per promissionem) *donavit* (κεχάρισται) *Deus* (haereditatem). Quanam de haereditate agatur, clarum est; benedictiones enim messianicae cunctae, quarum typus erat terra promissa, intelliguntur. Hac de re Paulum inter eiusque adversarios nulla erat controversia; quaestio sola erat de modo, quo haereditas obtineretur. Iuxta iudaizantes ex fide *et* ex Lege erat; neque enim fidem in Christum necessariam esse negabant, sed a neophytis, ut benedictionum omnium messianicarum seu integrae haereditatis fierent capaces, insuper Legis observationem postulabant. Verum haec duo (fidem et opera Legis) ita inter se pugnare Paulus docet, ut simul requiri nequeant; aut unum aut alterum solum ducit ad haereditatem. Uberius hanc doctrinam in epistola ad Rom. explicat ibique illud principium diserte enuntiat, quod hic supponit : « ei qui operatur merces non imputatur secundum gratiam (velut donum gratuitum) sed secundum debitum » (*Rom.* 4,4). Haereditas non potest simul esse et eadem ratione donum gratuitum et merces debita; atqui qui eam ex Lege (i. e. ex operibus, quae solius Legis virtute absque fide et gratia fiunt cfr ad 2,16) exspectant, eam mercedem sibi debitam esse putant neque amplius eam velut donum gratuitum considerare et exspectare possunt; quare si illi, qui ex Lege sunt, haeredes sunt, exinanita est fides et abolita est promissio (*Rom.* 4,14). In Maiore igitur (iterum enim habemus syllogismum, cuius conclusio est praetermissa) habemus dilemma quoddam : Haereditas aut est merces debita aut est donum gratuitum; atqui Abrahae seminique eius Deus per promissionem haereditatem assignavit velut donum gratuitum (cfr *Rom.* 4,13 sqq.). Aliqui moderni verbum χαρίζεσθαι, quum nullum

obiectum sit expressum, intransitive sumere volunt (Deus per promissionem sese gratiosum ac benevolum exhibuit), at cum *Vulg.* transitiva significatio retinenda est; ex propositione Maiore enim obiectum sua sponte in Minore suppletur : τὴν κληρονομίαν (haereditatem).

3. *Quem locum Lex in salutis oeconomia teneat* (3,19-4,7).

Si haereditas messianica, uti Paulus demonstravit, a Legis observatione non dependet eiusque promulgatione testamentum promissionum mutatum aut abolitum non est, sua sponte quaestio exoritur, quid tandem Lex sibi voluerit. Divinitus enim erat data eiusque observatio populo, quem Deus sibi peculiarem elegerat, per tot saecula tam necessaria fuerat, ut omnis transgressio gravissimis poenis vindicaretur; plane superflua igitur dici non potuit nec satis apparuit, cur eius observatio iam nunc esset minus necessaria. Hinc Pauli argumentatio iudaizantibus eius adversariis non satisfecisset, nisi Legem, etiamsi per se ad salutem consequendam nihil nunc confert, magna tamen utilitate non caruisse ostendisset. Itaque sibi ipse quaestionem de fine Legis proponit, eamque ita solvit, ut eius promulgatione promissiones non esse abolitas confirmet. Legem enim datam esse ostendit ut tamquam paedagogus ad Christum adducens viam praepararet ad promissionum impletionem (3,19-24); adveniente igitur fide Legem munere suo esse defunctam nec amplius necessariam esse iis, qui fide facti sint filii Abrahae et haeredes promissionum (3,25-29); quod responsum per filii minoris, qui sub tutoribus est, analogiam explicans tempus Legis, utpote tempus praeparationis et educationis, nunc terminatum esse docet (4,1-7).

1.) *Lex paedagogus fuit ad Christum* (3,19-24).

3,19. *Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris.* 20. *Mediator autem unius non est : Deus autem unus est.* 21. *Lex ergo adversus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex quae posset vivificare, vere ex lege esset iustitia.* 22. *Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* 23. *Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem quae revelanda erat.* 24. *Itaque lex paedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur.*

3,19. Τί οὖν ὁ νόμος; τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη, ἄχρις ἂν ἔλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται, διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτου. 20. ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν· ὁ δὲ Θεὸς εἷς ἐστίν. 21. ὁ οὖν νόμος κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν; μὴ γένοιτο. εἰ γὰρ ἐδόθη νόμος ὁ δυνάμενος ζωοποιῆσαι, ὄντως ἐν νόμῳ ἂν ἦν ἡ δικαιοσύνη· 22. ἀλλὰ συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα ὑπὸ ἁμαρτίαν, ἵνα ἡ ἐπαγγελία ἐκ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ δοθῇ τοῖς πιστεύουσιν. 23. πρὸ τοῦ δὲ ἐλθεῖν τὴν πίστιν ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα συγκλειόμενοι εἰς τὴν μέλλουσαν πίστιν ἀποκαλυφθῆναι. 24. ὥστε ὁ νόμος παιδαγωγὸς ἡμῶν ἐγένετο εἰς Χριστόν, ἵνα ἐκ πίστεως δικαιωθῶμεν [1].

1. *VV. LL.* — 19. παραβάσεων χάριν (transgressionum gratia, vel : *propter trans-*

Interroganti ad quid igitur Lex inserviat, si per eam haereditas messianica obtineri nequeat, Paulus praeparatorio et temporario eius charactere exposito respondet. Namque ut trangressionibus provocatis homo infirmitatem suam agnosceret, eam datam esse docet velut aliquid intermedii, quod promissionum impletione adveniente cessare debuit (19. 20). Neque tamen inde sequi monet, eam promissionibus adversari (*v*. 21); sed e contrario eam promissionibus obsecundare, quia peccata et infirmitatem manifestans hominem ad medicum quaerendum impellat (22. 23) atque hac ratione eidem fiat paedagogus ad Christum (*v*. 24).

19. *Quid igitur lex*[1]? *Propter trangressiones posita est* (προσετέθη lege : *apposita est*), *donec veniret semen cui promiserat* (ᾧ ἐπήγγελται melius cum antiqua versione : *cui promissum est*), *ordinata per angelos in manu mediatoris*. Pronomen τί (*quid*) hic, uti saepe (cfr 5,11; *Rom*. 3,7 etc.; 1 *Cor*. 4,7 etc.), idem est quod διὰ τί (*propter quid*); neque enim in responso Paulus indolem ac naturam, sed finem ac scopum Legis indicat. Namque eam *propter transgressiones* non tam positam, quam *appositam* dicit; ad promissiones scilicet, quae Lege data abrogatae non sunt sed inviolatae permanere debent usque ad suam impletionem; quare Lex non quasi codicillus quidam, quo conditio aliqua promissionibus gratuitis adderetur (id enim fieri non potuit

gressiones) est communis lectio, a qua pauci codd. *Vulg*. recedunt qui exhibent singularem (propter transgression*em*) uti etiam aliquoties *Aug*. (transgressionis gratia, vel : praevaricationis gratia). Longius recedunt cum F G aliqui Latini (*S. Iren.* interpr. et *A*[ler]), qui pro παραβάσεων legunt πράξεων et praepos. χάριν praetermittunt, ut legendum sit : τί οὖν ὁ νόμος τῶν πράξεων; προσετέθη κτλ. (*A*[ler] : quid ergo lex factorum? Posita est, donec veniret etc.); sed nulla est ratio, cur communis lectio relinquatur. — προσετέθη (apposita, vel *addita* est) B ℵ A E K L plerique minusc. et PP., *Syr*.; minus apte : ἐτέθη (*posita est*) D F G, pauci minusc., *It*. (*A*[ler] etc.; sed *Aug*. : proposita), *Vulg*. — ἄχρις ἂν solus B cum duobus minusc.; cum aliis lege : ἄχρις οὗ; neque enim ulla dubitatio de seminis adventu ab Apostolo hic exprimi potuit. — 21. κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν (adversus promissiones) genetivo τοῦ Θεοῦ omisso solus B cum nonnullis Latinis (*Vict. A*[ler]); cum reliquis omnibus lege : κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν τοῦ Θεοῦ (*adversus promissa Dei*). — ἐν νόμῳ ἂν ἦν (*in* lege esset) solus B cum *S. Cyr. Alex*.; lege cum reliquis : ἐκ νόμου ἂν ἦν (*ex lege esset*), sed adnota, in particulae ἂν collocatione codices inter se dissentire. — 24. ἐγένετο solus B cum *Clem. Alex*.; cum aliis lege : γέγονεν. — εἰς Χριστόν (in Christum; sed cum *Vulg*. Latini eodem tamen sensu : *in Christo*) est communior lectio; alii tamen : εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν (in Christum Iesum) D E F G, *It*. (*A*[ler]) *Vulg*. (*Fuld*. aliique codd.).

1. *Aug*. in commentario legit : *Quid igitur? Lex transgressionis gratia proposita est* etc.; sed in Retract. I. 24,2 recte adnotat, istam distinctionem a vero quidem non abhorrere, meliorem tamen alteram esse, « ut interrogatio sit : *Quid ergo lex?* et inferatur responsio : *Transgressionis gratia proposita est* ».

v. 17), ad eas accessit, sed tamquam altera institutio, quae promissionum adimpletioni inserviret eamque praepararet.

Qua vero ratione eam praeparet, verbis *propter transgressiones* vel accuratius *transgressionum gratia* (τῶν παραβάσεων χάριν) exprimitur; quae quo sensu sint intelligenda, interpretes non consentiunt. Iuxta *Thom.* (cfr *Ven. Bed.*) « propter quatuor Lex vetus est data secundum quatuor ex peccato consecuta, scilicet propter malitiam (reprimendam), infirmitatem (manifestandam), concupiscentiam (domandam), ignorantiam (instruendam) ». Quae quatuor ad duo reduci possunt, siquidem tertium cum primo et quartum cum secundo apte coniunguntur, et iuxta duos hos primarios Legis fines etiam duplex habetur nostrorum verborum interpretatio.

Atque Graeci quidem (*Chrys. Theod.* etc.), quibuscum non pauci antiquiores Latini (*Hier. Pel. Prim. Haym. Herv. Lomb*[1]. *Thom*[1]. *Lyr. Dion.*) et iuniores ac moderni aliqui (*Cai. Iust*[2]. *Lap*[1]. *Nat*[1]. *Pic.* etc., *Palm.* — *Rück. Olsh. de W.* etc.) consentiunt, Legem ad transgressiones puniendas et coercendas datam esse explicant: « ne liceret Iudaeis secure vivere atque in extremam prolabi malitiam, sed ut Lex illis pro freno esset, erudiens componens prohibensque transgredi, sin minus omnia, certe aliquot praecepta » (*Chrys.*); « post offensam in eremo populi, post adoratum vitulum et murmur in Dominum Lex transgressiones prohibitura successit » (*Hier.*); « propterea data est, ut nos non transgredi vel cogeret vel doceret, usque dum Christus veniret » (*Pel.*) etc.; accuratius *Thom*[1]. : « homines male dispositi indigent retrahi a peccatis per poenas; et ideo quantum ad istos fuit necessaria Legis positio, quae habet coarctativam virtutem ». Cui explicationi ipsum iam nomen παραβάσεως (*transgressio* vel *praevaricatio*) videtur obstare, quippe quod iuxta etymologiam et usum illa peccata designet, quibus Lex positiva et cognita violatur; parum apte autem ad illud coercendum lata esse dicitur, quod non nisi post eam latam adesse potuit; « ubi enim non est Lex, nec est praevaricatio » (παράβασις *Rom.* 4,15). Neque praepositio χάριν (gratia, *in gratiam*) huic explicationi favet; atque iure merito id quoque obiicitur, quod secundum Pauli doctrinam Lex per se ad coercendas transgressiones plane incapax est, quoniam peccati quidem cognitionem hominibus det, sed vires eis ad peccata vitanda non addat.

Quare alteram explicationem praeferentes Legem datam esse censemus propter transgressiones manifestandas et augendas, ut hac ratione homo infirmitatem suam agnosceret atque ad gratiam fidemque, qua eas evitaret, confugere incitaretur. Haec sententia est *Aug.*: « superbienti, inquit, populo Lex posita est, ut quoniam gratiam caritatis nisi humiliatus non posset accipere et sine hac gratia nullo modo praecepta impleret, transgressione humiliaretur, ut quaereret gratiam nec se suis meritis salvum fieri, quod superbum est, opinaretur; ut esset non in sua potestate et viribus iustus, sed in manu mediatoris iustificantis impium ». Quam praeeuntibus *Lomb*[2]. et *Thom*[2]. iuniores multi (*Salm. Est. Iust*[1]. *Lap*[2]. *Nat*[2]. etc.) et

moderni plerique (*Wind. Bisp. M Ev. Reithm. L R. Dr. Schaef.* etc. — *Mey. Lightf. Ph. Sieff.* etc.) iure merito adoptarunt. Namque verbis accuratius consonat, contextui facilius adaptatur, constantique Pauli doctrinae congruit. Iuxta eum enim Lex ad peccati cognitionem hominem adducit (*Rom.* 3,20; 7,7), peccatum quoque occasionaliter provocat (cfr ad 1 *Cor.* 16,56; 2 *Cor.* 3,6; *Rom.* 7,13), atque subintravit ut abundaret delictum (*Rom.* 5,20)[1]. Contextui hanc explicationem facilius adaptari evidens est; nam si Lex data est ad coercendas transgressiones, non intelligitur, quomodo adversarius aliquis ex Pauli sententia colligere possit, Legem esse adversus promissa Dei (*v.* 21). Demum eam verbis consonare etiam clarum est; *transgressionum gratia* enim idem est quod « ut exoriantur atque adsint transgressiones »; data est, ut peccata naturam transgressionum quasi induerent (*Rom.* 4,15) atque specie transgressionum induta facilius cognoscerentur, conscientiam acrius pungerent, desiderium redemtionis efficacius excitarent.

Quo ex Legis fine eam promissionibus inferiorem locum in salutis oeconomia tenere satis iam elucet, siquidem lata est, ut illis indirecte tantum obsecundaret. Illis autem inferior quoque est, si eius duratio spectatur; longo enim tempore post promissiones lata durare dumtaxat debuit, *donec veniret semen cui promissio facta est*[2]. Quin idem *semen* hic et *v.* 16. intelligatur, nemini est dubium; usque ad adven-

1. Ad totam Pauli doctrinam respiciens egregie *Thom.* : « Secundo Lex data est ad infirmitatem manifestandam. Homines enim de duobus praesumebant, de scientia et de potentia, et ideo Deus reliquit eos absque doctrina Legis tempore legis naturae. In quo dum in errores inciderent, convicta est eorum superbia de defectu scientiae. Sed adhuc restabat presumtio de potentia; dicebant enim : non deest qui impleat, deest qui iubeat, ut dicitur in *Gl.* super illud (Exod. 24,7) : quidquid praeceperit Dominus, faciemus et erimus obedientes. Et ideo data est Lex, quae cognitionem peccati faceret; per Legem enim cognitio peccati (*Rom.* 3,20). Quae tamen auxilium gratiae non dabat ad vitanda peccata, ut sic homo sub Lege constitutus et vires suas experiretur et infirmitatem suam recognosceret, inveniens se sine gratia peccata vitare non posse et sic avidius quaereret gratiam. Et haec etiam causa potest ex his verbis accipi, ut dicatur, quod Lex posita est propter transgressiones adimplendas, quasi illo modo loquendo quo Apostolus dicit : Lex subintravit, ut abundaret delictum. Quod non intelligendum est causaliter sed consecutive; quia Lege subintrante abundavit delictum et transgressiones sunt multiplicatae, dum concupiscentia nondum per gratiam sanata in id, quod prohibebatur, magis exarsit, et factum est peccatum gravius addita praevaricatione Legis scriptae. Et hoc Deus permittebat, ut homines imperfectionem suam cognoscentes quaererent mediatoris gratiam. Unde signanter dicit : posita est, quasi debito ordine collocata inter legem naturae et legem gratiae ».

2. Quia in Novo Test. forma media (ἐπαγγέλλεσθαι) velut deponens usurpatur, perfectum ἐπήγγελμαι per se quidem recte cum *Vulg.* active reddi potest : *cui promiserat* (vel potius : promisit) sc. Deus (cfr *Rom.* 4,21; Hebr. 12,26); sed durior nostro in loco est subiecti omissio, atque passiva significatio (*cui promissum est*, vel : cui promissio dicta est) accuratius praecedenti *v.* 16 respondet (*dictae sunt promissiones*), ad quem Apostolus respicit. Quare haud immerito antiqua versio eam praetulit; *Aug. Ater* : cui promissum est; *Hier.* : cui promissum erat, *Vict.* : cui promissa est haereditas; aliqui boni codd. *Vulg.* (cfr *Corss.*) : cui promissa erat.

tum Christi mystici igitur, i. e. usque ad Ecclessiae fundationem, Lex auctoritatem suam retinere debuit, ita ut nunc pro abolita iure habeatur. Quodsi multi nomen *seminis* de Christi ipsius persona interpretantur, in tempore durationis Legis definiendo nobiscum consentiunt quidem, sed non satis, uti iam monuimus (*ad v.* 16), attendunt, non tam ipsi Messiae, *in quo* omnes gentes benedicendae sunt, quam iis, qui ad Messiae regnum pertinent, haereditatem esse promissam; quam utique obtinere nequeunt nisi *per* eum, quatenus ipse solus eam meruit, et *in* eo, quatenus eius corporis viva membra sint et cum eo unam personam moralem constituant oportet.

Demum promissionibus inferiorem locum occupat, si modus, quo lata est, consideratur : *ordinata per angelos in manu mediatoris.* Cum *S. Iren.* (c. haer. III. 7,2.) et *Hier.* nonnulli iuniores ac moderni hyperbato admisso sententiam nostram hac ratione digerunt : « disposita per angelos in manu mediatoris (propter transgressiones) posita est, usque dum veniat semen, cui promissum est » (*S. Iren.*); sed cur hyperbaton statuatur, nulla est ratio. Expedite et facile enim currit sententia; scopum vero legislationis Paulus praemittit, quia ex eo maxime argumentatur, et de eius modo in fine sententiae loquitur, quia explicationem quandam addere voluit. Lex igitur *per angelos ordinata* (διαταγεὶς δι' ἀγγέλων) dicitur: verbum διατάσσειν significat *cum auctoritate disponere*[1], ita ut Lex *per angelos*, i. e. eorum ministerio, non tam composita vel digesta, sed imposita sit et lata. Utrum nomine angelorum veri angeli, an potius sacerdotes (*Chrys. Oec. Theoph.*), vel Moyses Iosue ceterique prophetae (*A^ter^*), vel Moyses et Aaron (*Thom.*) etc. essent designati, olim dubitatum est; sed Deum in Lege mosaica ferenda ministerio angelorum usum esse, Vetus Test. (*Deut.* 33,2 clarius iuxta alex. vers., obscurius iuxta alios translatores) innuit et Novum diserte docet (*Act.* 7,53; *Hebr.* 2,2); quare dubitationi non relinquitur locus. Neque obstat, quod legislatio saepius Deo immediate attribui videatur; nam « Deus quidem loquebatur (*in monte Sinai*), i. e. vox, prout erat repraesentativa loquentis, ad eum referebatur, sed organa, ut ita dicam, Dei loquentis erant angeli, qui physice figuram ac voces in aere formabant; angeli praeterea auctores immediati erant eorum phaenomenorum, quae legislationem comitata sunt » (*Palm.*). S. Stephanus angelorum ministerium comme-

1. Verbum διατάσσειν, quod, si *Matth.* 11,1 excipis, a *Luc.* et *Paul.* solis in Novo Test. adhibetur, a vulgato interprete variis praecipiendi verbis redditur : praecipere *Matth.* 11,1; *Luc.* 17,10; *Act.* 18,2; 23,31), iubere (*Luc.* 8,55; *Act.* 24,33), imperare (*Luc.* 17,9), constituere (*Luc.* 3,13), disponere (*Act.* 7,44; 20,13; 1 *Cor.* 11,34; *Tit.* 1,5), ordinare (1 Cor. 9,14; 16,1; *Gal.* 3,19). Saepius non legitur; nam 1 *Cor.* 7,16 interpres latinus lectionem διδάσκω (*doceo*) expressit.

morat, ut dignitate Legis exaltata doceat, quanti criminis violatores eius reos sese faciant (*Act.* 7,53), neque dissimiliter Paulus (*Hebr.* 2,2) ex eodem magnam Legis auctoritatem colligit; nihilominus eodem in loco a minore ad maius concludens insinuat, mediato isti loquendi modo longe praestare immediatum, quo Verbum incarnatum per se ipsum nobiscum loqui voluerit. Quapropter etiam hic eadem ratione testamentum promissionum utpote immediate a Deo confirmatum (cfr *v.* 17) Legi per angelorum ministerium a Deo latae opponi ac praeferri multi censent; nescio tamen num satis recte. Nam etiam in promissionibus Abrahae datis Deum angelis ministris usum esse, ex Scriptura haud obscure colligi videtur (*Gen.* 18,1 sqq.), ut haec differentia immerito asseratur.

At Abrahae ipsi immediate dictae sunt promissiones, verum Lex populo immediate non est lata, sed *in manu mediatoris*. Maiestate enim et magnitudine divina, quae sese in monte Sinai manifestavit, perterrefacti filii Israel Moysen rogarunt, ut solus accederet cunctaque quae Dominus esset locuturus cum ipsis communicaret. Quibus obsecutus Moyses « sequester et medius fuit inter Dominum (per angelorum ministerium loquentem) et filios Israel in tempore illo, ut annuntiaret eis verba illius » (*Deut.* 5,5 etc.), atque *in manu* eius tamquam *mediatoris* positae sunt duae tabulae foederis, quod Deus cum populo suo pepigit (*Deut.* 9,9 sqq. etc.). Cur haec addiderit, Apostolus ita explicat, ut Legem mosaicam a promissionum testamento multum differre neque illius in locum succedere potuisse clarius appareat. 20. *Mediator autem* (ὁ δὲ μεσίτης) *unius non est; Deus autem unus est.* Prior particula δέ (*autem*), uti patet, non est adversativa, sed, uti saepissime, explicationem quandam affert (cfr ad 2,4 p. 428), altera Minorem argumenti introducit; iterum enim syllogismum incompletum (conclusione omissa) habemus. Maior est sententia universalis, qua nominis *mediatoris* definitio exhibetur (in expressione ὁ δὲ μεσίτης articulus genus solum determinat, ut omnes designentur et singuli, qui eo comprehenduntur) : *mediator* vi nominis sui non est unius personae; ut aliquis mediatoris nomen mereatur eiusque fungatur munere, duae saltem personae vel partes adsint oportet, inter quas medius (μέσος) velut internuntius agat vel pacis inter eas conciliandae vel foederis inter eas stabiliendi vel similis contractus bilateralis, in quo utraque pars obligationem in se suscipit, conscribendi causa; in contractibus unilateralibus vero et gratuitis, in quibus obligatio ex una sola parte adest, mediator proprii nominis haberi nequit. Unde quae natura sit Legis mosaicae, sua sponte elucet; quia enim in ea ferenda Moyses velut mediator intercessit, de contractu quodam bilaterali (atque in

specie quidem de foedere) agitur. Legem in manu mediatoris ponens Deus ad benedictiones dandas sese obligavit quidem, sed eas ab impletione Legis dependere constituit (*v.* 12. *qui fecerit ea, vivet in eis*); atque populus ex manu Moysis, quem suum mediatorem esse voluerat, Legem accipiens sese ad eam implendam obligavit, ut promissarum benedictionum particeps fieret (*Deut.* 5,24 etc.). Ex Maiore igitur Paulus id colligiti vult, quod aliunde quoque notum erat, legislatione mosaica adesse contractum bilateralem, quo benedictiones conditioni erant alligatae; in Minore autem promissiones aliam omnino rem esse innuit : *Deus autem unus est.* Promissio est contractus unilateralis, quo promittens solus se obligat ad aliquid *gratuito* praestandum. Abrahae ergo seminique eius promissiones dicens Deus in se solum obligationem suscepit nulla conditione adiecta; solus proin eas implere tenetur ac pro sua fidelitate et immutabilitate implebit. Itaque hunc syllogismi sensum esse arbitror : Legislatio per mediatorem Moysen data contractum constituit bilateralem, qui benedictiones conditioni Legis impletae alligat; atqui promissiones Abrahae seminique eius dictae, utpote contractus unilateralis, benedictiones nulli conditioni alligant; ergo Lex in promissionum locum succedere easque abrogare non potuit. Legislatio potius promissionibus adversari videtur; sed hanc conclusionem Paulus velut illegitimam statim reiiciet fine Legis accuratius explicato.

Iuxta hanc interpretationem idem, quod *vv.* 16-18 demonstratum est, novo argumento hic confirmatur, et difficultatis obiectae (ad quid Lex data sit, nisi ex ea dependeat haereditas promissa) solutio ipsi thesi stabiliendae inservit ac simul ad accuratiorem finis Legis expositionem viam aperit; non minus igitur contextui quam verbis consonat. Simili fere modo aliqui iuniores ac moderni sententiam explanant (cfr *Lap. Picon. M Ev. — Sieff. Lightf.* etc.), quamquam aliqui ex eis mutabilitatem Legis ob modum, quo data sit, nimis urgent [1]. Ceterum fatendum est, hanc explicatio-

1. Cfr. *Picon.* : « Lex ministerio Moysis, mediatoris et stipulatoris, data est; *mediator autem non est unius* sed plurium; hinc facilis mutabilitas ob alicuius mutationem et stipulatae conditionis defectum; promissio autem a Deo solo facta est : *Deus vero unus est* et idem semper et immutabilis; hinc promissionis firmitas stabilis, aeterna, immutabilis ». Melius alteram partem *M Ev.* exponit : « Between God and Abraham there was a purely gratuitous promise, of giving the inheritance to him and his posterity, a promise absolute in its nature, requiring no conditions which were not involved in the promise itself; for it carried with it the aids and helps required for self-fulfilment. There was then but *one* party; viz. God (« but God is one »), and hence, no mediator, as in the case of the Law, which was an onerous contract, requiring on the part of the legislator and the subjects certain conditions and establishing certain reciprocal relations ». Unde etiam apparet, a *Palm.* contra hanc interpretationem haud recte obiici, etiam novam legem habere mediatorem et esse foedus; toto enim coelo Novum a Vetere differt, siquidem Novum, quum sit testamentum gratiae, nullam conditionem imponit, quae ipsius auxilio impleri nequeat, Vetus autem conditionem quidem imposuit, sed ex se nullum auxilium ad eam implendam

nem non esse communem, si de communi loqui fas est in uno ex vexatissimis Scripturae locis, qui inter cruces interpretum non minima iure habetur. Quamvis enim simplicissimae et clarissimae duae sententiolae (*v.* 20) per se esse videantur, difficillimum tamen dictu est, quid sibi in hoc contextu velint et quis earum cum praecedentibus et subsequentibus sit nexus. Ineunte hoc saeculo iam 250 circiter varias explicationes adfuisse (cfr *Winer* Ep. ad Gal. 1821.) earumque numerum nunc fere duplicatum esse, quum plus 430 adsint, aliqui asserunt (cfr *Iowett* apud *Ph. Schaff* The ep. to the Gal. N. York 1881. p. 38). Quas omnes recensere et diiudicare, si possemus, nollemus; ne tempus perdamus, paucas tantum notas de praecipuis cath. interpretationibus adiiciemus.

Plerique antiqui interpretes in hoc versu explanando nos parum iuvant, quia in praecedentibus verbis (*in manu mediatoris*) explicandis a vero aberrantes sibi genuinae interpretationis viam obstruxerunt. Quoniam enim nomen *mediatoris* (μεσίτης), quod in Vet. Test. non legitur, in reliquis Novis Scripturis soli Christo tribuitur (1 *Tim.* 2,5; *Hebr.* 8,6; 9,15; 12,24), Patres multique antiquiores, sed pauci iuniores ac moderni, praeeunte *Orig.* (fragm. in Col. M. 14,1297 « data est Lex Moysis per angelos *in manu* et virtute *mediatoris* Christi »), etiam in *v.* 19. Christum mediatorem designari arbitrati sunt, quippe cuius virtute ac potentia (*in manu*) Lex sit data (*Chrys. Dam. Phot.* etc., *Vict. Ater*, *Aug. Hier.* etc., *Haym. Herv. Lomb. Thom. Lyr.* etc., *Er. Gagn.* etc., *Palm.* — *Calv. Calov.* etc., *Culm.* etc.). Neque tamen hi omnes in *v.* 20. explicando inter se consentiunt, sed in diversissimas sententias abeunt. Alii enim Christum, utpote Dei hominumque mediatorem ac verum Deum, auctorem Legis dici volunt, ut ei potestatem etiam abrogandae Legis competere significetur (cfr *Chrys. Dam.* etc.); alii doceri putant, Christum, quia Dei hominumque sit mediator, utriusque partis naturam, divinam et humanam, habuisse[1] (cfr

dare potuit. Ceterum bene attendatur oportet, Paulum in toto hoc loco non agere de Lege et de Evangelio, sed de Lege et de promissionibus Abrahae seminique eius factis, atque eo tendere eius argumentationem, ut ostendatur Legem non posse haberi pro promissionis impletione nec in promissionum locum potuisse succedere. Hanc ob causam de mediatore loquitur, qui in legislatione adfuit, in promissionibus non adfuit; quomodo vero Novo Foedere, quamvis ibi quoque adfuerit mediator, promissiones impletae sint, facile apparet, si Novi Testamenti mediator cum Moyse comparatur (cfr *Hebr.* 9,11-15). Quod autem *Palm.* maxime urget, « tam difficilem conclusionem Paulum debuisse diserte exprimere », id eodem modo contra omnes huius loci interpretationes urgeri potest atque maxime contra eam, quam ipse praefert, ab Apostolo nimirum per transitum quasi doceri duplicem Christi mediatoris naturam, divinam et humanam.

1. Hanc sententiam *Thom.* ita exponit : « *Mediator non est unius* tantum, sed duorum : unde quum iste (Christus) sit mediator Dei et hominis, oportet quod sit Deus et homo; si enim esset purus homo vel Deus tantum, non esset verus mediator. Si ergo est verus Deus, quum nullus est mediator sui ipsius, posset videri alicui, quod praeter ipsum sunt alii dii, quorum est mediator; et hoc removet dicens : *Deus autem unus est;* quia licet ipse alius sit in persona a Deo Patre, non est tamen aliud in natura ». Clarius priorem partem proponit *Palm.* : « *Qui est mediator non est unius*, i. e. non spectat ad unum tantum ex iis, quorum mediator est; nempe *esse unius* valet *spectare ad unum*, sicut esse alicuius valet spectare ad aliquem. Mediator ergo inter Deum et homines utrumque participat. Est tamen discrimen quoad eius convenientiam cum utroque termino. Nam quum homo multiplicabilis sit, mediator specifice tantum congruit cum ceteris hominibus; at quia *Deus est unus*, oportet ut mediator de utroque termino vere participans sit natura idem Deus, inter quem et homines mediator intercedit ». At praeprimis haec extra contextum vagari evidens est; « ea obiter dicta esse ab Apostolo, quia non spectantia ad praesens institutum », *Palm.* ipse fatetur. Deinde autem gratis supponi videtur, mediatorem *naturam* duarum

Aug. Hier. etc., *Thom.* etc., *Palm.*); alii eum appellari censent mediatorem et conciliatorem Iudaeorum et gentium, quatenus Legem abrogaverit et idololatriam destruxerit (*A*[ter], etc., *Thom*[3]. etc.), aut eum *mediatorem non unius* populi sed omnium, quum *unus esset Deus* cum Patre et Spiritu ideoque sufficiens ad omnes conciliandos (*Thom*[3]. etc.); alii alio modo, sed omnes, uti patet, extra contextum vagantes. Neque id mirum, quum nomine mediatoris in *v.* 19. Christus intelligi non possit. Etenim expressio satis frequens *in manu* (בְּיַד) ministerium vel instrumentum denotat, nusquam autem virtutem ac potentiam significat, quamvis nomen *manus* metaphorice potestatem aliquoties indicet; multis in locis Deus *in manu Moysi* (i. e. per Moysen) aliquid praecepisse (*Num.* 4,37; 10,13 etc.) aut *in manu prophetae* (i. e. per prophetam) aliquid revelasse (*Agg.* 1,1; *Mal.* 1,1 etc.) legitur, at *in manu Christi*, i. e. per *Christi* ministerium, veterem Legem datam esse, sine errore non potest dici, sicut veteris foederis *mediator* Christus dici nequit (cfr *Hebr.* 8,6), id quod tamen dicendum esset, si nomine *mediatoris* hoc in loco Christus designaretur.

Itaque praeeuntibus multis Patribus graecis (*Clem. Alex.* Strom. I. 26, *S. Basil. M.* de S. Spir. 14,33, *S. Epiph.* haer. 66,48, *S. Greg. Naz.*, *Mopsu. Theod. Gennad.* etc.) iuniores ac moderni, cath. et acath., fere omnes recte tenent, in *v.* 19. nomine *mediatoris* Moysen indicari; plerique quoque in *v.* 20. syllogismum incompletum vident, sed quis sit praemissarum sensus et quae conclusio, disceptant. Pauci tantum in priore sententiola nomen mediatoris iterum de Moyse intelligunt atque genetivum *unius* pro neutro habent, ita ut hic sensus oriatur : « *mediator* (sc. Moyses) *unius non est* consilii ac decreti, sed homo mutabilis, *Deus autem unus est* i. e. in sua voluntate immutabilis »; at nec verbis haec consonare nec contextui, iure merito *Iust. Lapi* etc. iam obiecerunt. — Alii pauci in Maiore non tam mediatoris, qui inter duas partes intercedit, definitionem dari, quam veri mediatoris Deum inter et homines officium describi censent, ut Moysen verum mediatorem non fuisse demonstretur : « verus *mediator unius non est* populi sed omnium populorum; *Deus* enim *unus est* omnium populorum omniumque vult salutem » (*Gennad. Salm*[2]. *Iust*[2]. etc.), quae sententia in eo iam peccat, quod secundam sententiam pro causali sumit. — Iuxta *Theod.* nihil aliud docetur, nisi Moysen, quum Deum inter et filios Israel intercesserit, verum esse mediatorem, sed unum eundemque Deum esse, qui et promissionem dederit, et Legem tulerit et promissionis impletionem nunc ostendat; sed quid sibi haec hoc in loco velint, non apparet. — Ex hac quidem *Theod.* sententia, quam adoptat, *Reithm.* ulterius concludere vult : « ergo Lex inter promissionem et eius adimpletionem media intercessit, sicut Dei hominumque mediator inter dantem et accipientem Legem medius fuit »; at quomodo haec conclusio sequatur, nemo facile dixerit. — *Est.* putat Legis ac promissionum differentiam quandam a Paulo statui, quum Deus ad Legem dandam mediatore sit usus, promissiones vero ipse sine internuntio Abrahae dixerit; at cur haec differentia, si revera adest, tam miro modo a Paulo exprimitur, et quo cum iure ex verbis *Deus autem unus est* colligitur, eum mediatore ad promissiones dandas non esse usum? — A *Wind.* haec est proposita explicatio, quae nonnullis cath. interpretibus placuit (cfr *Bisp. Sim. LR. Schaef.* etc.) : « Mediator adesse nequit nisi inter duas saltem partes, ac revera quum de Lege danda Deum inter et filios Israel ageretur, Moyses fuit me-

partium, inter quas intercedit, participare debere. Moyses in Scripturis nusquam quidem diserte appellatur *mediator*, sed eum verum mediatorem fuisse Deum inter et filios Israel, Paulus (*Hebr.* 3,6) satis clare docet, si Christum, utpote *melioris foederis mediatorem* perfectius ministerium, quam Moysen, sortitum esse dicit.

diator; promissio autem a Deo immediate dicta est semini Abrahae, i. e. Christo, Filio Dei (*dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis Ps.* 109,1); itaque quum a Deo Patre dicta sit Deo Filio, qui unus Deus sunt, mediator adesse non potuit ». Antea iam adnotavimus, semen, cui dictae *sunt* promissiones, non tam ipsum Messiam esse, quam eos, qui ad eius regnum pertinent; semen igitur esse Christum mysticum (cfr ad *v.* 16); aliquid duri autem habet, quia hic Christus mysticus est intelligendus, ut promissio *a Deo Deo* data esse dicatur; praeterea animadverte, promissiones dictas esse *Abrahae et* semini eius, ac proin hanc explicationem non posse admitti. — Alii (cfr *Knabenb.* in Stimmen aus M. Laach 26 p. 447) attendere nos iubent, promissionem ita esse datam, ut promittens se ipsum quoque datorem fore insinuet (« tibi *dabo* » etc.); vi ipsius promissionis ergo excludi mediatorem, per quem promissio impleatur; legislationem igitur, quum per mediatorem Moysen facta sit, pro adimpletione haberi non posse nec in promissionum locum successisse. At nescio, num verba *Deus autem unus est* significare queant : idem Deus qui promisit etiam adimplebit; et quid de Novi Test. mediatore dicemus? Sed haec sufficiunt, quum reliquae, quas vidi, explicationes illis, quas recensui, minus probabiles esse videantur.

21. *Lex ergo adversus promissa Dei?* Ut illativam particulam (οὖν *ergo*) explicent, alii cum *Chrys.* usque ad *v.* 10, alii cum *Hier.* ad *v.* 17. recurrunt, alii cum *Reithm.* eius vim infirmant hanc sententiam praecedenti (*v.* 19. Quid *igitur* Lex) parallelam dicentes. At nova haec obiectio sua sponte ex prioris solutione exoritur; Lex enim, quae ad manifestandas et augendas transgressiones posita esse (*v.* 19) et gratuitae promissioni onerosam conditionem apposuisse (*v.* 20) dicitur, revera promissioni adversari videtur; neque tamen ei adversatur, nisi erronea, quam de fine ac munere Legis iudaizantes sibi formarant, notio supponitur. Dei enim Lex promissionibus Dei vere repugnare nequit; quare Apostolus obiectionem istam cum indignatione reiicit et in adversarios suos ita retorquet, ut falsam eorum suppositionem manifestet : *absit* (μὴ γένοιτο cfr ad 2,17)! *si enim data esset lex, quae posset vivificare, vere* (ὄντως *Aug.* : omnino) *ex lege esset iustitia;* at Lex, quae data est, quia non iustificat (*v.* 11), etiam vitam non praestat, ac proin non repugnat promissioni, iuxta quam credentibus gratuito confertur vita. Cum aliis antiquioribus Latinis bene *Thom.* : « si Lex esset data talis, quae posset vivificare, i. e. tantae esset virtutis, ut posset vitam gratiae et aeternam beatitudinem conferre, tunc vere et non apparenter iustitia esset ex Lege; sic Lex faceret, quod fides facere dicitur, et sic frustra esset fides ». Similiter quoque Graeci : « si Lex potuisset vivificare, merito putare posset aliquis, eam adversus promissa esse constitutam eorumque iustitiam surripuisse, quatenus ipsa posset iustificare; verum quoniam nihil huiusmodi facere potest, nec vivificare nec iustificare, certe non est data adversus promissiones;

his enim propria est iustitia, quum salvent et iustificent eum qui est ex fide » (*Phot.* cfr *Oec.*). Apostolo *vitam* et *iustitiam* (seu *vivificare* et *iustificare*) unum idemque esse nonnulli censent (cfr *Palm.* etc.), sed cum plerisque antiquioribus et modernis rectius tenemus, iustitiam ei esse fundamentum verae illius vitae, quae, quum hac in terra inchoetur, plena autem et perfecta in aeterna beatitudine possideatur, quasi summa est haereditatis Abrahae seminique eius promissae. Iamvero iuxta iudaizantium doctrinam Lex neophytis erat observanda, ut integrae haereditatis promissae participes fierent; contra quos Paulus urget, etiam iustitiam, utpote haereditatis fundamentum, debere esse ex Lege, si haereditas ipsa ex Lege esset; iustitia igitur et vita post Legem datam non essent amplius dona gratuita credentibus promissa, sed merces operantibus debita (cfr *Rom.* 4,4 etc.), ac Lex revera promissionibus adversaretur easque evacuaret. « Si data esset Lex, quae posset praestare vitam et id, quod promissio spoponderat, exhibere, vere promissio per Legem putaretur exclusa » (*Hier.*).

Obiectio illa igitur contra iudaizantes, qui Legem sibi fingunt iustificantem et vivificantem, iure urgetur, sed locum non habet, si Lex illa consideratur, quae revera data est; haec enim nec vivificat nec iustificat; 22. *sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut* (ἵνα) *promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Nomen *Scripturae* plerique Patres de solis praeceptis scriptis intelligunt, sed rectius cum *Theod.* universaliorem nominis significationem retinentes integrum Dei verbum scriptum designari censemus. Quatenus est Lex, i. e. praecepta imponit, Iudaeos quidem sub peccato conclusit transgressiones eorum manifestans et occasionaliter augens (cfr ad *v.* 19); sed quatenus in genere est verbum Dei scriptum, irrefutabili suo testimonio omnes, et Iudaeos et gentiles, sub peccato conclusit, quoniam eos omnes esse peccatores convincit ac declarat. Verbum συγκλείειν (*con*cludere) hic non tam significat *simul* claudere (cfr *Luc.* 5,6), quam *undique* claudere, ita ut incluso via fugae non pateat (cfr *Ps.* 30,9; 77,50; *Rom.* 11,32); concluduntur autem sub peccato, qui ita peccatores esse convincuntur ac de peccatis condemnantur, ut excusandi aut negandi nullus eis relinquatur praetextus. Porro *omnia Scriptura sub peccato conclusit* multis illis testimoniis, quibus peccati universalitatem docet quaeque Apostolus alibi (*Rom.* 3,10-18) affert, ut accusationem suam « omnes, Iudaeos et Graecos, sub peccato esse » confirmet; haec igitur similiaque testimonia nomine *Scripturae* hic designat. Ex eodem porro loco parallelo apparet, *sub peccato esse* vel *sub peccato concludi* idem esse, quod « Deo obnoxium et obstrictum esse ad poenam » (ὑπόδικον εἶναι τῷ Θεῷ *Rom.* 3,19), seu peccatorem esse aeterna poena dignum; deinde

expressione τὰ πάντα (*omnia*) integrum quidem genus humanum (cfr *Col.* 3,11 etc.) comprehendi, sed prae reliquis Iudaeos, qui Legem habebant, significari; siquidem « scimus quoniam quaecumque Lex (seu Scriptura) loquitur, iis qui in Lege sunt loquitur » (*Rom.* 3,19). Unde satis patet, « ex operibus Legis neminem iustificari coram Deo » (*Rom.* 3,20), Legem ergo non esse datam, quae iustificare et vivificare potest. Scriptura vero (vel si mavis : Scripturae auctor), si omnes homines, et imprimis Iudaeos, peccatores esse convicit, eum habuit finem, *ut promissio*, i. e. haereditas Abrahae seminique eius promissa, *ex fide Iesu Christi daretur credentibus;* hac enim ratione eos impulit, ut culpae infirmitatisque suae conscii redemtorem adiutoremque quaererent atque eam salutis viam ingrederentur, quam Deus fide in Iesum Christum credentibus paravit. Tautologice dici videtur *ex fide credentibus* dari haereditatem; neque tamen tautologia est, sed iudaizantium causa expressio est electa; namque, quia fidei necessitatem non negabant, *credentibus* haereditatem dari concedebant, sed eam, quia Legis simul necessitatem praedicabant, ex Lege dependere volebant; cum emphasi igitur quadam Paulus eam *credentibus* non ex Lege sed *ex fide* dari asserit. Ac profecto illi quoque omnes, qui veteris oeconomiae tempore iusti erant, iustitiam et vitam ex fide consecuti sunt (cfr *Hebr.* 11 etc.).

Quid vero Lex contulerit, ut in Iudaeis sub peccato conclusis hic finis obtineatur, exponendum remanet, ut prioris difficultatis (*v.* 19 quid igitur Lex?) completa habeatur solutio. Itaque Paulus de solis iam Iudaeis loquens (se enim suosque contribules prima persona plur. adhibita designat), quid Deus Legem dans velut ultimum finem intenderit, clarius explicat : 23. *prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quae revelanda erat.* Utrum *fides* in hac sententia sensu obiectivo explicetur (fides quae creditur) doctrina fidei vel Evangelium vel evangelica praedicatio etc. (cfr *Iust. Est.* etc., *Wind. Bisp.* etc.), an socialis institutio christianismi, quae opponatur sociali institutioni mosaicae (*Palm.*), an sensu subiectivo fides qua creditur (*Reithm.* etc.), ad temporis definitionem nihil interest; priore enim membro totum tempus, quod adventum Christi, vel si mavis fundationem Ecclesiae, praecessit, designari clarum est. Ultimam autem significationem praeferendam arbitror, quia fides est criterium novae oeconomiae; atque fides (uti gratia, veritas, Spiritus), quae tempore veteris testamenti aderat, ipsa quoque ad novam oeconomiam pertinebat, quia non nisi virtute adventuri Messiae concedebatur (cfr ad *Ioan.* 1,17; 7,39 etc.). Ante adventum igitur novae oeconomiae, quae nomine *fidei* designatur, Iudaei *sub lege custodiebantur.* Grae-

cum verbum φρουρεῖν (uti latinum *custodire*) duplicem admittit significationem; φρουρεῖσθαι (*custodiri*) enim aliquis potest, ut a fuga prohibeatur (cfr 2 *Cor*. 11,32) aut ut ab eo periculum arceatur atque ipse hac ratione servetur (cfr *Phil*. 4,7; 1 *Petr*. 1,5). Utramque *Thom*. coniungit : « Nos Iudaei custodiebamur sub Lege, in quantum faciebat nos vitare idololatriam et multa alia mala; custodiebamur, inquam, non sicut liberi, sed quasi servi sub timore et hoc sub Lege, i. e. sub onere et dominio Legis; et custodiebamur conclusi, i. e. servati ne deflueremus a vita sed praepararemus in eam fidem, quae revelanda erat tempore gratiae, in antiquis autem temporibus sub multis signis latebat ». Antiquiores tamen priorem praeferunt : « oportebat veluti muro quodam custodiri genus israeliticum, donec germinaret exspectatio gentium » (*Theod*. cfr *Chrys*. *Hier*. etc.). Revera Lex tyranno assimilatur, qui subditos suos inclusos tenet, ne effugiant; haec autem custodia et inclusio in favorem erat inclusorum; si enim effugissent, ad bonum eis reservatum non pervenissent. Sub Lege nimirum conclusi custodiebantur eo fine, ut ad fidem, quae revelanda erat, pervenirent. Multis suis praeceptis minisque ac poenis subditos suos Lex retinebat atque hac ratione efficere volebat, ut novam fidei oeconomiam, quae eis praedicta erat et adveniente Messia initium habere debebat, ardentius desiderarent illiusque participes fierent.

Hinc sua sponte patet conclusio : 24. *itaque lex paedagogus noster fuit in Christo* (lege : *in Christum* εἰς Χριστόν), *ut ex fide iustificemur*. Apud Graecos et Romanos nomine *paedagogorum* designabantur servi quidam honestiores, quibus pueri non educandi aut erudiendi sed custodiendi et refrenandi committebantur; eadem ratione Lex data non erat ad Iudaeos educandos et erudiendos sed ad eos custodiendos et refrenandos. Paedagogus pupillos suos ad magistrum ducebat, a quo educabantur et docebantur, atque ita Lex quoque Iudaeos ad Christum, verum magistrum, ducere debebat, ut ab eo edocti crederent et ita ex fide iustificarentur. « Paedagogus, inquit *Hier*., parvulis assignatur, ut lasciviens refrenetur aetas et prona in vitia corda teneantur, dum tenera studiis eruditur infantia et ad maiores philosophiae et regendae reipublicae disciplinas metu poenae coercita praeparatur. Non tamen paedagogus magister et pater est, nec haereditatem nec scientiam paedagogi is qui eruditur exspectat; sed alienum custodit filium paedagogus. Denique nomen paedagogi et ipsum sonat et est compositum ab eo, quod pueros agat i. e. ductet (παῖς *puer* et ἀγωγός *dux*). Itaque et mosaica Lex populo lascivienti ad instar paedagogi severioris apposita est » (cfr *Chrys*. *Theod*. etc., *Aug*. etc.).

Lex igitur, quamvis nec iustificet nec vivificet neque directe ad promissam haereditatem obtinendam iuvet, magnum tamen in salutis oeconomia tenebat locum. Peccata quippe manifestans et occasionaliter augens conscientiam subditorum suorum stimulabat eorumque superbiam humiliabat atque ita eos impellebat, ut ad Christum advenientem confugerent.

2.) *Adventu fidei Lex munere paedagogi privata est* (3,25-29).

3,25. *At ubi venit fides, iam non sumus sub paedagogo.* 26. *Omnes enim filii Dei estis per fidem, quae est in Christo Iesu.* 27. *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* 28. *Non est Iudaeus, neque Graecus : non est servus, neque liber : non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu.* 29. *Si autem vos Christi, ergo semen Abrahae estis, secundum promissionem haeredes.*

3,25. ἐλθούσης δὲ τῆς πίστεως οὐκέτι ὑπὸ παιδαγωγόν ἐσμεν. 26. πάντες γὰρ υἱοὶ Θεοῦ ἐστὲ διὰ τῆς πίστεως ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ· 27. ὅσοι γὰρ εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθητε, Χριστὸν ἐνεδύσασθε. 28. οὐκ ἔνι Ἰουδαῖος οὐδὲ Ἕλλην, οὐκ ἔνι δοῦλος οὐδὲ ἐλεύθερος, οὐκ ἔνι ἄρσεν ἢ θῆλυ· ἅπαντες γὰρ ὑμεῖς εἷς ἐστὲ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ· 29. εἰ δὲ ὑμεῖς Χριστοῦ, ἄρα τοῦ Ἀβραὰμ σπέρματός ἐστε, κατ' ἐπαγγελίαν κληρονόμοι[1].

Iudaeis data erat Lex, ut sub ea usque ad fidei adventum custodirentur et per eam velut per paedagogum ad Christum adducerentur; unde evidens est, Iudaeochristianos, quippe qui ad Christum adducti sint, ea non amplius indigere nec iam sub eius disciplina esse : 25. *at ubi venit fides, iam non sumus sub paedagogo.* Temporis definitio (*ubi venit fides*) ex *v.* 23. clara est. Sicut iuvenis, qui iam adultus est suique iuris, ridiculum se redderet, si paedagogo suo subiectus maneret eiusque severa disciplina se regi pateretur (cfr *Chrys.*), ita

1. *VV. LL.* — 26. διὰ τῆς πίστεως ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ (per fidem in Christo Iesu) est communis lectio, quam omnes quoque antiquiores melioresque *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat. Tol.* etc. cfr *Corss.*) exhibent et media aetate plerique interpretes (*Herv. Lomb. Thom.* etc.) habuerunt; solus *S. Cyr. Alex.* semel : διὰ τῆς πίστεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ (*per fidem quae est in Christo Iesu*), quam lectionem *Vulg. Clem.* cum *Hier.* et *Atro* exprimit; cfr *Comm.* — 28. ὑμεῖς εἷς ἐστέ (vos *unus* estis) B C D E K L P, omnes fere minus., plerique PP., *Syr.*; ex librariorum errore, ut videtur, ℵ A post ὑμεῖς omiserunt εἷς; sed F G cum *It. Vulg.* : ὑμεῖς ἕν ἐστε (*vos unum estis*). — 29. εἰ δὲ ὑμεῖς Χριστοῦ (*si autem vos Christi*) est communis lectio etiam Latinorum, pro qua D E F G : εἰ δὲ ὑμεῖς εἷς (vel πάντες ἕν) ἐστέ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ (si autem vos unus [vel : omnes unum] estis in Christo Iesu) cum *Aug. Atro* et nonnullis *Vulg.* codd. (*Fuld.* etc.). — τοῦ Ἀβραὰμ σπέρματός ἐστε (Abrahae *seminis* estis) B cum *Copt.*; cum reliquis lego : τοῦ Ἀβραὰμ σπέρμα ἐστέ (*semen Abrahae estis*). — κατ' ἐπαγγελίαν κληρονόμοι (*secundum promissionem haeredes*) coniunctione καί (*et*) non praemissa B ℵ A C D E, paucissimi minusc., *It. Vulg. Copt. Arm. Aeth.*; sed *textus rec.* : καὶ κατ' ἐπαγγελίαν κληρονόμοι *et* secundum promissionem haeredes) cum F G K L P, plerisque minusc., *Syr. Goth.*

Iudaeochristiani absurde agerent, si Legi se etiam nunc crederent subiectos, postquam per fidem ad Christum iam pervenerunt.

Id quidem ex praecedentibus manifestum erat; de eo autem dubitari potuit, annon ethnici quoque, si Lex paedagogus erat ad Christum, per eandem ad Christum adduci deberent; annon igitur sese ei submittere tenerentur, ut eadem via, qua Iudaei, ducerentur et hac ratione Iudaeochristianis plane assimilati iisdem, quibus illi, iuribus potirentur (cfr *Aug. Thom. Est. Wind.* etc.). Quam dubitationem ut praeoccupet, Apostolus Iudaeorum a Lege libertatem novo argumento confirmat, quod etiam Ethnicochristianos ei non subiici demonstrat. Illud autem ex Christianorum dignitate desumit, qui omnes sunt filii Dei (*v.* 26); ad quam dignitatem omnes eodem modo pervenerunt per baptismum Christo inserti (*v.* 27); iamvero cum eo intime uniti differentiis, quae antea aderant, non amplius distinguuntur, sed pari modo semen Abrahae sunt atque ius habent ad haereditatem promissam (28. 29).

Superioribus versibus (23-25) Paulus relationem Legis ad Iudaeochristianos exponens se ipsum prima persona plur. adhibita comprehenderat; nunc vero secundam adhibens Galatas, qui plerique gentiles conversi erant, directe alloquitur, quia novo suo argumento eos quoque sub Lege non esse demonstrat : 26. *omnes enim filii Dei estis per fidem, (quae est) in Christo Iesu.* « Ostendit, inquit *Theod.*, perfectionem eorum qui crediderunt; quid enim perfectius iis est, qui sunt filii Dei? » Fidem accipientes Iudaei ex statu infantium et parvulorum, qui nihil differunt a servis (cfr ad 4,1 sq.), exierunt et « legitimum aetatis tempus ineuntes veri filii Dei nominantur » (*Hier.*), quibus iam licet omnibus suis iuribus frui; aptissime igitur hac filiorum Dei dignitate, quam adepti sint, Apostolus Iudaeochristianos sub paedagogo non amplius esse confirmat. At eadem dignitas etiam Ethnicochristianis competit; ideo magna cum vi illud *omnes* in principio sententiae ponitur : quotquot credidistis, sive Iudaei fuistis sive gentiles, facti estis filii Dei nec proin amplius Legis disciplinae subiecti. Neque immerito *omnes* filii Dei esse asseruntur, quia omnes eadem via ad hanc dignitatem pervenerunt : *per fidem in Christo Iesu* (διὰ τῆς πίστεως ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ). Quomodo haec verba sint construenda, in controversia est. Simili enim modo, quo *Vulg. Clem.* cum *A*[tro] et *Hier.* (per fidem *quae est* in Christo Iesu, sc. reposita), etiam aliqui Graeci (*Chrys. Oec. Theoph.*) multique iuniores (*Iust. Est*[1]. *Lap. Nat.* etc.) ac nonnulli moderni (*Palm. — Mey Sieff.* etc.) verba ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ a genetivo τῆς πίστεως dependere volunt, ac si scriptum sit : διὰ τῆς πίστεως τῆς ἐν Χρ. Ἰησ. (cfr *VV. LL.*) aut διὰ τῆς

ἐν Χρ. Ἰησ. πίστεως (*Oec.*). Quoniam articulus ante eiusmodi appositionem a Paulo aliquoties praetermittitur atque pro consueta formula ἡ πίστις εἰς τὸν Κύριον interdum, licet rarissime, adhibetur altera : ἡ πίστις ἐν τῷ Κυρίῳ (cfr *Eph.* 1,15; *Col.* 1,4; 1 *Tim.* 1,13; 2 *Tim.* 3,15), huic constructioni ex parte grammaticae nihil opponi potest, nisi eam esse insolitam. At contextui non est adaptata, ideoque plerique moderni (*Wind. Bisp. Reithm. LR. Schaef.* etc. — *Ew. Lightf. Goeb.* etc.) cum antiquioribus Latinis (*Gl ord. Herv. Lomb. Thom.* etc., cfr *Est* [2].) alteram expressionem ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ (*in Christo Iesu*) non minus quam priorem διὰ τῆς πίστεως (*per fidem*) immediate cum verbo ἐστέ (*estis*) iure merito connectunt. *Per fidem*, utique caritate informatam (cfr 5,6), *omnes* facti sunt *filii Dei*, quatenus nimirum hac fide Christo inseruntur et tamquam viva membra corporis eius mystici *in Christo Iesu* esse inceperunt; bene iam *Herv.* : « filii Dei estis per fidem exsistentes in Christo Iesu, i. e. facta membra Christi »; nam, uti egregie monet *Thom.*, « nullus est filius Dei adoptivus, nisi uniatur et adhaereat Filio Dei naturali ».

Haec sola structura contextui consonat; assertum enim suum, omnes fideles esse filios Dei, probaturus Paulus, qua via ad hanc dignitatem pervenerint, verbis *in Christo* expositis docet; filii enim Dei fiunt, quando velut membra corpori mystico Christi inseruntur Christumque induentes intima, quae excogitari potest, unione cum eo coniunguntur : 27. *quicumque enim in Christo* (εἰς Χριστόν *in Christum*) *baptizati estis, Christum induistis.* Interrogat *Chrys.* : « cur non dixit : Quicumque in Christum baptizati estis, *ex Deo nati estis?* Hoc enim congruebat ad demonstrandum, quod essent filii Dei ». Respondet autem : « Rem eandem alio modo exprimit, qui animum sancto quodam horrore et stupore replet. Etenim si Christus est Filius Dei et tu eum induisti, tu iam, quum habeas Filium in te et in illius similitudinem transformatus sis, in eandem familiam (συγγένειαν) et eandem formam (ἰδέαν) perductus es ». Uti iustificationis, ita adoptionis nostrae fundamentum quidem et radix est fides; ipsa vero iustificatio et adoptio est effectus baptismi, quo gratia sanctificante et caritate infusa Spiritum Filii clamantem Abba Pater (4,4) credentes velut adoptionis sigillum in cordibus suis recipiunt. Haud sine ratione autem Apostolus dicit : qui *in Christum* baptizati estis; per baptismum enim fideles Christo consecrari ac devoveri ac sese in eius proprietatem tradere innuit. Qui vero per baptismum se totos Christo tradunt, illis vicissim Christus quoque se tradit; illos quippe in se transformat; et hoc est, quod Apostolus verbis *Christum induistis* significat.

Admodum ieiune et plane erronee iuniores quidam expressionem *induere Christum* nihil aliud hic significare volunt, nisi « conformem Christo fieri *imitatione* virtutum et bonorum operum, quae in Christo tamquam capite perfectissime fuerunt » (*Est.* etc). Procul quidem dubio etiam morum virtutumque imitatione baptizati Christum induere eique conformes se reddere debent (*Rom.* 13,14); at de hac Christi *imitatione* Paulus hic non loquitur, sed de conformitate cum Christo, quae ipsius baptismi virtute efficitur : « qui *baptizati estis*... Christum *induistis* ». Longe aliter hac de re loquuntur Patres : « In Christum baptizati, inquit *S. Cyr. Ieros.* (Cat. 21,1), et Christum induti *eiusdem formae* cum Filio Dei (σύμμορφοι τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ) facti estis. Qui enim praedestinavit nos Deus in adoptionem, conformes (συμμόρφους) effecit nos corpori glorioso Christi. *Participes* (μέτοχοι) igitur effecti Christi, alteri *Christi* iure merito appellamini ». Atque *S. Method.* (Conviv. Virg. VIII. 8) : « Ii qui illuminantur (i. e. baptizantur) lineamenta et effigiem atque virilem formam speciemque (τὴν ἀῤῥενωπίαν) Christi assumunt, quum Verbi forma secundum similitudinem illis imprimatur et per certam scientiam fidemque in illis progignatur, ita ut in unoquoque spiritaliter nascatur Christus... Etenim necesse est, in regeneratorum animis velut sigillum quoddam exprimi et efformari Verbum veritatis ». Quibuscum consentiens *S. Cyr. Alex.* (in Luc. 2,22) : « Sicuti circumcisus in Dei populum per illud signum olim coaptabatur, sic baptizatus Christo in se sigilli instar recepto inter filios Dei adscribitur ». Sed alia testimonia afferre superfluum est; tropi explicationem ex *Thom.* addidisse sufficit : « Qui induitur aliqua veste, inquit, protegitur et contegitur ab ea et apparet sub colore vestis, colore proprio occultato; eodem modo etiam qui induit Christum, protegitur et contegitur a Christo et in eo nihil aliud apparet, nisi quae sunt Christi ». Cavendum tamen est, ne in hac vestis metaphora de mera quadam apparentia vel externa imputatione cogitetur; per baptismum quippe homo regeneratur, siquidem vetere homine mortuo novus nascitur, qui secundum Deum creatus in iustitia et sanctitate (*Eph.* 4,24 cfr *Col.* 3,10) corpori mystico velut membrum insertus vita ipsius Christi vivit eiusque Spiritu informatus ei perfecte assimilatur[1].

Quia vero *omnes* baptizati Christum induunt in eumque transfor-

1. Interrogant aliqui, num Paulus hanc *induendi* metaphoram a mutatione vestium, quae in baptismo fieri solebat, an ab assumtione togae virilis desumserit. At primis illis temporibus baptizatos vestem albam iam induisse, id quod postea utique fieri solebat, demonstrari nequit; neque probabile est, Apostolum de toga virili cogitasse, qua iuvenes romani pueritiam egressi induebantur. Frequentissima enim iam in Vetere Test. est metaphora haec; « quum vestis, inquit *Knabenb.* (in Is. 11,5), sit hominis indumentum aeque atque ornamentum, dona illa et virtutes, quibus indutus quis se coram aliis maxime manifestat, haud raro vestibus comparantur » (*Is.* 59,17 etc.), atque similiter verbum *induendi* (לָבֵשׁ) et in bonam (iustitiam induere *Iob* 29,14, fortitudinem induere Ps. 29,1 etc.) et in malam partem (confusionem induere *Iob* 8,22, etc.) adhibetur. Neque minus frequens tropus est in Novo Test. (*Luc.* 24,49; 1 *Cor.* 15,53. 54 etc.), ubi nec de veste baptismali nec de toga virili cogitari potest.

mantur, ideo etiam omnes differentiae, quibus antea secundum veterem hominem distinguebantur, plane disparent : 28. *non est Iudaeus, neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina; omnes enim vos unum* (lege : *unus* cfr *VV. LL.* εἷς) *estis in Christo Iesu.* Quae in verba egregie *Chrys.* : « Videsne animam insatiabilem? Quum enim dixisset : *omnes facti sumus filii Dei per fidem*, gradum non sistit, sed aliquid amplius quaerit, quo clarius intimam nostram cum Christo unionem (ἕνωσιν) manifestet; quumque dixisset : *Christum induistis*, ne hoc quidem contentus est, sed ultra progreditur : *omnes unus estis in Christo*, i. e. eandem formam eundemque typum habetis cum Christo. Quid his verbis potest esse magis stupendum aut verendum? Qui prius erat ethnicus vel servus, nunc formam habet non angeli aut archangeli, sed Domini universorum, ipsum Christum in se exhibens ». Sed « quum quis semel, inquit *Hier.*, Christum indutus fuerit et missus in flammam S. Spiritus ardore canduerit, non intelligitur, aurum sit an argentum; quamdiu calor massam sic possidet, unus igneus color est; et omnis diversitas generis, conditionis et corporum aufertur istiusmodi indumento », ita ut iam « omnia et in omnibus sit Christus » (*Col.* 3,11).

Revera quum vetus noster homo in baptismo cum Christo cruci confixus et mortuus sit (cfr ad 2,19; *Rom.* 6,6), etiam formae, quae ad veterem hominem spectarunt, interierunt; et quia in baptismo cum Christo resurgente ad novam vitam novus homo resurgit, sola in eo illa iam adest forma, qua est membrum Christi (6,15; cfr ad 1 *Cor.* 12, 13; *Col.* 3,11 etc.). Ad proximum, quem Paulus hoc in loco prosequitur, finem suffecisset, si religiosas differentias, quae antea adfuerunt, disparuisse docuisset : *non est Iudaeus neque Graecus*, i. e. gentilis (cfr 2,3; 1 *Cor.* 1,22); nam hinc iam patebat, Christianos illos, qui ante baptismum ethnici fuerant, non magis quam Iudaeochristianos, Legi velut paedagogo esse subiectos, quia ipsi quoque in Christo iam circumcisi sunt circumcisione non manu facta sed circumcisione Christi (*Col.* 2,11). At sancto quodam ardore abreptus reliquas quoque formas, quibus homines in vita sociali (*non est servus neque liber*) et in ipsa vita naturali (*non est masculus neque femina*) distinguuntur, eorum insertione in Christum sublatas esse addit, quia omnes nunc sint *unus* (εἷς), una persona moralis seu unus novus homo (cfr *Eph.* 2,15), in sua cum Christo unione. Altera lectio : ἕν ἐστε (*unum estis*) eandem quidem ideam, sed multo minore cum vi exprimit.

Iam vero si omnes fideles per baptismum Christum duerunt eiusque corpori mystico inserti in eo et cum eo unam per onam constituunt, sua sponte patet eos ius habere ad haereditatem Abrahae

illiusque semini promissam, quia illud ipsum semen sunt : 29. *si autem vos Christi, ergo semen Abrahae estis, secundum promissionem haeredes.* Ita Paulus revertitur ad thesin, quam in huius sectionis principio statuerat quaeque nunc plene est demonstrata, eos nimirum, qui ex fide sunt, benedictum iri cum fideli Abraham (*v.* 8. 9.). Argumentum Pauli est clarum : vos estis membra Christi, utpote baptismate ei incorporati (*v.* 27. 28), atqui Christus est Abrahae semen, cui dictae sunt promissiones (*v.* 16); ergo vobis dictae sunt. « Hic ergo ostendit, inquit *Aug.*, unum semen Christum (*v.* 16.) non tantum ipsum mediatorem intelligendum esse, verum etiam Ecclesiam, cuius ille corporis caput est : ut omnes in Christo unum sint et capiant secundum promissionem haereditatem per fidem, in quam conclusus erat, i. e. in cuius adventum tamquam sub paedagogo custodiebatur populus usque ad aetatis opportunitatem, qua in libertatem vocandi erant, qui in eodem populo secundum propositum vocati sunt ». Atque clarius *Theod.* : « Si nos enim corpus Christi, et ipse est caput nostrum, Christus autem semen Abrahae est, nos ergo etiam secundum fidem coniuncti sumus Abrahae et promissionum benedictionem colligimus; fieri enim non potest, ut caput quidem censeatur esse semen Abrahae, corpus vero alterius sit semen ». Frustra igitur iudaizantes iactant originem abrahamiticam, « neque enim qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, (soli) aestimantur in semine » (*Rom.* 9,8).

3.) *Tempus Legis, utpote tempus infantiae vel servitutis, adventu Christi terminatum est* (4,1-7).

4,1. *Dico autem : Quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt a servo, quum sit dominus omnium : 2. sed sub tutoribus et actoribus est, usque ad praefinitum tempus a patre : 3. ita et nos, quum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. 4. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, 5. ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. 6. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem : Abba, Pater. 7. Itaque iam non est servus, sed filius. Quod si filius, et haeres per Deum.*	4,1. Λέγω δέ, ἐφ' ὅσον χρόνον ὁ κληρονόμος νήπιός ἐστιν, οὐδὲν διαφέρει δούλου, κύριος πάντων ὤν, 2. ἀλλὰ ὑπὸ ἐπιτρόπους ἐστὶν καὶ οἰκονόμους ἄχρι τῆς προθεσμίας τῆς τοῦ πατρός, 3. οὕτως καὶ ἡμεῖς, ὅτε ἦμεν νήπιοι, ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου ἦμεν δεδουλωμένοι· 4. ὅτε δὲ ἦλθεν τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν Υἱὸν αὐτοῦ, γενόμενον ἐκ γυναικός, γενόμενον ὑπὸ νόμον, 5. ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ, ἵνα τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν. 6. ὅτι δέ ἐστε υἱοί, ἐξαπέστειλεν τὸ πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ εἰς τὰς καρδίας ἡμῶν, κρᾶζον Ἀββᾶ ὁ πατήρ. 7. ὥστε οὐκέτι εἶ δοῦλος, ἀλλὰ υἱός· εἰ δὲ υἱός, καὶ κληρονόμος διὰ Θεοῦ [1].

1. *VV. LL.* — 4. γενόμενον ἐκ γυναικός (*factum ex muliere*) est communis lectio me-

Quia filii Dei sunt, ideo Christiani sui iuris quoque sunt neque amplius paedagogo Legi subiecti; Christo enim Filio Dei unigenito per baptismum velut membra inserti omnes, sive Iudaei sive ethnici antea fuerunt, eodem modo sunt filii Dei et semen Abrahae, ac proin idem ius ad haereditatem promissam habent. Haec erat in praecedente sectione (3,26-29) Pauli argumentatio, quae tamen explicatione quadam indigebat. Etenim Iudaei vi originis suae iam erant semen Abrahae, atque etiam iam ante Domini adventum adoptivi filii Dei erant (*Rom.* 9,4; cfr *Exod.* 4,20; *Deut.* 14,1. 2 etc.; *Is.* 1,2; 43,6 etc.); nihil igitur, quominus haereditate potirentur, eis defuisse neque nova illa, de qua Apostolus loquitur, adoptio eis necessaria fuisse videbatur. Quam difficultatem praevertens prioribus suis verbis explicationem addit, qua Iudaeos filios quidem fuisse concedit, sed parvulos filios fuisse monet, qui usque ad tempus a patre definitum eadem ratione, qua servi, tractantur neque ab eis differunt (1-3). Tempus autem illud, quo iuxta Patris voluntatem Iudaei sub Lege serviebant servis assimilati, finitum esse docet adventu Christi, qui ipse Legi se subiiciens eos ab illius iugo liberavit omnibusque veram illam adoptionem contulit, cuius signum et documentum est Spiritus, quem acceperunt (4-6). Itaque tempus servitutis seu infantiae finitum est atque per Deum plenum ius ad haereditatem nunc sunt consecuti (*v.* 7).

Paulus, quum Iudaeos sub paedagogo fuisse diceret, eos iam filiis parvulis assimilaverat, qui nondum essent sui iuris; ad eandem com-

liorum codd. graec., quam etiam plerique Latini sequuntur. Aliqui tamen minusc. legunt : γεννωμένον ἐκ γυναικός (*natum* ex muliere) cum *Theod.*, nonnullis bonis codd. *Vulg.* (*Fuld. Demid. Tol. Harl.*) et aliquibus PP. latinis; cfr *Comm.* — 6. ὅτι δέ ἐστε υἱοί (*quoniam autem estis filii*) sine addito iterum est communis lectio, quam etiam *Vulg. Clem.* sequitur (cum *Amiat.* etc.); sed genetivo Θεοῦ addito legunt : ὅτι δέ ἐστε υἱοί Θεοῦ (quoniam autem estis filii *Dei*) D E F G cum *It.* (*Tert.* c. Marc. V. 4. *S. Hil. Vict. Aler, Hier.*) *Vulg. Sixt.* (cum *Fuld. Demid. Tol.* etc.) *Goth.* — ἐξαπέστειλεν (*misit*) subiecto non expresso solus B; reliqui subiectum ὁ Θεός (*Deus*) recte addunt. — εἰς τὰς καρδίας ἡμῶν (in corda *nostra*) B ℵ A C D F G P, pauci minusc., *It.* (*Tert. S. Hil. Aler, Hier.*), *Vulg.* (codd. *Fuld. Amiat.* etc. cfr *Corss.*) *Arm.*; sed ex correctione quadam, ut videtur, minus apte *textus rec.* : εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν (*in corda vestra*) cum E K L, plerisque minusc., *It.* (*Vict. Aug.*) *Vulg. Clem.* (cum *Demid. Tolet.* etc.) *Syr. Goth. Aeth.* —.7. οὐκέτι εἶ δοῦλος (iam non *es* servus) est communis lectio, quam cum antiquioribus Latinis (*Vict. Hier.* etc.) etiam boni *Vulg.* codd. (*Amiat.* etc. cfr *Corss.*) retinent; lectionem *Vulg. Clem.* (iam non *est* servus) nullus cod. graecus, sed multi latini tuentur. — κληρονόμος διὰ Θεοῦ (*haeres per Deum*) B ℵ A C (F G : διὰ Θεόν), paucissimi minusc., *It.* (*Vict. Aug. Aler, S. Ambr.* etc.), *Vulg. Copt.*; sed *textus rec.* : κληρονόμος Θεοῦ διὰ Χριστοῦ (haeres *Dei per Christum*) cum D E K L P, plerisque minusc., *Syr. Aeth. Goth.*; *S. Hier.* legit : haeres *per Christum*; alii ex *Rom.* 8,17 : κληρονόμος μὲν Θεοῦ, συγκληρονόμος δὲ Χριστοῦ (haeres quidem Dei, cohaeres autem Christi) etc.

paratiouem nunc revertitur, sed novo modo eam explanat, ut eos, quamvis promissiones patribus factae proxime ad eos spectarent (cfr *Rom.* 15,8), eodem tamen modo quo ethnicos, in plenum haereditatis ius non nisi adventu Domini intrasse ostendat. 1. *Dico autem : Quanto tempore haeres parvulus* (νήπιος i. q. infans, νή et ἔπος) *est, nihil differt a servo, quum sit dominus omnium,* 2. *sed sub tutoribus* (ἐπιτρόπους *Vict. A*ter : curatoribus, *Aug.* : procuratoribus) *et actoribus est usque ad praefinitum tempus a patre.* Formula *dico autem* (λέγω δέ cfr 3,15; 5,16; 1 *Cor.* 1,12 etc.) de novo argumento non agi neque novam epistolae partem inchoari (id quod censent *Thom.* etc., *Bisp* etc.) satis iam insinuat, quia ad explicationem tantum addendam a Paulo adhibetur; quare vix non omnes hanc pericopen praecedenti argumentationi velut illustrationem et complementum recte adiungunt. Iudaeos enim, ne sese iam ante Domini adventum et sine illius auxilio haereditatem adire potuisse putent, in adeptione promissionum, quae illis utique speciatim dictae erant, a gentibus non differre similitudine quadam edocet. Parvulo nimirum filio familias eos comparat, qui quamvis ad futuram patris sui haereditatem ius habeat ac proin, nondum actu quidem sed iure, bonorum patris dominus sit, tamen in patris sui manu ac potestate ita sit, ut procuratoribus oeconomisque bonorum ab eo constitutis eodem modo, quo servi, obedire teneatur neque a servis, si actuale dominium liberque usus bonorum spectatur, ullo modo differat.

Dubitatur, utrum Paulus de puero haerede, cuius pater iam sit mortuus, an de parvulo filio, cuius pater sit superstes, loquatur. Priorem sententiam cum Patribus (*Chrys.* etc., *Hier.* etc.) et multis antiquioribus (*Haym. Thom. Dion.* etc.) plerique iuniores (*Cai. Iust. Est. Lap.* etc.) modernique (*Wind. Bisp. M Er. LR. Schaef.* etc. — *Rück. Ph. Lightf. Z.* etc.) tenent; alteram tamen cum nonnullis antiquioribus (*Herv. Lomb. Lyr.*) modernisque (*Gagn. Reithm. Palm.* — *Mey. Sieff.* etc.) praeferimus. Priori quidem videtur favere, quod puer *haeres* et *dominus omnium* nominetur; at eadem nomina ei, uti iam innuimus, attribui possunt, etsi nondum actu sed iure tantum haeres et dominus possessionum est (cfr *Matth.* 21,38 : « hic est *haeres* »; *Luc.* 16,31 : « omnia mea tua sunt ») [1]; ac revera iuxta Pauli sententiam agi-

1. Nonnulli priorem sententiam ex nomine ἐπίτροπος confirmare volunt, quo solum *tutorem pupillorum* designari aiunt (*Wind. Bisp.* etc.); sed vehementer errant, quoniam apud profanos et sacros scriptores latius patet vocabuli usus. Vi etymologiae suae (ἐπίτροπος ab ἐπιτρέπειν committere) omnes eos significat, quibus cura alicuius rei vel personae commissa est. Quare tutorem, cui pater moriens orphanum filium protegendum et educandum committit, procul dubio designare *potest* (cfr 2 *Mach.* 11,1; 13,2; 14,2. *Vulg.* : procurator), sed significat etiam rei domesticae administratorem, atque hanc significationem in duobus aliis Novi Test. locis, in quibus praeter nostrum solis reperitur, postulat (*Matth.* 20,8; *Luc.* 8,3. *Vulg.* : procurator). Porro a profanis etiam ad designandum paedagogum adhibetur, cui pater superstes filium parvulum regendum tradit (*Aelian.* Var. Hist. III 26 etc.), atque hanc

tur de haereditate, quae nondum erat aperta, quia mors testatoris nondum intercesserat. Porro cum priore explicatione conciliari nequit, quod puer sub procuratoribus esse dicitur usque ad tempus praefinitum *a patre* (ἄχρι τῆς προθεσμίας τῆς τοῦ πατρός); legibus enim definitum est, quo tempore haeredes pupilli a tutela liberati bonis relictis pleno cum iure frui possunt, neque patris est, illud tempus pro arbitrio definire. At quamdiu superstes est, pater, praesertim si ius romanum et ius galaticum spectantur, definire potest quando filium suum emancipare et a suorum procuratorum et oeconomorum auctoritate liberare velit. Iamvero attendatur oportet, in hac libera temporis definitione praecipuam vim comparationis sitam esse : sicut patri pro arbitrio tempus definire licet, quo filii sui a procuratoribus eodem modo, quo servus quidam, dependeant nec a servo distinguantur, ita Deus certum statuerat pro sua sapientia tempus, quo Iudaei gentibus assimilati sub elementis servire debebant, ita ut haereditatem promissam antea adire non possent. Haud recte autem iuniores modernique interpretes hanc difficultatem effugere conantur aut Pauli verba quasi corrigentes (« donec tempus testamento praefinitum a patre *aut alioquin legibus decretum* advenerit » *Est.* cfr *Nat. Pic. M Ev.* etc.), aut Paulum ad iuridicas rationes non attendisse sed similitudinem suo argumento accommodasse ac proin confinxisse asserentes (*Wind. Bisp.* etc.). Meliorem viam ingrediuntur, qui ad ius galaticum provocant, quod parentibus maiorem, quam romanum, auctoritatem in filios attribuisse dicitur (cfr *Caes.* de bello gall. VI. 19; *Gaii* Instit. 55. 65. 189); at ex isto iure patribus tempus tutelae pro arbitrio definire licuisse, probari testimoniis superstitibus nequit.

Iam alterum comparationis membrum affert : 3. *ita et nos, quum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes.* Omnia priori membro respondent : haeres parvulus, *nos parvuli;* non differt a servo, *eramus servientes;* sub procuratoribus et actoribus, *sub elementis mundi.* Sola temporis definitio deest (usque ad praefinitum tempus a patre), sed haec, quia in ea cardo rei vertitur, sequente sententia suppletur (*ubi venit plenitudo temporis* sc. a Deo praedefiniti). Duabus difficultatibus hoc membrum laborat, quum inde a Patrum aetate in controversia sit positum, quos Paulus pronomine ἡμεῖς (*nos*) secum comprehendat, et quid nomine τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου (*elementa mundi*) intelligat. Ad priorem quaestionem quod attinet, *Aug.* quidem solos ethnicos conversos comprehendi putat, « quoniam et eorum personas (Apostolus) decenter sibi potest annectere, quibus ad evangelizandum missus est »; sed neminem invenisse, qui secum consentiret, videtur. Cum *Hier.* autem et *Vict.* etiam iuniores ac moderni

significationem aliqui nostro in loco nomini attribuunt. Sed haud recte; nam quoniam nostro in loco pluralis adhibetur, etsi de *uno* filio agitur, plures autem tutores vel paedagogi eidem puero dari non solebant, neutra significatio apta est. Designantur potius rei domesticae administratores a patre constituti, a quibus filius parvulus in usu rerum, ad quas ius habet, plane dependet. Similis est significatio nominis οἰκονόμου (*Vulg.* : actor, sed alibi plerumque : dispensator), atque ἐπίτροποι et οἰκόνομοι eatenus tantum distinguuntur, quatenus priores superiorem locum tenent; parvulus a procuratoribus eorumque officialibus dependet.

quidam (cfr *Iust. Bisp. Schaef.* etc. — *Mey Sieff. Lightf. Schm. Z.* etc.) omnes Christianos, sive Iudaei sive ethnici ante baptismum fuerunt, designatos vident; communior tamen et verior sententia solos Iudaeos conversos, exclusis Ethnicochristianis, a Paulo sibi eadem ratione, qua supra (3,13. 23-25), adiungi tenet (cfr *Chrys. Theod.* etc., *A*[ter], *Prim.* etc., *Herv. Thom. Lyr.* etc., *Cai. Salm. Est. Lap.* etc., *Wind. Reithm. LR. Palm.* etc. — de *W. Ead. Ph.* etc.). Hanc enim explicationem contextus postulat, quem iam exposuimus, eandemque comparationis ipsius ratio confirmat. Nam *haeredi* parvulo, qui *dominus omnium* sit, sive cum nonnullis orphanum cuius pater sit mortuus, sive nobiscum filium familias in manu ac potestate patris superstitis degentem intelligas, nulla ratione comparari possunt gentiles, qui ante baptismum nullum, ne remotum quidem, ius ad haereditatem habuerunt atque solo baptismo haeredes facti sunt. Optime vero similitudo Iudaeis conversis congruit, qui iam ante conversionem, quum essent naturale semen Abraham et in patribus suis promissiones accepissent, propter fidelitatem Dei ius quoddam ad haereditatem possidebant (cfr *Rom.* 15,8). Quodsi autem Iudaeochristiani soli hic intelligantur oportet, consequens est, ut nomine *elementorum mundi* lex caeremonialis designetur, cui quasi procuratoribus et actoribus Iudaei servire tenebantur; neque ulla ratione in isto nomine explicando de *cultu* rebus naturalibus (soli, stellis etc.) ab ethnicis exhibito cogitare licet, quamvis haec sit sententia S. Augustini et illi quoque, qui secundam explicationem sequuntur, cultum istum cum lege caeremoniali Iudaeorum coniungere velint.

Qua vero ratione *elementa mundi* legem caeremonialem mosaicam significare possint, interpretes non consentiunt. Vocabulum στοιχεῖον proprie significat *elementum* vel *principium* atque adhibetur de *literis*, quibus velut elementis vocabulum loquentis componitur, de *materialibus causis* mundi, quibus res visibiles componuntur (cfr *Sap.* 7,18; 19,17; 2 *Petr.*3,10. 12), de *sideribus coelestibus*, quae quasi coeli partes praecipuae sunt (cfr *S. Iust. M.* c. Tryph. 23; *S. Theoph. Ant.* ad Aut. I. 4), de alicuius doctrinae initiis ac *rudimentis* (cfr *Hebr.* 5,12). Iamvero multi, praeeuntibus *Hier.* inter Latinos et *Genn.* (cfr *Oec.*) inter Graecos, hoc in loco nomini ultimam hanc significationem attribuunt. « Lex vetus, inquit *Thom.*, dicitur elementum, quia sicut pueris, qui sunt instituendi ad scientiam, primum proponuntur elementa illius scientiae, per quae manuducuntur ad illam, ita Lex vetus proposita est Iudaeis, per quam manuducerentur ad fidem et iustitiam » (cfr *Iust. Est. Pic.* etc., *Wind. Bisp. LR. Dr. Schaef.* etc. — *Mey Sieff. Lightf. Ph.* etc.). Contra quam explicationem iure obiicitur, non intelligi, nec quomodo Lex vocari possit « rudimenta *mundi* », nec quomodo pueri *sub rudimentis servire* dicantur. Melior est Graecorum explicatio, qui elementa mundi de sole lunaque, quibus sacra Iudaeorum tempora definiebantur, intelligunt (« Elementa mundi, inquit *Theod.*, legales observationes appellavit, quoniam a sole et luna nox et dies perficitur, a diebus autem hebdoma-

des menses et anni conficiuntur; Lex vero sabbatha et novilunia et festa annua et annorum hebdomades observari iussit » cfr *Chrys. Theoph. Oec.*). Arctior tamen est, atque rectius dicemus, Paulum nomine *elementorum mundi* omnes res externas comprehendisse, a quibus Iudaei in suis ritibus dependebant, quibus igitur quodam modo serviebant. Procul dubio etiam sidera coelestia intelligantur oportet, quibus « dies et menses et tempora et anni » reguntur (cfr *v.* 10); at si *Col.* 2,8-20 conferimus, elementa mundi, a quibus cum Christo mortui esse dicimur, etiam reliquae res visibiles, ad quas Iudaei attendere debebant (circumcisionem, distinctionem ciborum etc.), comprehenduntur; quae omnes merito dicuntur « elementa infirma et egena » (*v.* 9), quia per se ad gratiam dandam nihil conferunt (cfr *Cai. Reithm. Palm.* etc.).

Sicut igitur puer parvulus, quamvis iure iam sit haeres et dominus bonorum paternorum, tamen a procuratoribus et dispensatoribus domus paternae dependet servis assimilatus usque ad illud tempus, quo pater eum emancipare libertateque donare decrevit, ita Iudaei quoque, licet ius ad haereditatem Abrahae seminique eius promissam haberent, eam adire non poterant ante tempus a Patre coelesti praedefinitum, sed gentilibus assimilati sub iugo legis caeremonialis servire erant coacti. 4. *At ubi venit plenitudo temporis, misit* (ἐξαπέστειλεν) *Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Aeterno suo consilio Deus certum praedefinierat tempus, quo Lex, propter transgressiones posita et tamquam paedagogus filiis Israel data, finem suum attingeret infirmitatem hominum manifestans redemtorisque desiderium excitans augensque. Quod tempus velut mensura cogitatur, quae decurrentibus annis impleri debuit, et *plenitudo temporis* definiti (τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου vel τῶν καιρῶν *Eph.* 1,10) advenit, quando spatium illud praeparationi assignatum terminabatur. Ad Dei scopum finemque attendens bene *Vict.* (cfr etiam *Mopsu. Theoph.* etc.) : « quemadmodum Christus, ut plenitudo tota et perfecta sit, colligit membra, quae dispersa sunt, et efficitur plenitudo (*Eph.* 1,22), ita eodem modo et temporum plenitudo tunc effecta est, quum maturatis ad fidem omnibus et peccatis usque ad summa surgentibus medicina necessaria ad rerum omnium mortem (avertendam) quaerebatur ». Quae vero antiquiores aliqui in hac phrasi praeterea inveniunt de plenitudine gratiarum per Christum allatarum aut de impletione figurarum veteris Legis vel promissionum (cfr *Thom.* etc.), ea nec verbis indicantur nec contextu. Ultimum enim dumtaxat comparationis suae membrum (*usque ad praefinitum tempus a patre*) applicans Apostolus suis verbis idem tempus designat, quod alibi *consummationem saeculorum, fines saeculorum* etc. appellat (cfr ad 1 *Cor.* 10,11).

Adveniente igitur tempore praefinito populus Israel ex Legis servitute in libertatem vindicari totumque Abrahae semen haereditatis

promissae particeps fieri debuit. Quem in finem *Deus* Pater, ut promissiones, quas ipse dederat, ipse impleret, *misit Filium suum* unigenitum (*Ioan*. 3,16.). Significantius et pulchrius, quam latinum verbum simplex *misit*, est decompositum graecum ἐξαπέστειλεν, quod etiam statim (*v*. 6) de Spiritus S. missione ponitur. Quamquam enim a Luca aliisque de quacumque missione usurpatur, Paulus tamen, qui illo in duabus tantum sententiis utitur, ad duas praepositiones (ἐξ et ἀπό) attendisse videtur, ut quodammodo una cum duarum personarum missione in tempore etiam aeternam earum a patre processionem insinuaret: *ex* sese procedentem Filium (*Ioan*. 8,42) Pater *a* coelo in mundum misit (καταβέβηκα ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ *Ioan*. 6,38), quando nimirum Verbum, quod in principio apud Deum, in sinu Patris, erat, caro factum est (*Ioan*. 1,14) : *factum ex muliere* (γενόμενον ἐκ γυναικός[1] cfr *Rom*. 1,3 γενόμενος ἐκ σπέρματος Δαυεὶδ κατὰ σάρκα). Quibus verbis errores Valentini aliorumque, qui Christum corpus e coelo attulisse dixerunt, et Docetarum, qui ei phantasticum dumtaxat corpus attribuerunt, non minus quam haeresin Nestorii, qui B. Virginem Deiparam esse negavit, Patres iam refutarunt (contra priores cfr *Tert*. de carne Christi 20; *S. Basil*. de Spir. S. 5,12; *Hier*. etc.; contra alterum *S. Cyr. Alex*. adv. nolentes confiteri quod B. Virgo sit Deipara 26; *Theod*. c. Nestor. *M*. 83,1160 etc.). Contra Ebionitas quoque aliosque perpetuae virginitatis S. Dei Genitricis detractores Patres monuerunt, Paulum nomine *mulieris* eodem modo esse usum, quo etiam Evangelistae illo utuntur; « neque enim necesse erat, inquit *Hier*., semper quasi caute et timide virginem dicere, quum *mulier* sexum magis quam copulam viri significet, et secundum intelligentiam graecitatis tam *uxor* quam *mulier* valeat interpretari » (cfr *Tert*. de vel. virg. 6, *Vict. Aug*. etc.).

1. Graecam nonnullorum codd. lectionem γεννώμενον esse erroneam fuse iam demonstravit *Phot*. (Amphiloch. qu. 228. *M*. 101,1024), quia Christus *natus sit* (γεγέννηται) quidem ex Virgine, non autem amplius ex ea *nascatur* (γεννᾶται), id quod participium praes. γεννώμενος exprimit; Paulus, si verbo γεννᾶν uti voluisset, partic. perf. γεγεννημένον aut aor. γεννηθέντα usus esset. — Contra latinam lectionem *natum ex muliere*, quam aliqui Patres latini interdum sequuntur et boni *Vulg*. codd. exhibent (cfr *VV. LL*.), *Ven. Beda* (in Luc. 11,27. *M*. 92,480) obiicit, audiendos non esse, qui istam lectionem teneant, « quia Christus conceptus ex utero virginali carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne; alioquin nec vere filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine ». Procul quidem dubio lectio *factum ex muliere* ob testium criticorum auctoritatem omnino est retinenda; sed altera lectio sensu non differt, dummodo genuina significatio verbo *nasci* relinquatur. Ad summum cum *Tert*. (de carne Christi 20) dici potest : « hoc quidem impressius, quod *factum* potius dicit quam *natum*; simplicius enim enuntiasset *natum*; *factum* autem dicendo et *Verbum caro factum est* consignavit et carnis veritatem ex Virgine factae asseveravit ». Alii Patres praepositionem ἐκ (*ex*) magis urgere solent contra haereticos, quam participium γενόμενος (*factus*); cfr *S. Basil*. de Spir. S. 5,12 aliosque apud *Petav*. De incarn. V. 16,4 sqq.

Proxime quidem Paulus hoc nomine usus est, quia id maxime docere voluit, Filium Dei vere factum esse filium hominis atque vera humana natura assumta in genus humanum intrasse (cfr *Iob* 14,1; *Math.* 11,11); tam caute autem locutus est, ut virgineam Domini conceptionem (quam neophytos in sua catechesi docuit, uti ex Lucae Evangelio constat cfr *Luc.* 1,26 sqq.), non tantum non excluderet, sed insinuaret; recte enim multi cum *Pelag.*: « in eo quod dicit *ex muliere,* monstrat non more solito ex conventu viri et feminae, sed per Spiritum S. ex matre tantum Christum incarnationem hominis suscepisse »; uti enim aliis in Scripturae locis, in quibus de humana Christi origine agitur, hic quoque sola mater nominatur, patris humani autem idea studiose arcetur (cfr *Knabenb.* Comm. in Is. I. p. 175).

Sicuti autem ex muliere, ita sub Lege Deus Filium suum nasci voluit : *factum sub lege,* ut non tantum verus esset homo, sed etiam ab ipso suo in mundum ingressu Legi subiectus. Id quoque in sua catechesi Paulum diligenter exposuisse, iterum ex discipuli eius Evangelio discimus, in quo solo refertur, quam accurate Christus statim a sua nativitate Legem impleverit, circumcisus die octavo, die quadragesimo in templo praesentatus, inde a duodecimo aetatis anno quotannis ad festum paschatis Ierosolyma ascendens (*Luc.* 2,21 sqq.). Ex nostro porro loco apparet, cur Paulus Christi incarnationem et subiectionem sub Lege neophytos tanta cum cura docuerit; fundamenta enim sunt doctrinae illius, quam Evangelium suum vocare solet, de abolitione Legis per Christi mortem et de universalitate salutis per Christum allatae.

Hoc scilicet nunc insinuat duplice exposito fine, quem Deus in illa, quam descripsit, missione Filii sui attingere voluit : 5. *ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Eadem ratione, qua supra (3,14), duae sententiae, quae ab eadem particula finali (ἵνα *ut*) inchoantur, inter se sunt parallelae, atque simili quoque modo subiecta differunt, quum in priore de iis solis, qui sub Lege sunt, in altera de omnibus hominibus, sive Iudaeis sive gentibus, agatur. Ad duo vero membra quae praecedunt (*factum ex muliere, factum sub lege*) chiastice referuntur, ut prior ultimo, altera primo membro respondeat. Etenim Deus misit Filium suum *factum sub Lege, ut* ipse eam implens eiusque maledictionem in se suscipiens *eos qui sub Lege erant* ab eius quum maledictione (cfr 3,13) tum servitute (*v.* 3) pretio soluto *redimeret*[1]; misit vero

1. Verbum ἐξαγοράζειν proprie significat « *ex* alicuius potestate pretio soluto eximere », atque eadem significatio verbo *redimendi* competit. Immerito urget *Hier.* vim latinae praepos. insepar. *re*, ut hic « *redemti* dicantur, qui primum de Dei parte fuerint et postea esse

Filium suum *factum ex muliere*, ut per ipsum omnes, qui ad genus humanum, in quod per incarnationem intravit, pertinemus, *adoptionem filiorum reciperemus* (cfr 3,14). Neque sine ratione Paulus figuram chiasmi adhibuit; accurate nimirum iustum, ut ita dicam, ordinem chronologicum in utraque sententia retinere voluit. Quemadmodum enim incarnatio (*factus ex muliere*) subiectionem Christi sub Lege (*factus sub Lege*) praecessit, ita Iudaei prius a servitute Legis erant solvendi, ut omnibus liber aditus ad promissiones pateret; neque enim nisi remoto pariete, quo a Iudaeis separabantur, gentes una cum illis, qui proxime promissiones acceperant, earum participes fieri potuerunt (cfr ad 3,14; *Eph.* 2,14 sqq.). Liberatio ergo Iudaeorum a servitute Legis erat intermedius et secundarius tantum finis missionis Christi, ultimus vero et supremus finis incarnationis erat *adoptio filiorum*.

Quo nomine υἱοθεσίας Apostolus omnia bona Abrahae seminique eius promissa intelligit, quia adoptio, utpote omnium beneficiorum divinorum summum ac perfectissimum, reliqua omnia quasi complectitur, alia quodammodo velut conditiones necessarias supponens, alia velut consequentias naturales post se trahens. Nam « non possumus fieri filii adoptivi, nisi conformamur filio naturali Dei » (*Thom.* cfr *Rom.* 8,29); sed filio naturali conformamur, si baptismo abluti et sanctificati Christum induimus (3,27), conformati autem insertique Christo efficimur secundum promissionem haeredes (3,29). Hinc Patres quoque, si de fructibus incarnationis loquuntur, ad nostrum locum alludentes frequenter adoptionem pro completo incarnationis fine relate ad nos ponunt[1]. Adoptionem porro promissionibus contineri *Chrys.* aliique Graeci ex verbo adhibito ἀπολάβωμεν (*reciperemus*) colligunt : « ἀπολάβωμεν dixit, inquit *Theoph.* (cfr *Euseb. Em., Oec.* etc.), indicans quod iam antea ex promissione ad nos pertinuerit, etiamsi nobis ob infantiam mentis non fuerit data ». Ac revera verbum ἀπολαμβάνειν haud raro significat « illud accipere, quod velut merces vel ex promissione debetur », sicut ἀποδιδόναι significat « debitam mercedem vel promissionem exsolvere » (*Luc.* 23,41; *Rom.* 1,27 etc.). Ad latinum autem verbum attendens *Aug.* monet : « non dixit *accipiamus* sed *recipiamus*, ut significaret hoc nos amisisse in Adamo »; haec quoque

cessaverint ». Contextus enim huic explicationi non favet, quoniam de solis Iudaeis ex servitute Legis redimendis agitur. Eo sensu, quo vult *Hier.*, omnes homines sunt *redemti*, quia omnes in Adamo « de Dei parte » fuerunt.

1. *S. Iren.* c. haer. III. 16,3 nostrum locum explicans : « Filius Dei hominis filius factus est, ut per eum adoptionem percipiamus, portante homine et capiente et complectente Filium Dei »; cfr III. 19,1; V. Praef. etc. Alia testimonia multa affert *Petav.* De incarnat. I. 8,2 sqq.

significatio graeco verbo competit (*Luc.* 6,34; 15,27 etc.), sed Graecorum explicatio videtur praeferenda, quia contextui conformior est et quia per incarnationem gratiam dignitatemque altiorem illa accepimus, quam in Adamo amisimus[1].

Galatas porro vere factos esse filios Dei confirmaturus Apostolus eis in memoriam revocat missionem S. Spiritus, qui velut adoptionis sigillum eis sit datus : 6. *quoniam* (ὅτι) *autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra* (lege : *nostra* cfr *VV. LL.*) *clamantem : Abba, Pater.* Cum Graecis omnibus (*Chrys. Mopsu. Theod.* etc.) etiam multi Latini (*A^ter*, *Thom.* etc., *Iust. Est.* etc.) et moderni aliqui (*M Ev. Palm.* etc. — *Rück. Ph.* etc.) particulam ὅτι (quoniam) causalem esse, qua ratio cur Deus miserit Spiritum afferatur, negantes breviloquentiam vel ellipsin quandam admittunt atque novum quasi argumentum afferri volunt, quo adoptio demonstretur : ὅτι δέ ἐστε υἱοί (δῆλον, ὅτι) ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα κτλ (« vos esse filios, *manifestum est quia* Deus Spiritum in corda nostra misit » cfr 3,11). Sensus quidem est aptus, sed durissima est constructio neque simile ellipseos vel breviloquentiae exemplum in Scripturis invenitur[2]. Quare cum *Vulg.* et plerisque modernis causalem coniunctionis ὅτι (*quoniam*) significationem rectius retinemus, quia sententiae sensus altera constructione admissa haud multum mutatur. Missionem enim Spiritus Paulus velut intime cum adoptione connexam considerat, ita ut ii, qui filii adoptantur, *omnes* ac *soli* Spiritum in cordibus suis statim recipiant, missio igitur Spiritus sit divinum sigillum factae adoptionis et arrha futurae haereditatis (cfr *Eph.* 1,13. 14) ,ac revera Spiritus in cordibus nostris clamans Abba Pater « testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei » (*Rom.* 8,16). Hunc in sensum *Lap.* « quia estis filii, ideo Deus misit Spiritum suum, non qui vos filios faciat, sed qui vos filios iam factos doceat clamare Abba Pater » (sim. *Wind. Bisp. Reithm. L R. Schaef.* etc. — *Mey Sieff.* etc.).

Ad singula quod attinet, praeprimis ad mutationem personarum attendatur oportet. A tertia plur. enim, qua Iudaeos sub Lege constitutos designaverat, et a prima plur., qua omnes fideles adoptionem consecutos comprehenderat (*v.* 5), Apostolus nunc ad secundam plur. (*ἐστέ estis*) transit, ut Galatas directe alloquens ad eorum experientiam quasi provocet; etenim sese Spiritum accepisse sciverunt (3,2. 5); iam vero eos ideo eum acce-

1. Cfr *S. Cyr. Alex.* de recta fide 30 (*Scheeben* Mysterien des Christenthums p. 366 sqq.).

2. Facilior quidem sed haud aptior est constructio, si cum nonnullis modernis dixeris, particulam ὅτι positam esse pro εἰς ἐκεῖνο ὅτι (quod attinet ad id, *quod;* cfr ad 2 *Cor.* 1,18; *Ioan.* 2,18) atque prioris membri vim verbo ἐστέ inesse, ita ut veritas adoptionis probetur : « Quod autem ad veram vestram adoptionem attinet, Deus misit Spiritum » etc.

pisse, *quia* essent filii Dei, Paulus nunc addit, ut concludant, sese sine Lege eandem consecutos esse dignitatem, quam iudaizantes praemium observatae Legis esse dictitant, Iudaeochristiani ipsi autem non nisi post Legis abrogationem obtinuerant (4. 5). Neque tamen secundam personam plur. retinet, sed ad primam revertitur (εἰς τὰς καρδίας ἡμῶν in corda *nostra*), quia a tanto beneficio nec se nec suos contribules excludere vult[1]; omnibus enim filiis adoptivis, sive Iudaeis sive ethnicis conversis, datur Spiritus. Deinde aliqui theologi attendere nos iubent, eodem modo dici : *Deus misit* (ἐξαπέστειλεν) *Spiritum Filii sui in corda nostra*, quo dictum est : *Deus misit* (ἐξαπέστειλεν) *Filium suum factum ex muliere;* de *persona* igitur Spiritus S. agi, sicut de *persona* Filii; simili ergo modo, quo persona Filii ex muliere carnem assumserit, ita personam Spiritus habitare in cordibus filiorum adoptivorum, Spirituique inhabitationem « secundum hypostasin, non secundum essentiam dumtaxat, convenire » concludunt (*Petav.* de Trin. VIII. 6,6; cfr ad 1 *Cor*. 6,19). Spiritus porro hic et a Filio, cuius esse, et a Patre, a quo mitti dicitur, diserte distinguitur simulque ab utroque procedere insinuatur; Filii enim esse non recte diceretur, nisi ab eo haberet, quidquid habet, et a Patre mitti non posset, nisi a Patre procederet[2]; Filii autem ipsius a Patre processionem nomen solum satis clare iam insinuat, ita ut paucis his verbis *Deus misit Spiritum Filii sui* doctrina catholica de secundae ac tertiae personarum SS. Trinitatis processione comprobetur.

Praeterea attendatur oportet, Spiritum in corda nostra mitti, ut nos de adoptione nostra certiores faciat, quum nos incitet et impellat, ut eodem nomine, quo Filius olim in hac terra degens usus est (*Marc*. 14,36), Deum invocemus clamantes *Abba Pater*. Spiritui autem hic noster clamor tribuitur, quia ab ipso tamquam principio suo procedit (cfr *Rom*. 8,26), et quia « per ipsum fiduciam accipimus Deum appellandi patrem nostrum; emisit enim Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem Abba Pater, ut illius vox fiat eorum, qui ipsum receperunt, propria » (*S. Basil*. De Spir. S. 24,57). Interrogantibus demum, cur Apostolus nomen *patris* geminaverit hebraicae vel potius aramaicae appellationi (אַבָּא *Abba*) graecam (ὁ πατήρ) addens, *Aug*. respondet « non frustra duarum linguarum verba eum posuisse idem significantia propter universum populum, qui de Iudaeis et de gentibus in unitatem fidei vocatus sit; ut hebraeum verbum ad Iudaeos, grae-

1. Ex hac lectione, quam etiam *Thom*. sequitur, apparet haud recte ab eo et *Aug*. ex nostro versu et ex praecedente colligi, « quidquid pertinet ad statum Iudaeorum, Christo attribui », « conversionem autem gentilium specialiter attribui Spiritui S. ». In utroque enim versu a tertia vel secunda persona ad primam Apostolus transit, ut in adoptione gentiles a Iudaeis nullo modo differre insinuet. Ceterum de eodem adoptionis argumento Paulus Romanis loquens simili ratione a secunda persona ad primam transit : « *accepistis* Spiritum adoptionis filiorum, in quo clam*amus* : Abba Pater » (*Rom*. 8,15; similis est constructio 7,4).

2. Cfr *Thom*. : « Nec refert, si alicubi dicatur Spiritus S. solum a patre procedere, quia ex quo Filius mittit eum, manifestum est, quod ab ipso procedit. Unde Spiritus S. dicitur Spiritus Filii, sicut mittentis, et sicut a quo procedit, et sicut a quo habet quidquid habet sicut a Patre ».

cum ad gentes, utriusque tamen verbi eadem significatio ad eiusdem fidei Spiritusque unitatem pertineat ». Alii vero respondere malunt, Paulum duplici illa appellatione usum esse, quia in ecclesiis usitata erat; etenim ethnici quoque conversi illud nomen usurpare consueverant, quo Dominus ipse Patrem suum appellaverat et quo primos suos discipulos Deum orare iusserat (*Matth.* 6,9); sed huic nomini, quod Dominus usu suo consecraverat, graecam interpretationem adiecerunt, ut hac repetitione filialem, qua Deum precabantur, fiduciam clarius exprimerent.

Sua sponte ex ultima hac Pauli expositione consequitur, tempus Legis, utpote tempus infantiae ac servitutis, esse terminatum. Iudaei qui sub Lege fuerant ex parvulorum statu, in quo a servis non differebant, ad adultorum et emancipatorum filiorum statum traducti et a Legis dominio liberati sunt per Christum, qui pro eis illam implevit illiusque maledictionem in se suscepit. Ethnici vero, qui in duriore servitute eousque degerant (cfr *v.* 8), ad eundem statum filiorum emancipatorum traducti sunt, quando credentes baptismo Christum induerunt in eoque Legem impleverunt circumcisi circumcisione non manu facta. Utrique demum velut sigillum perfectae adoptionis, qua adulti filii Dei facti sunt, Spiritum S. in cordibus suis inhabitantem habent. Hinc Paulus magna cum vi non tam universos quam singulos fideles, sive ex Iudaeis sive ex ethnicis venerant, alloquens concludit : 7. *itaque iam non est* (lege : *es* εἶ) *servus, sed filius : quodsi filius, et haeres per Deum.* Quae conclusio est fere repetitio praecedentis (3,29); omnes fideles eadem ratione Christo, naturali filio Dei, inserti ad filiorum adoptivorum dignitatem elevati sunt et inter sese aequales sunt ac pares; eadem ratione ideo etiam ad Abrahae semen, qui est Christus, pertinent eademque ratione ius habent ad promissiones Abrahae seminique eius dictas. At excelsam hanc dignitatem, praeclarumque hoc ius nemo ex eis, nec gentilis nec Iudaeus conversus, suis viribus Legisque operibus debet, sed omnes ac singuli beneficia ista debent Dei misericordiae Deique gratiae : uti *filius,* ita *haeres es per Deum,* qui solus ad tantam dignitatem creaturam elevare potest.

4. *Exhortatione secundum argumentum terminatur* (4,8-20).

Legis mosaicae observationem omnibus fidelibus, quum circumcisis tum praeputiatis, non tantum non esse necessariam sed etiam plane inutilem, quia fide ac baptismo omnes eadem ratione tamquam membra Christi ac filii Dei ius haereditatis promissae adipiscendae acquisiverint, argumenta allata demonstrant. At hac demonstratione, qua

solus intellectus convincitur, non contentus Paulus pro more, quem in omnibus fere epistolis tenet, ad exhortationem transit, ut lectorum quoque voluntates moveat eosque ad veritatem cognitam tenendam ac sequendam adducat. Itaque praeprimis eos rogat, ne in turpem servitutem, ex qua iam redemti sunt, revertentes suum ipsius laborem apostolicum fructu privent (8-11); deinde eos precatur, ut suum exemplum imitentur pristini amoris, quo ipsum complexi sint, et magni fervoris memores, quo ipsum prima vice eis Evangelium praedicantem exceperint (12-16); ac tandem monens, ut a pseudapostolis sibi caveant, tenerrima deprecatione exhortationem terminat (17-20).

1.) *Galatae in servitutis statum ne revertantur* (4,8-11).

4,8. *Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui natura non sunt dii, serviebatis.* 9. *Nunc autem quum cognoveritis Deum, immo cogniti sitis a Deo : quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis?* 10. *Dies observatis, et menses, et tempora, et annos.* 11. *Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis.*

4,8. Ἀλλὰ τότε μὲν οὐκ εἰδότες Θεὸν ἐδουλεύσατε τοῖς φύσει μὴ οὖσιν θεοῖς· 9. νῦν δὲ γνόντες Θεόν, μᾶλλον δὲ γνωσθέντες ὑπὸ Θεοῦ, πῶς ἐπιστρέψετε πάλιν ἐπὶ τὰ ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα, οἷς πάλιν ἄνωθεν δουλεῦσαι θέλετε; 10. ἡμέρας παρατηρεῖσθε καὶ μῆνας καὶ καιροὺς καὶ ἐνιαυτούς. 11. φοβοῦμαι ὑμᾶς, μήπως εἰκῇ κεκοπίακα εἰς ὑμᾶς [1].

Ultimae conclusioni argumentationis suae Paulus exhortationem intime adnectit pristinum servitutis statum, in quo antea degerant, Galatis in memoriam revocans atque turpiorem perniciosioremque fore novam servitutem insinuans, si nimirum postquam Spiritu coeperunt nunc carne consummari velint. Prioris enim servitutis excusationem quandam ignorantia eorum praebet; nova autem plane erit voluntaria, quoniam nullam prorsus excusationem habent : 8. *sed tunc quidem* (scilicet in vestro statu conversionem praecedente) *ignorantes Deum iis, qui natura non sint dii, serviebatis.* Verbis *ignorantes Deum* non explicatur particula *tunc*, ut sensus sit : « eo tempore, quo Deum

1. *VV. LL.* — 8. τοῖς φύσει μὴ οὖσιν θεοῖς (*iis qui natura non sunt dii*) B ℵ A C D E P, pauci minusc., *It.* (*Aug. Hier.*) *Vulg. Goth. Copt.*; sed transposita negatione *textus rec.* : τοῖς μὴ φύσει οὖσιν θεοῖς (iis qui *non natura* sunt dii) cum F G, plerisque minusc., *Arm.* Demum vocabulum φύσει (natura) omittitur a K cum *Aeth.* et antiquiore *It.* textu (*Vict. Afer*); sed iam *S. Ambr.* (de incarn. 8,82) primam lectionem praeferendam esse monet; « ita enim, inquit, et in graecis codicibus invenimus, quorum potior auctoritas est ». — καὶ καιροὺς καὶ ἐνιαυτούς (*et tempora et annos*) communis est lectio; cum D E F G tamen etiam *Aug.* ordinem invertit : ἐνιαυτοὺς καὶ καιρούς (annos et tempora). — 11. φοβοῦμαι ὑμᾶς (*timeo vos*) iterum est communis lectio; pauci tantum minusc., consentiente *Vulg. Sixt.* (cum *Amiat.* etc.), ad facilitandam, ut videtur, constructionem pronomen ὑμᾶς (*vos*) praetermittunt.

cum ad gentes, utriusque tamen verbi eadem significatio ad eiusdem fidei Spiritusque unitatem pertineat ». Alii vero respondere malunt, Paulum duplici illa appellatione usum esse, quia in ecclesiis usitata erat; etenim ethnici quoque conversi illud nomen usurpare consueverant, quo Dominus ipse Patrem suum appellaverat et quo primos suos discipulos Deum orare iusserat (*Matth.* 6,9); sed huic nomini, quod Dominus usu suo consecraverat, graecam interpretationem adiecerunt, ut hac repetitione filialem, qua Deum precabantur, fiduciam clarius exprimerent.

Sua sponte ex ultima hac Pauli expositione consequitur, tempus Legis, utpote tempus infantiae ac servitutis, esse terminatum. Iudaei qui sub Lege fuerant ex parvulorum statu, in quo a servis non differebant, ad adultorum et emancipatorum filiorum statum traducti et a Legis dominio liberati sunt per Christum, qui pro eis illam implevit illiusque maledictionem in se suscepit. Ethnici vero, qui in duriore servitute eousque degerant (cfr *v.* 8), ad eundem statum filiorum emancipatorum traducti sunt, quando credentes baptismo Christum induerunt in eoque Legem impleverunt circumcisi circumcisione non manu facta. Utrique demum velut sigillum perfectae adoptionis, qua adulti filii Dei facti sunt, Spiritum S. in cordibus suis inhabitantem habent. Hinc Paulus magna cum vi non tam universos quam singulos fideles, sive ex Iudaeis sive ex ethnicis venerant, alloquens concludit : 7. *itaque iam non est* (lege : *es εἶ*) *servus, sed filius : quodsi filius, et haeres per Deum.* Quae conclusio est fere repetitio praecedentis (3,29); omnes fideles eadem ratione Christo, naturali filio Dei, inserti ad filiorum adoptivorum dignitatem elevati sunt et inter sese aequales sunt ac pares; eadem ratione ideo etiam ad Abrahae semen, qui est Christus, pertinent eademque ratione ius habent ad promissiones Abrahae seminique eius dictas. At excelsam hanc dignitatem, praeclarumque hoc ius nemo ex eis, nec gentilis nec Iudaeus conversus, suis viribus Legisque operibus debet, sed omnes ac singuli beneficia ista debent Dei misericordiae Deique gratiae : uti *filius,* ita *haeres es per Deum,* qui solus ad tantam dignitatem creaturam elevare potest.

4. *Exhortatione secundum argumentum terminatur* (4,8-20).

Legis mosaicae observationem omnibus fidelibus, quum circumcisis tum praeputiatis, non tantum non esse necessariam sed etiam plane inutilem, quia fide ac baptismo omnes eadem ratione tamquam membra Christi ac filii Dei ius haereditatis promissae adipiscendae acquisiverint, argumenta allata demonstrant. At hac demonstratione, qua

solus intellectus convincitur, non contentus Paulus pro more, quem in omnibus fere epistolis tenet, ad exhortationem transit, ut lectorum quoque voluntates moveat eosque ad veritatem cognitam tenendam ac sequendam adducat. Itaque praeprimis eos rogat, ne in turpem servitutem, ex qua iam redemti sunt, revertentes suum ipsius laborem apostolicum fructu privent (8-11); deinde eos precatur, ut suum exemplum imitentur pristini amoris, quo ipsum complexi sint, et magni fervoris memores, quo ipsum prima vice eis Evangelium praedicantem exceperint (12-16); ac tandem monens, ut a pseudapostolis sibi caveant, tenerrima deprecatione exhortationem terminat (17-20).

1.) *Galatae in servitutis statum ne revertantur* (4,8-11).

4,8. Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui natura non sunt dii, serviebatis. 9. Nunc autem quum cognoveritis Deum, immo cogniti sitis a Deo : quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis? 10. *Dies observatis, et menses, et tempora, et annos.* 11. *Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis.*

4,8. Ἀλλὰ τότε μὲν οὐκ εἰδότες Θεὸν ἐδουλεύσατε τοῖς φύσει μὴ οὖσιν θεοῖς· 9. νῦν δὲ γνόντες Θεόν, μᾶλλον δὲ γνωσθέντες ὑπὸ Θεοῦ, πῶς ἐπιστρέφετε πάλιν ἐπὶ τὰ ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα, οἷς πάλιν ἄνωθεν δουλεῦσαι θέλετε; 10. ἡμέρας παρατηρεῖσθε καὶ μῆνας καὶ καιροὺς καὶ ἐνιαυτούς. 11. φοβοῦμαι ὑμᾶς, μήπως εἰκῇ κεκοπίακα εἰς ὑμᾶς [1].

Ultimae conclusioni argumentationis suae Paulus exhortationem intime adnectit pristinum servitutis statum, in quo antea degerant, Galatis in memoriam revocans atque turpiorem perniciosioremque fore novam servitutem insinuans, si nimirum postquam Spiritu coeperunt nunc carne consummari velint. Prioris enim servitutis excusationem quandam ignorantia eorum praebet; nova autem plane erit voluntaria, quoniam nullam prorsus excusationem habent : 8. *sed tunc quidem* (scilicet in vestro statu conversionem praecedente) *ignorantes Deum iis, qui natura non sint dii, serviebatis.* Verbis *ignorantes Deum* non explicatur particula *tunc*, ut sensus sit : « eo tempore, quo Deum

1. *VV. LL.* — 8. τοῖς φύσει μὴ οὖσιν θεοῖς (*iis qui natura non sunt dii*) B ℵ A C D E P, pauci minusc., *It.* (*Aug. Hier.*) *Vulg. Goth. Copt.*; sed transposita negatione *textus rec.* : τοῖς μὴ φύσει οὖσιν θεοῖς (iis qui *non natura* sunt dii) cum F G, plerisque minusc., *Arm.* Demum vocabulum φύσει (natura) omittitur a K cum *Aeth.* et antiquiore *It.* textu (*Vict. Ater*); sed iam *S. Ambr.* (de incarn. 8,82) primam lectionem praeferendam esse monet; « ita enim, inquit, et in graecis codicibus invenimus, quorum potior auctoritas est ». — καὶ καιροὺς καὶ ἐνιαυτούς (*et tempora et annos*) communis est lectio; cum D E F G tamen etiam *Aug.* ordinem invertit : ἐνιαυτοὺς καὶ καιρούς (annos et tempora). — 11. φοβοῦμαι ὑμᾶς (*timeo vos*) iterum est communis lectio; pauci tantum minusc., consentiente *Vulg. Sixt.* (cum *Amiat.* etc.), ad facilitandam, ut videtur, constructionem pronomen ὑμᾶς (*vos*) praetermittunt.

verum ignorabatis » (*Palm.* etc.), sed fons indicatur, ex quo prior servitus sit exorta et in quo aliquam habeat excusationem. Utrum cum melioribus testibus negationem μή cum praedicato coniungamus, an cum aliis eam ad substantivum φύσει (*natura*) trahamus, parum interest; aptior tamen est prior nexus, quia clarius fortiusque turpitudinem prioris servitutis exprimit ac proin etiam Galatas a simili servitute denuo subeunda efficacius absterret. Etenim priore nexu eos, quibus antea servierant, daemonia fuisse insinuatur (τοῖς φύσει μὴ οὖσιν θεοῖς, ἀλλὰ δαιμονίοις cfr 1 *Cor.* 10,20); altero eos putativos dumtaxat deos (λεγόμενοι θεοί 1 *Cor.* 8,5) fuisse innuitur (τοῖς μὴ φύσει, ἀλλὰ λόγῳ, οὖσιν θεοῖς).

Turpis igitur quidem fuit etiam prior eorum servitus, sed quanto turpior erit nova, quum non tantum pristinam veri Dei ignorantiam amplius praetendere nequeant, sed etiam filiorum libertate a Deo vero ditati propria sua voluntate in servitutem eorum revertantur, qui nullum eis commodum praestare possunt. Iure merito ergo Apostolus admirabundus interrogat: 9. *nunc autem, quum cognoveritis Deum, immo cogniti sitis a Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo* (πάλιν ἄνωθεν *Aug.* : rursus ut antea) *servire vultis?* Verum Deum Galatae, siquidem plerique, uti ex praecedente versu apparet, ante conversionem gentiles fuerant, per praedicationem apostolicam cognoverant et in Deum annuntiatum credentes ex priore servitute erant educti; sese autem revera in libertatem filiorum esse vindicatos, magnis ex beneficiis cognoscere potuerant, quibus a Deo tamquam genuini filii eius erant agniti. Id altero membro Paulus innuit (*quum cogniti sitis a Deo*), quo prius auget. Haud recte vero cum nonnullis *Thom.* verbo *cogniti estis*, cui sensu hebr. Hophal attribuit (i. q. cognoscere facti estis, cognitione donati estis), priori membro correctionem addi censet: « sic enim, inquit, Deus dicitur *cognoscere*, in quantum est causa cognitionis nostrae; et ideo quia supra dixit: *quum cognoveritis Deum*, statim corrigit et explicat locutionem innuendo, quod non possumus cognoscere Deum ex nobis nisi per ipsum ». Quam significationem nec graeco γιγνώσκεσθαι nec ipsi hebraico הודע competere, sed verbum γιγνώσκειν hic, uti saepius, significantiore *agnoscendi* et *approbandi* sensu esse usurpatum, alibi iam diximus (cfr ad 1 *Cor.* 8,3). *A Deo cogniti* quippe sunt Galatae, quando eis tamquam filiis suis adoptivis misit Spiritum Filii sui; hinc clarum est, quam turpe sit, si nunc *iterum convertantur ad infirma et egena elementa.* Nomine *elementorum* eodem modo quo supra (*v.* 3) ritus iudaicos Paulus designat; ad eos enim sese Galatae convertere voluerunt

et aliqui ex eis *v.* sequente enumerantur. « Illa autem, inquit *Chrys.*, *infirma* et *egena* vocat, quia nullam vim habent ad bona promissa acquirenda »; *egena* erant, quia umbram tantum habebant futurorum bonorum, quae praefigurabant, et *infirma*, quia iustificandi et sanctificandi vi carebant (cfr *Hebr.* 10,1; 7,18 etc.)[1].

Difficultas tamen quaedam in eo est, quod Galatae istis elementis *denuo ut antea* (πάλιν ἄνωθεν) *servire velle* dicantur. Neque enim recte nonnulli censent, plerosque Galatas ante conversionem suam fuisse proselytos iudaicos ac proin praecepta caeremonialia ex parte saltem observasse; nam Apostolus neophytos alloquitur, qui verum Deum ignoraverant; iudaici autem proselyti etiam inferioris gradus (proselyti portae), uti Iudaei ipsi, verum Deum cognoscebant et adorabant. Melius respondent alii, Galatas se iterum convertisse ad elementa « non eadem quidem numero vel specie, sed genere; qui enim idolis servierant, servire volebant sub signis et caeremoniis Iudaeorum » (*Est.* cfr *Nat. Pic. Reithm. Palm.* etc.). Revera ritus iudaici, postquam Christi morte etiam typicum suum sensum amiserant neque amplius legalem quandam puritatem producebant, a superstitioso cultu ethnicorum vix differebant; quare etiam *Theod.* iam explicat: « dum sabbatha et novilunia et alios dies observatis et eorum transgressionem superstitiose timetis, similes iis estis, qui elementa (astra) in deos referunt ». Addatur tamen oportet, Paulum Galatas conversos alloqui, qui, quum Christo essent inserti Christumque induissent, in eo etiam Legem impleverant et cum eo morientes maledictionem Legis sustinuerant, ante conversionem autem servitutem elementorum duriorem quidem sed servituti legalium similem subierant; utroque igitur sensu, si legalibus ritibus se nunc submittere volebant, ad egenorum elementorum servitutem pristinam *reverti* recte dicuntur (cfr *Wind.* etc.).

Attamen ut Galatae bene intelligant, quibus de elementis loquatur, haud sine indignatione Paulus exclamat (vel si mavis interrogat) : **10.** *dies observatis* (παρατηρεῖσθε studiose ac superstitiose celebratis) *et menses et tempora et annos!* Eos solos enumerari ritus iudaicos, quos Galatae iam receperant (plures alibi enumerat *Col.* 2,16), ipsum praesens

1. Manichaeis, qui ex hac egenorum elementorum appellatione occasionem arripuerunt detrahendi creatori, quia mundum condiderit et Legem sanxerit, *Hier.* respondet : « Infirma iis sunt et egena elementa, qui ad ea post Evangelii gratiam revertuntur. Antequam vero definitum tempus veniret a Patre, non tam infirma et egena appellata esse elementa, quam *mundi* (*v.* 3). Denique priusquam Christi in toto mundo corruscaret Evangelium, habuerunt suum fulgorem praecepta legalia; postquam vero maius evangelicae gratiae lumen effulsit et sol iustitiae toti mundo se prodidit, stellarum lumen absconditum est et earum radii caligaverunt, ita ut Apostolus in alio loco diceret : Nam nec glorificatum est, quod glorificatum fuit in hac parte, propter excellentem gloriam (2 *Cor.* 3,10). Quod aliis verbis nunc loquitur, ut dicat : Lex Moysi, quae ante Evangelium dives et opulenta et clara fuit, post adventum Christi ad comparationem eius quasi infirma et egena, imminuta et destructa est ab eo qui maior fuit Salomone et templo et Iona ».

(παρατηρεῖσθε) innuit; caute enim ac lente iudaizantes processerant nequedum neophytos ad circumcisionem adduxerant (cfr 5,2; 6,12 sq.); a festis iudaicis autem introducendis initium videntur fecisse, quia minus molesti ritus illi erant atque primis istis temporibus Christiani eiusmodi communibus festis carebant. *Dierum* nomine sabbatha, novilunia aliaque festa vel ieiunia, quae quotannis per unum diem celebrabantur, designari clarum est; *menses* primum et septimum Iudaeis sacros fuisse, *Hier.* iam adnotat; *tempora* sacra intelliguntur tria maiora, paschatis, pentecostes, tabernaculorum, festa, quae ab omnibus coram Domino, i. e. in templo, erant celebranda integramque hebdomadem durabant; *anni* demum sacri Iudaeis erant septimus remissionis (sabbathicus) et quinquagesimus iubilaei [1]. In tota igitur sua vita, etiamsi pauci tantum ritus eousque erant introducti, Galatae ab elementis iam dependebant et quasi servi facti erant astrorum, quibus festa illa definiebantur [2].

Mirum ergo non est, quod ob haec novae servitutis initia Apostolus timeat, ne apostolici sui labores fructu caruerint, quum ex una servitute Galatae in alteram sint relapsi : **11.** *timeo vos, ne forte sine causa* (εἰκῆ *frustra* i. e. sine fructu cfr 3,4; 1 *Cor.* 15,2) *laboraverim*

1. Nonnulli, qui epistolam nostram a. 54. scriptam esse censent, monent istum annum fuisse sabbathicum, ut facile explicetur, cur de *annorum* observatione Paulus loquatur, quamvis Galatae a paucis tantum mensibus a iudaizantibus fuerint seducti. Revera ex *Fl. Ios.* (Antiqu. XIV. 16,2) annum 38.-37. a. Chr. fuisse sabbathicum constat, atque Thalmudistae tradunt, a. 68.-69. p. Ch. fuisse sabbathicum, ita ut observatio illa non sit improbabilis. Sed ad definiendum tempus, quo scripta est epistola, non iuvat, siquidem in genere dumtaxat de festorum ordine a Galatis recepto Paulus loquitur, neque dicere vult, omnia illa festa iam omnia a Galatis actu esse celebrata.

2. Contra eos, qui Christianos quoque suos festos dies sacraque sua tempora habere obiecerunt, cum *Orig.* (c. Cels. VIII. 22) *Hier.* respondet, nos non tam dies discernere, quasi alius alio sit sanctior, quam ordini et concordiae consulere statis diebus certa mysteria commemorantes : « Qui simpliciter respondebit, inquit, non eosdem dicet iudaicae observationis dies esse, quos nostros : nos enim non azymorum pascha celebramus, sed resurrectionis et crucis; nec septem iuxta morem Israel numeramus hebdomades in pentecosten, sed Spiritus S. veneramur adventum; et ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, ut in unum pariter omnes veniremus, non quo celebrior sit dies illa qua convenimus, sed quo, quacumque die conveniendum sit, ex conspectu mutuo laetitia maior oriatur. Qui vero oppositae quaestioni acutius respondere conatur, illud affirmat, omnes dies aequales esse, nec per parasceven tantum Christum crucifigi et die dominica resurgere, sed semper sanctam esse resurrectionis diem et semper nos carne vesci Dominica; ieiunia autem et congregationes inter dies a viris prudentibus esse constitutas propter illos, qui magis saeculo vacant quam Deo, nec possunt, immo nolunt, in ecclesia toto suo vitae tempore congregari et ante humanos actus Deo orationum suarum offerre sacrificium. Quotus enim quisque est, qui saltem haec pauca, quae statuta sunt, vel orandi tempora vel ieiunandi semper exerceat? Itaque sicut nobis licet vel ieiunare semper vel orare et diem dominicam accepto Domini corpore indesinenter celebrare gaudentibus, non ita et Iudaeis fas est omni tempore immolare agnum, pentecosten agere, tabernacula figere, ieiunare quotidie »

in vobis (κεκοπίακα εἰς ὑμᾶς laboraverim in vestram utilitatem, seu pro vobis). Parum usitata est constructio, qua Paulus utitur, quia φοβεῖσθαι τινά proprie significat « sibi ab aliquo timere », sc. ne sibi ab altero noceatur; dicere autem voluisse videtur se de Galatis timere, ne illis scilicet malum accidat (φοβεῖσθαι περί τινος); quid enim sibi timeat, altero membro exprimitur, quod egregie *Chrys.* exponit : « Vides viscera apostolica? illi iactantur fluctibus et hic tremit ac metuit; ideo magna cum vi dicit : *laboravi in vestram utilitatem*, ac si diceret : nolite tantos meos sudores reddere inanes. Quum autem dicit *timeo* et addit *ne forte*, simul et metum illis iniicit et in bonam spem illos erigit. Neque enim dicit *frustra laboravi*, sed *ne forte;* nondum, inquit, accidit naufragium, sed adhuc tempestatem, quae illud producere possit, furere video. Propterea timeo, sed non despero; in vestra enim manu est totum hoc corrigere et ad pristinam reverti tranquillitatem ».

2.) *Pristini amoris sui erga eum memores Galatae Apostolum imitentur* (4,12-16).

4,12. ***Estote sicut ego, quia et ego sicut vos : fratres, obsecro vos : nihil me laesistis.*** 13. ***Scitis autem, quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis iampridem : et tentationem vestram in carne mea*** 14. ***non sprevistis; neque respuistis : sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum.*** 15. ***Ubi est ergo beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi.*** 16. ***Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?***

4,12. γίνεσθε ὡς ἐγώ, ὅτι κἀγὼ ὡς ὑμεῖς, ἀδελφοί, δέομαι ὑμῶν. οὐδέν με ἠδικήσατε· 13. οἴδατε δὲ ὅτι δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς εὐηγγελισάμην ὑμῖν τὸ πρότερον, 14. καὶ τὸν πειρασμὸν ὑμῶν ἐν τῇ σαρκί μου οὐκ ἐξουθενήσατε οὐδὲ ἐξεπτύσατε, ἀλλὰ ὡς ἄγγελον Θεοῦ ἐδέξασθέ με, ὡς Χριστὸν Ἰησοῦν. 15. ποῦ οὖν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν; μαρτυρῶ γὰρ ὑμῖν ὅτι, εἰ δυνατόν, τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν ἐξορύξαντες ἐδώκατέ μοι. 16. ὥστε ἐχθρὸς ὑμῶν γέγονα ἀληθεύων ὑμῖν; [1]

1. *VV. LL.* — 14: τὸν πειρασμὸν ὑμῶν (*tentationem vestram*) B ℵ A D F G, pauci minusc., *It.* (*Vict. Aᵗᵉʳ, Pel. Aug.*) *Vulg. Copt.*; ex correctione, ut videtur, *textus rec.* : τὸν πειρασμόν μου (tentationem *meam*) cum E K L P, plerisque minusc., *Syr.* (codd.); nonnulli demum minusc. cum C., *Syr.* (codd.) *Arm. Aeth. Goth.* nullum pronomen exhibent. — 15. ποῦ ὁ μακαρισμός (*ubi* beatificatio) B ℵ A C F G P, pauci minusc., *It.* (*Pel. Hier.*) *Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Arm. Aeth.*; sed *textus rec.* : τίς ὁ μακαρισμός (*quae* beatificatio) cum D E K L, plerisque minusc., *It.* (*Vict. Aᵗᵉʳ, Aug.*) *Syr.* (codd.). — Animadvertatur oportet, in hac interrogatione nullum verbum exprimi a B ℵ A C L P, nonnullis minusc., *Syr. Aeth.*; a *textu rec.* autem verbum ἦν (erat) suppleri cum D E F G K, plerisque minusc., *It.* (*Aᵗᵉʳ, Aug.*) *Goth.*; ab aliis demum paucis minusc. suppleri ἐστίν (*est*) cum *It.* (*Vict. Hier. Pel.*) *Vulg. Copt. Arm.* — ἐδώκατέ μοι particula ἄν praetermissa B ℵ A C D F G, paucissimi minusc.; sed particulam, quam sensus iuxta communiorem loquendi usum requirit, *textus rec.* supplet cum E K L P, plerisque minusc. et PP.

Ad hanc pericopen *Theod.* haud immerito adnotat : « Doloris affectu abreptus frequenter Apostolus orationis formam mutat, nunc increpans nunc exhortans, aliquando conquerens » ; revera concitatum et commotum est dicendi genus in hac parte[1] neque severus ille ordo logicus reperitur, quem in argumentatione invenimus. Incipit autem a precatione, ut ad suum exemplum Galatae a Legis iugo sese liberent (*v.* 12), eisque in memoriam revocat, quanto cum amore et fervore ipsum prima vice inter eos Evangelium praedicantem receperint (13-15), ita ut iure sperare possit fore, ut severiorem ipsius admonitionem non respuant (*v.* 16).

12. *Estote* (γίνεσθε melius : *efficiamini*) *sicut ego, quia et ego sicut vos; fratres, obsecro vos.* Parum recte iuniores nonnulli, maxime inter acath., in his verbis exhortationem ad mutuum amorem deprehendunt : « me quasi alterum vos complectamini, quemadmodum ego tanta vos caritate prosequor, ac si ego in vos ipse paene essem mutatus » (*Iust.* — *Luth. Calv. Grot.* etc.); contortissima enim haec est explicatio, neque ad eam vindicandam sufficit, ut amicus « alter ego » vocetur. Cum antiquioribus omnibus moderni quoque in priore membro exhortationem vel precationem ad legalium observationem deserendam recte vident : efficiamini sicut ego *factus sum*, i. e. deserite Legem, quam sequi coepistis, sicut ego eam deserui. Maior est dissensus in altero membro explicando ; quoniam priori membro velut ratio additur, generalis ille sensus, in quo aliqui acquiescunt (« quoniam et ego sum sicut vos, i. e. *homo sum* ». *Aug.* cfr *A^ler* etc.), teneri nequit. Aptior est explicatio eorum, qui Paulum pristinum suum zelum iudaicum commemorare censent : « quia et ego *olim eram* sc. zelator Legis, *sicut vos* nunc esse coepistis » (cfr *Chrys.* etc.). Attamen praeferimus tertiam, iuxta quam suam ipsius mutationem imitandam esse indicat : « quia et ego *factus sum*, sc. liber a Lege, sicut vos *eratis* liberi a Lege ante conversionem vestram » (cfr *Theod.* etc.). Facilius enim ex praecedente verbo γίνεσθε (*efficiamini*) in hoc membro suppletur verbum γέγονα (*factus sum*), atque efficacior est iuxta hanc explicationem ratio ipsa : omnia enim, quae antea zelaverat, Paulus reliquerat atque gentibus sese in vivendi modo accommodaverat, ut eos Christo lucrifaceret; quomodo nunc illi ipsi, propter quos Legem reliquerat, eandem Legem amplecti possunt?

Praecepti formam monitum istud habet; verum Apostolus nunc praecipere non vult, sed magna cum caritate precatur : *fratres, obsecro vos*, sc. ut secundum verba mea agatis. Cui precationi ut maiorem

1. *S. Aug.* (de Doctr. IV. 44) hunc locum compositum censet eo motu animi et affectu, ut ad grande dicendi genus, quamvis ornamenta dictionis plane desint, tamen pertineat.

vim addat, eos pristinae obedientiae pristinique amoris ac fervoris commonefacit : *nihil me laesistis*, « immo vero hucusque summa semper fuit vestra erga me observantia » (*Theod.*); non est igitur, cur timeam, ne vestra inobedientia nunc offendar. Eo minus autem id metuo, quo maiorem iam in primo meo adventu apud vos caritatem expertus sum, quamquam omnia tunc ita esse comparata videbantur, ut a me fugere potius quam ad me allici potueritis : 13. *scitis autem, quia per infirmitatem carnis* (δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκός) *evangelizavi vobis iam pridem* (τὸ πρότερον prima, vel potius *priore vice;* bis tantum enim in Galatiam antea venerat), 14. *et tentationem vestram in carne mea*[1] *non sprevistis neque respuistis, sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum.* Verba *per infirmitatem carnis* rectissime *Aug.* explicat « quum persecutionem paterer », consentientibus omnibus Graecis (*Chrys. Theod. Mopsu. Eus Em. Phot. Dam.*) et plerisque Latinis (*A*[ter], *Pel. Hier*[3]. *Prim.* etc.); quare mirum non est, quod etiam inter antiquiores et iuniores interpretes haec explicatio, quae loquendi usui Pauli congruit (cfr 2 *Cor.* 11,29; 12,5), communis fuerit. Porro persecutio, quam Paulus priore vice ad Galatas adveniens eisque Evangelium annuntians *in carne sua* sustinuit, *eis* haud levis fuerat *tentatio*, qua ab eius praedicatione facillime absterreri potuissent, nisi eam fortiter et alacriter vicissent. Quae victoria negative (tentationem *non sprevistis neque respuistis*) et positive (*sicut angelum Dei excepistis me*, quin etiam *sicut Christum Iesum* ipsum) ita describitur, ut eximia eorum generositas et caritas eluceat. Spernit tentationem, qui eam dignam non habet, quam vincere studeat, respuit eam, qui ab ea tantopere abhorret, ut eam ne conetur quidem vincere. Sed Galatae tentationem, quam Pauli tribulationes eis creabant, promto animo et magna cum fortitudine superaverant Apostolumque suum, quamvis purgamentum mundi omniumque peripsema esse videretur (cfr 1 *Cor.* 4,13), tanta cum caritate exceperant, ut ipsum Dominum maiore cum caritate excipere non potuissent.

Egregie haec Apostoli verba cum iis consonare, quae Lucas de fundatione ecclesiarum in civitatibus Pisidiae et Lycaoniae, i. e. in meridionali parte romanae pro-

1. *Vulg. Clem.* novum quidem versum (*v.* 14) a verbis *non sprevistis* incipit; sed attendatur oportet, in accuratioribus eius editionibus (etiam in *Taurin.*, quam sequimur) ante ista verba nullam interpunctionem haberi, ita ut accusativus *tentationem vestram in carne mea* velut obiectum ad ea sit trahendus. Sunt utique inter modernos, qui accusativum illum a verbo *scitis* dependere volunt (scitis quod per infirmitatem vobis evangelizavi et [scitis] tentationem vestram in carne mea); sed impeditissima est haec constructio, nec ulla est ratio, cur illam relinquamus, quam accuratiores *Vulg.* editiones insinuant omnesque antiqui interpretes secuti sunt. Eadem quippe ratione verba *evangelizavi*, *non sprevistis nec respuistis*, *excepistis* a primo verbo *scitis* dependent.

vinciae Galatiae (cfr *Proleg.* 1,1 p. 360) nobis refert (*Act.* 13,14-14,22), evidens est. Sed contra antiquorum explicationem, quam sequimur, moderni interpretes plerique (cfr *Wind. Bisp. Reithm. Dr. LR. Palm. Schaef.* — Acath. fere omnes) obiiciunt, verba δι' ἀσθένειαν non recte verti : *per* infirmitatem, sed vertenda esse : *propter* infirmitatem, quia διά c. accus. non indicet statum, in quo aliquis agit vel patitur, sed rationem, cur aliquid fiat; a Paulo igitur doceri censent, se morbo quodam (cfr 2 *Cor.* 12,7) in Galatia, quam transire tantum voluerat, retentum atque fortuito hoc casu occasionem Evangelii Galatis annuntiandi nactum esse. Quibus respondemus, praepositionem διά c. accus. procul dubio plerumque esse causalem (i. q. *propter*), sed etiam de témporis duratione aut de conditione perdurante, in qua aliquid fit (i. q. *per*) interdum adhiberi (διὰ νύκτα *per* noctem, διὰ χειμῶνα *per* hiemem *Xenoph.* Anab. I. 7,6, διὰ γλυκὺν ὕπνον *per* dulcem somnum i. e. dulci somno durante *Mosch.* cfr *Pape* Griech. Handwörterb. s. v.), atque tam parum hunc praepositionis usum a Graecorum loquendi more abhorrere, ut inter graecos interpretes ne unus quidem inveniatur, qui de causali praepositionis significatione nostro in loco cogitaverit; ad unum omnes enim (*Chrys. Theod. Mopsu. Eus Em. Dam. Phot. Oec. Theoph.*) sententiam ita interpretantur, ut δι' ἀσθένειαν eis idem fuisse, quod ἐν ἀσθενείᾳ aut μετὰ ἀσθενείας aut δι' ἀσθενείας, appareat. Nihil igitur obstat, quominus *Vulg.* versionem (*per* infirmitatem) retineamus; immo eam retinere debemus, quia nova versio (*propter* infirmitatem) parum est apta. Neque enim tantum cum Lucae narratione, qui Paulum galaticam regionem *pertransiisse* refert (*Act.* 16,6; 18,23), aegre conciliatur, quod ibidem morbo quodam diutius subsistere sit coactus, sed etiam nemo hucusque explicavit, cur Apostolus hoc in contextu docere voluerit, se fortuito tantum casu adductum esse, ut Galatis praedicaret; omnes hac de re silent, atque quod unus alterve (*Lightf.*) coniecit, bonam voluntatem Galatarum ex eo commendari, quod viro aures praebuissent, qui non nisi invitus inter eos esset commoratus, id ipse longius quaesitum duriusque esse fatetur.

Ad alias explicationes quod attinet, *Vict.* verba *per infirmitatem* etiam de morbo quodam interpretatur, quem Paulus ideo commemoraverit, ut se ad Galatarum amorem ius habere ostenderet, quippe propter quos « quum iam infirmus esset, laborem (praedicationis) sibi imposuisset ». Modernorum quidem expositioni haec explicatio, quam *Hier*[2]. quoque affert, merito praefertur, contextui tamen non plane satisfacit, quia Apostolus non tam suos labores, quam spontaneam neophytorum caritatem commendare vult. Neque contextui satis consonat *Estii* coniectura, qui communem interpretationem non respuens probabilius censet, Paulum « humilitatem corporalis suae praesentiae » (cfr 1 *Cor.* 2,1; 2 *Cor.* 10,10) significare voluisse. Longius vero a contextu *Hier*[1]. aberrat, si Apostolum non de suae, sed de audientium infirmitate carnis loqui coniicit, « qui non potuerint carnem subiicere verbo Dei, sed quasi carnei nihil intelligentiae susceperunt spiritualis », atque *Pel.*, qui communem interpretationem retinens putat, Paulum increpare Galatas, quod ipsum a persecutoribus non defenderint.

Ad prima illa tempora respiciens cum iisque praesentem Galatarum conditionem comparans moestus interrogat : 15. *ubi ergo est beatitudo vestra* (ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν beatificatio vestra, vel potius : *felicitatis vestrae praedicatio*)? Antea vosmet ipsos beatos felicesque dicebatis, quod me, licet persecutionibus tribulationibusque oppressum, suscepissetis; sed beata illa tempora transierunt, postquam

fidem, quam tunc vobis tradidi, a iudaizantibus quasi fascinati relinquere et ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, ad castra eorum, qui Evangelium Christi convertere volunt, transire coepistis (1,6 sq.). Atque ut maiorem eis incutiat pudorem, priorem eorum caritatem confirmat, quin etiam exaggerat : *testimonium enim perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi.* Tanta tunc erat eorum gratitudo ob fidem acceptam, ut pretiosissima quaeque libenter Apostolo suo obtulissent nec ab ullo sacrificio refugissent, quo gratum suum animum caritatemque suam prodere potuerunt. Magnam autem quae nunc in Galatis facta est, mutationem considerans concludere cogitur : 16. *ergo inimicus vobis* (iuxta graecum ἐχθρὸς ὑμῶν rectius : *inimicus vester*) *factus sum verum dicens vobis.* Verum Evangelium, quod olim eis praedicavit quodque iudaizantes corrumpunt, unica potest esse causa inimicitiarum, quae in prioris caritatis amicitiaeque locum successit; ob summum igitur beneficium, quod ab Apostolo acceperunt, eum nunc velut inimicum habent et tractant! Bene *Chrys.* : « Hic dubitat ac vehementer admiratur cupitque ab eis mutationis causam discere. Quis enim, inquit, vos seduxit vobisque persuasit, ut aliter erga me sitis affecti? Nonne vos estis, qui mihi inserviebatis, qui mei curam gerebatis, qui me oculis cariorem habebatis? Quid igitur accidit? unde inimicitia? unde suspicio? an quia vera locutus sum vobis? Atqui hac de causa par erat, ut me magis in honore haberetis maioreque studio prosequeremini; nunc autem inimicus factus sum, quia verum vobis Evangelium praedicavi ».

In *v.* 15. verbis : ποῦ οὖν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν; legendis (cfr *VV. LL.*) et exponendis interpretes non consentiunt. Quum μακαρισμός non tam sit i. q. *beatitudo*, quam beatitudinis vel *felicitatis praedicatio* (a μακαρίζειν beatum praedicare) verba ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν ab aliis ita intelliguntur, ut Galatae se ipsos beatos praedicaverint, atque hanc explicationem velut aptiorem secuti sumus; ab aliis vero, quibus genet. ὑμῶν est obiectivus, ita exponitur, ut Galatae Paulum beatum praedicaverint, ab aliis, ut Paulus Galatas beatos praedicaverit, ab aliis demum ita, ut aliae ecclesiae Galatas beatos praedicaverint. Sed de aliis ecclesiis hic non agitur nec etiam de animi mutatione, quam Paulus subierit; quare duae ultimae explicationes non sunt ad rem; neque satis apta est secunda, quia amare et diligere aliquem non est idem quod beatum praedicare aliquem. Porro iuxta genuinam huius sententiae lectionem verbum est omissum; sed si cum melioribus codd. particulam ποῦ retinemus, solum praesens ἐστίν suppleri potest atque a *Vulg*. recte suppletur. Sin vero cum *textu rec.* graeco pro ποῦ legimus τίς, aut praeteritum ἦν (quae igitur *erat* felicitatis vestrae praedicatio?) aut praesens ἐστίν (quae igitur *est* beatitudinis vestrae praedicatio?) apte suppleri potest; iuxta priorem lectionem sensus est : quam vana fuit olim vestra felicitas, quae tam cito mutata est! iuxta alteram vero : quae nunc iam est pristina vestra felicitas? Atque ultima haec explicatio cum illa, quam dedimus, fere consentit et merito a plerisque, qui τίς pro ποῦ legere malunt, praefertur.

3.) *Monito, ut a pseudapostolis sibi caveant, tenerrimaque obtestatione exhortatio terminatur* (4,17-20).

4,17. Aemulantur vos non bene : sed excludere vos volunt, ut illos aemulemini. 18. Bonum autem aemulamini in bono semper : et non tantum quum praesens sum apud vos. 19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. 20. Vellem autem esse apud vos modo, et mutare vocem meam : quoniam confundor in vobis.

4,17. ζηλοῦσιν ὑμᾶς οὐ καλῶς, ἀλλὰ ἐκκλεῖσαι ὑμᾶς θέλουσιν, ἵνα αὐτοὺς ζηλοῦτε. 18. καλὸν δὲ ζηλοῦσθε ἐν καλῷ πάντοτε, καὶ μὴ μόνον ἐν τῷ παρεῖναί με πρὸς ὑμᾶς. 19. τέκνα μου, οὓς πάλιν ὠδίνω, μέχρις οὗ μορφωθῇ Χριστὸς ἐν ὑμῖν. 20. ἤθελον δὲ παρεῖναι πρὸς ὑμᾶς ἄρτι καὶ ἀλλάξαι τὴν φωνήν μου ὅτι ἀποροῦμαι ἐν ὑμῖν [1].

Olim Paulus Galatis carissimus fuerat acceptissimusque; sed animum mutaverant eumque iam pro inimico habebant, postquam aliqui amorem eorum fiduciamque calumniis suis ei eripuerant. Quinam illi sint, Apostolus non dicit, quia neophytis notissimi erant; perversum autem, quem persequuntur finem, eis patefacit, ut eos ab illis avertat : 17. *aemulantur* (ζηλοῦσιν) *vos non bene, sed excludere vos volunt, ut illos aemulemini* (ζηλοῦτε). Graecum verbum ζηλοῦν, uti latinum *aemulari*, et in malam partem (i. q. invidia flagrare et ex invidia nocere velle, 1 *Cor*. 13,4; *Act*. 7,9 etc.) et in bonam (i. q. studio boni flagrare, aliquid studiose expetere, vel aliquem studiose ad suas partes attrahere; 1 *Cor*. 12,31; 14,1 etc.) usurpatur; atqui in eadem sententia verbum eandem sive bonam sive malam significationem retinere, manifestum est; quare haud recte nostro in loco multi utramque ei ita attribuunt, ut a principio sententiae sit idem quod *invidere*, in eius fine idem quod *imitari*. Aptius sententia explicatur, si in bonam partem sumitur (gratiam favoremque alicuius studiose sibi quaerere et expetere). Pseudapostoli scilicet Galatarum amicitiam sibi

1. *VV. LL.* — 17. ἐκκλεῖσαι ὑμᾶς (*excludere vos*) est communis ac certa lectio, licet pauci minusc. exhibeant ἐγκλεῖσαι (includere) et alii pauci ἡμᾶς (nos). — In fine *v*. 17. a D E F G cum *Vict*. et *Atro* ex 1 *Cor*. 12,31 additur : ζηλοῦτε δὲ τὰ κρείττω χαρίσματα (aemulamini charismata meliora), quae immerito esse inserta, solus contextus iam docet. — 18. καλὸν δὲ ζηλοῦσθε (*bonum autem aemulamini*) B ℵ, paucissimi minusc., *It*. (*Aler*, *Hier*. *Pel*.) *Vulg*.; at καλὸν δὲ ζηλοῦσθαι vel καλὸν δὲ τὸ ζηλοῦσθαι (pulchrum autem est aliorum studio expeti) A C D E F G K L P, plerique minusc., *It*. (Vict. S. Ambr. de interpell. Dav. IV. 3,5; in Ps. 36, 1. n. 4 etc., *S. Aug*. i. h. l. et Doctr. Christ. IV. 44 : bonum autem est aemulari) *Syr*. *Copt*. *Aeth*. *Goth*. (Iure merito autem B ℵ quoque ad hanc lectionem trahuntur, quum ζηλοῦσθε probabiliter non sit nisi vitiosa scriptio infinitivi ζηλοῦσθαι), cfr *Comment*. — 19. τέκνα (filii) B ℵ D F G, *It*. (*Vict*. *Tert*. c. Marc. V. 8); sed melius *textus rec*. : τεκνία (*filioli*) cum A C E K L P, omnibus fere minusc. et PP., *It*. (*Aler*, *Aug*. *Hier*. etc.) *Vulg*.

conciliare studebant, id quod per se bonum erat; attamen id faciebant *non bene*, quia perverso ex fine agebant; *excludere* enim eos volebant non tam a salute (*Theod. Vict.* etc. *Reithm.*) aut a vera doctrina (*Chrys. Mopsu. Hier.* etc.) aut a libertate evangelica (*Aug. Salm. Est.* etc.), quam ab uniuscuiusque doctoris societate, qui a suis ipsorum partibus non staret, idque ideo, ut neophyti, si alios magistros non amplius haberent, solos suos seductores sectari eorumque partibus sese addicere cogerentur. « Aemulantur vos, sed non bene, quia non amant bonum vestrum; et hoc apparet, quia volunt vos excludere, ut aemulemini illos, i. e. ut nullum recipiatis nisi illos » (*Thom.* cfr *Cath. Pic. Wind. Bisp. Palm.* etc.).

Iuxta *Vulg.* lectionem monitum quoddam sequitur : 18. *bonum autem aemulamini in bono semper et non tantum, quum praesens sum apud vos.* Quod duplici modo exponitur; alii enim *bonum* pro neutro habentes censent Paulum monere, ut Galatae in virtute exercenda semper excellere studeant, etiamsi ipse inter eos praesens non sit (*A*[ter], *Hier.* etc.); alii vero *bonum* pro masculino habent et explicant : « nolite pseudapostolos aemulari, sed bonum quemcumque aemulamini, etiam quum absens sum »; innui autem putant, Galatas debere semper magistrum suum, qui bonam eis doctrinam tradiderit, sectari sive praesentem sive absentem (cfr *Pel. Prim. Thom. Cai. Est*[1]. *Lap. MEv.* etc.). Quae explicatio accuratius quidem, quam prior, contextui consonat, sed teneri nequit, quia lectio ipsa non est genuina (cfr *VV. LL.*); omnino enim cum Graecis antiquioribusque Latinis legatur oportet : *bonum est autem aemulari* (ζηλοῦσθαι) *in bono semper, et non tantum quum praesens sum apud vos;* sed quis huius quoque lectionis sit sensus, in controversia est. Alii enim infinit. ζηλοῦσθαι pro forma media habent, quae sensu ab activo infin. ζηλοῦν non differat; explicant ergo : « pseudapostoli volunt, ut ipsos sectemini; atqui bonum et laudabile est, ut aemulemini magistros vestros — qualis ego imprimis sum — neque in quibuscumque, sed tantum in re bona; idque semper et non solum me vobis praesente » (*Est*[2]., cfr *Aug. Erasm. Palm.* etc.). Quae explicatio ab altera latinae lectionis interpretatione haud multum discrepat, sed hodie a plerisque iure reiicitur, quia medium genus verbi ζηλοῦν nusquam reperitur neque ulla fuit ratio, cur Paulus, qui in *v.* 17. activum verbum ζηλοῦν bis adhibuit, nunc formam mediam sumeret, quae inusitata est. Rectius igitur cum Graecis omnibus (*Chrys. Theod. Sev. Dam. Oec. Theoph.*) et plerisque modernis (*Wind. Reithm. Bisp. Schaef.* etc.) infinitivum ζηλοῦσθαι pro passivo sumimus eodemque modo latinum *aemulari* inter-

pretamur, quia deponentia a *Vulg.* frequentissime sensu passivo usurpantur. Ex variis autem explicationibus, quae propositae sunt, hanc probabiliorem esse propiusque ad Graecorum interpretationem accedere censemus : pseudapostoli amicitiam Galatarum sibi conciliare studuerant, sed eorum aemulationem Apostolus improbavit utpote ex malo fine exortam; bonum vero esse censet, si Galatae semper digni habeantur, quorum gratia ab aliis expetatur, dummodo agatur de re bona, ob quam eorum amicitia quaeratur; quamdiu ipse apud eos fuerat, Galatae revera sese aliorum aemulatione dignos reddiderant; addens autem : *non tantum quum praesens sum apud vos*, innuit eos a bona via recessisse. « Videsne, inquit *Theoph.* sententias *Theod.* et *Chrys.* quasi complectens, hoc eum indicare, quod digni erant aemulatione apud omnes ob perfectionem, quando apud ipsos praesens fuerat Apostolus? Immo et hoc significat, quod absentia ipsius horum malorum causa fuerit ».

Aptissime iuxta hanc explicationem sequens adnectitur sententia, qua Apostolus caritatem indulgentiamque suam blandis verbis manifestans conqueritur, quod neophytos tanto in periculo versantes praesens viva voce exhortari nequeat : 19. *filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis,* 20. *vellem autem esse apud vos modo et mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis* (ἀποροῦμαι ἐν ὑμῖν circa vos dubius haereo; nescio quid circa vos consilii capiam vel quomodo vos tractem cfr ad 2 *Cor.* 4,8 *aporiamur*). Unicus hic est locus, quo Paulus appellatione Ioanni usitatissima neophytos compellat τεκνία μου (*filioli mei*); at deminutivum hoc circumstantiis quam maxime est adaptatum, quia Apostolus sese non tam patri, qui filios Christo gignit, quam tenerae blandaeque matri comparat, quae magnis cum doloribus filios parturit (ὠδίνω). Semel quidem eos Christo genuit, quando eos vero Evangelio praedicato ad fidem adduxit; simili autem labore nunc indiget, ut a pseudapostolis seductos ad veram fidem reducat eosque in illa confortet, *donec in eis formetur Christus.* Clarum est, uti recte *Palm.* monet, hic non agi de regeneratione .(*Tit.* 3,5), « quae opus est non hominis, sed Spiritus S., quaeque nequit iterari; sed curam suam eos reformandi comparat illi, quam prima vice adhibuit », ut eos ad Christi fidem formaret. Porro « parturitionem hanc, inquit *Aug.*, pro curarum angoribus positam intelligamus, quibus eos parturivit, ut nascerentur in Christo; et iterum parturit propter pericula seductionis, quibus eos conturbari videt. Sollicitudo autem talium de illis curarum, qua se quodammodo parturire dicit, tamdiu esse poterit, donec perveniant in mensuram aetatis Christi, ut iam non moveantur omni vento doctrinae (*Eph.* 4,

13 sq.); non ergo propter initium fidei, quo iam nati erant, sed propter robur et perfectionem dictum est ». Itaque Christi imago deformata in eis reformanda et perficienda erat, et parturientis dolores patitur Paulus, donec hunc finem attigerit. Hanc ob causam etiam *modo*, in hoc tempore Galatis tam periculoso, praesens apud eos esse vellet et *mutare vocem suam*. Quae ultima in verba egregie *Hier.* : « Scriptura divina aedificat et lecta; sed multo plus prodest, si de literis vertatur in vocem, ut qui per epistolam docuerat, praesens instruat audientes. Magnam siquidem vim habet vox viva : vox de auctoris sui ore resonans, quae ea pronuntiatione profertur atque distinguitur, qua in hominis sui corde generata est. Sciens itaque Apostolus maiorem vim habere sermonem qui ad praesentes fiat, cupit vocem epistolicam, vocem literis comprehensam, in praesentiam commutare, et quia hoc magis expediebat his, qui in errore fuerant depravati, vivo eos ad veritatem retrahere sermone ». Minus apte alii explicant, eum pro severo modo, quo illos in primo aut secundo adventu allocutus sit, nunc molliore et blandiore modo eos velle alloqui, aut eum velle pro rerum necessitate vel severioribus vel mitioribus verbis uti, aut pro molli sermone, quo antea usus sit, severiore uti etc.; quae omnia temere coniiciuntur. Praesens autem apud eos esse et viva voce eos alloqui desiderat, quia absens nescit, quid et quomodo dicere debeat, ut periculum ab eis avertat : ὅτι ἀποροῦμαι ἐν ὑμῖν, i. e. quia absens nescio, quid statuere, agere, dicere me oporteat. Latini interpretes plerique (cfr *Vict. A*[ter], *Aug. Pel.* etc.) explicant : « quia propter vestram levitatem, qua meam doctrinam reliquistis, pudore afficior »; sed nec contextui haec interpretatio consonat, nec graeco verbo (ἀπορεῖσθαι), quod *Vulg.* in hoc solo loco vertit *confundor*, alibi rectius *haesito* (*Ioan.* 13,22; *Act.* 25,20), aut *consternor* (*Luc.* 24,4).

§ 3. *Legis inutilitas iuxta typicum historiae filiorum Abrahae sensum* (4,21-31).

4,21. ***Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non legistis?*** 22. ***Scriptum est enim : Quoniam Abraham duos filios habuit : unum de ancilla, et unum de libera.*** 23. ***Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est : qui autem de libera, per repromissionem.*** 24. ***Quae sunt per allegoriam dicta. Haec enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Sina, in servitutem generans : quae est Agar :***

4,21. Λέγετέ μοι, οἱ ὑπὸ νόμον θέλοντες εἶναι, τὸν νόμον οὐκ ἀκούετε; 22. γέγραπται γὰρ ὅτι Ἀβραὰμ δύο υἱοὺς ἔσχεν, ἕνα ἐκ τῆς παιδίσκης καὶ ἕνα ἐκ τῆς ἐλευθέρας. 23. ἀλλὰ ὁ ἐκ τῆς παιδίσκης κατὰ σάρκα γεγέννηται, ὁ δὲ ἐκ τῆς ἐλευθέρας διὰ τῆς ἐπαγγελίας. 24. ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα. αὗται γάρ εἰσιν δύο διαθῆκαι, μία μὲν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ, εἰς δουλείαν γεννῶσα, ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ· 25. τὸ δὲ Ἄγαρ Σινᾶ

25. *Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei quae nunc est Ierusalem, et servit cum filiis suis.* 26. *Illa autem, quae sursum est Ierusalem, libera est: quae est mater nostra.* 27. *Scriptum est enim: Laetare sterilis, quae non paris: erumpe, et clama, quae non parturis: quia multi filii desertae, magis quam eius quae habet virum.* 28. *Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus.* 29. *Sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum Spiritum: ita et nunc.* 30. *Sed quid dicit Scriptura? Eiice ancillam et filium eius: non enim haeres erit filius ancillae cum filio liberae.* 31. *Itaque, fratres, non sumus ancillae filii, sed liberae: qua libertate Christus nos liberavit.*

ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ· συνστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ, δουλεύει γὰρ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς· 26. ἡ δὲ ἄνω Ἱερουσαλὴμ ἐλευθέρα ἐστίν, ἥτις ἐστὶν μήτηρ ἡμῶν· 27. γέγραπται γάρ· Εὐφράνθητι στεῖρα ἡ οὐχ τίκτουσα, ῥῆξον καὶ βόησον ἡ οὐκ ὠδίνουσα, ὅτι πολλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐρήμου μᾶλλον ἢ τῆς ἐχούσης τὸν ἄνδρα. 28. ὑμεῖς δέ, ἀδελφοί, κατὰ Ἰσαὰκ ἐπαγγελίας τέκνα ἐστέ. 29. ἀλλὰ ὥσπερ τότε ὁ κατὰ σάρκα γεννηθεὶς ἐδίωκεν τὸν κατὰ πνεῦμα, οὕτως καὶ νῦν. 30. ἀλλὰ τί λέγει ἡ γραφή; Ἔκβαλε τὴν παιδίσκην καὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς· οὐ γὰρ μὴ κληρονομήσει ὁ υἱὸς τῆς παιδίσκης μετὰ τοῦ υἱοῦ τῆς ἐλευθέρας. 31. διό, ἀδελφοί, οὐκ ἐσμὲν παιδίσκης τέκνα, ἀλλὰ τῆς ἐλευθέρας· τῇ ἐλευθερίᾳ ἡμᾶς Χριστὸς ἠλευθέρωσεν [1].

1. *VV. LL.* — 21. οὐκ ἀκούετε (*non auditis*) B ℵ A C K L P, plerique minusc. et PP., *Syr. Aeth. Goth.*; quam lectionem aliqui Latini (*S. Ambr.* in Luc. III. 28; *Aug. Hier.*) confirmant, si legunt: *non audistis*; sed οὐκ ἀναγινώσκετε (non *legitis*) D E F G, pauci minusc., *Arm.*; ad quam lectionem alii Latini (*Vict. Ater* etc.) accedunt cum *Vulg.* legentes: *non legistis.* — 23. ἀλλὰ ὁ ἐκ τῆς παιδίσκης (*sed qui de ancilla*) solus B cum *Vulg.*; reliqui: ἀλλὰ ὁ μὲν ἐκ τῆς παιδίσκης (sed is *quidem* qui de ancilla) consentientibus *Vict. Atro* etc. — 24. δύο διαθῆκαι (*duo testamenta*) articulo non praemisso est communior lectio codd. graec.; *textus rec.* tamen: αἱ δύο διαθῆκαι cum ℵ et haud multis minusc. — 25. τὸ δὲ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστίν (Agar *autem* Sina mons est) B A D E, pauci minusc., *Memph. Syr.* (codd.); sed *textus rec.*: τὸ γὰρ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστίν (Agar *enim* Sina mons est) cum K L P, plerisque minusc. et PP., *Syr.* (codd.) *Arm.* (codd.); demum τὸ γὰρ Σινᾶ ὄρος ἐστίν (*Sina enim mons est*) ℵ C F G, unus alterve minusc. gr. et aliqui PP. gr., *It.* (*Vict. Ater, Pel. Aug. Hier.* etc.) *Vulg. Sah. Goth.*. Quaenam lectio sit praeferenda dissentiunt critici; sed quin tertia duabus aliis praestet, vix est dubium; cfr *Comment.* — συνστοιχεῖ δέ vel συστοιχεῖ δέ (respondet *autem*) est communis lectio graeca; participium συστοιχοῦσα (respondens) tamen a graecolatinis exhibetur D F G, atque *It.* et *Vulg.* quoque suo *qui coniunctus est* vel *qui coniungitur* se participium legisse innuunt; cfr *Comm.*, — δουλεύει γάρ (servit *enim*) B ℵ A C D F G P, multi minusc., *Syr.* (codd.) *Copt. Arm.*; sed *textus rec.*: δουλεύει δέ (servit *autem*) cum E K L, plerisque minusc., *Syr.* (codd.) *Goth.* A quibus dissentientes Latini (*It. Vulg.*) cum nonnullis codd. *Syr.* legunt: *et servit.* — 26. μήτηρ ἡμῶν (*mater nostra*) B ℵ C D E F G, aliqui minusc., *It.* (*Ater, Pel.* etc.) *Vulg. Syr.* (codd.) *Copt. Aeth. Goth.*; sed *textus rec.*: μήτηρ πάντων ἡμῶν (mater *omnium nostrum*) cum A K L P, plerisque minusc., *It.* (*Vict. Hier.*) *Syr.* (codd.) *Arm.* — 28. ὑμεῖς... ἐστέ (*vos... estis*) B D F G, pauci minusc., *It.* (*Vict. Ater, S. Ambr.* etc.) *Sah. Aeth.*; sed *textus rec.*: ἡμεῖς... ἐσμέν (*nos... sumus*) cum ℵ A C E K L P, plerisque minusc., *It.* (*Aug. Hier.*) *Vulg. Memph. Aeth. Goth.* — 30. κληρονομήσει (*haeres erit*) B ℵ D E P. haud multi minusc.; sed *textus rec.*: κληρονομήσῃ (*sit* haeres) cum A C F G K L, plerisque minusc.; sensus idem manet, quum futurum sit pro voluntativo. — 31. διό (quapropter) B ℵ D, pauci minusc.; *textus rec.*: ἄρα (igitur) cum K L, plerisque minusc.;

Duobus prioribus argumentis Apostolus satis quidem demonstravit, non Legis mosaicae observationem, sed fidem requiri, ut aliquis haereditatis Abrahae seminique eius promissae particeps fieret : Galatae ex auditu fidei benedictiones promissas assecuti erant, antequam de Lege observanda cogitare coeperant (3,1-7); iuxta Scripturae quoque testimonium ii qui ex fide sunt soli cum credente Abraham benedicuntur, benedictiones vero promissae tam parum a Lege dependent, ut Iudaei ipsi ab eius maledicto ac servitute morte Christi redimi debuerint, antequam promissiones plenum suum effectum sortirentur; mortuo autem Christo omnes, quum Iudaei tum ethnici, eadem via ac ratione per fidem et baptismum Christo inserti adoptionem filiorum proximumque ius ad aeternam haereditatem consequuntur (3,8-4,7). Sed iis non contentus tertium haud minus efficax argumentum addit, quo tantum abesse iterum ostendit, ut ii, qui sub Lege sint, legitimi benedictionum sint haeredes, ut ii soli, qui sub ea non serviant, pro veris Abrahae filiis et haeredibus haberi possint. Iuxta disertam enim Dei voluntatem ex duobus filiis Abrahae eum solum legitimum haeredem fuisse monet, qui ex matre libera iuxta divinam promissionem natus ipse quoque liber fuit, alterum vero, qui naturali modo ex serva natus ipse quoque servus fuit, ab haereditate esse exclusum. Quae typice explicans non veteris foederis, cuius typus erat Agar serva, filiis, quippe qui sub Lege serviant, sed novi foederis, cuius typus erat Sara, filiis, utpote liberis et supranaturali modo progenitis, haereditatem competere docet.

Inter modernos acath. vix reperietur, qui huic argumentationi veram probandi vim concedat; neque id mirum, quum eorum patres eam iam negaverint (*Calv.* : « non esset quidem satis valida per se probatio; sed postquam argumentis satis pugnavit, confirmatio haec non est spernenda »; *Luth.* : « allegoriae non pariunt firmas probationes in theologia, sed velut picturae ornant et illustrant rem; nam si iustitiam fidei contra iustitiam operum fortioribus argumentis Paulus non probasset, nihil efficeret hac allegoria »). Ut rationalistas praetermittamus, qui in hac pericope nihil vident nisi rabbinicum Midrasch, quem Paulus ob rabbinicam suam educationem pro vero argumento habuerit, licet nihil prorsus probet, reliqui aut merum argumentum ad hominem, quod obiectiva veritate careat, aut in-

alterutram lectionem exprimunt Latini *Tert.* c. Marc. V. 4 : propter quod; *Aler*, *Hier.* et *Vulg.* : itaque; *Vict.* : ergo etc.; similiter *Syr. Arm.*; a quibus differunt alii legentes : ἡμεῖς δέ (nos *autem*) A C P, pauci minusc., aliqui PP. latini, *Copt.*; sed prima lectio praeferatur oportet. — Ultimum membrum τῇ ἐλευθερίᾳ ἡμᾶς Χριστός ἠλευθέρωσεν, uti latinum : *qua libertate Christus nos liberavit* melius ad initium sequentis sententiae trahitur; de genuina lectione cfr *infra* p. 559.

geniosam quandam doctrinae iam demonstratae illustrationem etc. in ea detegunt. Quibus non inhaeremus, quia quid de typis typicoque sensu Scripturarum eiusque vi demonstrativa sentiendum sit, alibi iam diximus (cfr *Introd. gener.* in U. T. sacr. libr. p. 530-543; *Compend.* Introd. p. 131-133). Divinitus illustratus Paulus perspexit, Deum admirabili sua providentia conditiones duarum mulierum earumque filiorum ita ordinare ac disponere voluisse, ut futuram duorum testamentorum mutuam relationem praefigurarent ac praesignificarent. Veritas autem, quam Deus eiusmodi typis manifestat, non minus certa est veritate, quam verbis annuntiat; quare huic Pauli argumentationi non minor vis probandi est, quam si eam ex disertis Scripturae verbis desumsisset.

Quae igitur Scriptura de diversa duorum filiorum Abrahae conditione et origine refert, ea Paulus Galatis in memoriam revocat, quia haec narratio typicam significationem habeat (12-24). Quamquam Legis servitutem, in qua ante Christi adventum Iudaei degerant, supra iam libertati christianae opposuerat (*v.* 1 sqq.), ad novam tamen demonstrationem, quae tota est de hac oppositione, post satis longam exhortationem abrupte admirabunda interrogatione transit : **21.** *dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non legistis* (rectius : *auditis* ἀκούετε)? Galatas alloquitur, qui nondum circumcisi Legem nondum receperant, atque « recte dicit : *qui vultis;* neque enim id, quod ab eis agebatur, rerum necessitas postulabat, sed importuna eorum contentio efficiebat » (*Chrys.*). Iucundo autem verborum lusu utitur, quum eos, qui *sub Lege* (ὑπὸ νόμον), i. e. sub mosaicis praeceptis, servire volebant, ad *Legem* (τὸν νόμον הַתּוֹרָה), i. e. ad pentateuchum mosaicum, remittit, qui etiam (una cum propheticis aliisque sacris libris V. T.) in Christianorum coetibus publice praelegi solebat (cfr *Act.* 15,21) ac proin a Galatis *audiri* potuerat et debuerat. In omnibus suis epistolis, quamvis ecclesiis, quae maximam partem ethnicis conversis constabant, sint scriptae, Paulus Scripturarum haud levem scientiam supponit; in Vet. Test. vero, quod integrum quoque *Lex* interdum nominabatur (cfr 1 *Cor.* 14,21; *Ioan.* 10,34 etc.), haud pauca inveniebantur, quae mosaicae Legis futuram abrogationem docebant; quare iure merito mirari potuit, quod sub Lege esse vellent, qui pentateuchum aliosque sacros libros praelegi audiebant. Parum recte igitur nonnulli praeeunte *Hier.* verbo *audiendi* hic sensum « intelligendae typicae Scripturarum significationis » attribuunt : « audit Legem, qui iuxta Paulum non superficiem, sed medullam eius introspicit; non audit Legem, qui similis Galatarum exteriorem tantum corticem sequitur »; vix enim ac ne vix quidem Paulus supponere potuit, neophytos typicam illam, quam expositurus est, explicationem cognovisse. Id uti-

que verum est, *audire* hic non tantum esse auribus, sed etiam mente et intelligentia percipere (cfr ad 1 *Cor.* 14,2).

Quid sua interrogatione voluerit, docet paucis verbis ea proponens, quae explicare vult : 22. *scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla* (ἐκ τῆς παιδίσκης, de ancilla omnibus cognita *Gen.* 16,1 sqq.) *et unum de libera* (ἐκ τῆς ἐλευθέρας *Gen.* 21,1 sqq.). Plures quidem alios quoque habuit filios, qui ei post Sarae mortem ex Cetura nati sunt (*Gen.* 25,1 sq.); sed Apostolus « hos solos commemorat, inquit *Aug.*, quia solos adhuc habebat Abraham, quum haec significarentur, quae consequenter exponuntur »[1]; revera ante Sarae mortem Ismael haereditate privatus est (*Gen.* 21, 9 sqq.). Quoniam partus sequitur ventrem, Paulus diserte non dicit, ancillae filium natum esse servum liberaeque filium fuisse liberum, etsi ex hac diversa eorum conditione argumentaturus est, sed alteram differentiam, quae ei non minoris est momenti, studiose addit : 23. *sed qui de ancilla, secundum carnem natus est, qui autem de libera per repromissionem.* Prior, servae filius Ismael, *secundum carnem* (κατὰ σάρκα) natus dicitur, non quia ex Abrahae semine (cfr *Rom.* 1,3; 9,3. 5 etc.) progenitus est (hoc enim alteri quoque competit), sed quia secundum naturae leges ordinario, quo reliqui pueri, modo a parentibus generationi naturaliter idoneis est ortus, atque hac ratione Israelitas, qui naturali generatione per Iacobum et Isaac ab Abrahamo descendentes filii Abrahae secundum carnem sunt, praefigurat. Alter vero, liberae filius Isaac, *per promissionem*, i. e. vi ac virtute divinae promissionis (*Gen.* 17,16,19; 18,10), quae propter Dei fidelitatem non impleri non potuit, aut *secundum spiritum* (κατὰ πνεῦμα v. 29), i. e. praeternaturali ac miraculoso modo ortus est, utpote « non secundum naturae leges neque iuxta coniugiorum morem satus neque per carnis vires ex aridis corporibus progenitus; neque enim caro conceptum, neque semen partum dedit, siquidem vulva bis erat emortua et propter aetatem et propter sterilitatem (cfr *Rom.* 4,19; *Hebr.* 11,11 sq. etc.), sed Dei sermo illum efformavit » (*Chrys.*), quum nimirum Deus emortuam generandi facultatem parentum miraculose resuscitaret; hinc Isaac aptus quoque est typus eorum, qui non secundum carnem sed secundum spiritum, fide

1. Addit autem *Aug.* : « Quod si data per Apostolum fiducia, qua duos illos allegorice accipiendos apertissime ostendit, voluerit aliquis etiam Ceturae filios in aliqua rerum figura futurarum inspicere (non enim frustra de talibus personis administratione Spiritus S. haec gesta conscripta sunt), inveniet fortasse haereses et schismata significari. Qui filii *de libera* quidem, sicut isti de Ecclesia, sed tamen *secundum carnem* nati sunt, non spiritualiter per repromissionem; quod si ita est, nec ipsi ad haereditatem inveniuntur pertinere ».

scilicet, sunt filii Abrahae et tamquam membra Christi ad semen Abrahae pertinent (cfr 3,7. 29).

Haec novi argumenti fundamentum constituunt, sed ut argumentationi inserviant, altiore illo sensu intelligantur oportet, quem Deus historico hoc facto praedicere voluit; quare Apostolus monet : 24. *quae sunt per allegoriam dicta* (ἀλληγορούμενα) i. e. praeter sensum historicum continent alterum typicum. Improprie (καταχρηστικῶς) nomen *allegoriae* hic pro typo sumi, Graeci caute adnotant, ne quis historicam mosaicae narrationis veritatem negari suspicetur (cfr *Chrys. Mopsu. Sev.* etc.). Allegoria enim, si propria et etymologica sua significatione sumitur (ἄλλο μὲν ἀγορεύω, ἄλλο δὲ νοέω), ad metaphorae genus pertinet aliudque verbis, aliud sensu ostendit; quare mythologicae narrationes, quibus philosophicas aliasve veritates doceri putabant, grammatici alexandrini allegorias appellabant[1], atque Philoni quoque aliisque Iudaeis alexandrinis narrationes mosaicae, in quibus, historica earum veritate aut neglecta aut negata, occultas doctrinas quaerebant, totidem erant allegoriae (cfr Introd. gener. in U. T. libr. sacr. p. 598 sq.). Hoc utique sensu Paulus verbum ἀλληγορεῖν non adhibet, sed historicam narrationis veritatem supponens significat, Deum providentia sua, qua omnia ac proin liberae quoque hominum actiones reguntur, conditiones duarum illarum mulierum filiorumque earum ita ordinasse ac disposuisse, ut veritatem quandam ad messianicum regnum spectantem praefigurarent. Itaque « non aufert historiam, sed docet quae in historia typice continentur » (*Theod.*), neque altiorem hanc historiae significationem ipse confinxit aut arbitrarie excogitavit, sed a Spiritu S. illustratus omnimoda cum certitudine in illa narratione contineri cognovit; ideo eam etiam sine ulla haesitatione eadem cum fide ac simplicitate, qua veritates ipsis Scripturarum verbis diserte expressas, proponit. Absolute enim, quia hac de re certissime ei constat, asserit : *haec enim sunt duo testamenta.* Latinum pronomen *haec* per attractionem substantivo praedic. (testamenta) est conformatum; uti graecum αὗται enim ad duas matres refertur : *hae* duae mulieres, Agar serva et Sara libera, *sunt duo testamenta* vel foedera (διαθῆκαι), i. e. eorum typi[2]. Thesin quasi statuit, quam tamen non tam demonstrat, quam typorum explicatione explanat, primum relationem foederis Legis ad Agar (24. 25), deinde

1. Cfr *Suid.* s. v. : « Allegoria est metaphora, quum alia verbum scriptum dicit, alia sensus » (ἄλλο λέγον τὸ γράμμα, ἄλλο τὸ νόημα); *Heraclid.* de allegor. Homer. 5 : « figura, quae alia enuntiat et diversa ab iis, quae dicit, significat, proprie vocatur allegoria ».

2. De vi ac potestate verbi ἐστίν in eiusmodi sententiis cfr ad 1 *Cor.* 11,24; 10,4.

relationem foederis evangelicae libertatis ad Saram (26-28), demum relationem duorum filiorum ad haereditatem exponens (29-31).

A Legis foedere in Agare ancilla praefigurato exorditur: *unum quidem in monte* (ἀπὸ ὄρους lege : *a monte* [1]) *Sina in servitutem generans, quae* (ἥτις melius et clarius: *qualis* [2]) *est Agar*. Solitarium positum est *unum quidem* (sc. testamentum, μία μέν), quia formulam ei respondentem (*alterum autem* ἑτέρα δέ) Paulus omisit, ut *v.* 26. secundum membrum alio modo exponeret. Porro foedus Legis, quod tempore foedus evangelicae libertatis praecessit (uti Ismael ante Isaac natus est) secundum originis locum describit : *a monte Sina,* in quo Lex data foedusque sancitum est (*Exod.* 24,1 sqq.), et secundum internam suam indolem : *in servitutem generans,* i. e. ita comparatum, ut qui ad illud pertinent (« filii foederis » *Act.* 3,25) vi originis ac generationis suae sint servi, utpote inde a nativitate Legi subiecti. Utraque autem ratione foedus Agari respondere ac simile esse asserit : *qualis* (sc. a monte Sina et in servitutem generans) *est Agar,* ut proin foedus Legis in Agare suum habere typum iure dici appareat.

Ne quis vero dubitet, quin externa quaedam relatio et internae similitudinis ratio typum inter et antitypum adsint, probationem (vel potius explicationem) adiungit: 25. *Sina enim mons est in Arabia,* (*qui*) *coniunctus est* (συστοιχεῖ δέ, lege : *coniunctus autem est*, vel melius : *congruit autem*) *ei quae nunc est Ierusalem;* (*et*) *servit* (δουλεύει δέ, lege: *servit autem*) *cum filiis suis.* Facile aliquis dubitare potuit, num Agari ulla esset ad filios Israel eorumque foedus relatio, quoniam nec eorum erat mater nec per filios suos aut alia ratione cum eis cohaerere videbatur. Ut eam autem adesse ostenderet, Apostolus foedus Legis a monte Sina esse dixit, *montem Sina* autem *in Arabia* situm esse. Agar enim

1. Cum antiqua versione latina (cfr *A^{tr}*, *Aug. Hier.* etc.) et graeco textu consentientes omnes meliores *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat. Tol.* etc. cfr *Corss.*) praepositionem *a* tuentur, quae retinenda est (*Vict.* tamen legit : *ex* monte Sina).

2. Vix non omnes pronomen ἥτις pro sententiae relativae subiecto habent illudque referri volunt ad praecedentis phraseos subiectum μία (sc. διαθήκη), ut sensus sit : *quippe quod* testamentum *est Agar* i. e. antitypus Agaris; in textu latino igitur pronomen (*quae*) iterum per attractionem nomini praedicati (*Agar*) esset conformatum. Quam constructionem aptam quidem esse non plane negamus, quum ita ratio reddatur, cur foedus Legis in servitutem generet, quia nimirum Agari servos parienti respondeat. Sed ei obstare arbitramur, quod eandem rationem Apostolus immediate antea iam indicavit, quando duas mulieres, unam ancillam, alteram liberam, typos duorum testamentorum esse asseruit; neque satis videmus, cur eadem in sententia eandem rationem eadem fere forma repetierit. Quapropter pronomen relativum pro praedicato habere malumus, ita ut eandem hic, quam saepius, constructionem inveniamus; cfr 1 *Cor.* 3,17 : ὁ γὰρ ναὸς τοῦ Θεοῦ ἅγιόν ἐστιν, οἵτινες ἐστὲ ὑμεῖς : « templum Dei sanctum est, quales (sc. sancti, vel potius : quale sanctum templum) estis vos ».

est mater Arabum, qui ab Ismaele descendentes (*Gen.* 25,12 sqq.) regionem circa montem Sina sitam incolunt (*Gen.* 21,21; 25,18). Deus ergo providentia sua res ea ratione disposuit, ut in terra « filiorum Agar » (*Bar.* 3,23), qui in patre suo Ismael ab haereditate Abrahae exclusi erant, foedus Legis sanciretur, quod proin loco originis suae quasi indicaret, se ius ad haereditatem filiorum non praebere sed potius servis convenire. Bene antiquus quidam interpres in *Cat. graec.*: « non sine ratione montem Sina Apostolus commemorat, sed quia Saraceni ab Ismaele progeniti desertum, quod usque ad Sina montem se extendit, occuparant; porro in monte Sina data est Lex in servitutem generans; a Sina monte autem tabulae Legis allatae sunt filiis Israel, quae deinde a loco in locum saepe transportatae tandem in Ierusalem stabilem sedem invenerunt; ideo addidit: *coniunctus est* (vel *congruit*) *autem ei quae nunc est Ierusalem* », Ierusalem sc. terrestri, quae futurae Ierusalem coelesti opponitur. Revera foedus sinaiticum non amisisse characterem, quem ex loco originis traxerat, Paulus insinuat; ideo enim montem Sina et Ierusalem, quae sedes illius foederis facta est, coniunctos, i. e. in eodem ordine esse sibique respondere atque inter se congruere monet[1], ut quod de uno praedicetur, suo modo de altera valeat. Ex eo igitur, quod foedus in terra exhaereditatorum exortum nunc in urbe, quae ad haereditatem Abrahae promissam pertinet, sedem suam fixit, nondum sequi innuit, foedus naturam suam mutasse, ita ut nunc iam filiis sit adaptatum ac ius haereditatis tribuat. Atque haec quidem de externa Agaris relatione ad foedus mosaicum; ad internam autem eorum similitudinem quod attinet, Apostolus id unum adnotat, quod ad finem argumentationis conducit: *servit autem* (Agar)

1. Verbum συστοιχεῖν *Chrys.* (cfr etiam *Dam. Oec. Theoph.*) idem esse censet quod *vicinum* vel *contiguum esse* (γειτνιάζειν, ἅπτεσθαι), atque eodem sensu primi latini interpretes illud videntur sumsisse (*Vict.* et *Vulg.*: coniunctus est, *Ater*: coniungitur, *Hier.*: conterminus est); at tanto terrarum tractu Sina mons ab urbe Ierusalem separatur, ut vicini dici nequeant; neque recte aliqui Latini montes Sina et Sion perpetua fere montium serie inter se coniungi arbitrati sunt, atque multo minus recte pauci cum *Thom.* eos coniungi dixerunt itinere, quo filii Israel a monte Sina in Palaestinam venerunt. Aptius *Theod.* cum *Mopsu.* verbum idem esse dixit, quod *consonare* (συμφωνεῖν, ἰσοδυναμεῖν), atque simili modo aliquae versiones latinae (cfr *Tisch.*) nostro in loco exhibent: *consonat, confertur* etc.; duae vero *Glossae* ad latinum verbum *coniunctus est* adnotant: *similis est*, quam glossam iuniores multi explicantes monuerunt: « coniunctus est non per spatii continuitatem, sed per similitudinem » (*Thom. Cai. Salm.* etc.) aut « coniunctus est non loco sed allegorico intellectu » (*Lyr. Dion.* etc.). Iamvero verbum συστοιχεῖν de ordine vel serie militum usurpatur, qui ita sunt dispositi, ut alter alterius vestigiis quasi inhaereat (συζυγεῖν de ordine militum qui iuxta compositi sunt); a philosophis autem translatum est ad ea designanda, quae utpote affinia vel similia alterum alteri congruunt ac respondent; σύστοιχα ex. gr. vocant duo crassiora elementa (terram et aquam), quatenus a subtilioribus et inter se quoque συστοίχοις (aere et igne) differunt iisque sunt ἀντίστοιχα; Aristoteli (Top. 2,9) τὰ δίκαια et ὁ δίκαιος sunt σύστοιχα τῇ δικαιοσύνῃ etc. Haud raro quoque συστοιχίαν et ἀντι-

cum filiis suis; quum serva esset, necessario in servitutem generavit, ut filii eius ab ipsa sua nativitate servi essent. Quodsi vero altera lectio praefertur : δουλεύει γὰρ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς (servit *enim* cum filiis suis), quae maiore testium auctoritate commendari videtur (cfr *VV. LL.*), sententiae subiectum erit *Ierusalem*, quae cum filiis, i. e. incolis suis (*Matth.* 23,37), servire dicitur, quia Legi subiecta est[1]; sententia autem iuxta hanc lectionem ab Apostolo est addita, ut foedus sede translata eandem, quam antea, naturam retinuisse atque Ierusalem, quae nunc est, monti Sina in terra exhaereditatorum et servorum sito vere congruere confirmaret.

Haec verisimilior videtur esse explicatio huius sententiae, quae varietate lectionum satis impedita est; *Vulg.* lectionem fere secuti sumus, in eo maxime ab illa dissentientes, quod ultimum membrum (*et servit cum filiis suis*) ad subiectum *Sina mons* non retulimus, quia pronomen *suis*, quum graeco αὐτῆς respondeat, subiectum femin. (aut Agar aut Ierusalem, aut in graeco διαθήκη) postulat; revera nec graeci codd. nec ulla alia versio per coniunctionem copulativam (*et*) ultimum membrum prioribus adiungit, sed per discretivam (δέ) aut causalem (γάρ) coniunctionem. Minor est differentia in secundo membro, quod *Vulg.* per relativum pronomen introducit (*qui coniunctus est*), dum codd. graeci et aliae verss. etiam hic coniunctionem δέ (autem) exhibent; sed hac varietate sensus parum mutatur. Cum antiquis enim omnibus interpretibus verbum συστοιχεῖ cum subiecto τὸ Σινᾶ ὄρος (vel τὸ Ἄγαρ) connectendum censemus, quamvis moderni haud pauci sententiam *Sina mons est in Arabia* parenthesi includant, ut verbum συστοιχεῖ cum praecedente relativo : ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ parum apte connectant aut etiam ab hoc verbo novam sententiam inchoent, cuius subiectum sit Ἄγαρ.

Quibus variis sententiis praetermissis, quum nulla sit ratio, cur ab antiqua et communi recedamus, de altera lectione dicendum est, quam graeci interpretes secuti sunt et moderni satis multi praeferunt; etenim pro τὸ γὰρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, quam lectionem cum omnibus Latinis (*Sina*

στοιχίαν schemate quodam proponunt, quod imitatus *Lap.* satis apte simile schema huius typi proponit (cfr *Lightf.*, qui idem fere repetit) :

συστοιχα.		σύστοιχα.
Servitus.		Libertas.
Agar serva.		Sara libera.
Ismael secundum carnem, servus.	ἀντίστοιχα	Isaac per repromissionem, liber.
Lex in Sina.		Evangelium in Ierusalem.
Ierusalem terrestris, mater Iudaeorum.		Ierusalem coelestis, mater nostra.
Iudaei servi Legis.		Christiani liberi per fidem.

1. Praeeuntibus nonnullis Patribus (*S. Ephr.*, *Pel.* etc.) aliqui verba de servitute, qua Iudaei eo tempore Romanis subiecti erant, intellexerunt, sed haec explicatio ad contextum non satis videtur quadrare.

enim mons est in Arabia) etiam aliqui ex optimis codd. graec. et bonae verss. tuentur (cfr *VV. LL.*), legerunt : τὸ δὲ (vel γάρ) Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν Ἀραβίᾳ (*Agar autem* [vel : *enim*] *Sina mons est in Arabia*) atque Paulum ex solo nomine *Agar* argumentum suum desumere putarunt. Quia Ἄγαρ enim praefixum habet articulum neutr. (τὸ Ἄγαρ), solum nomen consideratur atque sensus sententiae est : nomine Agar in Arabia (seu ab Arabibus) vocatur mons Sina. « Agar, inquit *Chrys.*, vocabatur ancilla illa; mons Sina eodem nomine appellatur illius gentis lingua » ; iuxta *Mopsu.* autem « *Arabia* olim vocabatur non ea tantum regio, quae hodie ita appellatur, sed *Agar* (nominabatur) omne desertum et partes quae circum illud habitantur, atque etiam pars Aegypti haud exigua ». At montem Sina umquam nomen Agar habuisse incertissimum est; neque recte aliqui moderni addunt, in lingua arabica *hagar* significare lapidem vel rupem, nihil mirum igitur in eo esse, quod mons Sina ab accolis vocatus sit *hagar*. Nam *hagar* (lapis) per ח scribitur (חגר), nomen mulieris vero, quod per ה scribitur (הגר) *fugam* significat; etsi igitur daremus, montem Sina nomen Hagaris (aut Chagar vel potius Chadschar) habuisse, nihil efficeretur; Paulum enim ex mera duorum nominum assonatione similique eorum sono argumentatum esse, vel potius Deum voluisse, ut ancilla et mons *similia* nomina haberent atque hac similitudine nominum typica eorum relatio significaretur, nobis non persuademus. Quod moderni rationalistae, qui rabbinicum Midrasch in hac pericope vident, eiusmodi sententiam teneant, non miror; sed quomodo ii moderni interpretes, qui Scripturam inspiratam esse tenent, illam nominum *similitudinem* proferant, non intelligo; graeci Patres enim non similia, sed eadem esse nomina putarunt et quum antiochenae interpretum scholae principiis inhaererent, argumentum, quod ad nudae allegoriae genus non tam accedit quam pertinet, respuissent. Qui igitur probare potest, nomen ancillae et montis idem fuisse, lectionem illam sequi poterit cum Graecis, sed recte moderni plerique lectionem *Vulg.* retinent (cfr *Wind. Bisp. M Ev. LR. Sch. Dr.* etc. — *Goeb. Lghtf. Z.* etc.), quam ex modernis critic. *Bentl. Lachm. Tisch. Treg.* receperunt, *WH.* saltem non reiecerunt, licet eam in marginem relegarent.

Si alterum typi membrum eadem ratione, qua prius, explicare voluisset, Paulus pergere potuisset : « alterum autem (foedus) ex monte Sion (cfr *Is.* 2,2 sqq.) in libertatem generans, quae est Sara; Sion enim est in terra promissionis et respondet coelesti Ierusalem; libera autem est (Sara) cum filiis suis ». Attamen his, quae facile a lectoribus suppleri poterant, praetermissis statim ad antitypum transit : 26. *illa autem, quae sursum est Ierusalem, libera est, quae est mater nostra* (vel : mater omnium nostrum πάντων ἡμῶν cfr *VV. LL.*). Sua quasi sponte praecedenti *Ierusalem quae nunc est*, qua expressione synagoga Legi serviens designatur, sese opponit *Ierusalem quae sursum est*, i. e. regnum messianicum s. Ecclesia. Accuratius quidem Ierusa-

lemi *praesenti* (τῇ νῦν Ἰερουσαλήμ) opponitur Ierusalem *futura* (Ἰερουσαλὴμ ἡ μέλλουσα) atque Ierusalem *supernae* (τῇ ἄνω Ἰερουσαλήμ) Ierusalem *inferna* (ἡ κάτω Ἰερουσαλήμ); sed non sine ratione Paulus priorem expressionem (*futuram* Ierusalem) non adhibuit, quia ipsa quoque praesens iam aderat, quamvis totam suam perfectionem non habitura esset nisi tempore resurrectionis universalisque iudicii, quando Filius regnum, quod acquisivit sanguine suo, traditurus est Patri (1 *Cor.* 15,24; cfr *Apoc.* 21,1 sqq.). De huius enim temporis Ecclesia militante, quae cum triumphante utique intime est connexa nec ab ea separari potest (cfr *Hebr.* 12,22 sqq.), loquitur eamque *supernam* vocat, quia, quamquam in terra versatur, secundum originem tamen, indolem finemque suum desursum est; corpus enim est, cuius caput Christus in coelo residet, cuiusque membra, quamdiu in hac terra degunt, non nisi vita, quam a capite suo coelesti accipiunt, viventia conversationem suam in coelis habent eoque tendunt, ut capiti suo glorificato conglorificentur (*Phil.* 3,20 sq.). Iamvero hanc coelestem civitatem et *liberam* esse a servitute Legis, cui terrestris Ierusalem cum filiis suis servit, asserit et *matrem nostram* esse, ita ut *omnes*, sive Iudaei sive ethnici conversi, utpote liberae filii, et ipsi liberi simus filiorumque iure ad haereditatem potiamur[1]. Utrumque autem duabus sequentibus sententiis demonstrat: libera enim est Ecclesia, quia Sarae respondet, quatenus ipsa quoque, sicut illa, licet naturaliter sterilis ac deserta sit, divinae tamen promissionis virtute numero filiorum aemulam suam longe superat (*v.* 27.); mater autem nostrum omnium est, quia nos quoque, sicut Isaac, non secundum carnem sed per repromissionem sumus nati ac proin sicut Isaac liberi sumus ac haeredes (*v.* 28).

Priorem probationem ex prophetae verbis (*Is.* 54,1) desumit, quae iuxta alexandr. versionem a primigenio textu sensu non dissentientem allegat[2]: **27.** *scriptum est enim: Laetare sterilis, quae non paris; erumpe* (ῥῆξον sc. εὐφροσύνην erumpe gaudium i. e. iubila) *et clama, quae non parturis; quia multi filii desertae, magis quam eius quae habet virum.* Propheta, postquam immediate antea (52,13-53,12) de servi Dei, i. e. Messiae, passionibus locutus fructus earum paucis tantum verbis innuit, inde a 54,1 accuratius illos describere incipiens sub figura urbis Ierusalem, quae exsilii tempore sterilis ac deserta iace-

1. Lectionem receptam μήτηρ πάντων ἡμῶν (mater *omnium* nostrum), quum sufficiente testium auctoritate fulciatur et a *S. Polyc.* (ad Phil. 3) quoque confirmari videatur, praeferendam ducimus, quia maiorem vim habet atque sequenti sententiae, in qua de multitudine filiorum agitur, magis congruit.

2. De hoc textu cfr *Knabenbauer* Comment. in Isaiam. II p. 338 sqq.

bat sed ad novam splendidioremque vitam resurrectura erat, regnum messianicum morte servi Dei fundatum describit illudque fines suos usquequoque extensurum atque gentes quoque omnes complexurum esse praedicit, ita ut veterem theocratiam longe sit superaturum. At dubium non est, quin propheta in verbis allegatis simul ad Abraham Saramque alluserit, quorum fidem brevi antea Iudaeos, quia eorum essent filii, considerare et imitari iusserat, ut salutem invenirent (*Is.* 51,1 sqq.); neque immerito etiam iudaici interpretes (cfr *Schoettg.* Horae hebr. in Gal. 4,27) duos istos locos connectunt monentque : « sterilitas Abrahae et Sarae figura fuit sterilitatis Sion ». Aptissime ergo Paulus haec verba adhibuit, ut novam Ecclesiam per Saram praefigurari ideoque, sicut illam, liberam esse demonstraret. Sara, quum sterilis atque etiam a viro, postquam ille ad ancillam introierat, deserta esset, filios sese habituram sperare non poterat; at divinae promissionis virtute laetatur de maximo filiorum numero, quo ancillam, quae foecunda erat et virum habebat, longe superat. Simili modo Ierusalem coelestis, quae in prima futuri Salvatoris promissione quasi nata est, toto quidem tempore Legis, quando Ierusalem terrestris de sua cum Deo unione gloriabatur multosque filios secundum carnem sibi procreabat, sterilis atque a Deo oblivioni data ac derelicta videbatur; sed post promissi Salvatoris mortem statim foecundam se esse ostendit et de numerosa laetatur prole, quam utique non secundum carnem sed per divinam promissionem parit. Haud pauci quidem Patres inde a primis fidei temporibus et cum eis multi iuniores Isaiae Paulique sententiam de sola gentium Ecclesia interpretari videntur, quae usque ad Christi adventum sterilis fuerit, ab eo autem tempore synagogam numero filiorum superare coeperit (cfr *S. Clem Rom.* 2 Cor. 2; *S. Iust. M.* Apol. I. 53; *Orig.* Comm. in Rom. VI. 7; *Euseb.* et *S. Cyr. Alex.* in Is. 54, 1; *Chrys. Theod. Pel.* etc.). At utroque in loco de integra Ecclesia sermonem esse, contextus docet, quum integra Ecclesia sit fructus passionis servi Dei et omnium fidelium mater appelletur, quamquam certum est, prophetam non minus, qui de accessione gentium ad novam Ierusalem diserte loquitur (*Is.* 54,3.), quam Apostolus, qui gentilibus conversis scribit, de gentilium ecclesia maxime cogitasse. Eodem autem sensu etiam Patres illos, saltem plerosque, locum intellexisse arbitramur, siquidem non tam gentium ecclesiam ecclesiae Iudaeochristianorum, quam Ecclesiam integram, quae, quia maximam partem gentibus conversis constat, ab eis gentium appellatur, antiquae synagogae opponunt.

Interroganti autem, ubinam numerosa illa proles inveniatur, Apostolus ita respondet, ut alterum suum assertum, coelestem Ierusalem

esse nostrum omnium matrem, confirmet : 28. *nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus.* Ad Pauli argumentationem lectio ἡμεῖς... ἐσμέν (*nos... sumus*), quae non minore, quam altera (ὑμεῖς... ἐστέ *vos... estis*), auctoritate est munita (cfr *VV. LL.*), melius quadrat, quia non tantum Galatas aliosque gentiles conversos, sed etiam Paulum ac Iudaeochristianos, simili modo quo Isaac a Sara (*secundum Isaac*), vi divinae promissionis a nova Ierusalem generatos esse insinuat. Ceterum bene *Chrys.* : « non sterilis tantum, inquit, erat Ecclesia sicut Sara, neque mater tantum facta est multorum filiorum, sicut illa, sed etiam eadem ratione, qua illa, eos generavit. Quemadmodum illam enim non natura, sed Dei promissio fecit matrem (nam qui dixit : secundum tempus veniam et Sarae erit filius [*Gen.* 18,10], idem ingressus in uterum infantem formavit), sic et in nostra regeneratione natura nihil efficit, sed verba divina fidelibus cognita in aquae lavacro per sacerdotem pronuntiata, velut in utero quodam, formant et regenerant eum qui baptizatur ».

Synagoga ergo, utpote per Agarem praefigurata, serva est cum filiis suis, Ecclesia vero, mater nostra, quoniam Sarae respondet, libera est; unde iam clarum est, neophytos, quia liberae sunt filii, Legi non posse subiici. Quibus non contentus Paulus hostes ipsos aggreditur atque a matrum historia ad filiorum sortem transiens, qui ipsi quoque typi sint, ostendit solos Ecclesiae filios ius ad haereditatem Abrahae possidere, ab ea autem synagogae filios, i. e. omnes qui Legi serviant, esse exclusos. Tantum igitur iuxta novum hoc argumentum abest, ut neophyti ethnici, si Legi sese subiiciunt, novam perfectionem acquirant ac perfectiores Christiani fiant, ut hac subiectione iura verorum Christianorum amittant. Itaque a vero aberrarunt, qui typicam hanc explicationem prioribus argumentis velut meram illustrationem aut confirmationem quandam, quae per se superflua esset, accedere putarunt; nam novo hoc argumento, quo procul dubio priora etiam confirmat, Paulus adversarios suos plane frangit ac profligat, quandoquidem eos ipsos, qui per Legem alios ad perfectionem adducere velint, nondum veros Christianos esse insinuat, quia tamquam filii ancillae ab haereditate sint exclusi.

Probabile est, iudaizantes pseudapostolos, ut Galatas ad suas partes attraherent, eis subiectionem sub Lege ad infidelium Iudaeorum persecutiones avertendas commendasse (cfr 5,11); verum nihil esse, quod de persecutionibus illis, quamvis sint promissionis filii, mirentur aut extimescant, Apostolus monet, quoniam in eis novam suae cum Isaaco similitudinis rationem habeant atque ex eis se filios liberae ac proin haeredes esse clarius cognoscant: 29. *sed quomodo tunc is, qui secun-*

dum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum : ita et nunc. Ancillae filius *secundum carnem*, filius liberae *secundum spiritum*, utpote vi divinae promissionis, natus est (cfr ad *v.* 23); maiorem vero persecutum esse fratrem suum natu minorem Apostolus ex *Gen.* 21,9 sq. colligit. Quo in loco Ismael quidem cum Isaac *lusisse* tantum (צחק *Alex.* παίζειν) refertur [1]; verum Patres iam, quum Sara propter istum lusum, ut ancilla cum filio eiiceretur, ab Abrahamo postularet, « lusum illum non fuisse simplicem » (*Hier.*), « lusionem illam illusionem, et, si illusio, seductionem ac deceptionem fuisse » (*S. Aug.* serm. 3; in Ioan. tract. 11,12; 12,5 etc.) concluserunt eodemque sensu Iudaei, varias utique fabulas admiscentes, locum interpretati sunt [2]. Iusto igitur iure Paulus Ismaelem persecutum esse fratrem suum dicit, quum Geneseos contextus persecutionem indicet; neque opus est ad Apostoli expressionem defendendam, ut cum nonnullis continua bella, quibus Ismaelis posteri (Ismaelitae, Agareni etc.) filios Israel lacessiverunt (1 *Par.* 5,10. 19; *Ps.* 82,7 etc.) huc trahamus. Porro filios Ierusalem terrestris, qui per Ismaelem praefigurati sunt, i. e. Iudaeos Legi servientes, simili modo filios Ierusalem coelestis, i. e. Christianos, vexasse ac persecutos esse, integri Apostolorum Actus testantur, ex quibus manifestum quoque est, quam infesto odio Iudaei et per se ipsos et per ethnicos, quos instigarunt, in meridionalibus provinciae Galatiae partibus Apostolum neophytosque insectati sint (*Act.* 13. 14).

Sese igitur hac ratione filio liberae assimilatos esse, Galatae experientia edocti erant; quodsi vero antitypi erant Isaaci persecutione oppressi, etiam antitypi esse debebant Isaaci ad haereditatem admissi, dum eorum persecutoribus sors Ismaelis exhaereditati remanebat. Quam conclusionem Paulus innuit pergens : 30 *sed quid dicit Scriptura? Eiice ancillam et filium eius; non enim haeres erit filius ancillae cum filio liberae.* Verba haec a Sara quidem sunt dicta, at quia Deus ea appro-

1. In textu hebr., uti iam *S. Hier.* (Hebr. Quaest. in Genes. 21,9) adnotavit, verba *cum Isaac filio suo*, quae Pauli sententia supponit, desiderantur; sed errore librarii, homoioteleuto (מצחק בבנה ביצחק) decepti, videntur excidisse. *S. Hier.* ea ex alex. vers. transumsit.

2. Cfr *S. Hier.* (Hebr. Quaest. in Gen.) : « Dupliciter hoc *ab Hebraeis* exponitur : sive quod idola ludo fecerit (Ismael) iuxta illud, quod alibi scriptum est : sedit populus comedere et surrexerunt *ludere* (צחק *Exod.* 32,6), sive quod adversum Isaac, quasi maioris aetatis, ioco sibi et ludo primogenita vindicaret ». Alias duas Iudaeorum explicationes *Haym.* refert, iuxta quas Ismael lusu suo fratrem corpore aut mente infirmum indignumque, qui acciperet haereditatem, ostendere voluerit. Quinta explicatio in *Bereschith rabba* ita affertur : « Dixit Ismael Isaaco : eamus et videamus portionem nostram in agro; et tulit Ismael arcum et sagittas et iaculatus est Isaacum et prae se tulit ac si luderet ». Sed vanae hae sunt coniecturae.

bavit, quum Abrahamum ea exsecutioni mandare iuberet (*Gen.* 21, 10. 12), Apostolus ea Scripturae seu Deo loquenti iuremerito attribuit; levi tamen mutatione, quam subiecti loquentis mutatio necessariam reddidit, argumento ea suo accommodavit pro *filio meo Isaac* ponens *filio liberae*. Recte monet *Chrys.* « non ob temporariam persecutionem poenam hanc de Ismaele sumi »; haereditate privatus est non ob persecutionem, sed quia tamquam servae filius ac servus ius ad haereditatem non habuit; id Paulus innuit diserte *servae* filio filium *liberae* opponens. Minus recte alii verba haec exhortationis (*Vict.* etc.) aut consolationis gratia (*Theod.* etc.) addita esse censent; exhortationem quidem simul continent, ut « christianismum solum legemque Christi atque Evangelium suscipiant nihilque quasi ex ancillae filio habeant », atque etiam consolatoria sunt, quum praemium ostendant, quod persecutione non obstante sint percepturi; at Paulus ea ad argumentum suum complendum addidit. Ex omnibus enim, quae in typica hac explicatione proposuit, simul sumtis nunc conclusionem ultimam deducit: 31. *itaque* (διό quapropter, quae quum ita sint), *fratres, non sumus ancillae filii, sed liberae* (*qua libertate nos Christus liberavit*). Ecclesia ipsa libera est, quia Sarae liberae respondet (*v.* 26), nos autem liberae filii sumus, quia sicut Isaac non secundum carnem sed secundum spiritum vi promissionis ab Ecclesia generamur (*v.* 28) et quia hac ratione generati iterum sicut Isaac, liberae filius, a servae filiis persecutionem sustinemus et cum eo ius ad haereditatem possidemus (*v.* 30 sq.). Apte quidem ultima verba *qua libertate nos Christus liberavit* (i. e. liberae filii sumus ac liberi ea libertate, in quam Christus nos morte sua asseruit) a *Vulg.* adduntur, sed aptius pro initio sequentis exhortationis sumuntur (cfr *infra* p. 559).

PARS TERTIA PARAENETICA.

CONSECTARIA PRACTICA ET MONITA (5,1-6,10).

Argumentis propositis, quibus auctoritatis doctrinaeque suae originem et indolem ab adversariorum calumniis vindicavit et sophismata, quae illi ad errorem suum de Legis necessitate neophytis persuadendum congesserant, omni ex parte confutavit ac revicit, Paulus ad exhortationem revertitur, quam in fine secundi argumenti (4,8-20) iam inchoarat sed abruperat, ut ultima sua demonstratione iudaizantes ipsos in periculo versari ostenderet, ne ab haereditate, quam neophytis non circumcisis negabant, suis ritibus observatis excluderentur. Simili igitur modo, quo in priore exhortatione ex doctrina proposita conclusiones quasdam practicas derivat (5,12-5) praeprimis neophytos monens, ne Legis servituti sese subiicientes gratiis Christi se privent (5,1-6), deinde eorum seductoribus gravem poenam comminans (5,7-12), demum prohibens, ne libertatem a Lege male interpretantes carni servire incipiant (5,13-25). Ad finem autem epistolae transiturus specialia quaedam monita addit, quae cum doctrina de Legis abolitione intimiore quidem nexu non cohaerent, sed ecclesiis illis, ut videtur, necessaria fuerunt (5,6-6,10). Exhortationis igitur duae sunt sectiones, quarum prior est tripartita.

§ 1. *Doctrinae propositae consectaria practica* (5,1-25).

1. *Caveant Galatae, ne Legi sese subiicientes gratiam Christi amittant* (5,1-6).

Qua libertate Christus nos liberavit.* 5,1. *State et nolite iterum iugo servitutis contineri.* 2. *Ecce ego Paulus dico vobis : quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* 3. *Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quo-

5,1. Τῇ ἐλευθερίᾳ ἡμᾶς Χριστὸς ἠλευθέρωσεν· στήκετε οὖν, καὶ μὴ πάλιν ζυγῷ δουλείας ἐνέχεσθε. 2. ἴδε ἐγὼ Παῦλος λέγω ὑμῖν, ὅτι, ἐὰν περιτέμνησθε, Χριστὸς ὑμᾶς οὐδὲν ὠφελήσει· 3. μαρτύρομαι δὲ πάλιν παντὶ ἀνθρώπῳ περιτεμνομένῳ, ὅτι

niam debitor est universae legis faciendae. 4. Evacuati estis a Christo, qui in lege iustificamini : a gratia excidistis. 5. Nos enim spiritu ex fide, spem iustitiae exspectamus. 6. Nam in Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet neque praeputium : sed fides, quae per caritatem operatur.

ὀφειλέτης ἐστὶν ὅλον τὸν νόμον ποιῆσαι. 4. κατηργήθητε ἀπὸ Χριστοῦ, οἵτινες ἐν νόμῳ δικαιοῦσθε, τῆς χάριτος ἐξεπέσατε. 5. ἡμεῖς γὰρ πνεύματι ἐκ πίστεως ἐλπίδα δικαιοσύνης ἀπεκδεχόμεθα· 6. ἐν γὰρ Χριστῷ οὔτε περιτομή τι ἰσχύει οὔτε ἀκροβυστία, ἀλλὰ πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη [1].

Praecedenti sententiae, qua Christianos omnes liberae filios ideoque liberos ac haeredes esse ex argumento proposito collegit, aptissime nunc adnectit exhortationem, ut in libertate Galatae persistant, quum Christus eam nobis acquisiverit : *qua libertate* (τῇ ἐλευθερίᾳ lege : *in libertatem*) *Christus nos liberavit;* 1. *state* (adde : οὖν *igitur*), *et nolite iterum iugo servitutis contineri* (melius : *detineri*, aut iuxta *Aug.* : attineri, ἐνέχεσθαι). Magna, quae in hoc loco habetur, lectionum varietas (cfr *VV. LL.*) doctrinam ipsam non attingit, quae eadem manet, sive prima verba velut sententiam relativam cum Latinis praecedenti conclusioni addimus, sive cum PP. graecis ea cum verbo στήκετε (*state*) connectimus (in libertate, in quam Christus nos liberavit, state), sive demum ea cum praestantioribus codd. graecis pro completa sententia habemus; ex eo solo autem variae lectiones hic exortae videntur, quod librarii aut interpretes nonnulli lectionis genuinae nexum cum praecedentibus sequentibusque non perspexerunt. Qui tamen aptissimus est; dicens enim : *in libertatem* (τῇ ἐλευθερίᾳ dativus comm.), i. e. ut liberi essemus, *nos Christus liberavit,*

1. *VV. LL.* — 1. τῇ ἐλευθερίᾳ ἡμᾶς Χριστὸς ἠλευθέρωσεν· στήκετε οὖν (in libertatem nos Christus liberavit; state igitur). Magna est in hac sententia legenda codicum et versionum varietas; minoribus omissis in tres classes apte distribuuntur varietates. Lectionem, quam in textu graeco exhibuimus, tuentur B ℵ A C P, pauci minusc. *Memph.*, quibus, si minora praetermittimus, addi possunt D, alii minusc., *Sahid. Arm.* Differt *textus rec.* : τῇ ἐλευθερίᾳ οὖν ᾗ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσεν, στήκετε (in libertate igitur, in quam Christus nos liberavit, state), quam lectionem, minoribus iterum variantibus neglectis, tuentur E K L, plerique minusc. et PP. graeci., *Syr.* Demum habetur lectio : ᾗ ἐλευθερίᾳ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσεν· στήκετε οὖν (*qua libertate Christus nos liberavit; state* igitur), quam cum F G omnes *Latini* (qui tamen plerique particulam οὖν *igitur* praetermittunt) et *Goth.* sequuntur. Primam lectionem ob maiorem testium auctoritatem moderni fere omnes critici (*Beng. Lachm. Tisch. Treg. WH.*) haud immerito praeferunt. — 3. μαρτύρομαι δὲ πάλιν (*testificor autem rursus*) est communis lectio; attamen particulam πάλιν (*rursus*) boni testes omittunt : D F G, aliqui minusc., *It.* (*Vict. A*[ler], *Aug. Hier.*) *Arm. Goth.* et aliqui PP. graeci; ob maiorem tamen aliorum testium auctoritatem melius retinetur. — 6. ἐν γὰρ Χριστῷ (nam in Christo) solus B; cum aliis omnibus legatur oportet : ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ (*nam in Christo Iesu*).

Apostolus principium statuit, quod, quum superioris argumentationis summam quasi contineat, partis dogmaticae idonea est clausula ac simul paraeneticae partis quae sequitur non minus idoneum prooemium, siquidem ei velut firmo fundamento integra exhortatio superstruitur. Etenim si Christus mortuus est, ut Lege abolita nos liberi essemus, consequens est, ut hanc libertatem ipsi nobis conservare studeamus quum Legis (2-12) tum carnis (13-25) servitute evitata.

Ad paraenesin igitur transiens Galatas *stare* (στήκετε) vult, utique in libertate per Christum eis acquisita (hoc enim supplementum contextus postulat; cfr 2 *Thess.* 2,14, ubi similis est verbi στήκειν usus); verbo *standi* autem eos non tam titubasse ac fluctuasse (*Chrys.*) quam nondum cecidisse (cfr ad 3,4) insinuat; « secus enim accommodatius diceret: surgite » (*Aug.* cfr *A*[ter], *Hier.* etc.). Porro ut stare pergant, caveant necesse est, *ne iterum iugo servitutis contineantur* vel potius iugo servitutis velut captivi detineantur; haec enim verbi ἐνέχεσθαι, quod antiqui Latini diversimode interpretati sunt (*Tert.* c. Marc. V. 4 : adstringi, *A*[ter] : cohiberi, *Aug.* : attineri) accuratior est significatio. Sub dura servitute neophyti omnes olim detenti fuerant, sed maxime Ethnicochristiani, qui Deum ignorantes iis qui dii non erant servierant (4,8) et sicut bruta animantia caeci ad simulacra muta ducebantur (1 *Cor.* 12,3); verum ab ea per Christum liberati tunc in periculo versabantur, ne *iterum* (cfr ad 4,9) in servitutem, specie quidem diversam, genere vero eandem, ruerent, quum iudaizantes cervicibus eorum iugum Legis ipsis Iudaeis intolerabile (*Act.* 15,10) imponere vellent.

A quo periculo ut efficacius eos avertat, ingens damnum, quod circumcisio eis allatura sit, magna cum gravitate describit : Christus eis nihil amplius proderit, contra vero ad integrae Legis obligabuntur observationem et hac ratione in operibus suam iustitiam quaerentes eo ipso a gratia excidunt (2-4); sola enim ex fide viva habetur salus (5. 6).

Auctoritatis sibi divinitus collatae conscius, utpote Apostolus, qui per Iesum Christum et Deum Patrem constitutus Evangelium suum ab hominibus nec accepit nec didicit sed per revelationem Iesu Christi (1,1. 12), suum nomen tamquam sufficiens gravissimae sententiae, quae adversariorum doctrinae e diametro contradicit, testimonium interponit (cfr ad 2 *Cor.* 10,1). Quodsi enim illi a controversiae initio dixerant : « nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari » (*Act.* 15,1), ipse contra asserit : 2. *ecce ego Paulus dico vobis, quoniam, si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* De ethnicis conversis agit, qui non circumcisi aliam recipiendae circumcisionis causam nec habebant nec habere poterant, nisi iudai-

zantium errorem, Legem etiam baptizatis, ut omnium benedictionum filiis Abrahae promissarum participes fierent, observandam esse. Sibi ergo non contradicit, si alibi circumcisionem iis qui Legem observant prodesse asserit (*Rom.* 2,25), quia ibi de circumcisione ante Evangelium promulgatum loquitur; neque sibi ipse contradixit, quando Timotheum iam baptizatum circumcidit, siquidem id non fecit, ut eum perfectiorem faceret Christianum, sed ut impediret, ne a Iudaeis infidelibus, inter quos secum eum Evangelium annuntiare voluit, tamquam impurus gentilis sperneretur et reiiceretur (cfr *Act.* 16,3). Quare Patres iam ad hanc, quam sibi fecerunt, obiectionem removendam monuerunt, nocivam esse circumcisionem, « quum aliquid per se ipsam putatur utilitatis afferre » (*Hier.*), « nihil vero obesse ei, qui salutem in illa esse non credit » (*Aug.*). Sententiae suae praeter nomen suum, quod lectoribus apostolicam scriptoris auctoritatem in memoriam revocare debuit, Paulus aliam probationem non addidit; neque eam addi necesse erat, quia ex argumentis ab eo iam allatis rite colligitur (cfr 2,21 etc.) et statim indirecte confirmatur (*v.* 5. 6). Ceterum varia argumenta Patres et interpretes hic afferunt : « qui circumciditur, inquit *Chrys.*, ex metu utique Legis circumcisionem suscipit; qui vero Legem metuit, non credit in potestatem gratiae [vel potius : Christi]; qui autem non credit, nihil lucratur ab ea, in quam [ab eo, in quem] non credit ». Similiter *Thom.* circumcisionem datam esse praemittens in signum *venturi* Messiae : « qui ergo circumcidebantur, credebant adhuc signum durare, et tunc signatum nondum venisse, et sic excidebant a Christo ».

Summum profecto est damnum, quod neophyti circumcisione sibi attrahent; sed illud non parum ex eo augebitur, quod circumcisio, qua Christum amittent, illis occasio fiet multo maioris numeri peccatorum atque viam remissionis gratiaeque inveniendae illis praecludat. Quae Paulus insinuat pergens : 3. *testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae;* 4. *evacuati estis a Christo, qui in lege iustificamini; a gratia excidistis.* Duae hae sententiae intime inter se cohaerent; prior enim numerum peccatorum illorum, qui circumciduntur, auctum iri innuit; altera vero illos, qui circumcisione accepta alterum gratiae ac iustitiae fontem praeter Christum agnoscunt, omni gratia privatum iri docet, ita ut nulla illis spes salutis remaneat. Pseudapostoli enim Galatis persuasisse videntur, de universa Lege recipienda non agi, quam ne ipsi quidem integram observarunt (6,13); solam circumcisionem sufficere atque minores Legis transgressiones per gratiam Christi remitti. Con-

tra quem errorem Paulus, quando in secundo suo itinere galatico pseudapostolis, qui doctrinam a suo Evangelio dissentientem propagaturi essent, anathema dixit (cfr 1,9), neophytos iam praemunierat; sed ea, quae tunc docuerat, nunc maiore cum vi ac sollemnitate repetit : *testificor* (μαρτύρομαι per Deum assero, Deum ipsum quasi veritatis testem adhibeo) *rursus* ea, quae vobis semel iam coram annuntiavi. Neminem quidem a sententia, quam pronuntiat, excludit, nec de solis Galatis loquitur, sed de omnibus, qui eadem in conditione sunt : *omni circumcidenti se.* Verumtamen restrictio quaedam quum ipsis verbis tum contextu continetur; participium praes. enim adhibens exclusos esse Iudaeochristianos, qui iam circumcisi sunt, insinuat, atque contextus docet, de iis agi, qui circumcidi volunt, quia circumcisionem necessariam esse, utique erronee, credunt, vel, uti habet *Aug.,* « tamquam salutarem istam circumcisionem appetunt ».

Iamvero « circumcisio est confessio Legis servandae; debet autem is qui confitetur pactus sui implere conditionem » (*Mopsu.*); « nam, inquit *Thom.*, quicumque profitetur in aliqua religione, facit se debitorem omnium, quae ad observantiam illius religionis pertinent. In omni autem religione habetur signum, per quod profitetur se illam religionem assumere; sicut in religione christiana signum visibile est baptisma, quo suscepto obligantur etiam ad omnia, quae ad cultum religionis christianae pertinent. Signum autem Legis mosaicae fuit circumcisio; quicumque ergo circumcidebat se, obligabat se ad omnia legalia observanda ». Alio modo sed minus apte *Chrys.* sententiam explanat ex eo, quod Legis praecepta inter se cohaereant : « quemadmodum qui ex libero descriptus est in servitutem, non amplius facit quae vult sed omnibus servitutis legibus obstrictus est, ita accidit in Lege; ubi pusillam aliquam Legis partem receperis teque ipsum iugo submiseris, totum illius dominatum tibi accersisti... quodsi Lex habet auctoritatem, noli partem implere sed totam; si non habet auctoritatem, ne partem quidem in te suscipias ».

Fieri autem non posse, ut aliquis integram Legem cum omnibus suis praeceptis impleat, ideoque omnes, qui eius iugo cervices suas subdunt, etiam eius maledicto subiacere, quod contra transgressores suos ipsa pronuntiat (cfr 3,10), Paulus non addit, quia per se clarum est (cfr *Mopsu.* etc.); sed spem eis eripit fore, ut a Christo adiuti transgressiones evitent earumque quas admiserint veniam inveniant. Directe enim iterum haud sine vehementia lectores alloquens *eos a Christo evacuatos esse* asserit *qui in Lege iustificantur,* i. e. ex ea, eius nimirum operibus (cfr ad 3,11), iustitiam salutemque se inven-

turos esse putant. Ad praeteritum *evacuati estis* (κατηργήθητε) *Aug.* haud incongrue adnotat : « isti ingrati volunt esse debitores universae Legis faciendae; nondum autem erat factum, sed *quia voluntas moveri coeperat*, ita loquitur, quasi sit factum ». Accuratius tamen dicemus, aoristum vel perfectum in sententiis hypotheticis a Graecis non raro usurpari, ut posita conditione conditionatum subito ac necessario secuturum esse significetur [1]; immerito igitur ex hac sententia aliqui Galatas iam lapsos esse gratiamque amisisse deducunt; si lapsi essent, Paulus eos *stare* non dixisset (*v.* 1). Neque iuste, opinor, *Hier.* : « in latino, inquit, male interpretatum est : *evacuati estis a Christo*, sed *in Christi opere cessastis* magis intelligitur »; *Vulg.* enim graecum κατηργήθητε ἀπὸ Χριστοῦ accuratius clariusque, quam nova versio ab eo proposita, reddit; neque tamen nego, praeferendam hic esse alteram verbi translationem, quam *Vulg.* alibi (*Rom.* 7,2. 6) exhibet : *soluti estis a Christo.* Etenim significanter ibi quoque καταργεῖσθαι (cessare, evacuari) cum praepos. ἀπό ita est constructum, ut prioris quae aderat unionis cessationem indicet (i. q. καταργεῖσθαι καὶ χωρίζεσθαι ἀπό τινος). Fide ac baptismo nimirum fideles Christum induerant (3,26 sq.) eique inserti ex eo, capite suo, vitam gratiamque hauserant ac velut palmites in vite manentes fructum producere coeperant (*Ioan.* 15,4. sq.); quamprimum vero sese ad Legem convertunt, intimus hic nexus subito ac necessario solvitur ac destruitur, quia Lex et Christus simul consistere nequeunt, quia Lex non est nisi paedagogus ad Christum iique qui in Christo sunt sub paedagogo esse nequeunt (3,24 sq.). Latinam igitur expressionem *Aug.* (« evacuantur a Christo, i. e. Christus ab eis tamquam a possessione, quam tenebat, abscedit ») et *Thom.* (« evacuati estis a Christo, i. e. habitatione Christi ») recte interpretantur, similiterque Graeci graecum verbum explicant : « amputati estis, decidistis ab eo » (ἀπεκόπητε, ἀπεπέσατε ἀπ' αὐτοῦ), sicut palmites aridi a vite abscinduntur et proiiciuntur. Porro a Christo, qui unicus est gratiarum fons, soluti gratia quoque careant necesse est, atque ex gratiae iustitiaeque statu in pristinae servitutis peccatique statum sunt relapsi : *a gratia excidistis* (2 *Petr.* 3,17; *Apoc.* 2,5).

Terroris ac minarum plena est sententia, quam Apostolus contra eos, qui in Lege iustitiam quaerentes Legem et Christum quasi com-

1. Cfr *Ioan.* 15,6. ἐὰν μή τις μένῃ ἐν ἐμοί, ἐβλήθη ἔξω ὡς τὸ κλῆμα : si quis in me non manserit, *eiectus est* (*Vulg.* : mittetur) foras sicut palmes; *Rom.* 14,23 ὁ δὲ διακρινόμενος, ἂν φάγῃ κατακέκριται : qui autem discernit, si manducaverit, *damnatus est*; *Rom.* 13,8 ὁ γὰρ ἀγαπῶν τὸν ἕτερον, νόμον πεπλήρωκεν : qui diligit alterum, Legem *implevit*, etc. Non infrequenter profani quoque hac constructione utuntur.

miscent, pronuntiat; quare eam sine probatione relinquere non vult, probationem autem ex iis desumit, quae antea iam demonstravit. Quales enim ii sint, qui baptizati cum Christo sunt coniuncti, describit: 5. *nos enim,* qui Christum induimus eiusque membra sumus, *Spiritu ex fide spem iustitiae exspectamus,* atque hac descriptione eis, qui circumciduntur ut in Lege iustitiam quaerant, Christum nihil prodesse indirecte ostendit, quia a Christo sint soluti. Graecum decompositum ἀπεκδέχεσθαι (*Vulg. : exspectare*) assiduam et perseverantem exspectationem significat, firmam igitur fidem certamque spem supponit (cfr ad 1 *Cor.* 1,7); unde iam apparet substantivum *spem* hic sensu obiectivo esse sumendum (id quod speratur; cfr *Col.* 1,5; *Tit.* 2,13 etc.). Arbitrarie autem nonnulli *exspectare spem* (ἀπεκδέχεσθαι ἐλπίδα) idem esse volunt quod spem habere (ἐλπίδα ἔχειν) vel sperare; cur enim ad simplicem hanc ideam exprimendam Apostolus tam curiosam phrasin elegerit, nemo dixerit.

Porro genetivus *iustitiae* (δικαιοσύνης) obiectivus esse nequit, ac si iustitia ipsa speretur et *spes iustitiae* sit i. q. sperata iustitia, quamvis haec explicatio iunioribus ac modernis nonnullis arriserit (*Iust. Est. Lap. Nat. Pic. Palm.* etc.). Neque enim illi, qui in Christo sunt, iustitiam exspectare apte dicuntur, quia eam iam possident; de augmento autem gratiae iustitiaeque iuxta contextum non agitur; atque aegerrime quoque vocabulum *iustitiae* nude, uti hic, positum explicari potest « incrementum et perfectio iustitiae », qualis habebitur in altera vita. Subiectivus igitur dicatur oportet genetivus, atque *spes iustitiae* est « id quod iustitia sperat ». Quid hoc sit, Paulus accuratius non explicat, quia ex integra superiore argumentatione, in qua de haereditate filiis adoptivis promissa agitur, clarissime elucet. Hunc in sensum inter Graecos *Theod. :* « vitam futuram exspectamus, quae immortalitate ornata libera est ab impetu peccati » (cfr *Oec.* etc.), quocum etiam plerique Latini antiquiores (*Pel. :* « speramus nos iustitiae immortalem accepturos esse mercedem », *Gl ord. Herv. :* « spem quam sperat iustitia i. e. gratiam felicitatis aeternae », *Lomb. Thom. Lyr. Dion. Cai.* etc.) modernique (*Wind. Bisp. Reithm. Schaef.* etc.) consentiunt. Neque re dissentit *Hier.* (« spes vero iustitiae Christus intelligendus,... cuius nos secundum exspectamus adventum, quod iudicaturus est omnia et iam non patientia sed iustitia affuturus, ut reddat unicuique secundum opera sua ») neque immerito in eandem sententiam ab antiquis *Aug.* allegatur [1].

Iamvero hanc haereditatem filiis promissam exspectare dicuntur

1. In Comm. *Aug.* spiritualem sanctionem novae legis in oppositione ad illa « quae carnaliter desiderantur, qualibus promissionibus servitus illa (legis veteris) tenebatur », intel-

Spiritu ex fide. Nomine *Spiritus* tertiam SS. Trinitatis personam designari, cum Graecis multi recte censent (*Chrys. Theod.* etc., *Cai. Iust.* etc., *Bisp. Reithm. L R. Schaef.* etc.), quamvis Latini plerique spiritum hic vel carni (*Aug.* etc.) vel literae (*Hier.* etc.) opponi volunt, non attendentes eiusmodi oppositionem verbis *ex fide* potius exprimi (opp. ex Lege). Per S. Spiritum autem, quem velut adoptionis sigillum (cfr ad 4,6) aeternaeque haereditatis arrham (*Eph.* 1,14) acceperunt, iusti mercedem iustitiae exspectare dicuntur, quia tamquam Dei filii a Spiritu aguntur, i. e. in suis actionibus non tantum ab eo reguntur sed ad illas etiam per eum moventur (cfr *Thom.* in *Rom.* 8,14). Porro Spiritum ex auditu fidei (cfr ad 3,2. 5) vel per fidem (3,14) receperunt; neque tamen ideo verba *Spiritu ex fide* tam arcte sunt connectenda, ut intelligatur « Spiritus qui ex fide est », sed duplex quasi causa spei exspectationisque significatur, altera subiectiva et dispositiva : *ex fide*, altera magis extrinseca sed efficiens principalis : *Spiritu* (cfr *Palm.*).

Itaque eos, qui ex Lege et circumcisione post baptisma iustitiam quaerunt, ex gratia excidisse neque amplius in Christo esse, ex hac descriptione clarissime elucet; argumenti tamen vim Apostolus auget addens : 6. *nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet* (τὶ ἰσχύει), *neque praeputium, sed fides quae per caritatem operatur.* Ad quam sententiam explicandam iuverit et ea contulisse, quae similibus verbis infra (6,15) tradit : « in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet (τι ἔστιν *aliquid est*) neque praeputium, *sed nova creatura* », et ea quae Corinthiis scripsit : « circumcisio nihil est, et praeputium nihil est, *sed observatio mandatorum Dei* » (cfr ad 1 *Cor.* 7, 19.). Satis vage nonnulli verba *in Christo Iesu* explicant « in religione christiana » (*Est.*) « in Christi doctrina, Ecclesia, religione, i. e. in christianismo » (*Lap.*) etc.; accuratius ac rectius iuxta contextum illa explicabimus : « in iis qui Christi sunt » (*Thom.*), vel « in iis qui Christum induerunt » (*Chrys.*) quique proinde Spiritu ex fide spem iustitiae exspectant. Si quis autem Christum induit, differentiae, quibus secundum veterem hominem ab aliis distinguebatur, disparuerunt (cfr ad 3,28); utrum igitur antea circumcisus fuerit, an praeputiatus, nihil interest, si in Christo est; haec aliaque similia ad veterem

ligit; alio in loco haec habet (de spir. et lit. 32,56) : « quaeri adhuc potest, utrum *spem iustitiae* dixerit quam sperat iustitia, an qua speratur ipsa iustitia : quoniam iustus ex fide vivens sperat utique vitam aeternam; itemque fides esuriens sitiensque iustitiam renovatione de die in diem interioris hominis proficit in ea et sperat in ea satiari in vita aeterna, ubi fiet quod in Psalmo de Deo dicitur : qui satiat in bonis desiderium tuum (*Ps.* 102,5) ». Altera autem *Aug.* explicatio verbis Pauli quidem minus est adaptata, re tamen ad priorem eius explicationem fere reducitur.

hominem pertinent nec quidquam ad aeternam haereditatem, quam Spiritu ex fide exspectat, iuvant, sed in oeconomia salutis adiaphora sunt. « Quemadmodum, inquit *Chrys.*, si quis athletas eligit, sive nasu adunco sive simo, sive nigri sive albi sunt, nihil refert ad eos approbandos, sed illud unum requiritur, ut validi sint et exercitati : ita si quis adscribendus est in novum testamentum, nihil ei nocent haec omnia corporalia, si desunt, nec eum iuvant si adsunt »; aeque parum ac requiritur, ut circumcisus praeputium adducat, necesse est praeputiatum circumcidi. Unum solum valet, nimirum *fides*, at non fides qualiscumque (nam etiam daemones credunt, et contremiscunt (*Iac.* 2,19), sed *fides quae per caritatem operatur* (πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη).

Utrum partic. ἐνεργουμένη (et latinum *operatur*) sensu passivo an mediali (neutro) sit sumendum, inter cath. interpretes iuniores ac modernos disputatur; iuxta priores intelligatur oportet fides, quae per caritatem, velut formam suam, « animatur, agitur, movetur, incitatur ad opus » (*Est.* etc.); iuxta alteros fides, quae per caritatem « non tamquam per instrumentum agit, sed tamquam per causam et formam, ex qua vitam suam efficacitatemque mutuatur, actuosa est » (*Iust.*) vel « per caritatem sese operosam demonstrat » (*Wind.*). Haud magni momenti haec controversia est; priorem sententiam Graeci videntur praetulisse (*Oec.* : « oportet fidem efficacem reddi [ἐνεργεῖσθαι] et custodiri et quasi inflammari per caritatem »; *Theoph.* : « debet efficax et operosa effici per amorem in Christum »); Latini vero praeter *Tert.* (c. Marc. V. 4. « fides quae per caritatem perficitur ») tantum non omnes alteram secuti sunt ac vix invenietur, qui deponenti *operatur* passivam significationem attribuerit. Auctoritate igitur quaestio definiri nequit; neque ad eam definiendam usus loquendi Graecorum nos iuvat[1]; quare eam in medio relinquimus. Iuxta utramque expositionem fides postulatur, quae operibus bonis ex caritate patratis sese vivam esse exhibet, quare Corinthiis in simili contextu dixit, *observationem mandatorum Dei* solam in iusti-

1. Haud recte nonnulli asserunt, formam ἐνεργεῖσθαι *semper* habere sensum passivum (*Est. Reithm.*). A profanis num usquam sit adhibita, non satis constat; eam autem in *Novo Test.* semper esse passivam, tam parum veritati consonat, ut maiore cum iure asserere possis, eam nusquam passive adhiberi. Tres locos affert *Palm.*, in quibus significatio passiva admitti debeat : 2 *Thess.* 2,7; 2 *Cor.* 1,6; 4,12; in reliquis (1 *Thess.* 2,13; *Eph.* 3,20; *Col.* 1,29) formam activo vel neutro sensu accipi concedit; sed in tribus prioribus quoque rectius eodem sensu activo vel neutro sumitur (cfr ad 2 *Cor.* 1,6; 4,12). Ceterum formae ab ecclesiasticis scriptoribus graecis passivam significationem tribui concedimus, atque ideo tantum Graecorum loquendi usu ad genuinum participii sensum in hoc loco definiendum nos non iuvari diximus.

ficatis aliquid valere. Bene *S. Bern.* (in temp. resur. serm. 2,1) : « sicut corporis huius vitam ex motu suo dignoscimus, ita et fidei vitam ex operibus bonis; itaque vita quidem corporis est anima, per quam movetur et sentit; vita vero fidei caritas est, quia per illam operatur, sicuti in Apostolo legis; unde refrigescente caritate fides moritur, sicut corpus anima recedente; tu ergo si videris hominem in bonis operibus strenuum et fervore conversationis hilarem, vivere in eo fidem non dubites indubitata tenens vitae illius argumenta ». Fides utique est humanae salutis initium, sed per se sola hominem non facit iustum; accedere enim ad eam debet caritas, quae aut ipsa est gratia sanctificans aut cum illa inseparabiliter coniuncta, ut per eam fides ultimam suam perfectionem suamque quasi formam accipiat; atque haec sola fides caritate informata hominem iustificat eumque constituit *novam creaturam* (6,15)[1]. « Nam fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficit. Qua ratione verissime dicitur, fidem sine operibus mortuam et otiosam esse (*Iac.* 2,17. 20.), et in Christo Iesu neque circumcisionem aliquid valere neque praeputium, sed fidem quae per caritatem operatur. *Hanc* fidem ante baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione catechumeni ab Ecclesia petunt, quum petunt fidem vitam aeternam praestantem; quam sine spe et caritate praestare fides non potest; unde et statim verbum Christi audiunt : si vis ad vitam ingredi, serva mandata » (*Conc. Trid.* sess. VI. de iustif. 7.).

1. Mirum est, quod moderni acath. tantum non omnes (cfr *Mey. Steff. Schm. Ph.* etc.) ad catholicam huius loci interpretationem impugnandam non verentur confusam hic repetere *Calovii* obiectionem : « Formatam etiam fidem Apostolus refellit, quum non per caritatem *formam* suam accipere vel formari, sed per caritatem *operosam* vel *efficacem* esse fidem docet; caritatem ergo et opera non fidem *constituere*, sed *consequi* et ex eadem *fluere* certum est ». Quid *forma*, aut quid *formari* vel *informari* sit, prorsus ignorant; quis umquam catholicus fide et operibus caritatem *constitui* dixit? et quis umquam catholicus caritatem fidem supponere atque ab ea, velut a radice, dependere negavit? Sed quamvis nemo Deum supranaturaliter diligere possit, nisi qui eum supranaturaliter cognoverit, non recte tamen caritas ex fide consequi et ex ea *fluere* dicitur, siquidem in fide caritas non continetur et Apostolus fidem cognoscit, quae sine caritate est.

Non minus mira iure ea dixeris, quae *Ph.* verbis Calovii addit : « ceterum sola fides, quae per caritatem sese efficacem demonstrat est vera fides ideoque sola haec fides iustificat; sed inde non sequitur, eam iustificare, *quatenus* aut *quia* per caritatem sese efficacem demonstrat ». (Uebrigens ist nur der durch die Liebe sich wirksam erweisende Glaube der wahre Glaube; darum rechtfertigt nur dieser Glaube; daraus folgt aber gar nicht, dass er rechtfertige, *insofern* oder *dadurch dass* er durch die Liebe sich wirksam erweist »). Quid vero iuxta lutheranam logicam ex illa sententia sequatur, doctissimus vir non prodit; forsitan sequi senserit, fidem, quae per caritatem sese efficacem exhibet, iustificare *quamvis* bonis operibus sese manifestet; hoc enim si sentiat, cum patre quidem suo Luthero, qui bona opera ad salutem nociva dixit, sed neque cum Evangelio neque cum sana ratione consentiet.

2. *Gravem poenam seductores Galatarum merentur* (5,7-12).

5,7. Currebatis bene : quis vos impedivit veritati non obedire? 8. Persuasio haec non est ex eo qui vocat vos. 9. Modicum fermentum totam massam corrumpit. 10. Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis : qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicumque est ille. 11. Ego autem, fratres si circumcisionem adhuc praedico : quid adhuc persecutionem patior? Ergo evacuatum est scandalum crucis. 12. Utinam et abscindantur qui vos conturbant.

5,7. Ἐτρέχετε καλῶς· τίς ὑμᾶς ἐνέκοψεν ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι; 8. ἡ πεισμονὴ οὐκ ἐκ τοῦ καλοῦντος ὑμᾶς. 9. μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ. 10. ἐγὼ πέποιθα εἰς ὑμᾶς, ὅτι οὐδὲν ἄλλο φρονήσετε· ὁ δὲ ταράσσων ὑμᾶς βαστάσει τὸ κρῖμα, ὅστις ἐὰν ᾖ. 11. ἐγὼ δέ, ἀδελφοί, εἰ περιτομὴν ἔτι κηρύσσω, τί ἔτι διώκομαι; ἄρα κατήργηται τὸ σκάνδαλον τοῦ σταυροῦ. 12. ὄφελον καὶ ἀποκόψονται οἱ ἀναστατοῦντες ὑμᾶς [1].

Veram fidem, quam descripsit, Galatas olim tenuisse praemonens Paulus conqueritur, quod seductoribus aures praebuerint (7-9), sed hosce poenam non esse evasuros addit (*v.* 10.); paucis deinde verbis pseudapostolorum calumniam, quod ipse quoque circumcisionem praedicet, reiiciens (*v.* 11) dira eis imprecatur (*v.* 12).

A laudandis neophytis exorditur, ut admirationem suam de eorum perversione exprimat : 7. *currebatis bene; quis vos impedivit veritati non obedire?* Consuetam cursorum in ludis publicis de praemio concertantium metaphoram adhibet (cfr ad 1 *Cor.* 9,24); qui autem in certamine coronam obtinere nititur, ei non sufficit, ut simpliciter currat, sed viam teneat necesse est praescriptam legesque certaminis observet atque ad metam usque pertingat. Hac ratione Galatae currere coeperant; antequam vero metam attigerant, de via praescripta deflexerant, et simili modo, quo supra (3,1), Paulus admirabundus interrogat, quis tandem viam eis interciderit (ἐνέκοψεν) aut a recta via eos repulerit (ἀνέκοψεν), ut iam non obedirent veritati. Tres antiquiores codd. nomini ἀληθείᾳ articulum quidem non praemittunt, nihilominus ex contextu satis elucet, *veritatem* hic non universe id esse

1. *VV. LL.* — 7. Pro ἐνέκοψεν (*impedivit*), quae est omnium meliorum codd. lectio, *textus rec.* cum vix multis minusc. exhibet ἀνέκοψεν sensu haud multum mutato. — ἀληθείᾳ (*veritati*) sine articulo B ℵ A; forte melius articulus additur a reliquis omnibus. — In fine huius sententiae F G addunt μηδενὶ πείθεσθε, ac similiter *Vulg. Sixt.* cum *Vict. Lucifer.* et haud paucis *Vulg.* codd. : *nemini consenseritis.* Sed *Hier.* iam adnotat : « quia nec in graecis libris nec in his, qui in Apostolum commentati sunt, hoc scriptum invenimus, praetereundum videtur ». —. 10 πέποιθα εἰς ὑμᾶς (*confido in vobis*) sine addito solus B; cum reliquis adde : ἐν Κυρίῳ (*in Domino*). — 11. εἰ περιτομὴν ἔτι κηρύσσω (*si circumcisionem adhuc praedico*) est communis ac certa lectio; haud recte vero particulam ἔτι (*adhuc*) omittunt D F G, paucissimi minusc., aliqui PP. latini (*Vict. Aler Hier.*), unus alterve *Vulg.* cod. (*Demid.*) *Goth. Arm.*

quod verum est, sed in specie veritatem intelligi evangelicam vel potius dotrinam de iustitia per fidem acquirenda, quam Paulus Evangelium suum nominare solet.

Atque statim ad eos transiens, a quibus rectam viam tenere impediti sunt, eos perverse agere et, quamvis pauci sint, multos perdere docet : 8. *persuasio haec non est ex eo qui vocat vos.* In graeco textu nudum quidem legitur ἡ πεισμονή praetermisso pronomine demonstrativo, at articulus ipse vim demonstrativam habet; quare *Vulg.* cum *Arm.* recte pron. demonstr. adhibuerunt : *haec persuasio.* Uti autem latinum *persuasio,* etiam graecum πεισμονή duplici significatione, aut activa (actio eius qui suadet) aut passiva (passio eius cui suadetur), pro locorum diversitate usurpatur; minus recte vero *Vict.* et *Aug.* cum paucis, qui eos sequuntur, suasionem id esse volunt, « *quod* eis suadebatur »; haec enim significatio graeco substantivo non competit. Iamvero Graeci (cfr *Chrys. Theod. Oec.* etc.) et ex Latinis *Hier*[1]., approbantibus modernis haud paucis (*Est.* etc., *Wind. M Ev. Reithm.* — *Olsh. Hofm. Lightf.* etc.) passivam significationem praeferunt, ut sensus sit : « obedientia, quam pseudapostolis praestatis, non est ex Deo »; sed ad hunc sensum obtinendum subiectum πεισμονή non posset carere accuratiore definitione : obedientia *vestra* vel credulitas *vestra,* nam obedientiam vel credulitatem in genere non esse ex Deo absurde diceretur. Neque articulum vim demonstrativam habere ac proinde substantivum definitum esse, recte respondebis; nam quamprimum legeris : *haec obedientia,* eam intelligas necesse est, de qua immediate antea sermo erat, obedientiam nimirum veritati praestitam; quam profecto ex Deo esse Apostolus negare noluit; itaque cum *Vict.* nonnullisque codd. latinis, quos *Hier.* et *Sed.* commemorant sed improbant, legendum esset negatione omissa : persuasio vestra ex eo est, qui vocat vos. Quodsi vero genuinam, uti decet, lectionem retinemus, activam nominis *persuasio* significationem cum plerisque antiquis Latinis (*A*[ter], *Hier*[2]. *Prim.* etc., *Herv. Thom. Lyr.* etc.) multisque iunioribus ac modernis (*Cai. Iust. Lap.* etc., *Bisp. Palm. Schaef.* etc. — *Mey Sieff. Schm.* etc.) merito praeferemus, illam nimirum intelligentes persuasionem, qua pseudapostoli neophytos impedire conabantur, ne in cursu suo rectam viam tenerent. Per litotem autem Paulus eam non esse *ab eo qui vocat eos* dicit, subindicans, uti cum *Herv. Thom.* etc. haud pauci supplent, seductores a diabolo instigari. *Qui eos vocat* est Deus Pater (cfr ad 1,6); praesens vero (*vocat*) non ita est explicandum, ut dicas : qui vos *nunc* vocat ad poenitentiam (*Pel.* etc.) aut ad aeternam patriam (*Herv.* etc.), sed partic. praes. (ὁ καλῶν) pro substantivo est (i. q. *vocator*), ita ut latine hic rectius, uti alibi (1 *Thess.* 2,12; 5,24

etc.), redderetur: qui *vocavit* vos; vocatio enim ad fidem intelligitur.

Asyndete Paulus pergit: 9. *modicum fermentum totam massam corrumpit*, vel uti *Hier.* legi iussit et sese emendasse ipse testatur: *totam conspersionem fermentat* (cfr ad 1 *Cor.* 5,6); nexum vero bene indicant, qui Apostolum, ut neophytos a seductoribus efficacius avertat, praecavere censent, ne periculum, quod illi creent, ob parvum illorum numerum despiciatur minorisve quam par est aestimetur: « nolite vero putare paucorum hominum, qui de Iudaea venientes aliud docent, insidias contemnendas; scintilla res parva est et paene, dum cernitur, non videtur; sed si fomitem comprehenderit et nutrimenta sua quamvis parvus ignis invenerit, moenia, urbes, latissimos saltus regionesque consumit;... ita et doctrina perversa ab uno incipiens vix duos aut tres primum in exordio reperit auditores; sed paullatim ut cancer serpit in corpore et iuxta vulgare proverbium unius pecudis scabies totum commaculat gregem... Arius in Alexandria una scintilla fuit; sed quia non statim oppressus est, totum orbem eius flamma populata est » (*Hier.* etc). Simili modo, quo ad 1 *Cor.* 5,6, hic quoque disceptatur, utrum *fermento* seductores ipsi an eorum doctrina designentur; utraque explicatio per se apta est, atque inter Patres iam *Theod. Aug. Hier.* priorem, *Chrys. Vict. A*[ter] alteram tenent similiterque iuniores ac moderni divisi sunt. Ob contextus tamen rationem, quum in toto hoc loco de ipsis seductoribus agatur, priorem praeferimus; vix quoque nobis persuademus, Paulum doctrinam, qua totum Evangelium perverti atque mortem Christi suis fructibus privari per integram epistolam docuit, nunc *modicum* fermentum appellasse; neque enim qualitate neque quantitate errorem illum modicum dicere potuit.

Porro Galatas in seductoribus diiudicandis secum consensuros sperans Paulus severius iam perturbatores aggreditur iudicio eis denuntiato: 10. *ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis; qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicumque est ille.* Ad priora verba *Aug.* recte adnotaret: « hinc utique manifestum est, nondum illos (sc. neophytos) fuisse possessos a talibus » (i. e. eorum seductioni nondum cessisse nequedum genuinam doctrinam reliquisse), si cum multis admittere liceret, Apostolum hic de integra sua doctrina loqui. Sed nulla suppetit ratio, quae tam latam verborum interpretationem suadeat; contextus enim est de seductorum perversitate (*v.* 8.) periculique ab eis creati gravitate (*v.* 9.), quam Paulus innuerat. Haud sine emphasi igitur suam personam adversariis, qui Galatas ad iudaizantium partes trahere conabantur, opponens (*ego*) suam spem exprimit fore, ut neophyti *nihil aliud*, quam ipse, de pseudapostolis *sen-*

tiant; sese autem hoc sperare addit *in Domino,* omnis verae spei fiduciaeque fonte (*Rom.* 14,14; *Phil.* 2,24 etc.), quippe qui erroneum, si forte adsit, eorum iudicium gratiis suis correcturus sit. Neque vero ideo, quia Galatas seducere nondum potuerunt, « seductionis auctores liberati sunt a supplicio, sed dabunt poenas: non enim par est, ut aliorum probitas malitiam aliorum sublevet » (*Chrys.*). Immo vero postquam neophytorum animos sibi conciliavit eosque a suis adversariis plane separavit, contra hos nunc severam sententiam promulgat, eos *iudicium,* i. e. condemnationem (cfr ad 1 *Cor.* 11,29) seu poenam a iusto iudice decretam, *portaturos* denuntians. Singulari quidem utitur (ὁ ταράσσων ὑμᾶς... ὅστις ἂν ᾖ *qui vos conturbat... quicumque est ille*), sed totam seductorum illorum classem ita ferit, ut nullum a sua damnatoria sententia excipiat (cfr ad 2 *Cor.* 11, 4 ὁ ἐρχόμενος). Parum recte enim nonnulli « unum prae ceteris insignem turbationis Galatarum auctorem » (*Est.* etc.) designari putant, siquidem ne levissima quidem adest ratio, quae huic sententiae faveat, sed plures fuisse in Galatia pseudapostolos aliis ex locis satis constat (*v.* 12; 1,7; 4,17; 6,12 sq.). Multo longius aberrarunt antiqui illi, qui teste *Hier.* hic « Petrum occulte lacerari dictitarunt » (nam « nec Paulus tam procaci maledicto de Ecclesiae principe loqueretur, nec Petrus dignus, qui conturbatae Ecclesiae reus fieret » *Hier.*), aberrantque moderni pauci, qui Iacobum designatum vident (*Holst.*). Mirum profecto esset, si Paulus contra unum ex illis hac ratione esset locutus, quos Ecclesiae columnas nominaverat suamque doctrinam approbasse gloriatus erat (2,9). Addens vero *quicumque est ille,* non unum reliquos superare sed omnes magna inter suos auctoritate florere, at « se personam non vereri ostendit, quando veritatis discutitur ratio » (*Mopsu.*).

Hac sententia lata monitum, quo neophytos a pseudapostolis sibi cavere iubet, terminare potuisset, nisi calumnia quaedam superfuisset, quae refutatione indiguit. Namque « improbi hi Legis patroni ipsum quoque Apostolum Legem servare dicebant neque eadem ubique praedicare » (*Theod.*). De hac calumnia, quam omnes Patres (cfr *Chrys.* etc., *Aug. Hier. Pel.*) iunioresque ac plerique moderni hoc loco nixi admittunt, aliunde quidem nobis non constat, sicut de calumniis quoque a pseudapostolis corinthiis contra Paulum sparsis nihil scimus praeter ea, quae ex epp. ad Cor. hauriuntur; facile autem intelligitur, Galatarum seductores eius agendi rationem, qua ut Iudaeos lucraretur Iudaeis factus est tamquam Iudaeus (1 *Cor.* 9,20), ita esse interpretatos, ut simplicibus fidelibus eum alibi Legem observare ac docere persuaderent. Neque est mirum, quod Galatae calumniatoribus fidem

habuerint, quia Apostolus in secundi sui itineris principio, haud diu ante hanc epistolam scriptam (cfr *Proleg.* 2,3 p. 365), media in provincia Galatia Timotheum circumciderat, ut eum muneris apostolici ministrum et socium adhiberet (*Act.* 16,3).

Quamobrem criminationem hanc praetermittere ei non licuit, sed brevissimo simul et evidentissimo argumento eam refellit : **11.** *ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc praedico, quid adhuc persecutionem patior? Ergo evacuatum est scandalum crucis.* Primi Christiani non tam quia Iesum esse credebant Messiam promissum, quam quia Legem abrogare credebantur, persecutiones a Iudaeis sustinuerunt. S. Stephanus iam accusatus est, quod contra locum sanctum et Legem esset locutus, ac similiter Paulus postea est accusatus, quod contra Legem et templum doceret (*Act.* 6,13 ; 21,28); in itineribus quoque vexationes eius et insectationes ex eo maxime sunt exortae, quod circumcisionem non praedicaret, i. e. eam ad salutem negaret esse necessariam, neque gentiles ad eam adigeret; omnes aut saltem plerasque immediate sedasset, si in sua ipsius vivendi ratione Iudaeochristianos eo tempore quiete media in civitate sancta degentes imitatus Legis aemulatorem se exhibuisset (cfr *Act.* 21,20 sqq.), ac praesertim si ethnicos suos neophytos circumcidere coepisset (cfr ad 6,12). At ab eo tempore, quo fidem accepit, circumcisionem non amplius praedicavit, quamquam antea (ad tempus nimirum, quod eius conversionem praecessit, prior particula ἔτι *adhuc* respicit) paternarum traditionum aemulator fuerat (1,14); atque ab eodem conversionis tempore persecutiones quoque, quas a Iudaeis patiebatur, initium sumserant neque cessaverant usque ad illam horam, qua epistolam scripsit (*adhuc* patior). Quin etiam eo tempore, quo epistolam scriptam esse censemus, in secundo sc. itinere, creverant maioresque, quam umquam antea, erant (cfr *Act.* 16,16 sqq.; 17,5 sqq. 13 sqq.; 18,6. 9 sqq.); evidentissimum igitur Galatis praebebant argumentum, quod eandem nunc in Macedonia et Achaia praedicaret doctrinam, qua in primo itinere inter eos commoratus Iudaeorum odium vexationesque sibi attraxerat (*Act.* 13. 14).

Quod argumentum ut confirmet, alteram absurdam consequentiam, ut absurdam esse calumniam ostendat, haud sine acerba ironia addit : si ego revera, id quod isti calumniantur, circumcisionem ad salutem esse necessariam praedico, *ergo evacuatum est* (vel iuxta *Hier.* melius : *cessavit* κατήργηται) *scandalum crucis.* Non tantum nihil Iudaeis superest, cur me persequantur, sed nihil quoque habent, cur Christi crucem aversentur et pro « lapide offensionis » habeant; summa inter me et illos regnat pax et concordia, quia ego eadem ratione, qua

ipsi, iustitiam esse per Legem doceo, atque Christi crucem, quam illi exsecrantur, quia gloriosum Messiam exspectantes per ignominiosam Christi mortem redimi noluerunt (cfr ad 1 *Cor.* 1,23), ego quoque nullius utilitatis esse neque cuiquam profuisse aut prodesse profiteor, siquidem si per Legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est (2,21). Qua blasphema conclusione, quae ex ista calumnia sua sponte ac necessario profluit, quasi exasperatus adversarios suos mordacissimo sarcasmo profligat : 12. *utinam et abscindantur qui vos conturbant,* vel uti *Tert.* (de anim. 16) accuratius legit : *utinam et praecidantur, qui vos subvertunt*[1]. Quibus in verbis explicandis prae oculis teneatur oportet, quod idem adnotat (l. c.) : « rationalis est indignatio, quae ex affectu disciplinae est ». Lectione consueta latina nixi multi iuniores quidem Paulum adversariis suis abscissionem ab Ecclesia seu excommunicationem exoptare censent (cfr *Salm. Est. Lap. Nat.* etc., *Wind. M Ev. LR. Schaef* etc. — *Beng. Baumg. Crus.* etc.); sed contra eos recte iam *Iust.* monet, Apostolum, si de excommunicatione loqui voluisset, ipsum debuisse sententiam ferre, quum praeter eum nemo illam ferre posset; atque rectius addimus, verbum ἀποκόπτεσθαι huic explicationi parum favere. Omnes enim antiqui quum Graeci (*Chrys. Theod. Mopsu.* etc.) tum Latini (*Tert. Aug. A*[ter], *Hier. Pel.* etc.) verbo significationem castrandi attribuunt (cfr *Deut.* 23,1), ut sententiae sensus sit : utinam, si putant hoc sibi prodesse, non solum circumcidantur, sed *etiam* se mutilent; « si enim exspoliatio membri proficit, multo magis eius abolitio » (cfr *Pel.*). Quod tali sarcasmo Apostolus uti voluerit, admodum mirum non videbitur consideranti, inter Cybelae similiumque dearum cultores in tota Asia Min. non defuisse, qui fanatico furore correpti sese ipsos exsecarent, castrationemque in illis regionibus ad cultum gentilium religiosum pertinuisse. Ad eos igitur, qui hac ratione gratiam falsorum deorum sibi acquirere putabant, adversarios suos ironice remittit, ut ab iis discant, quomodo agendum sit, si frivola pelliculae abscissione (nihil aliud enim tunc circumcisio erat, postquam foedus divinum, cuius signum fuerat, morte Christi erat abolitum[2]) iustificari coram Deo sibi videntur. Quodsi ironia in hac optatione adesse conceditur (neque est, cur negetur, quoniam simili

1. Verbum ἀναστατοῦν, quod nusquam a profanis, aliquoties ab *Aq.* et *Symm.*., ter tantum in *Novo Test.* legitur. (hic : οἱ ἀναστατοῦντες qui conturbant; *Act.* 17,6 οἱ τὴν οἰκουμένην ἀναστατώσαντες qui urbem [cum *Fuld.* etc. lege : orbem] concitant; 21,38 ὁ ἀναστατώσας qui tumultum concitasti) proprie est i. q. ἀνάστατον ποιεῖν (extorrem facere); melius igitur *subvertere* quam *conturbare* redditur. Cfr *Chrys.* : « bene dixit ἀναστατοῦντες, nam coelesti patria et libertate et cognatione eos privantes coegerunt eos, ut alienam et peregrinam terram quaererent; a coelesti Ierusalem et libertate eos expellentes adegerunt eos, ut velut fugitivi et extorres circumvagarentur ».

2. Quare Paulus etiam *circumcisionem* (περιτομήν) cum contemtu *concisionem* (κατατομήν)

modo Paulus alibi ironiam exprimit cfr ad 1 *Cor.* 4,8 et 2 *Cor.* 11,1), opus non est, ut cum nonnullis inquiramus, quomodo Paulus desiderium exprimere potuerit, ut illi se mutilent, quamvis sui mutilatio sit illicita. Graeci eiusmodi rationes non afferunt; *Aug.* vero Pauli verba mitiganda censet supponens eum desiderasse, ut « spadones fierent propter regnum coelorum et carnalia seminare cessarent »; melius *Hier.* verba Apostoli « non tam furoris in adversarios, quam dilectionis in ecclesias Dei esse » dicit additque illum « non tam eis maledixisse, quam pro illis orasse, ut eas partes corporis perderent, per quas delinquere cogebantur »; sed, uti iam diximus, his excusationibus aliisque similibus[1] non indigemus.

3. *Caveant Galatae, ne libertatem a Lege in carnis servitutem convertant* (5,13-25).

1.) *A Lege liberati servitutem carnis evitant exercitio caritatis* (5,13-15).

5,13. *Vos enim in libertatem vocati estis, fratres : tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem Spiritus servite invicem.* 14. *Omnis enim lex in uno sermone impletur : Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* 15. *Quodsi invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.*

5,13. ὑμεῖς γὰρ ἐπ' ἐλευθερίᾳ ἐκλήθητε, ἀδελφοί· μόνον μὴ τὴν ἐλευθερίαν εἰς ἀφορμὴν τῇ σαρκί, ἀλλὰ διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις. 14. ὁ γὰρ πᾶς νόμος ἐν ἑνὶ λόγῳ πεπλήρωται, ἐν τῷ Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. 15. εἰ δὲ ἀλλήλους δάκνετε καὶ κατεσθίετε, βλέπετε μὴ ὑπ' ἀλλήλων ἀναλωθῆτε[2].

appellat, ei veram circumcisionem opponens eorum, qui in carne fiduciam non habentes in spiritu serviunt Deo et in Christo Iesu gloriantur (*Phil.* 3,2 sq.).

1. Cfr quae interpretes ad Psalmorum imprecatoriorum auctoritatem vindicandam afferunt (*Introd. spec.* in Vet. Test. II. p. 121).

2. *VV. LL.* — 13. ὑμεῖς γάρ (*vos enim*) est communis lectio; minus apte ὑμεῖς δέ (vos *autem*) F G, *Syr.* et nonnulli PP. verba libere allegantes. — τῇ σαρκί (carni) quoque est communis et certa est Graecorum lectio, quam ex Latinis *A^ter*, *Hier.* etc. sequuntur; sensu parum mutato τῆς σαρκός (*carnis*) D, unus alterve minusc., *It.* (*Vict. Aug.*) *Vulg. Goth.* — Verbis τῇ σαρκί (vel τῆς σαρκός) contra plerorumque et graviorum testium auctoritatem verbum δῶτε (*detis*) addunt F G, cum *It. Vulg.*; sed *Hier.* iam adnotat : « subauditur *detis*, quod, quia in graeco non habetur, latinus posuit interpres ». — διὰ τῆς ἀγάπης (per caritatem) sine addito est lectio certa, quam etiam *Aug. Hier.* et omnes meliores codd. *Vulg.* (cfr *Corss.*) exhibent; legunt tamen τῇ ἀγάπῃ τοῦ πνεύματος (*per caritatem Spiritus*) D E F G, aliqui PP. latini (*Vict. A^ter*), *Vulg. Clem.* (cum codd. multis) *Copt. Goth.* — 14. πεπλήρωται (impleta est) B ℵ A C, pauci minusc., *Marc.* (apud *Tert.* c. Marc. V. 4) *Aug. Syr.* etc.; minus forte apte *textus rec.* : πληροῦται (*impletur*) cum D E F G K L N P, plerisque minusc., *It.* (*Vict. A^ter*, *Hier.*) *Vulg. Arm.* — Ne veteri Legi quidquam concederet *Marcion* (cfr *Tert.* l. c. et *S. Epiph.* c. haer. 42. M. 41,724. 776) pro : ἐν ἑνὶ λόγῳ πεπλήρωται, ἐν τῷ Ἀγαπήσεις κτλ legit : ἐν ὑμῖν πεπλήρωται Ἀγαπήσεις. κτλ. (*in vobis* impleta est. Diliges etc.); unde factum est, ut aliqui codd. (D E F G) illud ἐν ὑμῖν consuetae lectioni

Ad novum monitum Apostolus transit, ratione allata, cur tam vehementer pseudapostolos increpaverit eosque nomine οἱ ἀναστατοῦντες ὑμᾶς (qui vos extorres faciunt) compellaverit : **13.** *vos enim in libertatem vocati estis, fratres;* illi autem vos ex patria, in qua liberis degere vobis licet, expellere iterumque in servitutem abigere conantur. Quo ex nexu clarum est, libertatem a Lege mosaica intelligi Apostolumque ad *v.* 1. respicere, in quo paraeneseos suae fundamentum posuerat. At aliud est libertas, aliud licentia; quapropter praecavens, ne qui (id quod postea revera factum est) libertatem evangelicam ab ipso tanta cum vi assertam perverse interpretantes omnia iam sibi licita esse putent, in novo monito libertati limites assignat, et modum quo adhibeatur oporteat definit : *tantum ne libertatem in occasionem* (*detis*) *carnis* (lege : *carni*), *sed per caritatem* (*Spiritus*) *servite invicem.* Lex enim mosaica praeter pracepta ritualia etiam moralia continebat, atque facile fieri potuit, ut aliquis Legem morte Christi abrogatam esse audiens etiam decalogum non amplius obligare sibi persuaderet; optime hoc Paulus perspexit, qui eandem doctrinam de servitute Legis abrogata Romanis proponens diligenter simul monuit, sua doctrina licentiam peccandi non concedi (*Rom.* 6,15 sqq.). Procul quidem dubio moralia quoque praecepta, quae cordibus iam a natura sunt indita (*Rom.* 2,15), servitutem quandam constituebant in antiquo foedere, quoniam Lex severis propositis poenis temporalibus prohibebat et iubebat, sed vires, quibus adimpleri posset, non addebat. Ab hac autem servitute nos Christus liberavit non sublata praeceptorum obligatione, utpote quae a Lege mosaica non erat invecta sed dumtaxat agnita vel, si mavis, confirmata, verum collata gratia, qua adimpleri hominemque ad perfectionem adducere possunt. Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est (*Ioan.* 1,17); a Moyse servitus Legis initium habet, a Christo libertas gratiae; in utroque tamen statu eadem est obligatio praeceptorum, sed spiritui timoris servorum, quem vetus Lex creavit, successit spiritus caritatis filiorum, qui proprius est foederi novo gratiae.

Hanc doctrinam Paulus hic inculcat prohibens ne libertas a Lege vertatur *in occasionem carni.* Nomine *carnis* enim inferiorem hominis partem intelligit, quatenus post peccatum protoparentum nobis transmissum originali amissa iustitia et integritate non tantum inclinatione ad bonum caret (*Rom.* 7,18), sed etiam fomitem peccati in sese habet et contra spiritum rebellans legi peccati inservit (*Rom.* 7,23. 25; cfr ad 1 *Cor.* 2,13 p. 69); atque huic carni libertas a Paulo asserta,

male insererent, quibuscum consentientes *Vict. A*[ter] : « universa enim Lex *in vobis* in uno sermone impletur ».

si male intelligitur ac licentia esse putatur, fit occasio et quasi invitatio vel incitatio (ἀφορμή cfr 2 *Cor.* 5,12 etc.) sese manifestandi libidinibusque suis indulgendi. Paucis egregie *Aug.* : « ne libertatem in occasionem carnis detis, i. e. ne audito nomine libertatis impune vobis peccandum esse arbitremini » ; minus recte *Cass.* (coll. 21,34), quia ad solam Legis ritualis, ut videtur, abrogationem verba restringit : « ne frustrationem legalium mandatorum credatis esse licentiam vitiorum » ; multo accuratius *Chrys.* : « Christus iugum vobis relaxavit, non ut insolescatis et calcitretis (οὐχ ἵνα σκιρτήσητε οὐδ' ἵνα λακτίσητε instar equorum a iugo solutorum), sed ut absque iugo composite incedatis ».

Quod altero membro Apostolus clarius docet modo indicato, quo libertatem suam exerceant : *per caritatem servite invicem.* Vera hominis libertas in eo non est, ut nulli potestati sit subditus neminique serviat; id quippe fieri nequit. Itaque a Legis quidem servitute sunt liberati, sed duro priori illi statui, in quo timore coacti velut servi serviebant, succedere nunc debet alter status, in quo velut filii Deo et iustitiae serviant (cfr *Rom.* 6,17 sqq.), per caritatem omnibus servientes. Servitus igitur quaedam manet, quatenus manet subiectio; neque tamen subiectio, quae est ex caritate, proprie vocari potest servitus, quia homo voluntatem eius, quem amat, sequens suam ipsius voluntatem sequitur; atque aeque parum ille, qui ex caritate proximo servit, servus vocatur, atque filius hoc nomine designatur, qui ex caritate parentibus obedit et servit. « Qui enim per caritatem servit, libere servit, et sine miseria obtemperans Deo, cum amore faciendo quod docetur, non cum timore, quod cogitur » (*Aug.*).

Cur vero aliis praeceptis praetermissis de sola caritate erga proximum loquatur eamque solam postulet, clarum est, quia omnia complectitur caritas : 14. *omnis enim lex* (rectius : *tota enim lex :* ὁ γὰρ πᾶς λόγος i. q. πᾶς ὁ λόγος) *in uno sermone impletur* (vel : *impleta est* πεπλήρωται), sc. in hoc (ἐν τῷ) : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Si unicus hic sermo, i. e. unicum hoc caritatis fraternae praeceptum, impletur vel impletum est, tota Lex mosaica cum omnibus suis variis praeceptis ac mandatis impletur vel impleta est, neque amplius de circumcisione aliisque imponendis disceptari potest. Recte enim *Aug.* adnotat : « *omnem Legem* nunc dicit ex his quae ad bonos mores spectant (i. e. ex praeceptis moralibus); quia et illa, quae sunt in sacramentis (i. e. ritualia), quum bene a liberis intelliguntur, neque carnaliter observantur a servis, ad illa duo praecepta referantur necesse est, dilectionis Dei et proximi ». Ex quibus duobus praeceptis eadem ratione, qua *Rom.* 13,8 sqq., solum secundum nominat eoque

solo reliqua summatim contineri (ἀνακεφαλαιοῦσθαι *Rom.* 13,9) eoque impleto reliqua impleri docet, quia vera dilectio proximi absque Dei dilectione esse nequit, sed eam necessario supponit et sua sponte ex ea profluit. Iterum egregie *Aug.* : « Quum nonnisi in duobus praeceptis dilectionis Dei et proximi perfecta sit caritas, cur Apostolus et in hac et in illa (ad Rom.) epistola solam proximi dilectionem commemorat, nisi quia de dilectione Dei possunt mentiri homines, quia rariores tentationes eam probant, in dilectione autem proximi facilius convincuntur eam non habere, dum inique cum hominibus agunt? Consequens est autem, ut qui ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente Deum diligit, diligat et proximum sicut se ipsum; quia hoc iubet ille, quem ex toto corde, ex toto anima, ex tota mente diligit. Item diligere proximum, i. e. omnem hominem, quis potest, nisi Deum diligat, cuius praecepto et dono dilectionem proximi possit implere? Quum ergo utrumque praeceptum ita sit, ut neutrum sine altero possit teneri, etiam unum horum commemorare plerumque sufficit, quum agitur de operibus iustitiae, sed opportunius illud, de quo quisque facilius convincitur » (cfr ad 1 *Cor.* 13,4).

Porro monitum suum, ut per caritatem invicem serviant, quod praecepto dilectionis proximi allato positive commendavit, etiam commendat perversis propositis sequelis, quae ex opposita agendi ratione exoriantur necesse sit : 15. *quodsi* (εἰ δέ, *Aug.* melius : *si autem*) *invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* « Dictionibus, inquit *Chrys.*, per emphasim usus est; neque enim tantum dixit *mordetis*, quod iam est irati, sed addidit *et comeditis*, quod est in malitia perseverantis; nam qui mordet, iram iam explevit; qui vero devorat, extremae dat feritatis et immanitatis specimen. Morsus vero ac devorationes non corporales intelligit, sed eas quae his multo sunt crudeliores. Neque enim qui carnem gustat humanam tantum mali facit, quantum is qui morsum figit in animam; siquidem quanto anima praestantior est corpore, tanto gravior est illius laesio ». Graphice duobus prioribus verbis describit mutuas inimicitias, quae ex partium studio exoriuntur, ut tertio eandem imaginem retinens infelicissimum finem indicet, ad quem partium studium ecclesias galaticas adducturum sit; sese nimirum mutuo perdent. Utrum Apostolus eiusmodi inimicitias insidiasque mutuas inter Galatas iam exortas esse, insinuare velit (id quod cum *Chrys.* haud pauci sentiunt), an potius eas exorituras esse, nisi pseudapostolos reiiciant, praevideat ac mere hypothetice loquatur, non liquet.

2.) *Ut carnis servitutem evitent, Galatae spiritu ambulent* (5,15-25).

5,16. ***Dico autem : Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis.*** 17. ***Caro enim concupiscit adversus spiritum : spiritus autem adversus carnem : haec enim sibi invicem adversantur : ut non quaecumque vultis, illa faciatis.*** 18. ***Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.*** 19. ***Manifesta sunt autem opera carnis quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,*** 20. ***idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae,*** 21. ***invidiae, homicidia, ebrietates, commessationes, et his similia : quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*** 22. ***Fructus autem Spiritus est : caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas,*** 23. ***mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus huiusmodi non est lex.*** 24. ***Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*** 25. ***Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus.***

5,16. Λέγω δέ, πνεύματι περιπατεῖτε, καὶ ἐπιθυμίαν σαρκὸς οὐ μὴ τελέσητε. 17. ἡ γὰρ σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος, τὸ δὲ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκός· ταῦτα γὰρ ἀλλήλοις ἀντίκειται, ἵνα μή, ἃ ἐὰν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε. 18. εἰ δὲ πνεύματι ἄγεσθε, οὐκ ἐστὲ ὑπὸ νόμον. 19. φανερὰ δέ ἐστιν τὰ ἔργα τῆς σαρκός, ἅτινά ἐστιν πορνεία, ἀκαθαρσία, ἀσέλγεια, 20. εἰδωλολατρεία, φαρμακεία, ἔχθραι, ἔρις, ζῆλος, θυμοί, ἐριθεῖαι, διχοστασίαι, αἱρέσεις, 21. φθόνοι, μέθαι, κῶμοι καὶ τὰ ὅμοια τούτοις· ἃ προλέγω ὑμῖν, καθὼς προεῖπον, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες βασιλείαν Θεοῦ οὐ κληρονομήσουσιν. 22. ὁ δὲ καρπὸς τοῦ πνεύματός ἐστιν ἀγάπη, χάρα, εἰρήνη, μακροθυμία, χρηστότης, ἀγαθωσύνη, πίστις, 23. πραΰτης, ἐγκράτεια. κατὰ τῶν τοιούτων οὐκ ἔστιν νόμος. 24. οἱ δὲ τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ τὴν σάρκα ἐσταύρωσαν σὺν τοῖς παθήμασιν καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις. 25. εἰ ζῶμεν πνεύματι, πνεύματι καὶ στοιχῶμεν [1].

1. *VV. LL.* — 17 **ταῦτα γάρ (*haec enim*)** B ℵ D E F G, paucissimi minusc., *It. Vulg. Copt.*; **minus apte, quum ad nexum non satis attendat,** *textus rec.* : ταῦτα δέ (haec **autem**) cum A C K L P, **plerisque minusc.,** *Syr.* (codd.); neque rectius *Clem. Alex.* et *Goth.* : ταῦτα οὖν (**haec *igitur***), aut *Syr.* (codd.) *Arm. Aeth.* : *et* haec. — 19-21. **Magna quum in numero tum in ordine vitiorum,** quae hic enumerantur, habetur **varietas.** ***Hier.*** **iam adnotat : « in latinis codd.** *adulterium* quoque et *impudicitia* et ***homicidia*** **in hoc catalogo vitiorum scripta referuntur;** sed sciendum non plus quam ***quindecim*** **opera esse nominata »; quin etiam** ***Aug.*** non agnoscit nisi *tredecim* praeter **tria ab** ***Hier.*** **notata etiam** ***luxuriam*** **et** ***rixas*** **transiliens.** Attamen inter graecos codd. **soli B ℵ cum paucis minusc.** ***quindecim*** tantum membra habent; multi cum ***textu rec.*** **habent** ***septemdecim,*** **quum a** μοιχεία (***adulterium***) catalogum incipiant et v. 21 φόνοι (***homicidia***) **inserant** (D E F G K L P, plerique minusc. etc.); alii habent ***sedecim*** **praetermittentes** ***adulterium*** **sed agnoscentes** *homicidia* (A C et multi minusc.); **atque hunc numerum etiam meliores** ***Vulg.*** codd. (*Fuld. Amiat.* etc.) exhibent, **nomen** ***impudicitia*** **omittentes, quod non** est nisi altera versio nominis ἀκαθαρσία. **Hanc igitur lectionem praeferimus;** reliquas varietates, utpote minoris **momenti, omittimus.** — **21.** **καθὼς προεῖπον** (***sicut praedixi***) particula *καί* non inserta **B ℵ F G,** ***It.*** (***Tert. Cypr. Aug.*** etc.) ***Vulg. Syr.*** (codd.) *Aeth. Goth*; sed *textus rec.* : **καθὼς καὶ προεῖπον (sicut *et* praedixi) cum** A C D E K L P, omnibus minusc., *Syr.* (codd.) ***Copt. Arm.*** — **22. De catalogo virtutum cfr** ***Comment.*** — 24. οἱ δὲ τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ (qui autem sunt Christi *Iesu.*) B ℵ A C P, pauci minusc., *Copt.*; nomen Ἰησοῦ

Quae *v.* 13. prohibuerat, ne libertas a Lege in carnis servitutem verteretur, ea Paulus uberius explananda censuit; itaque generaliore modo nunc fideles spiritu ambulare iubet, ne ulla ratione caro dominium possit exercere (*v.* 16.). Cuius novi praecepti deinde causam addit (17. 18.), atque signa exponit, quibus homo, utrum secundum carnem an secundum spiritum ambulet, cognoscere queat (19-23), ut demum illud in ipsa christianae religionis natura fundatum esse ostendat (24. 25.).

16. *Dico autem : Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis.* Formulam λέγω δέ (*dico autem*) Apostolo inservire, ubi priorem suorum verborum explicationem affert, supra monuimus (*ad* 4,1). Carnis scilicet servitutem exercitio caritatis fraternae evitari dixerat, quia praecepto caritatis reliqua omnia complerentur; sed timens, ne haec neophytis obscuriora esse viderentur, carni spiritum opponens speciali caritatis praecepto praetermisso explicat, quam agendi rationem homo sequatur oporteat. Quoniam de fidelibus agitur, per se evidens est, carnem et spiritum hic non idem esse, quod corpus et animam, id quod olim aliqui arbitrati sunt, quos *Chrys.* fuse impugnat; sed haud recte quoque iuniores illi sentiunt, qui carne sensitivum appetitum s. sensualitatem, spiritu rationalem appetitum s. ipsam mentem designari volunt (*Lyr. Dion*[2]. *Tol.* in *Rom.* 8, *Iust*[2]. etc.). Neque enim duo illi appetitus semper ac necessario inter se pugnant, sed in pravis hominibus amice consentiunt, dum iuxta Apostolum (*v.* 17.) caro et spiritus semper inter se pugnant; neque solus inferior, sed etiam superior appetitus in homine lapso ad malum inclinatur; neque omnia opera carnis a Paulo enumerata (*v.* 19 sqq.) ab inferiore appetitu dependent, sed nonnulla ad rationalem (aemulationes, dissensiones, invidiae etc.) spectant (cfr *S.Aug.* de civ. Dei. XIV. 2,2.). Rectius alii nomine *carnis* ipsam concupiscentiam, nomine *spiritus* tertiam SS. Trinitatis personam significari arbitrantur (cfr *Est.* etc., *M Ev. Reithm.* etc. — *Mey. Sieff. Lightf.* etc.); sed accuratius eos loqui censemus, qui *carnem* quidem eo sensu explicant, quem supra indicavimus (ad *v.* 13), *spiritum* vero dicunt hic esse superiorem hominis partem, quatenus gratia sanctificante instructa et cum S. Spiritu inhabitante unita principium est actionum supranaturalium (cfr ad 1 *Cor.* 2,13). Quem sensum indicat, ni fallor, *Cai.*, si « de Spiritu S. perficiente spiritum nostrum hic sermonem esse » dicit; et

a *textu rec.* cum reliquis praetermittitur. — τὴν σάρκα (carnem) pronomine αὐτῶν (suam) praetermisso est communis Graecorum lectio, quam *Hier.* et boni *Vulg.* codd. (Amiat.) *Sah. Syr.* (codd.) etc. agnoscunt; haud recte τὴν σάρκα αὐτῶν (*carnem suam*) F G, *It.* (*Cypr. Aler, Aug.*) *Vulg. Clem. Goth. Arm.*

ante eum *Thom.* : « ambulandum est ergo, inquit, *spiritu*, i. e. mente, ut ipsa ratio sive mens legi Dei concordet; nam spiritus humanus per se vanus est, et nisi regatur aliunde, fluctuat hac et illac, uti dicitur *Eccli.* 34; non ergo perfecte stare potest ratio humana, nisi secundum quod est recta a Spiritu divino »; quibuscum re consentiens *Oec.* cum aliis Graecis : « carnem hoc loco dicit carnales et pravas concupiscentias, spiritum vero gratiam Spiritus S., quae ad virtutem dirigit » (cfr *Theod. Hier.* etc., *Wind. Bisp. Palm.* etc.).

Spiritu igitur (seu *secundum spiritum* cfr *Rom.* 8,4) homo *ambulat,* si superior eius pars, qualem descripsimus, dominium tenet, ita ut ab eius mente, quatenus gratia divina est illuminata et roborata, actiones eius procedant; a qua definitione verbis potius quam re differunt, qui spiritu ambulare dicunt esse i. q. instinctum Spiritus S. sequi. Porro ex hac definitione sponte elucet, quomodo Apostolus concludere possit : *et desideria* (rectius cum *Vict. Hier.* : desiderium, vel cum *A*[tro]: concupiscentiam τὴν ἐπιθυμίαν) *carnis non perficietis.* Iure merito *Aug.* (*Serm.* 128 c. 4; c. Iulian. III. 26,62 etc.) verbum *perficere* (τελεῖν) urget, quia a voluntate hominis non dependeat, num carnis desiderium habeat, sed de eo solo agatur, num desiderium carnis consensu voluntatis expleatur; etiam is, qui spiritu ambulat, eiusmodi concupiscentiam habere potest, sed eam non sequetur. Verum minus recte *Aug.* cum iunioribus nonnullis secundam sententiae partem pro praecepti continuatione habet : spiritu ambulate et nolite perficere desiderium carnis (*Aug.* enim legit : *ne perfeceritis*). Quamvis enim aptissimum sit per se istud praeceptum negativum positivo additum, graecus tamen textus (οὐ μὴ τελέσητε) hanc interpretationem vix admittit, siquidem particula οὐ μή cum coni. aor. in Novo Test. non prohibere, sed asseverare recte dicitur (cfr 4,30; 1 *Cor.* 8,13 etc.); necessaria igitur positivi praecepti sequela exprimitur : qui spiritu ambulat, is desiderium carnis non perficiet nec libertatem suam in servitutem carnis vertet.

Quod praeceptum ut neophyti sequantur, Paulus rationem quandam addit; necessaria enim et continua duorum istorum principiorum pugna descripta (*v.* 17) eum felicem fore insinuat, qui spiritum sequatur (*v.* 18), quandoquidem alterutrum sequatur necesse sit. 17. *Caro enim concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem; haec enim sibi invicem adversantur, ut non* (lege : *ne* ἵνα μή) *quaecumque vultis illa faciatis.* Haud pauci velut locum parallelum, qui explicationi inserviat, huc *Rom.* 7,14 sqq. trahunt (cfr *Est. Nat.* etc., *Bisp. Dr. Palm.* etc.), sed ut videtur non satis recte; in loco enim allegato Apostolus loquitur in persona hominis sub peccato et Lege

constituti, hic vero agitur de fidelibus sub gratia constitutis; quare etsi noster locus alteri similis esse videatur, dissimilis tamen est. Etiam in homine iusto, quamdiu in terra degit, iuxta Paulum continua habetur duorum principiorum, inferioris, quod ad peccata allicit, et superioris, quod ad virtutes trahit, lucta et pugna. Neque enim in homine regenerato caro s. concupiscentia mortua est, sed remanet atque continuo quaerit recuperare dominium amissum : *concupiscit adversus spiritum,* ut ei dominium eripiat; similiter autem spiritus carnem magis magisque supprimere nititur : *concupiscit adversus carnem,* ne haec prius dominium sibi recuperet. Quae continua lucta ex ipsa duorum principiorum natura exoritur, siquidem inter se sunt plane opposita : *haec enim sibi invicem adversantur* eoque tendunt, ne homo ab altero sese regi ac gubernari patiatur. Si homo spiritum sequi vult in aliqua re, caro adversatur, ne homo hoc quod vult faciat; ac vicissim si homo carnem sequi vult, spiritus adversatur, ne hoc quod vult faciat; quae duo membra una sententia complexus dicit : caro et spiritus inter se adversantur ac pugnant, *ne ea quae vultis faciatis.* Bene *A*[ter], licet minus apte *spiritum* vocet *legem Dei, carnem* vero *legem peccati* : « Divina lex premit et fugat legem peccati consulens homini, ut vigorem naturae suae (utique gratia reformatae) custodiat, ne capiatur illecebris; illa e contrario in insidiis agens lacessit hominem blanditiis, ut spernat praeceptum legis divinae. Quum ergo consenserit (vel potius consentire velit) homo legi Dei, contradicit lex peccati, ne faciat, quod imperat lex divina; e diverso autem lex Dei revocat hominem, ne faciat, quod suggerit lex peccati ». Similiter alii antiquiores Latini (*Herv. Lomb. Thom.*), quamquam versione latina in errorem inducti particulam ἵνα μή (*ut non*) pro consecutiva minus recte habent : « in tantum caro et spiritus adversantur, *ut non quaecumque vultis,* bona scilicet vel mala, *illa faciatis,* i. e. facere permittamini ». Particula ἵνα μή finem indicat, quem caro et spiritus in sua pugna persequuntur (cfr *Reithm. L R. Schaef.* etc. — *Mey Sieff.* etc.). Quae explicatio mirum est, quod non omnibus probetur; plerique enim ad nexum non satis attendentes ultimo membro duo priora quasi comprehendi non viderunt; unde factum est, ut ultimis in verbis alii de sola bona voluntate, quae carne impediatur (*Lyr. Dion. Cai. Est.* etc., *Bisp. Palm.* etc.), alii de sola mala voluntate, quae spiritu impediatur vel potius impediri debeat (*Chrys. Theod.* etc.), agi satis arbitrarie et parum recte statuerint.

Verum Apostolus duorum principiorum, utriusque fine indicato, pugnam illam, quam omnes experimur, simpliciter describit eamque

ex eorum, quum de dominio concertent, oppositione necessario exoriri docet; unde colligi vult, hominem in sua agendi ratione alterutrum, aut carnem aut spiritum, ita sequi, ut utrum sequatur, ab eius electione dependeat. Quare neophytis, ut spiritu ambulare studeant, proponit, quantum bonum possessuri sint, si spiritum ducem eligant eiusque suasionibus semper obtemperent : **18.** *quod si* (lege : *si autem εἰ δέ*) *spiritu ducimini, non estis sub lege* i. e. sub Legis servitute (cfr *v.* 1 et 4,24; 3,23 sq.; 4,1 sqq. etc.). In libertatem quidem Christus eos asseruit eamque consecuti sunt, quando credentes baptismo Christo inserti Spiritum adoptionis filiorum acceperunt; in servitutem autem relabuntur, quamprimum spiritui non obsequentes carni servire incipiunt. Namque ea faciens, quae Lex maledicto punit, iterum sub Lege eiusque maledicto erit : « qui enim non ducuntur spiritu, sequitur, ut carne ducantur;... sed duci a carne damnatio est » (*Aug.*). Quae in hac sententia negative (*non estis sub Lege*) quasi per litotem, eadem alibi positive Apostolus exprimit : « quicumque Spiritu Dei aguntur, *ii sunt filii Dei;* non enim accepistis *spiritum servitutis* iterum in timore (εἰς φόβον in timorem), sed accepistis *Spiritum adoptionis filiorum,* in quo clamamus Abba Pater » (*Rom.* 8,14 sq.). Qui igitur Spiritu Dei ducti spiritu ambulant, ii non amplius servi sunt Legis terrentis transgressoribusque suis poenas minitantis neque tamen asseclis suis vires ad suam observationem praebentis, sed Dei sunt filii adoptivi atque ius habent ad aeternam haereditatem, a qua excluduntur quicumque carne aguntur (*v.* 21). Plerique nomine *spiritus* in hac sententia Spiritum S. ipsum haud male intelligunt; haec enim interpretatio loco parallelo (*Rom.* 8,14 *Spiritus Dei*) suaderi videtur; atque Apostolo, quia Spiritus S. est auctor principii supranaturalis, quod praecedente in sententia spiritum nominaverat, ac proin illo nomine connotatur, ad hanc specialiorem significationem transire licuit. Sed nihil quoque obstat, quominus hic nomine *spiritus* principium supranaturale rursus designari dicatur; quin etiam haec explicatio contextui esse conformior videtur.

Quomodo vero neophyti, qui omnes Spiritum acceperant, se spiritu ambulare discernere possunt? Haud difficile est responsum, si ad ea attendunt, ad quae caro eos allicere nititur (19-21), atque altera ex parte illa considerant, quae propria sunt spiritus (22. 23); si priora evitantes altera in se invenient, spiritu ambulant. Praeprimis igitur vitiorum catalogum quendam proponit : **19.** *manifesta sunt autem opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia,* (*impudicitia,*) *luxuria,* **20.** *idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae,* **21.** *invidiae, homicidia,*

ebrietates, commessationes, et his similia, quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Ex fructibus cognoscitur arbor (*Matth.* 12,33); caro quoque, si hominem allicit et sollicitat, ei bonum quoddam praesentat ac promittit, ac fieri potest, ut promissionibus suis eum fallat; sed si hominem iam seduxit, manifestum fit, quodnam bonum ab ea promissum fuerit. Coram omnium enim oculis aperta (φανερά *manifesta*) sunt eius opera. atque ex iis eorumque sequela, quum a regno Dei excludant, neophyti cognoscere poterunt, quantopere servitus carnis sit fugienda; sed ex iis quoque, si ipsi ea in se inveniunt, quemnam ducem secuti sint, evidentissime cognoscunt neque amplius sese ipsos de animi sui statu fallere queunt.

Quia alibi quoque Apostolus vitiorum catalogos exhibet (cfr *Rom.* 1,29. 20; 13,13; 1 *Cor.* 6,9. 10; 2 *Cor.* 12,20. 21; *Eph.* 5,3-5) neque tamen semper eadem peccata eodem ordine recenset, cum *Thom.* iure concludimus, eum « non intendere *omnia* vitia *ordinate* et secundum artem enumerare, sed illa tantum, in quibus abundant et in quibus excedunt illi ad quos scribit ». Quam parum completa sit enumeratio, Paulus ipse docet in fine addens : *et his similia;* eum ad statum eorum, quibus scribit, attendisse, ex magno numero apparet peccatorum contra proximos, quae deesse in ecclesiis non poterant, in quibus iudaizantes novis suis doctrinis dissidia provocabant; ordinem tamen non plane neglexit, siquidem quatuor vitiorum genera a plerisque recte distinguuntur.

Primum genus iuxta meliores codd. graecos et latinos *tria* peccata contra sextum praeceptum decalogi complectitur : πορνεία *fornicatio*, ἀκαθαρσία *immunditia*, ἀσέλγεια *luxuria* (de quibus cfr ad 2 *Cor.* 12,21, p. 341, ubi alio ordine recensentur). *Textus rec.* graecus cum multis antiquis Latinis (cfr *VV. LL.*) his tribus praemittit : μοιχεία *adulterium;* quod vero a *Vulg. Clem.* tertio in loco nominatur *impudicitia*, id ex altera versione procul dubio est insertum; aut ἀκαθαρσία enim aut ἀσέλγεια (quae vox in 2 *Cor.* 12,21 vertitur *impudicitia*) hoc nomine exprimitur; *S. Cypr.* (c. Iud. testim. III. 64) pro *luxuria* habet *spurcitiae*, quae versio, quum ἀσέλγεια sit effrenis libido, praeferenda videtur.

Secundo in loco *duo* peccata nominantur contra Deum : εἰδωλολατρεία *idolorum servitus* et φαρμακεία veneficia. Priore nomine forte non tam ipsa idolorum veneratio et adoratio intelligenda est, siquidem vix erat timendum, ne neophyti eousque progrederentur, quam indirectus deorum cultus, cuius periculo quum participatione in epulis sacrificalibus tum aliis superstitiosis ritibus retentis facillime sese exponere potuerunt (cfr ad 1 *Cor.* 10,14). Porro vocabulo φαρμακείας, quod a *Vulg.* semper *veneficia* (*Apoc.* 9,21; 18,23) redditur, Alexandrini varia nomina hebraica (כְּשָׁפִים *Is.* 47,9. 12 etc.; לָטִים *Exod.* 7,22 etc.; לְהָטִים *Exod.* 7,11) reddunt, quae omnes magicas artes

incantationesque significant; atque hic sensus nostro quoque in loco (uti in *Apoc.*) vocabulo competit, ita ut cum *Thom.* etiam plerique latinum nomen *veneficia* eodem sensu recte explicent.

Novem sequuntur in tertio loco peccata contra proximum, sed attendas velim nullum inter ea esse, quod contra bona fortunae (cfr 1 *Cor.* 6,10) aut famam (cfr 2 *Cor.* 12,20) proximi sit. Primo nomine ἔχθραι *inimicitiae* quasi genus indicatur; octo autem subiiciuntur velut species, quae pro affinitate sua dispositae sunt. Vicinae enim inter se sunt ἔρις (vel ἔρεις) *contentiones* et ζῆλος (vel ζῆλοι) *aemulationes*, uti etiam θυμοί *irae* et ἐριθεῖαι *rixae* (de quatuor his nominibus eodem ordine dispositis cfr ad 2 *Cor.* 12,20; p. 339; et de duobus prioribus solis cfr ad 1 *Cor* 3,3); affines quoque sunt διχοστασίαι *dissensiones* vel potius *dissidia* et αἱρέσεις *sectae* vel *haereses*; alterum tamen nomen sine ullo dubio de dissensionibus religiosis explicetur oportet, nam hac significatione semper in Novo Test. usurpatur (cfr ad 1 *Cor.* 11,19). Ultima demum duo membra φθόνοι *invidiae* et φόνοι *homicidia* (cfr *Rom.* 1,29) non tam propter internam affinitatem (quia ex invidia oriantur homicidia cfr 1 *Ioan.* 3,12), uti aliqui volunt, quam propter homophoniam coniuncta sunt.

Quartum genus *duo* complectitur peccata contra temperantiam : μέθαι *ebrietates* et κῶμοι *comessationes* (cfr *Rom.* 13,13; 1 *Petr.* 4,3). Pro « comessationes ». *Amiat.* aliique boni *Vulg.* codd. quidam legunt « comissationes », idque ut videtur rectius; neque enim a latino *comedere*, sed a graeco κῶμος, κωμάζειν derivatum est latinum *comissari*. « Κῶμος autem, inquit *S. Isid. Pel.* (Epist. I. 156), est tibiae cantus cum largiore vino ad voluptatem libidinemque exstimulans atque per cymbala cantilenasque convivas mulcens ac deliniens »; proprie tamen apud profanos significare videtur pompam bacchanalem nocturnam hominum ebriorum lascivorumque, qui post copiosa epula cum taedis instrumentisque musicis in Bacchi maxime aut alterius numinis honorem temulenta agmina per plateas ducunt aut ante fores amicorum amicarumve tibiis vocibusque canunt (cfr *Passow* Lex. *Grimm* etc.); atque hanc quoque significationem vox habet *Sap.* 14,23, ubi κῶμοι a *Vulg.* quidem redduntur *vigiliae* (quia epula in multam noctem producuntur) sed cum τελέταις τεκνοφόνοις (initiationibus, quae puerorum occisorum sanguine fiebant) et κρυφίοις μυστηρίοις (occultis mysteriis) connumerantur.

Quo tempore inter neophytos praesens adfuerat, Paulus eos ab istis vitiis absterruerat poena proposita, quam illi effugere nequeunt, qui istis sese dedunt; sed idem monitum nunc repetendum duxit : *quae praedico vobis* nunc his literis, *sicut praedixi* praesens apud vos, *quoniam qui talia agunt* etiam nunc postquam ad fidem venerunt, *regnum Dei non consequentur* (οὐ κληρονομήσουσιν non haereditabunt cfr 1 *Cor.* 6,10; *Eph.* 5,5). *Lomb.* cum *Aug.* adnotat « non dici : qui haec omnia fecerint aut simul habuerint, sed qui talia agant,

quia etiam singula regnum Dei tollunt », ac similiter *Hier.* : « non refert, uno quis a beatitudine excludatur, an pluribus, quum omnia similiter excludant ». At quomodo id esse possit, interrogant alii (cfr *Thom. Cai. Salm. Est. Nat.* etc.), quoniam nonnulla ex enumeratis (contentiones, aemulationes etc.) genere suo non sint mortalia. Respondet *Thom.*, quaedam secundum genus suum (fornicationem, homicidium etc.), reliqua « secundum suam consummationem, sicut *iram*, cuius consummatio sit in nocumentum proximi », esse mortalia; accuratius vero *Salm.* cum *Cai.* respondet : « haec omnia intelligenda esse cum duabus conditionibus, quae in materia morali semper subintelliguntur; altera ex parte formae, ut opera ista fiant ex intentione et deliberatione; altera ex parte materiae, ut sint eiusmodi quae notabiliter noceant aut ipsi agenti aut proximo ».

Catalogo vitiorum Apostolus alterum virtutum opponit, quibus neophyti, num spiritu ambulent, dignoscant : 22. *fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax,* (*patientia,*) *benignitas, bonitas, longanimitas,* 23. (*mansuetudo,*) *fides, modestia, continentia* (*castitas*) : *adversus huiusmodi non est lex.* Cum Graecis (*Chrys. Mopsu. Oec. Theoph.*) etiam multi iuniores et moderni (*Iust. Lap.* etc., *Reithm.* etc.) nomen *fructus spiritus* adhiberi censent, ut virtutes non a nobis solis esse, sicut peccata, sed simul benignitati divinae deberi significetur. Accuratius tamen *Thom.* nomine illo duo innui monet, virtutes nimirum esse aliquid delectabile atque ex natura nobis divinitus data exoriri. Nam « quod producitur ex aliquo praeter eius naturam, non habet rationem fructus, sed quasi alterius germinis; opera autem carnis et peccata sunt praeter naturam eorum, quae Deus nostrae naturae inseruit; Deus enim humanae naturae quaedam semina inseruit, sc. naturalem appetitum boni et cognitionem, et addidit etiam dona gratiae; et ideo quia opera virtutum ex his naturaliter producuntur, fructus dicuntur; non autem opera carnis ». Quibus alibi addit (Summ. theol. II. 1. qu. 10. a. 1) : « si igitur operatio hominis procedat ab homine secundum facultatem suae rationis, sic dicitur esse *fructus rationis;* si vero procedat ab homine secundum altiorem virtutem, quae est virtus Spiritus S., sic dicitur esse operatio hominis *fructus Spiritus S,.* quasi cuiusdam divini seminis », vel ut iterum in Comm. habet : « dicitur ergo *fructus spiritus,* qui consurgit in anima ex seminatione spiritualis gratiae ». Porro singulari numero (*fructus autem spiritus est*... ὁ δὲ καρπὸς τοῦ πνεύματός ἐστιν...) Paulus utitur, quamvis pluralem de vitiis adhibuerit (*opera carnis* τὰ ἔργα τῆς σαρκός), quia vitia quidem singula in homine adesse possunt eumque a regno excludunt, una autem virtus, si vere perfecta

est, cum aliis necessario est coniuncta, quandoquidem omnes in caritate radicantur et quasi continentur (cfr ad 1 *Cor*. 13,4), neque una ad regnum obtinendum sufficit, nisi cum reliquis sit coniuncta (cfr *Cai*. *Salm*. *Est*. *Iust*. etc., *Wind*. *Reithm*. etc.).

Iuxta *Thom*. (Summ. theol. II. 1. qu. 70. a. 3) convenienter *duodecim* fructus enumerantur atque ita disponuntur, ut primis quinque mens ordinetur in se ipsa, quatuor sequentibus ordinetur relate ad ea, quae sunt iuxta (sc. relate ad proximum), tribus ultimis relate ad ea quae sunt infra. Neque tamen haec ita intelligi voluit, ut Apostolus plures aut pauciores fructus enumerare non potuisset, sed eo solo sensu, ut omnes donorum vel virtutum actus secundum quandam convenientiam ad ista reduci possent (l. c. ad 4). Quae rectissime adiecit, quia revera, uti *Aug*. iam monuit, Paulus aeque parum omnes fructus spiritus atque omnia opera carnis recensere voluit; duodenarius autem numerus non habetur nisi in iunioribus *Vulg*. codd., exortusque est ex duplici duorum nominum versione. In graeco enim textu consentientibus antiquis Latinis (*Aug*. *Hier*.), melioribus *Vulg*. codd. (*Fuld*. *Amiat*. *Harl*. etc.) aliisque versionibus non habentur nisi *novem* fructus, quibus graecolatini (D E F G) cum paucis aliis Latinis decimum (ἁγνεία *castitas*) ultimo in loco addunt. Quia omnis Lex in uno praecepto dilectionis summatim continetur et impletur (cfr ad *v*. 14), ante omnes recensetur ἀγάπη *caritas*, quae hoc in loco ad solam proximi dilectionem non est restringenda, sed Dei amorem proxime designat.

Simili deinde modo, quo 1 *Cor*. 13,5 sqq. reliquas virtutes velut caritatis dotes, hic eas « tamquam ex isto capite exortas et religatas contexuit » (Aug. in Ioan. tr. 87,1). Proxime sequitur χαρά *gaudium*, quo nomine plerique sanctam laetitiam intelligunt, quam Spiritus S. cordibus iustorum infundit (*Rom*. 14,17; 1 *Thess*. 1,6), quaeque iuxta *Thom*. (l. c.) « ad amorem caritatis de necessitate consequitur, quia omnis amans gaudet de coniunctione amati »; nescio tamen, annon rectius gaudium intelligatur de gloria Dei aucta et propagata (1 *Cor*. 13,6 *congaudet veritati*); de virtute enim quadam agitur, non de praemio aliquo. Quamobrem tertius quoque fructus, εἰρήνη *pax*, non tam de conscientiae tranquillitate aut de pace ad Deum (*Rom*. 5,1) aut de perfectione gaudii (*Thom*.), quam de pace cum aliis colenda explicetur oportet (1 *Cor*. 13,4 *non aemulatur*). Bene *Aug*. (l. c.) de his duobus donis: « Quis bene gaudet, qui bonum non diligit, unde gaudet? Quis pacem vero nisi cum illo potest habere, quem vere diligit? » Haec igitur pax inimicitiis opponitur, a quibus Paulus vitia carnis contra proximum enumerare coepit; atque reliquae quoque virtutes, quae sequuntur, proximum respiciunt: μακροθυμία, iuxta Vulg. Clem. *patientia*, sed iuxta antiquam versionem rectius *longanimitas*[1] (cfr ad 1 *Cor*. 13,4 *patiens est*),

1. In hodierna *Vulg*. *Clem*. μακροθυμία interdum *patientia* (*Rom*. 9,22; *Eph*. 4,2; *Col*. 3,12 etc.), interdum *longanimitas* (*Rom*. 2,4; 2 *Cor*. 6,6; *Col*. 1,11 etc.) redditur. Item πραότης interdum vertitur *mansuetudo* (1 *Cor*. 4,21; 2 *Cor*. 10,1; *Eph*. 4,2 etc.), inter-

χρηστότης *benignitas* (l. c. *benigna* est), ἀγαθωσύνη *bonitas*, i. e. probitas (cfr ad 1 *Cor.* 13,5 : *non quaerit quae sua* NON *sunt*), πίστις *fides* i. e. aut fidelitas, qua aliquis promissis stat, aut melius (iuxta 1 *Cor.* 13,7 *omnia credit*) sancta atque prudens simplicitas, qua aliquis proximis confidit, πραΰτης iuxta Vulg. quidem *modestia*, sed iuxta Aug. Hier. rectius *mansuetudo* (1 *Cor.* 13,5 *non irritatur*). Vitiis carnis demum contra sextum praeceptum opponitur ἐγκράτεια *continentia*, cui a textu rec. et a *Vulg.* additur ἁγνεία *castitas*.

Quemadmodum in fine catalogi operum carnis, quid de iis sentiendum esset, Paulus diserte monuit, ita nunc etiam quid de fructibus spiritus iudicandum sit exponit. Vitia a regno Dei excludunt, unde evidens est, Legem adversus illa esse, siquidem poenae, quas comminatur, omnes ferient, qui uno ex illis sunt infecti; qui igitur opera carnis habent sub Lege sunt. Verum aliter se res habet de fructibus spiritus : *adversus huiusmodi non est Lex;* neque enim virtutum opera poenis afficit neque adversus illos, qui virtutibus sunt ornati, minas promulgat; qui igitur spiritu ducuntur fructumque spiritus producunt non sunt sub Lege (*v.* 18). Interrogant interpretes, utrum *huiusmodi* (τῶν τοιούτων) neutrius generis sint et ad opera virtutum referatur, an potius masculini generis sit atque eos designet, qui fructum spiritus habent; prior sententia plerisque Latinis et modernis, altera Graecis praeplacet. Proxime quidem opera designari videntur, uti *v.* 21. τὰ τοιαῦτα (talia) sunt opera carnis; at sicut ibi loquitur de iis, *qui talia agunt* (οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες), ita hic quoque connotavit eos, qui fructibus spiritus sunt ornati; utraque igitur sententia apte conciliatur. Quare etiam a Latinis non minus quam a Graecis velut sententia parallela recte 1 *Tim.* 1,9 allegatur : « *iusto Lex non est posita, sed iniustis* »; minis enim et poenis suis solos iniustos constringit, sed minae eius ad illum non spectant, qui spiritu agitur instinctuque Spiritus S. ea omnia facit, ad quae Lex minis poenisque suis hominem adducere vult.

Postquam hac ratione ostendit, quomodo neophyti, num revera spiritu ambulent, cognoscere queant, Paulus, ut eos ad rectam viam eligendam exhortetur, paucis docet, in ipsa Christiani notione praeceptum suum, ut spiritu ambulent, esse fundatum. Fructus enim illi spiritus, quos enumeravit, ex ipsa Christiani natura sponte profluunt : 24. *qui autem sunt Christi, carnem* (*suam*) *crucifixerunt cum vitiis* (παθήμασιν, rectius *Aug.* : passionibus[1]) *et concupiscentiis;* 25. *si*

dum *modestia* (*Col.* 3,12; 2 *Tim.* 2,25). Quum etiam *Act.* 24,25 ἐγκράτεια a *Vulg.* vertatur *castitas*, tertium quoque membrum quod abundat ex alia versione esse insertum coniicere licet.

1. *Hier.* adnotat : « ubi latinus interpres *vitia* posuit, in graeco παθήματα i. e. *passio-*

spiritu vivimus, spiritu et ambulemus[1]. Prior sententia satis est clara, dummodo ad ea attendamus, quae Apostolus alibi de nostra insertione in Christum et de nostra morte cum Christo docet (2,19 sqq.; *Rom.* 6,1 sqq.; 7,1 sqq.; 8,1 sqq.). Baptismo enim Christo in cruce morienti inserimur et cum Christo moritur et sepelitur vetus noster homo, i. e. caro cum suis passionibus et concupiscentiis, ex lavacro baptismatis autem emergitur novus noster homo, ita ut in nobis iam ipse Christus per Spiritum suum vivat; novum in nobis exortum est principium vitae, novam accepimus formam, qua vivimus vitam supranaturalem. Unde sua sponte monitum fluit, quo ad praeceptum *v.* 16 propositum revertitur : si per novum illud principium vivimus, debemus etiam secundum illud principium vivere : « si per spiritum vitam habemus, spiritualiter conversemur et non carnaliter Legi serviamus » (*Pel.*).

In hac interpretatione, quam ex antiquis *Theod.* et *Pel.* insinuarunt, paucos quidem ex antiquioribus et iunioribus, plerosque vero modernos nobiscum consentientes habemus (cfr *Wind. Bisp. Reitm. LR. Palm. Schaef.* etc.). Antiqui reliqui ad vim aor. ἐσταύρωσαν non satis attendentes de eo agi putarunt, quod non tam factum sit, quam continuo fieri debeat; scilicet de necessitate perpetuae suppressionis et mortificationis concupiscentiae locum interpretantur, quam mortificationem vocari crucifixionem volunt, quia caro Christi crucifixa quasi idea et exemplar eius sit (cfr *Lap. Est.* etc.; atque similiter *Chrys.* etc., *Aug.* etc.). At procul quidem dubio continua haec carnis mortificatio est necessaria, ne vetus noster homo in baptismo mortuus reviviscat (cfr *Rom.* 6,11 sqq.), sed hanc necessitatem Apostolus in altera sententia inculcat, qua neophytos, si spiritu vivant, etiam spiritu ambulare iubet; in priore autem sententia id unum docet, neophytos secundum veterem hominem baptismo mortuos esse : « qui cum Christo (in baptismo) consepulti sunt, corpus peccato mortuum reddiderunt » (*Theod.* cfr *Rom.* 6,2 etc.).

Orig. secutus est singularem lectionem, quam *Hier.* probare potius quam improbare videtur; legit enim : « adversus huiusmodi non est Lex,

nes leguntur; et quia *passio* potest et dolorem et ceteras necessitates significare corpusculi, caute Apostolus intulit *desideria* (concupiscentias ἐπιθυμίας), ut non naturam corporis videretur in spiritualibus viris negare, sed vitia ». Attamen παθήματα eas affectiones perturbationesque potius significat, quas homo ex parte carnis peccato infectae ita patitur, ut ex eis deinde ἐπιθυμίαι (desideria) exoriantur; per se autem patet de affectibus desideriisque liberis hic non agi.

1. Eodem *ambulandi* verbo *Vulg.* reddit περιπατεῖν in *v.* 16 et στοιχεῖν hoc in loco, ubi *Aug.* legit : *sectemur*. Revera στοιχεῖν est *secundum ordinem incedere* aut etiam *sequi* (uti *Vulg.* vertit v. 16 : hanc regulam secuti fuerint τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσιν); accuratior igitur nostri versus sensus est : si spiritu vivimus ac proin eo agimur, etiam spiritum sectemur (cfr *Rom.* 4,12 οἱ στοιχοῦντες τοῖς ἴχνεσιν τῆς πίστεως *Vulg.* : qui sectantur vestigia fidei).

qui carnem Christi crucifixerunt cum passionibus » etc., sed nomine *carnis Christi*, quum nos simus membra Christi, intelligit « carnem nostram, quam crucifigimus mortificantes per eam super terram fornicationem, immunditiam » etc. Simili modo *Phot.* (cfr *Oec.*) consuetam lectionem retinens : οἱ δὲ τοῦ Χριστοῦ τὴν σάρκα ἐσταύρωσαν explicavit ad grammaticas regulas non attendens : οὗτοι δέ εἰσιν, οὓς εἶπον, οἵτινες τοῦ Χριστοῦ τὴν σάρκα ἐσταύρωσαν (hi sunt, quos dixi, qui nimirum carnem Christi crucifixerunt). — Inter Latinos *A*ter nomen *Christi* non genetivum, sed nominativum plur. esse voluit; explicat enim : « Qui Christo devoti sunt, hos dicit *christos* i. e. unctos; hi carnem, i. e. mundum, *crucifigunt*, quando haec, ex quibus errores oriuntur, condemnant ». Eadem ratione alii Latini perfectum *crucifixerunt*, ac si praesens (*crucifigunt*) sit scriptum, interpretantur ac sine scrupulo unum pro alio adhibent (cfr *Prim. Haym. Herv.* etc.).

§ 2. *Monita varia* (5,26-6,10).

5,26. ***Non efficiamur inanis gloriae cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. 6,1. Fratres, et si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris. 2. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. 3. Nam si quis existimat se aliquid esse, quum nihil sit, ipse se seducit. 4. Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero. 5. Unusquisque enim suum onus portabit.***

6. ***Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis. 7. Nolite errare : Deus non irridetur. 8. Quae enim seminaverit homo, haec et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem : qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam. 9. Bonum autem facientes, non deficiamus : tempore enim suo metemus non deficientes. 10. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.***

5,26. Μὴ γινώμεθα κενόδοξοι, ἀλλήλους προκαλούμενοι, ἀλλήλους φθονοῦντες. 6,1. ἀδελφοί, ἐὰν καὶ προλημφθῇ ἄνθρωπος ἔν τινι παραπτώματι, ὑμεῖς οἱ πνευματικοὶ καταρτίζετε τὸν τοιοῦτον ἐν πνεύματι πραΰτητος, σκοπῶν σεαυτόν, μὴ καὶ σὺ πειρασθῇς. 2. ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε, καὶ οὕτως ἀναπληρώσετε τὸν νόμον τοῦ Χριστοῦ. 3. εἰ γὰρ δοκεῖ τις εἶναί τι μηδὲν ὤν, φρεναπατᾷ ἑαυτόν· 4. τὸ δὲ ἔργον ἑαυτοῦ δοκιμαζέτω, καὶ τότε εἰς ἑαυτὸν μόνον τὸ καύχημα ἕξει, καὶ οὐκ εἰς τὸν ἕτερον· 5. ἕκαστος γὰρ τὸ ἴδιον φορτίον βαστάσει.

6. Κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς. 7. μὴ πλανᾶσθε, Θεὸς οὐ μυκτηρίζεται. ὃ γὰρ ἂν σπείρῃ ἄνθρωπος, τοῦτο καὶ θερίσει· 8. ὅτι ὁ σπείρων εἰς τὴν σάρκα ἑαυτοῦ ἐκ τῆς σαρκὸς θερίσει φθοράν, ὁ δὲ σπείρων εἰς τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ πνεύματος θερίσει ζωὴν αἰώνιον. 9. τὸ δὲ καλὸν ποιοῦντες μὴ ἐγκακῶμεν· καιρῷ γὰρ ἰδίῳ θερίσομεν μὴ ἐκλυόμενοι. 10. ἄρα οὖν ὡς καιρὸν ἔχομεν, ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθὸν πρὸς πάντας, μάλιστα δὲ πρὸς τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως [1].

1. *VV. LL.* — 5,26. ἀλλήλους φθονοῦντες (invicem invidentes) B G P, et haud pauci minusc.; sed quum φθονεῖν cum accus. coniungi non soleat, rectius *textus rec.* : ἀλλήλοις φθονοῦντες cum ℵ A C D E G K L, et plerisque minusc. — 5,2. ἀναπληρώσετε (*adimplebitis*) B F G, pauci minusc., *It. Vulg. Copt. Syr.* (codd.) *Aeth. Goth.*; sed *textus rec.* : ἀναπληρώσατε (adimplete) cum ℵ A C D E K L P, plerisque minusc., *Syr.*

Ad *v.* 15. respiciens Apostolus ultimo c. 5. versu neophytos attentos reddit ad illud vitium, in quo quum partium studium tum continuae eorum rixae litesque ex illo exortae praecipuum suum habere videbantur fundamentum. Magna autem cum caritate primam pers. plur. adhibens monet : 26. *non efficiamur inanis gloriae cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* Vanae enim gloriae cupidus, i. e. « qui, ut tenuem huius mundi gloriam a spectatoribus aut auditoribus capiat, agit vel loquitur » (*S. Basil.* Reg. brev. 52.), eo facillime perveniet, ut arrogantia superbiaque alios irritet provocetque, aliis vero, a quibus se superari videt, invideat invidiaque sua ad alia peccata proripiatur. « Livor enim, inquit *S. Cypr.* (de zelo ac livore 6.) radix omnium malorum est, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum », ita ut, « si quis penitius inspiciat, nihil inveniat magis Christiano cavendum, nihil cautius providendum, quam ne quis invidia et livore capiatur » (l. c. 3.). Itaque vanae gloriae quoque studium caritatem fraternam destruit, neque tam dissensio, quae iam inter Galatas adfuerit, studium gloriae vanae et invidiam peperit (id quod *Theod.* censet), quam ex illo studio exorta est.

Dissentiunt interpretes, utrum haec sententia praecedenti sectioni velut clausula sit addita, an potius novae sit quasi prooemium et thesis; equidem hoc monito Paulum pro more suo duas sectiones colligasse dixerim, ut eodem cum iure ad alterutram trahi possit; ex praecedente enim, in qua neophyti opera carnis, inter quae invidia recensetur, vitare iubentur tamquam corollarium profluit, sequentem vero praeparat, in qua praeprimis modestia ac mansuetudo commendatur, qua suae quisque ipsius infirmitatis memor impeditur, ne fratres peccantes dure corripiat (1,2) seque ipsum aliis praeferat (3-5).

6,1. *Fratres, et si praeoccupatus fuerit* (προληφθῇ) *homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis huiusmodi instruite* (καταρτίζετε *Hier.* : perficite cfr ad 1 *Cor.* 1, 10) *in spiritu lenitatis* (πραΰτητος modestiae vel mansuetudinis cfr ad 5,23), *considerans te ipsum, ne et tu tenteris.* Neophytos spiritu vivere ac secundum spiritum ambulare Apostolus supponit quidem, sed fomitem peccati in eis, quamvis baptismo

(codd.) *Arm.*; ob versionum auctoritatem prior lectio iure praefertur. — 4. δοκιμαζέτω (probet) sine addito B et *Sah.*; cum reliquis vero codd. gr. et verss. retineatur oportet communis lectio : δοκιμαζέτω ἕκαστος (*probet unusquisque*). — 9. ἐγκακῶμεν vel ἐνκακῶμεν (*deficiamus*) B ℵ A D, pauci pauci minusc. et PP.; eodem sensu *textus rec.* : ἐκκακῶμεν cum C K L P, plerisque minusc. et PP. — θερίσομεν (*metemus*) B A D E K, plerique minusc., *It. Vulg.* etc.; minus recte : θερίσωμεν (metamus) ℵ C L P et aliqui minusc. — 10. ἐργαζώμεθα (*operemur*) B ℵ C D E F G, plerique minusc., *It. Vulg.* etc.; minus recte : ἐργαζόμεθα (operamur) A L P, haud multi minusc.

sint regenerati, non esse exstinctum probe quoque scit; fieri igitur posse, ut aliquis a recto tramite aberret spiritum ducem non secutus. Quo maiore autem cum vi opera carnis vitanda esse monuit, quia a regno Dei excluderent (5,21), eo magis curae ei esse debuit, ne ii, qui incauti in aliquod peccatum essent relapsi, nimia aliorum, qui de sua constantia ac firmitate gloriabantur, severitate opprimerentur « abundantioreque tristitia absorberentur » (cfr 2 *Cor.* 2,7). Hinc novum hoc monitum, quod cum praecedente arcte cohaeret, quum illud quodammodo compleat : non sufficit, ut erga fratres recte agentes caritatem exerceatis nec eos irritantes nec eis invidentes, sed *etiam si* quis peccaverit, ad caritatem vestram ius habet; cum mansuetudine enim tractetur oportet, ut resipiscat.

Ad expressionem ἐὰν προληµφθῇ *Chrys.* adnotat : « non dixit ἐὰν πράξῃ (si *fecerit*), sed ἐὰν προληµφθῇ i. e. συναρπαγῇ » (*abreptus fuerit*); qua explicatione totam tamen verbi προλαµϐάνεσθαι vim non exhausit, ad praepos. πρό non attendens. Clarius pleniusque eam *Vulg.* suo *praeoccupatus fuerit* exprimit, siquidem de peccato agitur, in quod homo non tam obfirmata voluntate ex malitia ruit, quam ex carnis infirmitate incautus labitur : « praeoccupatus i. e. imprudenter et ex surreptione lapsus, ut nequeat evitare » (*Thom.*, in cuius definitione tria ultima vocabula omittere maluerim). Eandem peccati naturam *Hier.* nomine *homo* indicatam videt : « pulchre, inquit, dixit praeoccupatum *hominem*, ex ipso homine fragilitatem conditionis ostendens, ut dignus sit venia, qui velut homo errore deceptus et mersus in voraginem se ipsum sine auxilio et adiutorio erigere non possit »; nescio tamen, num satis recte, siquidem Paulus haud infrequenter nomen ἄνθρωπος (homo) per hebraismum pro pronomine indefinito usurpat. Rectius alii (cfr *Thom.* etc., *Reithm.* etc.) dictum esse monent ἔν τινι παραπτώµατι (in *aliquo* delicto), non autem ἐν παραπτώµασιν (in delictis), ad excludendos eos, qui ex consuetudine peccant variisque vitiis se inquinant in iisque diutius degunt; « aliter enim admonendi sunt, qui repentina concupiscentia superantur, aliter qui in culpa ex consilio ligantur » (cfr *S. Greg. M.* Reg. past. curae III. 32.). Secum ipso igitur non pugnat Apostolus, si peccatorem, qualem descripsit, cum mansuetudine corripi vult, ipse vero incestuosum in crimine degentem pervicacesque pseudapostolos vehementius aggreditur Titumque cretenses seductores dure increpare iubet (1 *Cor.* 5,1 sqq.; 2 *Cor.* 10,1 sqq.; *Tit.* 1,13 etc.).

In spiritu lenitatis autem vel mansuetudinis ac modestiae (cfr 1 *Cor.* 4,21) *instruit*, vel potius corrigit et ad pristinam quam habebat perfectionem integritatemque (ἀρτιότης cfr ἄρτιος 2 *Tim.* 3,17) reducit

(καταρτίζετε) peccantem, qui « nec rigidus nec iratus nec tristis » (cfr *Hier.*) eum tractat. Iam ut hac ratione agant, Paulus admonet spirituales (*vos qui spirituales estis* ὑμεῖς οἱ πνευματικοί), qua appellatione non tam certam aliquam classem, aut presbyteros (uti aliqui antiquiores voluerunt, qui de poenitentiae sacramento hic agi erronee putarunt) aut doctores (uti vult *Cai.*) aut eos qui gratiis gratis datis ornati erant (cfr 1 *Cor.* 14,37, uti moderni multi censent), quam omnes neophytos designat, quatenus nimirum Spiritum acceperant spirituque ambulabant. Simili enim modo, quo 1 *Cor.* 2,1 sqq. carnalibus, i. e. parvulis in Christo, spirituales velut perfectiores opponit, hic quoque fratri peccanti, qui ipso suo lapsu carnalem se demonstravit, reliquos qui spiritum ducem semper sequebantur opponit; de praecepto igitur correctionis fraternae (*Matth.* 18,15) agit, quod per se omnes fideles obligat.

Porro rationem addit, qua ad hanc mansuetudinem permoveri queant : *considerans te ipsum, ne et tu tenteris;* suam quisque ipsius infirmitatem considerare ac perpendere iubetur, qua non tantum tentationi est expositus sed tentationi succumbere quoque potest; « nihil vero, inquit *Thom.*, ita frangit hominis severitatem in corrigendo, quam timor proprii casus ». Haud sine ratione autem dicit : ne *et* tu tenteris, quamvis nimirum spiritualem ac fortem te esse existimas; quare optimo iure *Hier.* : « utamur hoc testimonio adversus haereticos, qui diversarum fingentes fabulas naturarum aiunt spiritualem (virum) bonam esse arborem et numquam malos afferre fructus; ecce Apostolus, cuius et ipsi auctoritatem sequuntur, dicit eos qui spirituales sunt posse peccare, si per altitudinem cordis sui inflentur et corruant; quod et nos quoque fatemur, et χοϊκούς (terrenos) spirituales fieri, si ad meliora revertuntur » (cfr 1 *Cor.* 10,12 etc.).

Acrius tamen, ne dicam iniquius *Hier.* hic adnotat : « Qui putant Paulum iuxta humilitatem et non vere dixisse : ***et si imperitus sermone non tamen scientia*** (2 *Cor.* 11,6), defendant huius loci consequentiam; debuit quippe secundum ordinem dicere : vos qui spirituales estis instruite huiusmodi in spiritu lenitatis ***considerantes vosmet ipsos, ne et vos tentemini***, et non plurali inferre singularem; Hebraeus igitur ex Hebraeis et qui esset in vernaculo sermone doctissimus, profundos sensus aliena lingua non valebat proferre; nec curabat magnopere de verbis, quum haberet sensum in tuto ». Sed si hoc in loco sensus est ***in tuto***, ergo Paulus eum aliena lingua exprimere valebat. Ceterum constructio, qua hic utitur, etsi iuxta rigorem praeceptorum grammaticorum non esse cum aliquo iure dicatur, apud optimos scriptores graecos et latinos haud infrequenter invenitur singularemque vim rhetoricam habet; rectissime enim ***Erasm.*** « singularis, inquit,

magis aptus est ad compellandam *uniuscuiusque* conscientiam », atque *Vict.*, quem utique *Hier.* velut virum traducit, » qui occupatus eruditione saecularium literarum Scripturas sanctas omnino ignoraverit » (Prol. in ep. ad Gal.), iam satis diu ante eum monuerat : « quasi ad unum ex ipsis, qui spirituales sunt, hoc ita protulit, ut consideret *unusquisque* eorum se ipsum, ne et ipse tentetur ». Si pluralem adhibuisset, aliquis verba eius ita interpretari potuisset, ut spirituales sese mutuo considerarent ac diiudicarent; certe haec interpretatio inepta fuisset, at omne ambiguitatis periculum singulari adhibito est sublatum; profundos igitur sensus aliena lingua Paulus non tantum expressit sed aptissime expressit.

Pulcherrimum *Aug.* monitum adscribere placet, quamvis apostolicis verbis explanandis forte minus inserviat. « Numquam itaque, inquit, alieni peccati obiurgandi suscipiendum est negotium, nisi quum internis interrogationibus examinantes nostram conscientiam liquido nobis coram Deo responderimus, dilectione nos facere. Quod si convicium vel minae vel etiam persecutiones eius, quem argueris, laceraverint animum : si adhuc ille per te sanari posse videbitur, nihil respondeas, donec saneris prior, ne forte carnalibus motibus tuis ad nocendum consentias et exhibeas linguam tuam arma iniquitatis peccato (*Rom.* 6,13) ad reddendum malum pro malo aut maledictum pro maledicto (1 *Petr.* 3,9). Quidquid enim lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non caritas corrigentis. Dilige et dic quod voles; nullo modo maledictum erit, quod specie maledicti sonuerit, si memineris senserisque te in gladio verbi Dei liberatorem hominis esse velle ab obsidione vitiorum. Quodsi forte, uti plerumque accidit, dilectione quidem talem suscipis actionem et ad eam corde dilectionis accedis, sed inter agendum subrepserit aliquid, dum tibi resistitur, quod te auferat ab hominis vitio percutiendo et ipsi homini faciat infestum, postea te lacrymis lavantem huiusmodi pulverem multo salubrius meminisse oportebit, quam non debeamus super aliorum superbire peccata, quando in ipsa eorum obiurgatione peccamus, quum facilius nos ira peccantis iratos, quam miseria misericordes facit ».

Quod mansuetudinis praeceptum Apostolo tanti momenti est, ut illud universaliore forma repetat : 2. *alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Quidnam nomine oneris hic intelligat, in controversia est. Tripliciter alterum alterius onus portare debere censet *Thom.* : « uno modo defectum alterius corporalem vel spiritualem patienter tolerando (*Rom.* 15,1), alio modo necessitati mutuae subveniendo (*Rom.* 12,13), tertio modo pro poena sibi debita satisfaciendo orationibus et bonis operibus (*Prov.* 18,18) ». Quae tria metaphora oneris portandi aptissime designari fatemur, quare etiam *Aug.* (serm. 169. n. 9) Apostoli verba ad sublevandam paupertatem, quia sit onus, accommodat. At contextu verba tam late intelligere prohibemur, ita ut de defectu corporali aut de necessitate temporali

hic cogitare non liceat. Rectius cum *Theod. Mopsu. Hier.* multisque iunioribus de solis peccatis defectibusque moralibus agi dicemus : « Tu habes, inquit *Theod.*, hunc defectum, illum vero non habes; alter vero illum habet, quem tu non habes, sed tuo caret : tu feras illius defectum, et ille tuum ». De defectibus autem sermo est, qui delictis externis sese manifestant, ac proin de peccatis aliorum, quae nos portamus, si « solatiis ac benignitate animam fratris conscientia peccati fractam reficimus » (*Mopsu.*). Quae uberius explicans *Hier.* « hoc onus, inquit, Salvator pro nobis tulit suo nos exemplo docens quid facere deberemus. Ipse quippe iniquitates nostras portat et pro nobis dolet, et eos qui peccatorum ac Legis onere sunt depressi ad leve onus virtutis invitat dicens : iugum meum suave est et onus meum leve. Qui igitur fratris non desperat salutem, sed manum porrigit deprecanti et quantum in se est flet cum flente, infirmus est cum infirmo, suaque iudicat aliena peccata, iste per caritatem adimplet legem Christi ».

Legem Christi, quae nomine Salvatoris addito Legi mosaicae opponitur (cfr 1 *Cor.* 9,21), praeceptum caritatis intelligi, omnes consentiunt; hoc enim praecepto, quod Dominus velut novum mandatum ita promulgavit, ut ex eo discipuli sui veri cognoscerentur (*Ioan.* 13,34 sq.), nova oeconomia a vetere distinguitur, atque uno illo praecepto omnia continentur, quae Dominus verbo et exemplo discipulis suis observanda proposuit (5,14; *Rom.* 13,9 etc.). Supra iam per caritatem unum alteri debere servire Apostolus monuerat atque in uno dilectionis sermone totam Legem *impleri* (πληροῦσθαι) docuerat; sed ut lex Christi *adimpleatur* (ἀναπληροῦσθαι), i. e. perfecte ac plene impleatur ut nihil iam desit, caritas ad peccatores quoque sese extendat oportet [1].

Generali modo Paulus omnibus, nullo excepto, ut alter alterius onera portaret, praecepit; cur vero neminem exceperit, ita nunc explicat, ut spirituales, vel potius eos, qui se spiritualibus adnumerant, cavere iubeat, ne fratribus suis peccantibus sese praeferant, quum ipsi quoque aliquid, quod ab aliis ferri debeat, diligenti examine

1. **Minus explicatio** ***Chrys.*** nobis probatur, qui verbum ἀναπληροῦν de mutua impletione **intelligit : « non dixit :** ***implete*** (πληρώσατε vel potius πληρώσετε implebitis) sed ***adimplete*** (ἀναπληρώσατε **lege :** ἀναπληρώσετε), i. e. simul omnes implete (implebitis) vos invicem ferentes. Exempli gratia, ille est iracundus, tu somnolentus; tolera igitur illius acrem impetum, ut vicissim ille ferat tuam segnitiem; ita fiet, ut nec ille peccet, dum a te toleratur, neque tu, dum in iis, in quibus molestus es, sustineris a fratre tuo. Ad hunc autem modum vobis invicem, ubi lapsus imminet periculum, manum porrigentes mutuis officiis implete legem, sic ut unusquisque, quod proximo deest, sua tolerantia suppleat ». Ultimis tantum verbis genuinam voci ἀναπληροῦν significationem innuit; quae autem praecedunt, solo illo verbo exprimi nequeunt.

instituto in se ipsis inventuri sint : 3. *nam si quis existimat se aliquid esse, quum nihil sit, ipse se seducit* (φρεναπατᾷ *Hier.* : mentem suam decipit; cfr *Tit.* 1,10 φρεναπάται deceptores, *Vulg.* : seductores). « Eorum, inquit *Theod.*, qui propter quaedam recte facta intumescunt, supercilium deprimit », eorum sc., qui quamvis nihil sint, i. e. in sese non habeant quod coram Deo valeat (cfr ad 1 *Cor.* 13,2), tamen se aliquid magni et eximii esse (εἶναί τι *aliquid esse* cfr ad 2,2) existimant; hi utique se ipsi decipiunt, quia bona, quae forte habent, sibi ipsis attribuunt non intelligentes, se nihil habere quod non acceperint (1 *Cor.* 4,7). Haec communior quidem est explicatio, iuxta quam verba μηδὲν ὤν (*quum*, i. e. quamvis, *nihil sit*) ad prius membrum, ad ipsam nimirum conditionem, trahuntur. Verum *Hier.* rectissime monet, eadem ad alterum quoque membrum conditionatum trahi posse, ut hic sit sensus : si quis aliquid magni se esse existimat, se ipse decipit, *quum nihil sit,* i. e. *quia* nihil est « neque de suo habet, nisi mendacium et peccatum » (*Conc.* II. *Araus.* c. 22).

Utraque explicatio verbis congruit, sed cum *Hier.* alteram praeferendam ducimus utpote contextui magis consonam, siquidem Apostolus superbientes illos, qui se contra fratres suos peccantes extollunt, ad examen invitat, quo eos nihil esse constabit : 4. *opus autem suum probet unusquisque, et sic in semet ipso tantum gloriam habebit et non in altero,* vel iuxta graecum (καὶ τότε εἰς ἑαυτὸν μόνον τὸ καύχημα ἕξει καί οὐκ εἰς τὸν ἕτερον) accuratius : *et tunc* (examine instituto) *in* (vel adversus) *se ipsum gloriandi materiam habebit, et non in* (adversus) *alterum.* Ad prioris membri verba singula non minus, quam ad eorum ordinem attendatur oportet. Locutus erat Apostolus de iis, qui aliquid se esse *existimant*, sed de existimatione, quae diligenti examini non innitatur, non quaeri monet; verum in *opus* (τὸ ἔργον i. e. in totum actionum complexum seu integram sentiendi agendique rationem omniaque ac singula facta) inquiri iubet, ut exploretur, utrum a spiritu an a carne aliquis regatur. Neque vero aliorum opera hunc in finem sunt examinanda, ut ab eis mensurae ratio desumatur, sed sola propria (opus *suum* ipsius τὸ ἔργον ἑαυτοῦ) iuxta mensuram divinitus datam sunt probanda; neque demum aliis, aut amicis adulatoribus laudatoribusque aut etiam inimicis detractoribus, examen hoc permittere licet, sed *unusquisque* opus *suum* ipse exquirere ac ponderare iubetur.

Cuius examinis quis futurus sit eventus, alterum membrum docet, quod ironicum esse cum haud paucis censemus (cfr *Oec. Cai. Salm. Iust.* etc. — *Beng. Olsh. Ph.* etc.). Spirituales enim opera sua per-

scrutantes, quam multa sibi ipsis desint quamque frequenter ipsi offendant ac labantur, facile deprehendent; omnibus autem suis ipsorum moribus aegritudinibusque perspectis habebunt, de quo adversus se ipsos glorientur, neque aliorum defectibus indigent, ut adversus alios glorientur. Illi nimirum, quos Apostolus hic corripit, aliorum defectibus suas ipsorum virtutes (existimatas) opponentes se fratribus illis meliores esse iudicabant contra eos gloriantes; at suis ipsorum defectibus virtutes quas iactant opponere iubentur, atque ita fiet, ut ab aliis despiciendis abstineant, se ipsos vero contemnant, quos tot defectibus onustos invenient. Aptissime iuxta hanc explicationem adnectitur sequens sententiola : 5. *unusquisque enim onus suum* (τὸ ἴδιον φορτίον *Aug.* : proprium onus, vel iuxta *A*[trum] : propriam sarcinam [1]) *portabit.* Nomine proprii oneris vel propriae sarcinae summam propriorum vitiorum, quorum conscientia aliquis premitur, designat. Nostra ipsorum sola peccata coram iudice afferemus, aliorum vero defectus ac vitia nos ibi non oppriment; quare nunc quoque in aliorum defectus nobis non est inquirendum, ut iis meliores esse videamur et contra eos gloriemur; sed id unum nobis curae sit oportet, ut nostram ipsorum sarcinam probe cognoscamus.

Adnotat *Hier.* : « Videtur superioribus contraire, ubi ait : *alter alterius onera portate;* si enim onus suum unusquisque portabit, alter alterius onera portare non poterit. Sed videndum, quod ibi praeceperit, ut peccantes in hac vita nos invicem sustentemus et in praesenti saeculo alterutrum auxilio simus, hic autem de Domini dicat in nos iudicio, quod non ex alterius peccato et deterioris comparatione, sed iuxta nostrum opus aut peccatores ab eo iudicemur aut sancti, recipiente unoquoque secundum opus suum. Obscure licet per hanc sententiolam novum dogma docemur, quod latitat : dum in praesenti saeculo sumus, sive orationibus sive consiliis invicem posse nos coadiuvari; quum autem ante tribunal Christi venerimus, non Iob non Daniel nec Noe rogare posse pro quoquam (*Ezech.* 14,14 sqq.), sed unumquemque portare onus suum ». Eodem modo, quo *Hier.*, reliqui Patres (cfr *Chrys. Theod.* etc., *Vict. A*[ter], *Aug.* etc.) ac longe plerique interpretes ultimam sententiam de iudicio interpretantur, cuius metu superbientes Apostolus cohibeat; neque ulla est ratio, cur ab hac communi

1. Duo vocabula graeca, βάρος (*v.* 2) et φορτίον (h. l.), *Vulg.* eodem latino *onus* reddidit, ac revera sensu inter se vix differunt, nisi forte illud, si metaphorice adhibentur, intercedat, quod βάρος semper significet pondus, quo aliquis quasi opprimitur, quum eius vires excedere videatur, φορτίον vero, quod grave vel leve esse potest (cfr *Matth.* 23,4; 11,30), viribus ferentis sit accommodatum. Differentia, quam alii statuunt, βάρος significare onus, quod data occasione licite abiiciatur, φορτίον vero onus, quod aliquis semper retinere ac ferre exspectatur (*Lightf.*), quibus exemplis probabilis reddatur, ignoro.

explicatione recedamus, licet aliqui moderni futurum nostrae sententiae (*probabit*) praecedenti (*habebit*) respondere ac proin de eodem huius vitae tempore esse intelligendum moneant: instituto examine habebit onus quod portet (conscientiam sc. peccatorum), et hoc onus eum absterrebit, ne sese aliis praeferens adversus eos glorietur. At nescio annon, si hic esset sensus, *v.* 5. tautologice esset additus, quum integra haec argumentatio iam *v.* 4. contineatur; infirma quoque esset ista ratio neque sufficeret ad permovendos fideles, ut caritatis praeceptum *adimplerent;* gravissimi praecepti gravissima ea requiritur sanctio, quam futuri iudicii exspectatio praebet.

Ironica *v.* 4. explicatio, quam praetulimus, plerisque interpretibus non probatur; sed inter sese quoque de eius genuino sensu non conveniunt. Antiquiores Latini, quia ablativum (*in semet ipso... in altero*) legerunt, haud levem invenerunt difficultatem, quoniam alibi Apostolus prohibet, ne quis in se ipso glorietur, ac solam gloriationem in Deo permittat suadeatque. At eadem difficultate Graecorum quoque explicatio premitur, quare addere solent, Paulum haec dicere per benignam concessionem, ut paullatim hanc gloriationem tollat, minime vero loqui velut legislatorem (cfr *Chrys.* etc.); atque similiter moderni quidam monent: « non ait Apostolus *glorietur,* sed simpliciter *materiam gloriandi habebit,* quibus verbis permittit quidem gloriari dummodo id fiat in Domino, abstinet tamen ab aperta suasione » (*Palm.*). Sed nulla ei ratio fuisset abstinendi ab aperta suasione, si illud « dummodo id fiat in Domino » hoc loco subintelligi voluisset. Moderni plerique ita interpretantur: « isto instituto examine habebit dumtaxat materiam gloriandi respectu sui ipsius (εἰς ἑαυτόν), non respectu alterius (οὐκ εἰς τὸν ἕτερον), i. e. poterit gloriari dumtaxat ratione illius boni quod in se invenerit, non vero ratione illius boni, quod aliis deest, in ipso autem invenitur: gaudebit recto sui examine, non deteriorum comparatione ». Verbis hanc explicationem per se consonare non plane negamus, sed eadem difficultate, quam diximus, eam premi manifestum est; cui accedit, quod contextui aegre concilietur. Apostolus enim spirituales alloquitur, quos bonis operibus non carere est clarum; examen igitur, quod postulat, eo tendere non potest, ut bona opera inveniant (eiusmodi enim examine magis intumescerent), sed ut suos ipsorum defectus cognoscant, quibus ab omni gloriatione atque maxime a contemnendis infirmioribus fratribus avertantur. Ironica igitur explicatio iure praefertur.

Primum hoc monitum futuro proposito iudicio aptissime terminavit; ad alia iam transit, in quibus ad eandem aeternam sanctionem neophytos attentos reddit. Exorditur autem a specialissimo praecepto, quo quid catechumenis erga suos magistros sit praestandum inculcat (*v.* 6); ab eo deinde ad commendandam beneficentiam futura remuneratione exhibita transit (7. 8), atque generali exhortatione monitis suis finem imponit (9. 10).

6. *Communicat autem is qui catechizatur verbo* (cum *Vict. Hier.*

omnibusque melioribus *Vulg.* codd. lege : *verbum*[1]) *ei qui se catechizat in omnibus bonis.* Particula δέ (*autem*) metabatica est; novum enim praeceptum cum praecedente internum nexum habere non videtur, sed varia Apostolus pro more in fine epistolae congerit, quae utiliora suis lectoribus iudicavit. Ceterum si quis eiusmodi nexum necessarium esse duxerit, eum eligat quem *Hier.* innuit : « quia superius spiritualibus praeceperat, ut eos qui praeoccupati fuerint in aliquo delicto, instruerent in spiritu lenitatis,... nunc e contrario his, qui adhuc imbecilliores et discipuli et carnales erant, praecipit, ut quomodo ipsi a magistris spiritualia metunt, sic magistris carnalia praebeant » (cfr 1 *Cor.* 9,11). Quibus verbis usitatior quoque praecepti apostolici explicatio continetur, iuxta quam discipuli magistris suis partem concedere iubentur in omnibus suis bonis temporalibus, i. e. in omni genere facultatum suarum, prout iis magistri ad vitae suae sustentationem indigent. Verbum κοινωνεῖν igitur sensu transitivo plerique sumunt (i. q. communicare aliquid cum aliquo) atque τὰ ἀγαθά de bonis temporalibus ad vitam necessariis intelligunt (cfr *Chrys. Theod.* etc., *Aug. Hier.* etc., *Haym. Herv.* etc., *Cai. Iust. Est.* etc., *Wind. Bisp. Reithm.* etc. — *Schm. Goeb. Lightf.* etc.). Quod haec explicatio plerisque probetur, mirum non est, quum verbis omnino congruat, Apostoli doctrinae plane respondeat, qui quamvis ipse manibus suis victum sibi acquirere quam ab ecclesiis sustentari maluerit, frequenter tamen fidelibus inculcat magistris ius honestae sustentationis accipiendae competere (cfr 1 *Cor.* 9,4-14; 2 *Cor.* 11,7 sqq., *Phil.* 4,10 sqq.; 1 *Tim.* 5,17 etc.), praxi demum antiquae Ecclesiae confirmetur[2]. Alteram tamen interpretationem ab *A^tro* propositam et, quia in *Gl int.* recepta erat, ab antiquioribus nonnullis repetitam (*Thom*[2]. *Lyr.* etc.) aliqui moderni praeferunt (*Palm.* — *Mey Sieff.*), iuxta quam κοινωνεῖν intransitive sumitur et τὰ ἀγαθά in-

1. Verbum graecum κατηχεῖν (κατά et ἠχεῖν sonare), a profanis classicis perraro, a Vet. Test. interpretibus nusquam, in Novo Test. a solis Paulo et Luca usurpatum, proprie, uti recte iam *Vict.* monuit, significat *circumsonare*, sed in N. T. semper de institutione, quae *viva voce* traditur, adhibetur (i. q. viva voce docere). Hoc sensu activum verbum cum duplici accus. (personae et rei) connectitur, atque passivum retinet accusat. rei; unde ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον est *is qui docetur* (i. e. discit) *verbum*, utique Dei (cfr 1 *Thess.* 1,8 etc.) seu sacram doctrinam. Latinus interpres istum accusativum retinuit, atque in iunioribus tantum *Vulg.* codd. in eius loco invenitur ablat. *verbo*, qui tamen eadem ratione explicetur oportet. Apud scriptores ecclesiasticos *catechumenus* ille solus vocatur, qui ad baptismum institutione doctrinae praeparatur; Paulus autem nomen latiore sensu etiam de iis adhibet, qui iam baptizati sunt sed aliqua institutione adhuc indigent; baptizatis enim scribit (3,27) suaque praecepta tradit (cfr *Est.*).

2. Contra hanc interpretationem aliqui obiiciunt « aegre intelligi, quid sit sensu activo *communicare* seu *dare alicui in aliqua re* » vel potius κοινωνεῖν τινὶ ἔν τινι (*Palm.*); at

telliguntur bona moralia, ut hic sensus oriatur : « in omnibus bonis moralibus discipulus partem habeat cum magistro, i. e. eum plene ac perfecte imitetur ». Quem sensum in verbis inveniri posse non diffitemur; sed Apostolum arbitramur, si tali praecepto Galatas, quia forte stolidiores essent, indigere censuisset, illud clarioribus verbis expressurum fuisse. Neque satis intelligimus, cur haud sine emphasi Galatas magistros *in bonis* imitari iusserit; num tam stolidos eos habuit, ut sese etiam malos magistrorum mores sequi debere putarent? Si id timendum erat, prohibendum erat, ne in malis magistros imitarentur, vel potius praecipiendum, ut illos magistros relinquerent; quomodo enim simplices illi neophyti, qui eo usque verum Deum ignoraverant, ipsi discernere potuerunt, quid in magistris esset imitandum quidve non imitandum?

Priorem igitur explicationem solam tenendam esse arbitramur; at Galatae restrictiores quam liberaliores fuisse vanisque excusationibus ab hoc gratitudinis debito suis magistris solvendo sese exemisse videntur. Quam parum largi essent, Apostolus forte ipse, quando eleemosynas pro Ierosolymitanis conferri iussit (cfr 2,10; 1 *Cor.* 16,1), expertus erat; quapropter magna cum vi avarioribus futurum iudicium in memoriam revocat, in quo pro suis quisque operibus poenam mercedemve reportaturus sit : 7. *nolite errare* (cfr 1 *Cor.* 6,9; 15,33); *Deus enim non irridetur* (οὐ μυκτηρίζεται sibi illudi non patitur inanibus ambagibus latebrisque); etenim « scit Deus corda vestra, nec ignorat facultates; excusatio verisimilis potest utcumque placere, Deum non potest fallere » (*Hier.*). Proxime quidem Paulus ad discipulos respicit, qui magistros suos sustentare detrectant; sed dubium vix esse cum *Hier. Chrys.* etc. putaverim, quin simul aliis omnibus liberalitatem ac beneficentiam commendare voluerit; id enim similitudo insinuat, qua severum monitum continuatur. Vanas sc. esse excusationes, quibus aliqui et alios et saepe suam ipsorum conscientiam fallere conantur,

graeca constructio nullam habet difficultatem; cfr *S. Barn.* (ep. 19,8) κοινωνήσεις ἐν πᾶσιν τῷ πλησίον σου καὶ οὐκ ἐρεῖς ἴδια εἶναι· εἰ γὰρ ἐν τῷ ἀφθάρτῳ κοινωνοί ἐστε, πόσῳ μᾶλλον ἐν τοῖς φθαρτοῖς (communicabis in omnibus proximo tuo nec quidquam dices proprium esse; si enim in incorruptilibus consortes estis, quanto magis in corruptibilibus), quod praeceptum *Doctr. duodec. Apost.* 4,8 ita exprimit : οὐκ ἀποστραφήσῃ τὸν ἐνδεόμενον, συγκοινωνήσεις δὲ πάντα τῷ ἀδελφῷ σου καὶ οὐκ ἐρεῖς ἴδια εἶναι· εἰ γὰρ ἐν τῷ ἀθανάτῳ κοινωνοί ἐστε, πόσῳ μᾶλλον ἐν τοῖς θνητοῖς (non repudiabis indigentem, communicabis autem omnia cum fratre tuo nec quidquam dices proprium; nam si in immortalibus consortes estis, quanto magis in mortalibus) cfr etiam *Const. Apost.* VII. 12,4. Simili igitur modo, quo in his praeceptis, quae apostolica aetate catechumenis dabantur, Apostolus catechumenos omnia sua bona temporalia cum suis magistris communia habere iubet. Itaque constructio graeca plana est, ac graeci interpretes sententiam nostram omnes eodem modo explicarunt. — Porro quid catechumeni speciatim suis magistris debeant cfr *Doctr. duod. Apost.* 4,1; *S. Barn.* ep. 19,9; *Constit. Apost.* VII. 9.

Deus non statim (sed cfr *Act.* 5,1 sqq.) manifestat, sed tempus messis exspectat, ut zizania a frumento separet comburendaque proiiciat : 8. *quae* (ὃ *Aug.* A^{ler} etc. : quod) *enim seminaverit homo, haec* (τοῦτο hoc) *et metet; quoniam qui seminat in carne sua* (εἰς τὴν σάρκα ἑαυτοῦ), *de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu* (εἰς τὸ πνεῦμα), *de spiritu metet vitam aeternam.* Sementi messem respondere, vulgatissimum est proverbium (*Iob.* 4,8; *Prov.* 22,8; *Os.* 8,7; cfr etiam *Cic.* de or. II. 65 etc.), quo Apostolus etiam Corinthiis liberalitatem commendat (2 *Cor.* 9,6. 10), ita ut illud hic quoque de liberalitate iure interpretemur. Quod vero aliqui censent, eum his verbis ad reprimendam carnis libertatem (5,19 sqq.) redire, id omni probabilitate caret.

Pro seminis igitur varietate variam fore messem, prius membrum docet; non tantum qui parce seminat parce et metet (2 *Cor.* 9,6), sed etiam qui zizania seminat, ex agro suo frumentum exspectare nequit. Altero hoc sensu hic similitudo sumitur, at simul ad agri, in quo seminatur, indolem attenditur; neque enim omne semen omni agro congruit, nec prudens agricola bonum semen in malo ac malum semen in bono agro seminat. Utraque porro ratione imaginem suam Apostolus adhiberi vult, neque vera, quam aliqui statuunt, imaginis mutatio adest. Recte ergo *Hier.* : « omne, quod loquimur agimus cogitamus, in duobus seminatur agris, carne et spiritu; si bona sunt, quae de manu ore corde promuntur, seminata in spiritu vitae aeternae fructibus redundabunt; sin mala, ab agro carnis excepta corruptionis vobis segetem pullulabunt ». Quid nomine *carnis* ac *spiritus* hic veniat, ex antea dictis patet (cfr ad 5,16); haud immerito cum *Hier.* nonnulli monent, Paulum non eodem modo de utroque agro loqui, siquidem hominem mala *in carne sua*, bona vero *in spiritu* seminare dicit, ut pronomine addito (*sua*) priorem agrum revera hominis esse, alterum pronomine omisso potius esse Dei significet, qui Spiritu dato eum praeparavit. *Corruptionem* deinde, quae *vitae aeternae* opponitur, idem esse quod interitum aeternum clarum est; neque satis recte *Chrys.*, ut videtur (cfr *Theoph.*), de solius corporis corruptione loquitur, licet Paulus hanc expressionem ad aeternam poenam designandam probabiliter elegerit, quia caro corruptibilis regnum aeternum possidere nequit (1 *Cor.* 15,50. 53).

Futurum iudicium cum poena ac mercede aeterna, quam afferet, proponens a speciali praecepto solis discipulis dato ad universaliorem liberalitatis commendationem iam transiit. Attamen de omnibus operibus iudex iudicabit; mirum ergo non est, quod Paulus nunc etiam omnia praecepto suo comprehendat : 9. *bonum autem* (τὸ δὲ καλὸν)

facientes non deficiamus (μὴ ἐγκακῶμεν ne ignavi simus cfr ad 2 *Cor.* 4,1); *tempore enim suo metemus non deficientes* (μὴ ἐκλυόμενοι *A*ter, *Aug.* : infatigabiles; aptius : non languescentes, vel : ex fatigatione non desistentes). Nomen adhibitum (τὸ καλόν *honestum*, quod τῷ κακῷ e diametro opponitur cfr *Hebr.* 5,14 etc.), de sola liberalitate non iam agi ostendit, quamvis nonnulli id teneant, sed perseverantia in omni bono praecipitur. « Multi enim incipiunt, multi quasi perseverant, postea tamen desinunt vel fatigati vel seducti; multi enim in hoc vitae genere, quod bonum dicitur, si aliquid mali patiuntur, putant se sine causa facere et defatigati desistunt bonum facere. Quid ergo adiunxit? Non deficiamus, quia licet hodie non consequemur fructum benefaciendi, postea metemus » (*Vict.*). Levis quaedam in priore membro habetur paronomasia (τὸ δὲ καλόν... οὐκ ἐγκακῶμεν cfr 2 *Thess.* 3,13); magis autem attendas velim ad duorum synonymorum (ἐγκακεῖν et ἐκλύεσθαι), quae a *Vulg.* eodem verbo (*deficere*) redduntur, accuratum usum; si quis enim in bono faciendo *ignavus esse* incipit (ἐγκακεῖ) difficultatibus perterritus, mox in via virtutis *fatigatus deficit* (ἐκλύεται). In secundo igitur membro participium non modum significat, quo metemus (sine fatigatione metemus *Chrys. A*ter, aut : incessanter, sine fine metemus *Thom.* etc.), sed conditionem sine qua non metemus (metemus si non deficimus fatigati).

Quamdiu hac in terra degimus, fortes et constantes seminemus oportet, futuram messem exspectantes, quae *suo tempore,* i. e. tempore a Deo praedefinito, adveniet. Tempore messis autem non amplius seminabitur, hinc ultimum monitum : 10. *ergo dum* (ὡς i. q. quamdiu *Luc.* 12,58; *Ioan.* 12,35) *tempus habemus, operemur bonum* (τὸ ἀγαθόν) *ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Ex iis quoque, qui praecedente sententia nobiscum censent exhortationem generalem ad omne bonum agendum (τὸ καλόν) contineri, haud pauci hoc versu Paulum ad beneficentiam commendandam reverti statuunt; sed expressionem ἐργάζεσθαι τὸ ἀγαθόν arcto hoc sensu usurpari nullo exemplo demonstratur, quum latissima eius sit significatio (*Rom.* 2,10). Ipsa tamen constructione coarctari videtur; de bono enim *erga alios* operando, i. e. de caritatis praecepto, quo impleto reliqua quoque implentur, implendo agitur. Itaque beneficentia quidem commendatur, sed non sola; omnia potius caritatis officia inculcantur atque simul ordo ostenditur, quo caritas exercenda est. Omnes enim omnino homines sicut nos ipsos diligere debemus, at non omnes eodem gradu, siquidem *maxime domesticos fidei* diligere iubemur. *Domesticos fidei* fideles eodem modo vocari, quo a profanis philosophi

οἰκεῖοι φιλοσοφίας aut geographi οἰκεῖοι γεωγραφίας appellantur (*Strabo* I. p. 13. 25), nonnulli moderni volunt (*Palm.* — *Mey Sieff.*); quae explicatio admodum ieiuna est, neque intelligitur, cur Paulus pro consueta appellatione (οἱ πιστεύσαντες *fideles*) tam miram ac raram circumlocutionem elegerit. Cum antiquis potius retineatur oportet, fideles simili modo *domesticos fidei* vocari, quo vocantur *domestici Dei* (*Eph.* 2,19.). Fide et baptismo in Christum inserti uti unam personam mysticam, ita unam familiam constituunt atque unam eandemque domum incolunt, quae est Ecclesia Dei vivi (1 *Tim.* 3,15).

Adnotat i. h. l. *Thom.*: « Dubitatur hic, utrum liceat plus unum diligere quam alterum. Ad quod sciendum est, quod amor potest dici maior vel minor dupliciter, uno modo ex obiecto, alio modo ex intensione actus. Amare enim aliquem est velle ei bonum; potest ergo aliquis alium magis alio diligere, aut quia vult ei maius bonum, quod est obiectum dilectionis, aut quia magis vult ei bonum, i. e. ex intensiore dilectione. Quantum ergo ad primum, omnes aequaliter debemus diligere, quia omnibus debemus velle bonum vitae aeternae; sed quantum ad secundum, non oportet quod omnes aequaliter diligamus. Nam quum intensio actus sequatur principium actionis, dilectionis autem principium sit unio et similitudo, illos intensius et magis debemus diligere, qui nobis sunt magis similes et uniti ». Quam expositionem dilucidandis verbis apostolicis non inservire, immerito *Reithm.* obiicit; quod si enim monet, iuxta Paulum fidem et sacramentum nobis dare ius et imponere officium ad alios Christianos magis amandos, Thomam autem mere subiectivam rationem afferre, verba S. Doctoris haud satis perpendit; unio enim et similitudo, de qua *Thom.* loquitur, illa est quae exoritur, quum fide et baptismo in Christum inserimur eiusque membra esse incipimus.

EPILOGUS EPISTOLAE

(6,11-18).

6,11. *Videte qualibus literis scripsi vobis mea manu.* 12. *Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Christi passionem non patiantur.* 13. *Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt, sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur.* 14. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi : per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* 15. *In Christo enim Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura.* 16. *Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei.* 17. *De cetero nemo mihi molestus sit : ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.*

18. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, cum spiritu vestro, fratres. Amen.*

6,11. Ἴδετε πηλίκοις ὑμῖν γράμμασιν ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρί. 12. ὅσοι θέλουσιν εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκί, οὗτοι ἀναγκάζουσιν ὑμᾶς περιτέμνεσθαι, μόνον ἵνα τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ μὴ διώκωνται. 13. οὐδὲ γὰρ οἱ περιτετμημένοι αὐτοὶ νόμον φυλάσσουσιν, ἀλλὰ θέλουσιν ὑμᾶς περιτέμνεσθαι, ἵνα ἐν τῇ ὑμετέρᾳ σαρκὶ καυχήσωνται. 14. ἐμοὶ δὲ μὴ γένοιτο καυχᾶσθαι, εἰ μὴ ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ ἐμοὶ κόσμος ἐσταύρωται κἀγὼ κόσμῳ· 15. οὔτε γὰρ περιτομή τι ἔστιν, οὔτε ἀκροβυστία, ἀλλὰ καινὴ κτίσις. 16. καὶ ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσιν, εἰρήνη ἐπ' αὐτοὺς καὶ ἔλεος, καὶ ἐπὶ τὸν Ἰσραὴλ τοῦ Θεοῦ. 17. Τοῦ λοιποῦ κόπους μοι μηδεὶς παρεχέτω· ἐγὼ γὰρ τὰ στίγματα τοῦ Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματί μου βαστάζω.

18. Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν, ἀδελφοί. ἀμήν [1].

1. *VV. LL.* — 13. οἱ περιτετμημένοι (qui circumcisi sunt) B F G L, multi minusc., *It.* (*Vict. A*[ler], *Aug. Hier.*) *Memph. Goth. Aeth.*; sed *textus rec.* : οἱ περιτεμνόμενοι (*qui circumciduntur*) cum ℵ A D E K P, multis minusc., *Vulg. Syr. Sah. Arm.*; cfr *Comm.* — 15. οὔτε γὰρ περιτομή (neque enim circumcisio) aliis verbis non praemissis B, paucissimi minusc., *It.* (*Aug. Hier*) *Syr.* (codd.) *Sah.* (codd.) *Arm.* (codd.) *Goth.*; sed ni fallor rectius : ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ οὔτε περιτομή (*in Christo enim Iesu neque circumcisio*) ℵ A C D E F G K L P, plerique minusc., *It.* (*Vict. S. Ambr. A*[ler]) *Vulg. Memph. Sah.* (codd.) *Syr.* (codd.) *Aeth.*; moderni tamen critici (*Treg. Tisch. WH* etc.) priorem lectionem praeferunt, quia ista verba ex 5,6 huc translata suspicantur; cfr *Comm.* — περιτομή τι ἔστιν (circumcisio aliquid *est*) B ℵ A C D E E F G, pauci minusc., *It.* (*Vict. A*[ler], *Aug.*) *Syr.* (codd.) *Memph. Sah.*; sed *textus rec* : περιτομή τι ἰσχύει (*circumcisio aliquid valet*) cum K L P, plerisque minusc., *Vulg. Syr.* (codd.); at haec lectio utique ad 5,6 conformata esse videtur. — 16. στοιχήσουσιν (sectabuntur,

Epistolae terminatae Paulus sua manu epilogum addit (*v.* 11), in quo perversis, quibus pseudapostoli ducebantur, causis suam ipsius agendi rationem opponit (12-14); summum deinde epistolae argumentum quasi repetens in sola unione cum Christo pacem inveniri insinuat (15. 16), ac neophytos demum precatur, ne sibi, utpote genuino Domini crucifixi Apostolo, novas molestias creent (*v.* 17). Brevi autem gratiae apprecatione eum terminat (*v.* 18).

Pro more suo epistolam hanc amanuensi dictaverat; sed quaedam nunc sua ipsius manu subiicere voluit, non tam ut Galatas de eius authentia certiores redderet (quem finem in aliarum epistolarum subscriptionibus maxime habuit cfr 2 *Thess.* 3,17 et 2,2; *Col.* 4,18; 1 *Cor.* 16,21 etc.), quam ut ipsa maiore literarum suarum forma, quanti momenti argumentum haberet, illis significaret. Itaque illos suam scripturam intueri iubet : 11. *videte qualibus* (πηλίκοις) *literis scripsi vobis mea manu.* De duobus in hac sententia explicanda disceptatur : utrum nimirum verbum *scripsi* de iis solis, quae sequuntur, intelligi oporteat (uti innuimus) an potius ad totam epistolam sit extendendum, et deinde quae significatio vocabulo πηλίκος, quod *Vulg.* vertit latino *qualis* (*Vict.* : quantus), hic competat. Utraque quaestio inter Patres iam controversa erat atque adhuc sub iudice lis est.

Neutra quidem magni est momenti, sed quia ab omnibus tractari solent, eas plane praetermittere non licet. Ad priorem quod attinet, plerique Patres quum graeci (*Chrys. Theod.* etc.) tum latini (*Vict. A*ler, *Aug. Pel.*) integram epistola manu Pauli exaratam dicunt contradicentibus inter Graecos *Mopsu.*, inter Latinos *Hier.*; quoniam *Gl ord.* sententiam *Hier.*, *Gl int.* vero sententiam *Aug.* transumsit, media quoque aetate divisi erant interpretes, siquidem *Haym. Lomb. Thom.* cum *Hier.*, *Herv.* vero et *Lyr.* cum *Aug.* stant, ad cuius sententiam iuniores quoque tantum non omnes transierunt (*Cai. Salm. Iust. Est. Lap. Nat. Pic.* etc.), dum moderni longe plerique cum *Mopsu.* et *Hier.* tenent, non nisi ab hoc versu Apostolum sua manu scribere incepisse (*Wind. Bisp. Reithm. LR. Dr. Palm. Schaef.* etc.). Quibus nos quoque accedimus, quoniam nihil prorsus adest, quo eum a dictandi more, quem in aliis epistolis eum tenuisse omnes fatentur, in hac exaranda recessisse suadeatur. Etenim aoristus ἔγραψα (*scripsi*), quem aliqui obiiciunt, ex

S. Hil. : obsecundabunt; *Vulg* : *secuti fuerint*) B ℵ K L P, plerique minusc. etc.; sed στοιχοῦσιν (sectantur) A C D E F G, pauci minusc., *It.* (*Vict. A*ler, *Aug. Hier. Ruf.*) *Arm. Aeth.* — 18. τὰ στίγματα τοῦ Ἰησοῦ (stigmata *Iesu*) B A C, pauci minusc., meliores codd. *Vulg.* (*Fuld. Amiat. Tol. Demid.* etc.); sed *textus rec.* : τὰ στ. τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ (*stigmata Domini Iesu*) cum E K L, plerisque minusc., *Hier. Vulg.* (*Clem.*) *Syr.* (codd.); alii τοῦ Χριστοῦ (Christi) P, pauci minusc., *Tert.* (c. Marc. V. 4); alii : τοῦ Κυρίου (ἡμῶν) Ἰησοῦ Χριστοῦ (Domini [nostri] Iesu Christi) ℵ D F G, pauci minusc., *It.* (*Vict. A*ler, *Aug.*) *Syr.* (codd.) *Goth.*

antiquorum consuetudine in stylo epistolari pro praesente est, quia scribens mente sese in illud tempus transfert, quo epistola legetur. Iam vero in hoc loco sensu isto eo magis adhiberi potuit ac debuit, quia Paulus neophytos suam scripturam intueri iubens (*videte*) epistolam in eorum manibus iam esse supposuit. Quemadmodum igitur in priore ep. ad Cor. subscriptioni sua manu scriptae gravissimam sententiam adiecit, qua omnes, quos corrigere et vituperare debuerat, non levi perculit terrore (cfr ad 1 *Cor.* 16,21 sq.), ita hic gravissimam quam dictaverat epistolam summum eius argumentum sua ipsius manu repetens efficacius inculcat, « ut scilicet, inquit *Thom.*, praedicta firmius teneant scientesque ab ipso hanc epistolam missam magis obediant ».

Hinc etiam insolita literarum forma, ad quam Galatas attendere vult. Graecum vocabulum πηλίκος latino *quantus* (quam magnus, quam grandis) respondet, neque iterum ulla est ratio, cur ab hac significatione, quam *Chrys.* et *Theod.* quoque, quamvis eam hic non approbent, primo in loco afferunt, recedamus. Sicuti hodie in epistolis nostris ea, quae maioris momenti esse significare volumus, maioribus literis scribimus aut alio signo distinguimus, ita Apostolus subscriptionem suam magnitudine literarum attentioni neophytorum velut rem magni momenti commendavit: « grandibus, inquit *Hier.*, Paulus literis scripsit [lege : subscripsit] epistolam, quia sensus erat grandis in literis et spiritu Dei vivi, non atramento nec calamo, exaratus ». Admodum obvia et simplex haec explicatio, quam *Mopsu.* iam indicavit et fere omnes moderni tenent, antiquioribus non arrisit; Graecis plerisque et haud paucis iunioribus praeplacuit *Chrys.* sententia, « vocabulo πηλίκος non magnitudinem sed deformitatem literarum significari », quamvis satis acerbe iam *Hier.* eam irrisisset : « in hoc loco vir apprime nostris temporibus eruditus [sc. ipse S. Chrys.] miror quomodo rem ridiculam locutus sit; Paulus, inquit, Hebraeus erat et graecas literas nesciebat; et quia necessitas expetebat, ut manu sua epistolam subscriberet, contra consuetudinem curvos tramites literarum vix magnis apicibus exprimebat, etiam in hoc suae ad Galatas indicia caritatis ostendens, quod propter illos id quoque quod non poterat facere conaretur ». Revera ut praetermittamus, vocem πηλίκος aegerrime istum sensum admittere, adnotasse sufficit, Paulum Tarsensem literis graecis ita excultum, ut interdum graecos poetas allegaret, graecas literarum notas ignorare non potuisse. Genuinum sensum vocabuli πηλίκος quidem retinent, sed constructionem pervertunt, qui Paulum dicere censent : videte *quam longam epistolam* vobis scripserim; licet enim plur. γράμματα, uti latinum *literae,* scriptum aliquod vel etiam epistolam significet (2 *Tim.* 3,15; *Act.* 28,21), dici tamen nequit γράμμασιν ἔγραψα (liter*is* scripsi), ut significetur : scripsi epistolam.

Inter ea, quae magnitudine literarum Paulus singulari neophytorum attentioni commendat, primum locum tenet perversus, quem pseudapostoli in pervertendis Galatis prosequuntur, finis. 12. *Quicumque*

(*enim* [1]) *volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis* (τῷ σταυρῷ *Aug.* et cod. *Fuld.* : in cruce) *Christi persecutionem non patiantur.* Pulcherrime pseudapostoli vocantur θέλοντες εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκί : etenim εὐπρόσωπος est formosus facie, unde εὐπροσωπεῖν formosam speciem prae se ferre; pseudapostoli igitur sunt homines, qui in carne, i. e. in rebus exterioribus, formosi apparere aliisque placere volunt, ad internum animi sui statum non attendentes. Iuxta *Chrys.* etc. ἐν σαρκί hic idem est quod *apud homines,* iuxta *Est. Lap.* etc. i. q. apud homines eis carne coniunctos s. apud Iudaeos; at hae explicationes isti expressioni non congruunt. Melius alii Legem caeremonialem significari censent, quae tota circa carnem versabatur, ita ut *in carne* sit i. q. in carnis circumcisione aliisque carnalibus observationibus (*Thom.* etc., *Cai. Iust. Palm.* etc. — *Olsh. Lightf.* etc.). Hypocritae igitur sunt, qui hominum tantum favorem captant (ἀνθρωπάρεσκοι *Eph.* 6,6) Pharisaeis similes, quos Dominus tam vehementer increpaverat. Ex qua eorum indole iam elucet, eos in propaganda Lege mosaica bonum finem non sectari; in adigendis autem Galatis ad circumcisionem (attende ad praesens ἀναγκάζουσιν *cogunt,* i. e. in cogendo occupati sunt, sed nondum coegerunt) id unum quaerunt, ne crucis Christi persecutionem patiantur, vel accuratius: ne persecutionem cruce (τῷ σταυρῷ) Christi provocatam patiantur, « ne iniuriis afficiantur, et in vincula coniiciantur, sicut nos, qui Christum praedicamus » (*Theod.*). Bene ad haec verba, quae superiora (5,11) quoque illustrant, *Hier.* adnotat, imperatores romanos Iudaeis in imperio dispersis permisisse, ut proprio ritu viverent et patriis caeremoniis deservirent: circumcisos autem, licet in Christum crederent, a gentibus pro Iudaeis esse habitos, illos vero Christianos, qui circumcisi non essent, et gentilium et Iudaeorum odio fuisse obnoxios; utrorumque ergo, et Iudaeorum et gentilium, persecutiones a sese pseudapostoli declinare studebant circumcisione praedicata.

Alium porro scopum eos non habere neque amore Legis mosaicae eos duci clarum est: 13. *neque enim qui circumciduntur* (cum *Vict. A*[tro], *Aug. Hier.* melius : *qui circumcisi sunt* οἱ περιτετμημένοι) ipsi *legem custodiunt, sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur.* Subiecto οἱ περιτετμημένοι vel περιτεμνόμενοι (*qui circumcisi sunt* vel *qui circumciduntur*) pseudapostolos designari clarum est, quum

1. Particula *enim* nec in graeco textu est expressa, nec ab antiquis Latinis (*Vict. A*[tr], *Aug. Hier.*) nec a melioribus *Vulg.* codd. (*Fuld. Amiat. Tolet.* etc.) exhibetur; omittatur ergo oportet, quum causalis nexus non adsit; recte *Hier.* : « superius ostendit, ex quo loco sua subscripserit manu, nunc quid scripserit replicat ».

Galatas circumcidere velle dicantur; sed pseudapostoli erant circumcisi, quare participium perf. participio praes. praeferendum est, nisi forte quis censeat, τοὺς περιτεμνομένους hic esse eos, qui vi originis suae praecepto circumcisionis subiaceant. Quam alteram explicationem si admiseris, nihil obstat, quominus lectionem *Vulg.* sequaris, quam plerique moderni critici ob maiorem (?) testium auctoritatem praeferunt; cave vero, ne cum nonnullis iunioribus subiecto isto Galatas, qui ad circumcisionem adigendi erant, intelligas (*Wind. Bisp.* etc. — *Wies.* etc.); id enim totius sententiae constructio non permittit. Ipsi pseudapostoli Legem non observabant, non tantum quia integra ob infirmitatem carnis a nullo adimpleri potuit (cfr *Act.* 15,10), uti cum *Hier.* iuniores ac moderni multi censent, neque tantum quia eis, utpote in Palaestina non degentibus, totius Legis observatio physice erat impossibilis, uti cum aliis *Theod.* monet de festis, quae Ierosolymis erant peragenda, de sacrificiis, quae in solo templo offerri potuerunt etc. loquens, sed etiam quia eis ipsis Lex curae non erat, uti satis clare Paulus innuit, quum id ostendat, quod solum illi quaerunt : velut hypocritae, qui propter crucem Christi persecutionem pati nolunt, Iudaeorum privilegiis frui volunt ideoque sese veros Iudaeos esse probare conantur non sua ipsorum observatione Legis, sed gloriatione sua de Lege inter Ethnicochristianos propagata.

Cui perverso iudaizantium fini Apostolus eum opponit, quem ipse solum prae oculis habet; isti in aliena carne, quam Legi subiiciunt, gloriantur, 14. *mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem* (vel : per quam) *mihi mundus crucifixus est et ego mundo.* « Non dicit : ego non glorior, nec : ego nolo gloriari, sed : ne mihi contingat ut glorier; velut rem ignominiosam deprecatur gloriationem et ad eam avertendam quasi implorat divinum auxilium » (*Chrys.*). Una sola in re utique gloriari non tantum non abnuit, sed ardenter desiderat, nimirum *in cruce Domini N. I. Chr.* Crux Iudaeis non tam erat instrumentum mortis, siquidem non nisi occisi in ligno suspendebantur, quam signum infamiae et maledictionis (*Deut.* 27,26); ideo Iudaei, quamvis eorum Lex poenam crucifixionis ignoraret, Domini crucifixionem postularant, ut ei doctrinaeque eius indelebilem ignominiae maculam inurerent omnesque absterrerent, ne infami ac maledicto viro sese addicerent. Neque plane irriti fuerant eorum conatus; etenim iudaizantes, quum scandalum crucis timerent, eam pro viribus occultare studuerunt, et prae timore, ne velut infamis viri discipuli ipsi quoque infames haberentur, fructus crucis necessitate circumcisionis aliarumque caeremoniarum cruce abrogatarum asserta non tantum diminuerunt sed destruxerunt (2,21 etc.). At longissime ab

Apostolis iste timor scandali abfuit; uti Petrus prima vice Iudaeos et prima vice ethnicos alloquens per solum crucifixum Iesum salutem esse aperte docuit (*Act.* 2,22. 36. 38; 10,36. 39. 42), ita Paulus in itinere damasceno divinitus illustratus (uti *Aug.* pulchre adnotat) « ubi mundi philosophi (et iudaizantes) erubuerunt, ibi invenit thesaurum et non contemnendo vile involucrum pervenit ad pretiosum involutum » (*S. Aug.* serm. 160,4). Ab eo tempore solum Christum et hunc crucifixum in suis praedicationibus annuntiavit (cfr 1 *Cor.* 2,2) et in sua vita exprimere voluit (cfr 2 *Cor.* 4,8 sqq. etc.); a crucifixione Christi describenda atque a salute per solam Christi crucem asserenda inter Galatas quoque missionem suam inchoaverat (3,1 cfr *Act.* 13,27 sqq. 38 sq.) atque inter eos commorans etiam infirmitatibus et persecutionibus, quas sustinuit, crucem Christi in corpore suo exprimere non erubuerat (*v.* 17; 4,13; cfr *Act.* 13,50; 14,5. 18). Quamvis enim, uti egregie habet *S. Cyr. Ier.* (catech. 13,1), omnem Christi actionem materiam gloriandi esse Ecclesiae catholicae non ignoraret, crux tamen Christi ei gloriatio gloriationum (vel : excelsissima materia gloriandi καύχημα τῶν καυχημάτων) fuit.

« Praecipue, inquit *Thom.*, in cruce Christi gloriatur, quia in ipsa inveniuntur omnia, de quibus homines gloriari solent. Nam gloriantur aliqui de magnorum, regum aut principum, amicitia; et hoc maxime Apostolus invenit in cruce, quia ibi ostenditur evidens signum divinae amicitiae (*Rom.* 5,8); nihil enim sic caritatem eius ad nos ostendit, sicut mors Christi. Item gloriantur alii de scientia, et hanc Apostolus excellentiorem invenit in cruce (1 *Cor.* 2,2); nam in cruce est perfectio totius Legis, et tota ars vivendi. Item gloriantur aliqui de potentia, et hanc Apostolus maximam habuit per crucem (1 *Cor.* 1,18); item gloriantur aliqui de libertate adepta, et hanc Apostolus consecutus est per crucem (*Rom.* 6,6); item aliqui gloriantur in assumtione ad aliquod magnum collegium; sed per crucem Christi assumuntur ad coeleste collegium (*Col.* 1,20); item quidam gloriantur in triumphali signo victoriae; sed crux Christi est triumphale signum victoriae eius contra daemones (*Col.* 2,15) ». — Interroganti, quomodo Paulus se in sola cruce gloriari dicat, quum etiam in aliis glorietur, *Hier.* recte respondet : « sciendum, quod omnis gloriatio illa ad crucem relata gloria crucis sit : et quidquid dignum in virtutibus perpetratur, hoc fieri ob Domini passionem ». — Demum adscribere mihi liceat practicum monitum, quod *Aug.* (serm. 160,5) ex apostolicis his verbis colligit : « haec est doctrina christiana, humilitatis praeceptum, humilitatis commendatio, ut non gloriemur nisi in cruce Domini N. I. Chr.; nam non est magnum in Christi sapientia gloriari, magnum est in cruce Christi gloriari. Unde tibi insultat impius, inde glorietur pius; unde insultat superbus, inde glorietur Christianus : noli erubescere de cruce Christi; ideo in fronte tamquam in sede pudoris signum ipsum accepisti; recole frontem tuam, ne linguam expavescas alienam ».

Neque mirum, quod in cruce Christi Paulus glorietur, qui fructus crucis tam bene cognovit, quos paucis sed gravissimis verbis indicat: *per quam mihi mundus crucifixus est et ego mundo.* Graecum δι' οὗ

et ad praecedens ἐν τῷ σταυρῷ (*in cruce*) et ad genetivum apposit. τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ grammatice referri potest. Latinus interpres sua versione *per quem* alterum nexum expressit, qui aptus est, dummodo cum latinis Patribus explices : per quem Iesum Christum crucifixum, seu : per quam Christi crucifixionem. Aptior tamen esse prior videtur (*per quam* sc. crucem Christi), quem Graeci in suis explicationibus sequuntur, siquidem de cruce velut redemtionis instrumento maxime agitur : iudaizantes et Iudaei eam refugiunt, quia in eo non vident nisi infamiae lignum; Paulus eam amplectitur in eaque gloriatur, quia gloriosos eius fructus videt, quorum particeps fieri nequit, nisi qui cum Christo in ea mortuus sit.

Mundi porro nomine *Chrys.* « res temporales, laudes ex hominibus, amicorum cohortem, gloriam, opes, brevi omnia quae vulgo habentur magnifica » significari censet. Satis id quidem recte; addatur tamen oportet, omnia ista hic considerari, quatenus a Deo aversa « principi huius mundi » et « deo huius saeculi » sunt subiecta ac soli « carni » subserviunt (cfr ad 1 *Cor.* 1,20; 2 *Cor.* 4,4; *Eph.* 2,2 sq. etc.); immo significatio vocabuli tam late patet, ut nihil obstet, quominus, uti vult *Est.*, homines mundanos carnalesque omniaque eorum studia comprehendantur. Hic mundus, quem Christus morte sua devicit (*Ioan.* 16,33.), per Christi crucem Apostolo non tantum est mortuus, ita ut ab eo plane sit separatus neque ab eo ullo modo, sive eius blanditiis incitamentisque sive eius odiis persecutionibusque, afficiatur moveaturque, sed etiam crucifixus, i. e. infami morte interemtus, ita ut ab eo et omnibus eius deliciis pompisque velut a rebus infamibus abhorreat eaque omnia detestetur. At ipse vicissim crucifixus est mundo, ita ut mundus ille a Deo aversus nullam in eo habeat partem nihilque in eo inveniat, quod non abhorreat, sicut abhorret ipsam Christi crucem (« sicut mundus horret crucem Christi, ita horret me » *Thom.*). Hinc etiam non miratur, quod a mundo persecutiones sustineat, e contra omnia, quae mundus contra eum molitur, ei sunt argumento, quod revera Christo sit confixus cruci neque ipse amplius vivat, sed in ipso vivat Christus (2,19. 20), qui mundum principemque eius cruce sua conculcavit.

Praeclarissimus hic est fructus crucis, qua omnes, qui in Christi mortem baptizantur, cum similitudine mortis eius complantantur mundoque ac peccato plane moriuntur, ut novam vitam in Christo inserti iam degant (cfr *Rom.* 6,3 sqq.). Unde satis clarum est, cur Apostolus in cruce glorietur; cur vero in nulla alia re gloriari velit, explicat addens : 15. *in Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet* (melius : *est*) *neque praeputium sed nova creatura.*

Utrum priora verba ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ (*in Christo Iesu*) velut genuina sint retinenda, an utpote ex 5,6 huc translata rectius omittantur, dubitari potest, quia testes critici sunt divisi (cfr VV. LL.). Si numerandi tantum essent testes, sine ullo dubio verba essent retinenda; sed auctoritatem quoque eorum, qui illa exhibent, praevalere arbitror, si ponderantur. Fieri quidem potuisse, ut scioli quidam librarii ea ex 5,6 huc transferrent, non diffiteor, sed id revera factum esse nondum est probatum; fieri enim etiam potuit, ut aliqui ad 1 *Cor.* 7,19 respicientes ea omitterent. Ceterum quaestio haec vix ullius est momenti, quum illi quoque critici, qui ea omittenda ducunt, ea bonam glossam esse, quae Apostoli menti respondeat, ultra concedant. Illis tamen omissis maiorem vim sententiae inesse arbitrantur : « quo brevior, eo efficacior hoc in loco videtur » (*Palm.* — *Sieff. Lightf.* etc.); at brevitas claritati interdum nocet[1]. Facilius admittam, pro ἰσχύει (*valet*) legendum esse ἐστίν (*est*), quia secundam lectionem plures et graviores testes tuentur; sed haec quoque differentia ipsum sententiae sensum non attingit.

Simili igitur modo, quo supra iam docuit, in iis qui Christum induerunt eique inserti sunt, omnes illas formas, quibus antea secundum veterem hominem distinguebantur, plane disparuisse, quum in Christo Iesu omnes *unus* sint (cfr ad 3,27 sq.), hoc in loco omnes illas formas, quia ad *mundum* pertineant qui baptizatis sit crucifixus, nihil esse docet aut valere, ita ut in considerationem venire nequeant, si Christianus gloriari vult. Duas autem tantum formas, circumcisionem et praeputium, hic nominat, quia de his solis inter Galatas iudaizantesque quaestio agitabatur. Unum solum valet et aliquid est, nimirum id quod ipsa insertione in Christum obtinetur, *nova creatura* (cfr ad 2 *Cor.* 5,17), i. e. homo in supranaturalem statum gratia sanctificante elevatus, qui fide per caritatem operante ornatus (5,6) mandata Dei observans (1 *Cor.* 7,19) in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ambulat (*Eph.* 2,10), qui igitur Christum indutus (3,27) et complantatus resurrectioni Christi in Christo Iesu vivit Deo (*Rom.* 6,5. 11) Dei factus filius adoptivus et haeres (4,6. 7; *Rom.* 8,16), vel potius in quo Christus ipse vivit (2,20; *Col.* 3,10. 11).

Hac ratione Paulus ipse vivit omniaque aestimat, sed eadem ratione omnes vivere et res omnes diiudicare tenentur, qui in Christum baptismo inserti veterem hominem cum actibus suis exuerunt novumque induerunt renovatum secundum imaginem creatoris sui (*Col.* 3,9 sq.); hoc nunc docet pacem iis precans, qui eandem quam ipse regulam

1. Iuxta *Phot.* (Amphil. qu. 151. M. 101,813 cfr etiam *Syncell.* Chron. ed. Bonn. p. 48) sententia haec (verbis *in Christo Iesu* omissis) una cum *v.* sequente « ex libris apocryphis Moysis » (iuxta Sync. « ex Apocalypsi Moysis ») desumta sunt. Num revera in illis apocryphis adfuerint, cum certitudine definire non possumus, quia opera illa iam diu interierunt; d autem certum est, sententiam hanc, quae Pauli doctrinam totam tam praeclare exhibet, ex nescio cuius falsarii libro ab eo non esse mutuatam; rectius falsarius illa ex nostra epistola transumsisse dicitur, ut foetui suo auctoritatem quandam conciliaret (cfr *Introd. gener.* in U. T. libros, p. 209 sq.).

sectantur : 16. *et quicumque hanc regulam secuti fuerint* (vel : *sectantur*), *pax super illos et misericordia, et super Israel Dei.* Nomen κανόνος (*regulae*), quod sensu proprio amussin mensuramque artificum significat, a nonnullis modernis hic sensu proprio sumitur, quatenus viam indicet, in qua incedendum sit; sed nulla est ratio, cur ab antiquorum sententia recedatur, qui metaphorico sensu nomen explicant de regula credendi et agendi; nam ad eandem significationem priores quoque in tota sententia explicanda reverti coguntur. Recte igitur *Hier.* : « ad normam omnia diriguntur et utrum prava rectave sint, quum regula apposita fuerit, arguuntur; ita et Dei doctrina norma quaedam sermonis est, quae inter iusta iudicat et iniusta ». Velut regulam, iuxta quam vivendum agendumque sit, a Paulo hic proponi integram doctrinam de iustificatione in hac epistola traditam, aliqui iuniores censent (*Iust. Lap. Nat. Pic*[2].); quae explicatio per se quidem vera est, quia tota epistolae doctrina paucis verbis sententiae praecedentis (*v.* 15.) continetur. At haec ultima sententia sola (minime vero solus *v.* 14., uti volunt *Cai. Palm.* — *Hofm.* etc., non attendentes ad sententiae *v.* 15. gravitatem cfr *Est.*) est regula a Paulo designata. Id ex arcto *vv.* 15. et 16. nexu satis elucet, siquidem iuxta priorem explicationem particula καί (*et*) inepte esset adhibita. Itaque Paulus vult, ut Christianus, qui in Christum est baptizatus, neque circumcisis neque praeputiatis sese accenseat, sed solam suam insertionem in Christum aliquid esse ducat. Hac quippe veteres illae differentiae sunt sublatae, ipse vero in sublimiorem statum est elevatus, factus nova creatura, cuius conversatio est in coelis (*Phil.* 3,20) et quae cum Christo mundo eiusque elementis mortua cum Christo conresurrexit novamque vitam agit absconditam cum Christo in Deo (*Col.* 2,20 sqq.; 3,1 sqq.). Similiter graecus quidam interpres in *Caten.*: « neque circumciditur (iudaico more) Christianus, neque gentium more praeputiatus est, habet enim suam propriam circumcisionem (sc. non manu factam); cum Iudaeis non circumciditur, quia pulchriorem circumcisionem possidet, et cum gentibus non est in praeputio, quia circumcisus est (in circumcisione Christi *Col.* 2,11); qui igitur nec inter gentes nec inter Iudaeos est, nova creatura est; et quotquot ambulant secundum hanc regulam, regulam sc. novae creaturae, i. e. quotquot nec Iudaei sunt nec gentes sed Christiani, pax super illos et misericordia : misericordia in remissione peccatorum, pax in unione cum Christo ».

Utrum cum nonnullis (*Chrys. A*[tro] etc.). ad verba εἰρήνη καὶ ἔλεος (*pax et misericordia*) futurum suppleas (ἔσται *erit*), an cum aliis

(*Theod. Vict.* etc.) optativum vel imperativum (εἴη, ἔστω *sit*), parum referre patet; promissione tamen in fine epistolae aptior esse precatio videtur. Omnibus ergo, qui hanc regulam sectantur (στοιχοῦσιν) aut iuxta alteram lectionem (στοιχήσουσιν) in posterum sectabuntur, pacem precatur, qua fruentur in sua unione cum Christo, et misericordiam divinam, quam utpote genuina Christi membra in omnibus suis necessitatibus experientur ac maxime in die iudicii (cfr 2 *Tim.* 1,16. 18). Addit autem : *et super Israel Dei;* « Israelem Dei, inquit *Theod.,* fideles appellat, utpote qui Deum per fidem videant; hoc enim nomen significat », vel iuxta *Aug.* : « qui vere ad visionem Dei praeparantur, non qui vocantur hoc nomine et carnali caecitate Deum videre nolunt ». Communior haec est explicatio, ut nomine *Israel Dei,* quod *Israeli secundum carnem* (1 *Cor.* 10,18) opponitur, omnes fideles, sive ex Iudaeis sive ex gentibus venerunt, designentur (cfr *Chrys. Oec.* etc., *Hier. Haym. Thom.* etc., *Cai. Salm. Iust. Lap. Pic.* etc., *Wind. Bisp.* etc. — *Olsh. Mey Sieff. Lightf.* etc.), licet etymologicam *Theod.* et *Aug.* expositionem nominis *Israel* plerique iure praetermittant. Particula καί (*et*) hoc in loco non tam est copulativa quam epexegetica; minus vero apte, ni fallor, alii cum *A*[tro] et *Vict.* copulativam significationem particulae retinent atque nomine *Israel Dei* solos Iudaeochristianos designatos vident, qui ethnicis conversis addantur (*Herv. Lyr. Est. Nat.* etc., *Reithm. Palm. Schaef.* etc — *Ew. Ead.* etc.). Tam amplum enim est prius membrum (*quicumque* sectantur), ut ad solos Ethnicochristianos aegre restringatur, praesertim quia etiam *Israel Dei* pacem misericordiamque consequi nequit, nisi eandem regulam sequatur.

Demum lectores suos Paulus monet, « ut desistant a sui molestatione » (*Thom.*) : **17.** *de cetero* (τοῦ λοιποῦ *posthac*) *nemo mihi molestus sit; ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Iuxta *Vulg.* versionem (*de cetero*) sermonem quasi abrumpere videtur; sed particula graeca τοῦ λοιποῦ temporalis est (i. q. posthac, in posterum) atque latinum *de cetero* eodem modo multi interpretantur (*Vict.* : ultra, *Pel.* : amplius, *Gl int. Thom.* etc. : amodo, *Hier.* : rursus etc.). Monet autem *Hier.* « melius in graeco legi : *de cetero labores mihi nemo exhibeat* (τοῦ λοιποῦ κόπους μοι μηδεὶς παρεχέτω), ne rursum scilicet in vobis necessitatem habeam laborandi; laborem praestat magistro, qui aliter et vivit et sentit, quam magister et docuit et fecit. Potest et contentionem eorum, si qui contradicere deinceps voluerint, praevenire quod etiam ad Corinthios in velando mulieris capite post multa complexus est dicens : Si quis autem videtur contentiosus esse,

nos talem consuetudinem non habemus (1 *Cor.* 11,16); hoc est : nos diximus quae nobis honesta videbantur et iusta; si quis autem nolens acquiescere veritati quaerit quid respondeat, sciat se responsione non dignum, qui magis contendere paratus est, quam doceri ». Auctoritate igitur sua contentionibus neophytorum finem imponit et pro auctoritatis suae demonstratione addit : *ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.*

« Stigmata, inquit *Aug.*, dicuntur notae quaedam poenarum servilium »; apud Romanos enim solis fugitivis servis nota quaedam (Φ vel FUG) ferro candenti imprimebatur, ac similis erat Graecorum mos. In Oriente tamen omnibus servis nota quaedam inurebatur, qua cuius domini essent cognoscerentur; atque ad hunc usum procul dubio Apostolus alludit, ac se genuinum Christi servum et Apostolum esse, ex stigmatis Christi, quae in corpore suo gerat, cognosci vult. Porro iuxta communem fere omnium interpretationem hoc nomine intelligit cicatrices verberum vulnerumque, quae propter Christum multa accepit, vestigiaque alia reliquarum persecutionum tribulationumque, quas in ministerio apostolico innumeras pertulit (2 *Cor.* 11,23 sqq. etc.). His enim eum ad Christum pertinere demonstrabatur, quum semper mortificationem Iesu in corpore suo circumferret (2 *Cor.* 4,10); neque minus eum genuinum Apostolum esse ex iis patebat, quum ostenderent eum illa tractari ratione, qua Deus Apostolos tractari voluit (cfr 1 *Cor.* 4,9 sqq. etc.; *Matth.* 10,17 sqq. etc.); quapropter etiam de iis non erubescit sed gloriatur [1] (cfr 2 *Cor.* 11,30; 12,9 sqq. etc.). Galatae ipsi in eo haec stigmata viderant, quando in infirmitate carnis inter eos Evangelium annuntiabat (4,13) ab una civitate in alteram fugatus, ubique contradictiones persecutionesque expertus, quin etiam Lystris lapidatus et pro mortuo extra civitatem in viam proiectus (*Act.* 13,50; 14,5 sq. 18 sq.).

Iuxta *Aug.*, quem pauci iuniores sequuntur, Paulus tribulationes suas

1 Pulchre *Chrys.* : « Non dicit : *habeo* (ἔχω) sed *porto* (βαστάζω) stigmata, de iis velut de trophaeis signisque regalibus glorians, quamvis illa probro esse videantur; neque secus ac milites vexilliferi, exsultat vulnera sua circumferens. Sed quam ob causam hoc dicit? Quovis sermone clarius per haec me defendo; haec enim vocem altiorem, quam tuba emittunt adversus eos, qui mihi contradicunt meque dogma simulare hominumque gratiam captare dictitant. Etenim si quis militem cruentatum innumerisque vulneribus saucium ex acie redeuntem conspiceret, num illum ignaviae proditionisque damnare posset, quippe qui fortitudinis suae argumenta in corpore gestaret? Iamvero de me, inquit, eadem ratione iudicare debetis; si quis meam defensionem audire vult, spectet vulnera mea, quae certiorem exhibent probationem, quam haec scripta aut haec verba ».

Ex eo, quod haec epistolae pericope in officio « Impressionis ss. stigmatum in corpore S. Francisci » legitur, nequaquam sequi, nomine *stigmatum* etiam hoc in loco signa crucifixionis Domini corpori S. Pauli miraculose impressa designari, luce clarius est; siquidem in ipso officio (lect. 6.) miraculum, quo S. Francisco stigmata Domini imprimebantur, « novum, retroactis saeculis non concessum » vocatur, quo Deus frigescentem iam mundum nec amplius vivam passionis dominicae memoriam servantem novo quasi stimulo accendere voluerit. De huiusmodi stigmatis nullus umquam interpres verba S. Pauli explicavit.

hic commemorat, ut se iam satis molestiarum ferre significans Galatas retineat, ne continuatis contentionibus ipsi novas molestias creent : at nescio num satis digna sit Apostolo haec explicatio, quod quasi morosus epistolam terminaverit dicens : « nolite mihi esse molesti, quia aliunde satis habeo quod feram ». Aptius *Chrys.* haec verba afferri censet, ut Paulus continuatis persecutionibus se doctrinam non mutasse confirmet (cfr 5,11); arctior tamen haec est explicatio, atque melius eum nexum retinebimus, quem iuxta *Theod. Hier.* et plerosque iam indicavi : « Non amplius ad vos scribere volo, sed pro literis vibices ostendam et plagarum signa; haec testimonium ferant veritati praedicationis; pro illa enim omnia perpeti non refugio » (*Theod.*) atque hisce me genuinum servum et Apostolum Christi exhibeo. — Num Apostolus simul etiam stigmata Christi opponere voluerit circumcisioni, uti cum *Hier.* nonnulli putant, non liquet.

« Consuetam benedictionem velut quoddam sigillum epistolae imponit » (*Theod.*) : **18.** *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro, fratres. Amen.* Satis magna cum vehementia epistolam inchoaverat neque consueto fratrum nomine Galatas ab initio erat allocutus; suam autem perdurare caritatem nunc ostendit ultimo epistolae vocabulo eis fratrum titulum confirmans. Polemicam quandam tamen rationem in ipsa hac benedictione antiqui aliqui viderunt, quia pro consueta formula *vobiscum* Paulus dixerit *cum spiritu vestro;* sed haud recte. *A*[ter] quidem putat, solis iis, qui spirituales sint, illum benedicere voluisse, alios autem, qui iam defecerant, a benedictione exclusisse; at eodem loquendi modo utitur in epistolis ad *Phil.*, *Philem.* et 2 *Tim.*, in quibus de eiusmodi exclusione nemo cogitare potest. Aptius *Chrys.* illa formula Paulum eos a carnalibus avocare censet atque gratiam eis in memoriam revocare, per quam poterant ab omni errore iudaico liberari; nam Spiritum non ex operibus Legis sed ex auditu fidei acceperant. Verum haec quoque longius sunt quaesita neque tribus aliis epistolis, in qua eadem formula habetur, ullo modo adaptari possunt. Itaque dicendum videtur, ideo eum spiritum hic nominasse, quia gratia Domini N. in spiritu et a spiritu recipitur et in spiritum agit; sensu autem haec formula ab altera non differt.

O. A. M. D. G.

INDEX

I. — *ALTERA EPISTOLA AD CORINTHIOS.*

II. — *EPISTOLA AD GALATAS.*

PARS PRIMA APOLOGETICA.

PARS ALTERA POLEMICO DOGMATICA.

PARS TERTIA PARAENETICA.